lege Roscia decoctoribus certus locus est constitutus 276
lex sempronia- decernendae sunt nobis duae prouinciae lege Sempronia 110
lex Sempronia 127
lex Seruilia 135
lex uitae & condicio —— non grauior Cornelio, quam multis uiris bonis, atque fortibus constitui lex uitae & condicio uidetur 217
legis index 260
leges censoria tegitur qui non potuit per hostem frui publico 32
lege solutus ac liber 201
leges annales 319
leges annales antiquiores Ro. non habebant; quas multis post annis, attulit ambitio 310
leges nefariae latae absente Cicerone 17

Landesbibliothek Oldenburg

Leges silent inter arma 174
Leges iniquissimas sibi impositas putabant 122
Leges inter se, condicionesque tulerunt 363
Legibus & iudicijs oportet audaciũ hominum sceleri resistere: si leges non ualeant, si iudicia non sint, praesidio, & copijs uitam & libertatem defendi necesse est 45
Legibus sacratis et 12. tabulis sanctum est, ut neue priuilegium irrogari liceat; ne ue de capite, nisi comitijs centuriatis rogari 34
Libellarium legum 178
liberae sunt cogitationes nostrae 186
Liberauit me idem dies iniquissima inuidia 378
Liberauit uectigales, et stipendiarios Gabinius 123
Liberare me suspicione fascium uolebat 378
Liberatio culpae 227
Liberatus nimiis magna procuratione 250
Librarij manu scriptae litterae 269
Librarioli 115
Libri nos docẽt in umbra & otio 115
Libertas —— nihil fieri potest demẽtius, quam scientem in eum locum uenire, ubi libertatem sit perditurus 204
Libertas —— pro libertate uitae periculo decertandum est 347
Libertas propria Romani generis & nominis 301
Libertas uerborũ quantum a rerum turpitudine abes, tantum te a uerborum libertate seiungis 95
Libertatis recuperatio ita praeclara est, ut ne mors quidem sit in repetenda libertate fugienda 347
Libido cõuiuiorum & lustrorum 103
Libidinum contumeliae nefariae 167
Licentiam dare —— uide quid licentiae nobis tua liberalitas det, uel potius audaciae 234
Licere —— licere id est quod moremaiorum, institutisque maiorum conceditur 367
Licere —— neque enim quod quisque potest id ei licet 367
Licere —— oportere —— si denique aliquid, quod non contra ac liceret, sed contra atque oporteret, factum diceretur 117
Licet nemini contra patriam ducere exercitum 367
Licinius Poppa 184
Lictores laureati 278
Lites aestimatae —— in litibus aestimandis nemo appellabatur, nisi ex testium dictis, aut tabulis priuatorum, aut rationibus ciuitatum 200
Lites, quo . ea . pecunia . peruenerit non suis proprijs iuditijs, sed in reum factis condemnari solent pag. 209
Littera salutaris 175
Littera tristis 175
Litterae M. Antonij ad Hirtium cõsulem missae 368
Littere recte & ordine scriptae 344
Litterae scriptae librarij manu 269
litteras ad se ab amico missas offensione aliqua interposita nemo, qui paullum modo hominum consuetudinem uosset, in medium protulit 368
Locauit te in matrimonio stabili & & certo 276
Locati in altissimo dignitatis gradu pag. 259
Locum hunc maledicendi uellem aliquis ex uobis robustioribus suscepisset 95
Locum tibi reliquum non modo ad pacẽ, sed ne ad deditionem quidem fecisti 371
Longe & alte repetita oratio quid sibi uelit 18
Longitudo itineris 340
Longius progredi non possit 269
Longus in enumerando magis, quam ingratus in praetereundo 369
Longo interuallo 179
Longo interuallo loqui nobis de replicet 295
Longo interuallo —— hodierno die primum in possessionem libertatis pedem ponimus 300
Loqui de seipso —— quid quisque nostrum de se loquatur, non est requirendum: boni uiri iudicent: id est maximi ponderis 82
Loqui. nihil Baiae ipsae loquũtur? 104
Loqui —— res loquitur ipsa 182
Lubricum genus orationis adolescẽti non acriter intelligenti, est saepe praeceps 164
L. Afranius, summus dux 369
L. Antistius disertus homo 123
L. Antonius M. frater ad Tibur, cũ ei labare M. Antonius uideretur, mortem fratri dicitur minitatus pag. 324
L. Antonius Iani mediĩ patronus 325
L. Antonius patronus quinque & triginta tribuum, patronus Iani mediĩ 329
L. Brutus princeps generis Brutorum pag. 296
L. Brutus regem superorum non tulit 195
L. Brutus regio dominatu remp. libe rauit 158
L. Bruti imago 273
L. Caesar M. Antonij auunculus sententiã dixit in P. Lentulum Antonii uitricum 269
L. Cassius legem tabellariam tulit 52
L. Catilina audacior 267
L. Cinna crudelis 350
L. Cinnae dominatur 264
L. Cotta princeps sententiam rogatus dixit, nihil de Cicerone actum esse iure, &c. 39
L. Cotta uir summo ingenio, rebus gestis, Ciceroni supplicationem decreuit uerbis amplis. 269
L. Cossinius Tiburs 125
L. Crassus homo incredibili sapiẽtia pag. 123
L. Crassus homo natus ad dicendi singularem quãdam facultatem 114
L. Crassus homo sapientissimus ciuitatis spiculis prope scrutatus est Alpeis 61
L. Crassus C. Marii affinis 124
L. Domitius 369
L. Domitius nobilissimus & clarissimus uir ab Antonio occisus 280
L. Egnatuleius 321
L. Egnatuleius quaestor 295
L. Egnatuleio decernitur, ut ante legitimum tempus magistratus petere, capere, gerere liceat 321
L. Flaccus Pisonis legatus 160
L. Frater M. Antonii gladiator Asiaticus 313
L. Frater Antonii quae fax? quod facinus? qui gurges? quae uorago? pag. 351
L. Gellius Ciceroni cluicam coronam deberi a populo R. dixit 147
L. Herennius 99
L. Lamia a Gabinio relegatus 17
L. Lamia Pisone cõsule relegatus 163
Luculli uilla, quã Clodius pictam in concionibus explicabat, tugurium uidebatur prae Clodii uilla 48
L. Lucullum interficere uoluit Voconius 85
L. Marius primi pili centurio 120
Luculli duo 266
Lucullorum, & Seruiliorum graues inimicitiae 135
L. Metellus & Q. Marcius cos 147
L. Murena 269
L. Ninnius ad senatũ retulit de rep. pag 16
L. Ninnio referẽte decreuit senatus Kalendis Ianuariis de reditu Ciceronis 83
L. Opimius eiectus a patria, is qui praetor, & consul maximis rempericulis liberarat 169
L. Opimii monumentũ celeberrimũ in foro

in foro, sepulcrũ desertissimum in litore Dyrrachino 82
l. Opimium flagrantem inuidia propter interitum C. Gracchi semper ipse populus Ro. periculo liberauit 72
l. Paullus quaestor Macedoniam obtinuit homo ad cõseruandã rem p. natus 85
l. Philippus Aricinam habuit uxorem 297
l. Philippus dixit, se Pompeium non mittere pro consule, sed proconsulibus 353
l. Piso Caesoninus Caluentius a Cicerone dictus 131
l. Pisonis facinora in prouincia 131
l. Saturninus aegre ferebat a se quae sfore Ostiẽsi rem frumẽtariam ad M. Scaurum esse translatam 23
l. Saturninus tribunus plebis Metello infestus 22
l. Saturninus tribuno pl. Glaucia praetor 334
l. Scipionis, qui bellum in Asia gessit, statua cum chlamyde & crepidis 204
l. Scipioni cum prouincia Asia obuenisset, parumque in eo putaretur animi esse, parum roboris: P. Africanus frater minor legatus ei fuit 353
l. Sulla dictator omnes quos oderat, morte multabat 230
l. Sulla uehemens 350
l. Trebellius 424
l. Tarquinius exactus 284
l. Torquatus ex prouincia Macedonia imperator est appellatus 156
l. Vettius in senatu confessus est, se cum telo fuisse, & Cn. Pompeio suis manibus necem offerre uoluisse 85
l. Visidius, eques Ro. 331
l. Volcatius 269
lucrum fieri — uter eorum periisset, tamquam lanista, in eiusmodi pari lucrum fieri putabat 153
Luculentam plagam accepit 330
Ludi Apollinares 264
Ludi Apollinares a Bruto absente facti 264
Ludi Apollinares incredibili M. Bruti honore celebrati 273
Ludi apparatissimi, & magnificentissimi 30
Ludi compitalitij 163
Ludius, non solum spectator 59
Luatur id meo rapite potius quam Milonis 190
Luere poenas debitus 191
Lumen & decus ciuitatis 354
Lumen & decus illius exercitus 352
lumina — delegit e florentissimis ordinibus ipsa lumina 116
luminibus exstinctis 277
lupercalia 281
lupercus Antonius 283
luperci 228
luperci-fera quae ea sodalitas, & plane pastoricia atque agrestis germanorum Lupercorum 99
lupercorum coetio siluestris ante instituta, quam leges 99
lupus praeclaris ouium custos 300
lusus, popinae, aleã, unum 366
lustratus exercitus 359
luulenta uitia 146
lux — centesima lux ab interitu Clodij 189
lux quaedam uidebatur oblata 255
lux maxima liberalitatis & sapientiae tuae apud te dicenti oboritur pag. 229
lucem splendoremque fugiens 160
luce digniis — cum hoc non recusares, quin ij, a quibus dicebare consul, te luce dignum non putarẽ, nisi nequior quam Gabinius exstitisses 147
luxuriem accusare facile est 100
luxuria quaedam est, quamquam omnis est uitiosa, atque turpis, tamen ingenuo ac libero dignior 163
lychni — lux longe alia solis, ac lychnorum 107
lysiades Atheniensis, Phaedri philosophi filius 312

M

Macedoniam tantae barbarorũ gentes attingunt, ut semper Macedonicis imperatoribus ijdẽ fines prouinciae fuerint, qui gladiorum, atque pilorum 155
Machinari alicui insidias 68
Mactare deos manes puerorum extis 83
Mactandus malo — 90
Maculat Louis hircos omni nefario stupro & scelere Clodius 187
Macula regni publicati manebat, quum nemo posset eluere 33
Maculae imperij Piso & Gabinius pag. 133
Maculosa uestis 281
Madebant parietes uino 288
Madefacti gladij sanguine 376
Madentes cinnororum fimbriae 32
Maeandri — quos tu maeandros, dum omnes solitudines persequeris, quae diuerticula flexiones que quaesisti 159
Magisterium morũ seueriss imũ 142
Magistratus annui creati sũi Romae regibus exactis 78
Magno animo & erecto est 250
Magnum est, summa de re dissentientes in eadem consuetudine amicitiae permanere 275
Magnũ fuit — ipsum enim exspectare magnum fuit 287
Magnum fuit horam unam eodem loco armatos, ut collocati fuerant, retinere magnum fuit? 245
Malam quidem illi pestem 325
(Malum) Quae (malum) est ista uoluntaria seruitus 259
(Malum) Quae (malum) est ista ratio, &c. 347
Malum nascẽs facile opprimitur: inueteratum fit plerumque robustius 315
Male parta male dilabuntur 279
Maledicere aliud est, aliud accusare pag. 94
Maledicti & cõtumeliae loco ponere 154
Maledicta iurgij petulantis 100
Maledictio nihil habet propositi praeter contumeliam 95
Malleoli ad urbis incendia comparati 184
Manaret fama — cũ tristis a Murina fama manaret 378
Mancam ac debilem praeturam suã futuram occurebat consule Milone 177
Mandare honorem 146
Mandare annalium monumentis 51
Mandatum id a nobis, populoq. Ro. non habebas 283
Mandata conficere 341
Manet — fatum Clodij tibi manet pag. 279
Manet sin autem alius me fatũ manet 371
Mansit in pristina mente Tigranes a Lucullo pulsus 32
Maneat illud & fixum sit 204
Manere in uibis uigilia 150
Manere quasi in uigilia consulari ac senatoria 354
Manicae solet accipere ipse manicas 354
Manupretium euersae ciuitatis prouincia 160
Manus afferre 41
Manibus res tenebatur 37
M. Antonius ad Caesarem belli ciuilis causam attulit 280
M. Antonis appellatus est a Caesare de pecunia, quam ei debebat professione 270
M. Anton. Caesaris dictatoris magister equitũ, belli princeps, crudelitatis auctor, testamento filius 280
M. Antonius Caesarem in Africam non est secutus 280
M. Antonius Caesarem Narbone interficere

terficere cogitauit 237
m. Antonius centuriones bene de rep. sentientes ante pedes suos, uxorisque suae iugulari coegit 314
m. Antonius Clodium in foro inspectante populo Ro. gladio stricto insecutus est 272
m. Antonius dictaturae nomen sustulit 263
m. Antonius gladiatorum dux 368
m. Antonius id molitur, id pugnat, ut deorum immortalium templa, muros, domicilia, sedesque populi Ro. aras, focos, &c. perturbet, euertat, &c. 334
m. Antonius inuasit in bona Pompeij 279
m. Antonius, is qui post Caesaris collega fuit, Clodium interficere conatus est 179
m. Antonij iter Brundisium, quale. pag. 314
m. Antonius legatis populi Ro. ad se missis nihil tribuit 337
m. Antonius legatos a senatu, populoque Ro. missos non audiuit, non respondit 368
m. Antonius leges omnes, quas M. Antonius tulisse dicitur, Cicero cē fuit per uim & contra auspicia esse latas 311
m. Antonius mutatus 263
m. Antonius orator auus Antonij triumuiri a L. Cinna crudelissime interfectus est 264
m. Antonius Pompeij bona paucis diebus effudit & consumpsit 280
m. Antonius pro aede Castoris sedens dixit audiente populo Ro. ni si uictorem, uicturum neminem. pag. 313
m. Antonij concio. 257
m. Antonij crudelitas 294
m. Antonij facta post necem Caesaris ante Kal. Iunias 255
m. Antonii frater obeam causam natus, ne omnium mortalium turpissimus esset M. Antonius 347
m. Antonii inumerabilia scelera. pagin. 329
m. Antonij intercessio pestifera 277
m. Antonij liberi, nepotes, Q. Fabii libertini hominis 367
m. Antonii litterae ad Hirtium, consulem missae 363
m. Antonio praecipue bono fuit Caesarem interfici 274
m. Antonius 347
m. Attilius Begulus redire sua uoluntate Karthaginē ad supplicū maluit, quam sine iis captiuis, a quibus ad senatum missus erat, Romae manere 64
m. Bebius 168
m. Attius Balbus, praetorius, pater Attiae matris Caesaris iunioris. pag. 197
m. Bibulus consul bene de rep. sentiēs homo nusquam progrediens nihil in rep. moliens 85
m. Bibulus consul Ro. moderatiss. & constantiss. ponte facto ex continuatis tribunalibus, sublato auxilio, exclusis amicis, a Vatinio uiperditorum hominum incitata, nō in carcerem, sed ad supplicium, & ad necem duceretur 85
m. Bibuli semper in remp. merito laudata constantia 369
m. Brutus Caepio 345
m. Brutus Caesare interfecto statim cruentum alte extollēs pugionem, Ciceronem exclamauit 273
m. Bruti nomen suspectum ueteranis magis, quam Decimi 346
m. Catopraetorius omnium gentium uirtute princeps 369
m. Catonis animi magnitudo 33
m. Catonis laus 33
m. Cicero —— cunctu concio unauoce declarauit, nihil esse a Cicerone umquam de rep. nisi optime cogitatum 378
m. Cispius tribunus pl. ueniens in forum, ui depellitur ab inimicis Ciceronis 41
m. Crassus 269
m. Crassi castissima domus 95
m. Crassi pater uir fortissimus, ne uideret uictorem uiuus inimicum, eadem sibi manu uitam exhausit, qua mortem saepe hostibus obtulerat 27
m. Drusus, senatus propugnator, ac paene patronus, domi suae occisus est 176
m. Drusus tribunus pl. potētissimus, & nobilissimus 201
m. Horatius nondum libera ciuitate, tamē populi iudicio liberatus est, cum sua manu sororem interfectam esse fateretur 173
m. Iccius 300
m. Laterensis homo dies & noctes de laude & de rep. cogitans 86
m. Lepidus 269
m. Lepidus cum bellum ciuile maximum esset, cuius belli exitum timerent omnes, sapientia id potius extinguit, quam armis & ferro rem indiscrimen adduci uoluit 318
m. Lepidus imperator iterum pontifex maximus ad pacem adhortatur senatum 360
m. Lepidus Magnum Pompeium clariss. adolescentem auctoritate, adeuxit ad pacem 366
m. Lepidus maximum ciuile bellu humanitate & sapientia sua ad pacem concordiamq. conuertit 318
m. Lepidus maximū signum illo die dedit uoluntatis, & iudicii sui, cū Antonio diadema Caesari imponente se auertit 317
m. Lepidus, qui bis consul & pontifex maximus, cum M. Fuluio colega, quo die censor est factus, homine inimicissimo, intā postatim in gratiam rediit 135
m. Lepidus Sex. Pompeium restituit ciuitati 318
m. Lepidus uir clarissimus 299
m. Lepidi pont. max. laus 366
m. Lepido decernendos honors quam amplissimos censet Cicero 317
m Lepido, Q. Catolo cos. 120
m. Lucullus ex Macedonia quincia triumphauit 157
m. manlius propter unius M. Mālii scelus decreto gētis Māliae, nemuē Patriciūm. māliū uocari licet 263
marcellus Aricinae filia habuit uxorem 279
m. Marcellus 369
m. Mēmius Cn. Pōpeio quaestor 114
m. Petrei excellens animus amore reip. 9
m. Regulum karthaginienses resectis palpebris illigatū in machina uigilando necauerunt 156
m. Scaurus pater a C. Graccho usque ad C. Marium al. Q. Varium seditiosis omnibus restitit 51
m. Tullii cum C. Caesare consuetudo. pag. 139
m. Tugio iureconsultus de aquis consulebatur 123
m. Varro uir sanctissimus, atque integerrimus 287
m. Varronis fundus Casinas ab Antonio iniuria occupatus 287
m. Varronis studia, & litterae 288
m. Varronis uilla 288
m. Vebilius 300
mars communis 99
mars marte populum Ro. generatum accepimus 204
mars ipse ex acie fortissimum quemque pignerari solet 381
martis uis perculit, qui ciues amissi sunt, non ira uictoriae 219
martiales 304
massilia ciuitati Ro. amicissima 370
massilia lata per triumphū, sine qua nūquā ex trāsalpinis gentib. maiores nostri triumpharunt 335
massiliā oppugnat Fufius uerbis 335
massiliensibus fuerat iratissimus Caesar 335

mastaneſoſi regnum 82
maſtrucati latrunculi 133
materia facilis in te, & in tuos dicere 275
mater te appello 64
matris magnae Peſſinuntius ſacerdos lege Clodiana expulſus ſacerdotio eſt 30
matrem necare patris ulciſcẽdi cauſſa--fictis fabulis doctiſſimi homines prodiderunt, eum, qui patris ulciſcendi cauſſa matrem necauiſſet, uariatis hominum ſententijs, non ſolum diuina, ſed etiam ſapiẽtiſſimæ deae ſentẽtia liberatũ 173
matrimonium ſtabile —— in matrimonio ſtabili et certo locauit 276
maturum-- nondum erat maturũ 44
medea Palatina —— Clodiam ſignificat 97
mederi afflictae reip. 18
medentur reip. qui exſecant peſtem aliquam, tamquam ſtrumam ciuitatis 71
medicaminibus uinolẽtis curari 149
medicina non eſt, cum ſanae parti corporis ſcalpellũ adhibetur, ſed carnificina 71
medius interiectus duorum fratrum aetatibus 345
mediusfidius 154
meliori tempore 107
membra otioſae dignitatis & totius reip. 50
memoria bene redditae uitae longior eſt, quam haec uita: alioqui quis eßet tam amens, qui maximis laboribus, & periculis ad ſummam laudẽ gloriamq. contenderet? 381
memoria manet domeſtici doloris. pag. 220
memoria teneo 236
mendicitas auiditate coniuncta 313
mentem illius diei ſeruare debuſti. pag. 284
mentem, qua ſapimus, qua prouidemus, uidere, aut plane qualis ſit, aut ubi ſit, ſentire non poßumus. pag. 187
mercatus —— cum domi tuae turpiſſimo mercatu omnia eßent uenalia 268
meretricijs amoribus iuuentuti non eſt interdictum 104
meritorij pueri 288
merere equo 260
merere, ſi tot conſulibus meruißet, quoties ipſe conſul fuit, &c. 123
merere ſtipendia 96
mereri immortalitatem noluiſſet, ut propter armorum habendorum licentiam metueretur 264
meriti, ac debiti honores 329
metator caſtrorum 252
metator peritus et callidus ſaxa 378
metelli moderatio de Cicerone: qui Metellus cum Ciceronis inimicus eſſet, eas ſe inimicitias patribus cõſcriptis & tẽporibus, & reip. permiſſurum dixit 39
metior--omnino patres conſcripti, totũ huiuſce rei conſiliũ nõ periculi mei, ſed utilitate reip. metiar 363
metiri omnia quaeſtu ſuo, non dignitate 289
metui & in odio eſſe, inuidioſum, deteſtabile, imbecillũ caducum 263
metus ſaltem a foedis factis auocare debet 290
milites in curia, fame, morbo, uaſtitate conſumpti. 131
milites ſanctiſſ. 381
militũ uirtus, locorũ opportunitas, auxilia ſociorum, &c. multum iuuant 212
militibus legionis Martiae, qui pugnantes cum reip. occiderũt monumentum ex ſenatus conſulto factum, auctore Cicerone 381
milo cunctis populi ſuffragij conſul declaratus 189
milo prius rem tranſegit, quam quiſquam id eum facturum ſuſpicaretur 272
milo pro Pompeij gloria ſaepe contẽdit 184
milo uindex libertatis, ſubſidiam afflictae reip. 74
milonis nullã lacrymam aſpexerunt iudices 189
milonis oratio per fictionem 189
mima amica Antonij Volũnia 278
mimus —— perſona de mimo, modo egens, repente diues 279
mimi exitus, non fabulae 107
minitatur, ignem, ferrumque patriae Antonius 371
minitantur huic urbi ferrum, & ignẽ pag. 357
minuit mihi hunc metum tua praeſtans natura 241
minuet & leniet dolorem ac deſiderium ciuium ſtatua 342
minuere amicitiã ſolet perpetua diſſenſio 344
miſcere —— quanto ille plura miſcebat, tanto hic magis in dies conualeſcebat 177
miſenum 276
miſer cũre, tum hoc ipſo, quod nõ ſentis, quam miſer ſis 370
miſericordiã dicendo cõmouere 276
miſerior qui ſuſcipit in ſe ſcelus, quam is, qui alterius facinus ſubire cogitur 351
mitella--nobiles adoleſcentes Neapoli celeberrimo in oppido cũ mitella ſaepe uidimus 204
mittere in negotium 167
moderatus fui in utroque 275
moderatio et modeſtia in dicẽdo 269
moderatio & patientia Bruti 346
moderatricem omnium conſiliorum ſuorum reip. ſibi conſtituit Caeſar iunior 320
modo--quos modo nominaui 341
moles iuſanae ſubſtructionum 187
moliri--uidere quid moliatur 370
moliri multa in rep. 147
moliri periculum optimis ciuibus 4
molliet animos iſta legatio 315
monere-neque principes ciuitatis rogando, neque maiores natu monẽdo de uendita atque addicta ſentẽtia eum monere potuerunt 277
moneta 328
monumentum uobis exſtruxit ſenatus, populusq. Ro. paene ſuis manibus 381
monumenta operum circa Mutinam ſceleris Antonij indicia, latrocinijq. ueſtigia 360
monſtrum ex contrarijs atque inter ſe pugnãtibus naturae ſtudijs, cupiditatibus conflatum 96
monſtra quaedam, & portenta, & prodigia reip. 374
moram & tarditatem afferet bello iſta legatio 315
moram ſe nullam eſſe facturum affirmauit 40
moror-nihil moror eos ſaluos eße, & ire quo lubet 370
morati celeritatem 315
morata-bene morata ciuitas 189
morbi grauitas —— dolores ex morbi grauitate maximi interdũ exiſtere ſolent 351
morborum cruciamenta 35
moribundus —— tribunum pl. plus ex uulneribus acceptis iacentem, moribundumq. uidiſtis 44
mors aut neceſſitatem habeat fati, aut ſi ante oppetenda eſt oppetatur cum gloria 373
mors-dies & noctes omnia nos undique fata circumſtant 347
mors exſtinguit inuidiam--poſtea quam mors exſtinxit inuidiam, res praeclare geſtae ſempiterni nominis gloria nituntur 117
mors —— hominibus multa & uaria generamortis impendent 381
mors illata per ſcelus ſiue claro uiro, ſiue obſcuro homini, iiſdem poenis tenetur & legibus 176
mors illata per uim--non alio facinore clari homines, alio obſcuri necantur 176

mors immatura non est consulari : nedum seni. 290
mors in fuga, foeda: in victoria, gloriosa 381
mors —— is mortem attulit, qui caussae mortis fuit 341
mors naturae finis est, non poena. pagin. 191
mors —— o fortunata mors, quae naturae debita, pro patria est potissimum reddita 381
mors omnibus definita 27
mors —— si est aliquis sensus in morte praeclarorum uirorum, &c. pagin. 67
mors —— turpis mors omni est peior 338
mors unici filij, nemo umquam unici filij mortem magis doluit, quã ille maeret patris 341
mortis genus pulcherrimum, quod in bello pro patria oppetitur 381
morti esse —— ei legatio morti fuit. pag. 340
mortem in beneficij parte numerat. pagina 359
mortem natura omnibus proposuit. pag. 307
mortem obire pro rep. —— ijs, qui ob remp. mortem obierant probrosi uitae diuturnam memoriam maiores nostri reddiderunt 340
mortem naturae putat esse Dolabellae iracundiae tormenta, atque cruciatum 350
mortem —— nulla alia re, nisi mortis opinione a se depulit 42
morte uicerant 382
mortalis conditio uitae —— ita pro mortali conditione uitae immortalitatem estis consecuti 381
mos gerendus Cornelio 114
mouet hoc mihi maximam admirationem 344
mouere risus hominum et querellas. pag. 288
mouere aliquem de sententia 277
mouebatur animo 242
mouerentur possessionibus diuturnis locupletes 52
moueri sedibus suis huic urbi melius est, atque in alias terras si fieri possit, demigrare, quã illos intra haec moenia uidere 374
motus communium temporum 184
motus rerum nouarum 178
motus maximus reip. 149
muero 230
mulier —— quae mulier sceleratũ ac pernitiosum ciuem occidere nõ auderet, si periculum non timeret 187
mulieris impudicae descriptio 104
mulier aria manus 107
multam dicere 353
mulionia penula 43
multauit accusatorem multa & poena 122
multandus morte 335
multata sunt crudelissime a fortuna huius consilia 179
multa de nocte 40
multae insidiae sunt bonis 52
multi summi homines fuerunt, quorum cum adolescentiae cupiditates deferuissent, eximiae uirtutes exstiterunt 103
multitudinis concitatae temeritatẽ auctoritate publica armare, non est sapientiae 172
munerare —— omnia, quibus te rex munerare constituerat 244
municipia 278
munire se firmissimis opibus contra scelus inimicorum poterat Cicero, si se cum Caesare coniũxisset 114
munita pudore aetas —— fuit primum ipsius Coelij pudore munita aetas deinde patris, diligentia, ac disciplina 95
mures Decij 369
mutare —— curea, quae mutare non possumus, conuellere malumus, quam tueri? 127
mutastis mentes uestras, ac uoluntates 135
mutasse consilium alicuius rei 180
mutina colonia populi Romani 314
mutum esse satius est, qua quod nemo intelligat, dicere 299
mutilatus exercitus 310
myrmillo 313
myrmillo Asiaticus latro Italia L. Antonius 361
myrmilo Asiaticus —— sic appellat L. Antonium Cicero 324
myrmillo Thracem iugulauit 325

N

Nactus hanc facultatem. pagina. 301
natalitiam dat in hortis 269
natio optimatium 49
natio, uerbum Vatinianum, seu cuiuspiam alius equi Sextium oppugnauit 68
natabant pauimenta uino 288
natura ipsa profundit adolescentiae cupiditates 110
natura multa nobis blandimẽta genuit, quibus sopita uirtus conniueret 120
natura non contentus ijs angustijs, quas natura nobis ad uidendum dedit 222
natura plurimum ualet 197
naturali bono se defenderet 96
natus ex omnium scelerum colluuione 10
natus honestissimo loco 114
natus —— non quo quisque loco natus aut in qua fortuna est nascendi initio constitutus, eum uitae statum usque ad senectutem obtinere debet 117
nauent aliam operam 107
naufragium reip. 10
naufragia Caesaris amicorum 365
naufragia ciuitatis 148
nauis reip. fluctuãs in alto tempestatibus seditionum, ac discordiarũ 26
ne de facie quidem uirtutẽ nosti 166
ne quid resp. detrimenti caperet, Pompeio senatus coramisit ut uideret. pag. 184
necessitati uictus ante ferebat salutem Bruti populus Romanus 376
negotii gerendi inscientia 132
negotij gerentes 82
nemo Vatinium congressu, nemo aditu, nemo suffragio, nemo ciuitate, nemo luce dignum putat 80
neopactus al. Naupactus 168
nequam & leuis 14
nequissimi Graeculi 370
neruos atque uires consentientis senatus experietur 316
nihil agis 371
nihil uidisse —— ut ego nihil uidisse uidear 324
nimirum illud est 49
nimium — parum — in Bruti consilio atque factis nihil nec nimiũ, nec parum 347
nitedula ex ucpretulis extracta 38
nitor — frequentia, in qua oratorum studia nitescent 471
nititur caussa in his 99
nititur parens hoc unico filio, in huius spe requiescit 110
nituntur res gestae sempiterni nominis gloria, ubi morte exstincta indicia est 117
nitebantur contra optimates 52
niti sua conscientia 187
nobilitas, blanda conciliatricula 14
nobilitati omnes boni fauent, quia utile est reip. nobiles homines esse dignos maioribus suis, & quia uale t apud nos clarorum uirorum memoria etiam mortuorum. pagin. 14
nobilitatem consequi ingenio & uirtute 71
nomina dare 321
nominari 321
non possum affirmare 313
nota inusta a senatu 156
notari iguominia 157
notari urbis eo necesse est, qui re

sunt hostes 378
notanda grauissimis ignominijs ad posteritatis memoriam sempiternam 312
notandi ignominia 331
notatus iudicio tribulium suorum Vatinius 90
notatus —— quibus bona, fortunaeque nostrae notatae sunt 361
nouit homines —— non nouit homines 31 6
noxiorum grex 4
nouos motus conuersionesque reipub quaerunt & qui conscij peccatorum suorum poenam pertimescunt, & qui discordijs ciuium pascuntur, & quibus res familiaris implicata est 51
nox intempesta 257
nocte socia hortante libidine, cogente mercede 276
nubecula frontis 151
nupsisti Metello ex amplissimo genere in familiam clarissimam. pagin 101
nuncula & Lento Antonij comites, quorum alter commentatus est mimos, alter egit tragoediam. pagin. 352
nudauit se in sanctissimo templo Milo 184
nudare cadauer spolijs 166
nudari equo 33
numen diuinum 187
numerabitur in actis si quid retulerit in libellum? 259
numerare —— multi improbi: quos quidem a se primum numerare possunt 328
numerus —— homo nullo numero. pag. 297
numerus uini maximus 280
numerius Serranus Aelius, quisquiliae seditionis Clodianae 49
numitoria Fregellana proditoris filia uxor M. Antonij oratoris. pagin. 297
nuntiabat sinistrum fulmen tribunus plebis 286
nuntiationem solum habent augures 282
nuntius —— fit plerumque, ut, qui boni quid uolunt afferre, affingant aliquid quo faciant id, quod nuntiant, laetius 257
nuncupauit ea uota, quae nunquam solueret 496
nundinae domesticae 284
nundinabātur imperium populi Romani omnes, quorum intererat. pag. 296
nundinatio immanis 290
nutus —— si ueteranorum nutu mentes huius ordinis gubernantur 347
nutu impelluntur audaces & perditi homines, & ipsi etiam sua sponte contra remp. incitantur ad rēp. oppugnandam 51

O

O tempora, o mores 248
Ob oculos uersabatur 27
obdurauimus consuetudine 288
obdurauerat consuetudine 288
obdurauerat —— et percalluerat usu, ciuitatis incredibilis patientia. pag. 185
obcaecat animos eorum spes rapiendi 306
obire diem edicti neglexit 298
obire facinoris locum, & tempus. pag. 177
obire legationis munus 340
obire —— ut facilius nostras domos obire posset 97
obiecti saepe corpus & uitam armis inimicorum tuorum 190
obiecit equites Ro. operarum suarum gladijs 16
obiecit periculo corpus suum 242
obiecerit se telis hostium, dimicationi capitis, &c. 117
obiicere aliquid cupiam. in maledictis 81
obiicere se multitudini conductae nemo uolet 262
obiecta species —— necesse est cum tibi obiecta sit species singularis uiri, perterritum de somno excitari 280
obligauit se ipse durissimis legibus. pag. 110
obligare fidem meam uobis audebo. pag. 320
obligari religione —— populus Romanus iniussu suo nullo pacto potest religione obligare 120
obligatus beneficijs 290
oblita libidine flagitiosa uita Antoniorum 377
oblitus parricidio 354
obliuio —— laudes tuas nulla umquam obliuio est obscuratura 223
obnuntiare 21
obnuntiasti augur auguri, consul cōsuli 282
obrepsisti ad honores 146
obrogatur legibus Caesaris 262
obruet se uino 247
obrutus uino 370
obruet scelerati gladiatoris amentiā ipsa opinio & fama uestrae seueritatis 316
obruere quae decreuimus. delere memoriam rerum 360
obrucre —— senatus iudicia tā multa, tamque honorifica nulla umquam uetustas obruet 250
obscurare —— laudes tuas nulla umquam obliuio obscuratura est. pagin. 223
obsequi alicuius cupiditati 149
obses pacis Antonii filius 263
obsides periculi accusationes duas habet a Coelio resp. 100
obsederat uim regiae potestatis dictatura 255
obsignare tabulas 164
obsignaui testamentum 181
obsoleficbant in homine turpissimo dignitatis insignia 288
obsoleuerunt chartae, quae illam pristinā seueritatē continebant 103
obstinatio sententiae 140
obstrinxisti religione populum Ro. pag. 282
obstrinxit se magnis parricidijs 352
obstrinxerit se nefario patriae parricidio 355
obstrictus uoluntatibus tenetur 104
obstricti foedere tenebamini 154
obstructio non diuturna, uultus & parietes 14
obstupescent posteri imperia, prouincias, Rhenum, triumphos, &c. audientes, & legentes 223
obtecta multis uirtutibus uitia 103
obtestatio legis 119
obtinuit praetor Africam 228
obtinebis tum denique amplissimi honoris nomen 344
obtinere prouinciam 230
obtinere prouinciam cū exercitu 155
obtinere ueritatem 241
obuenire —— diuino opportunitas, ut, quae cuique apta esset, ea cuique obueniret 299
obuersatur ante oculos reip. dignitas. pag. 86
obuiam Caesari longissime processisti 282
occasio -quae tum non modo occasio, sed etiā causa illius opprimendi fuit? 179
occasionis tarditas non exspectabitur 290
occidendi hominis tempus illud non modo iustum, uerum etiam necessarium est, cum ui nis illata defenditur 173
occidione occidere 282
occisus homo cum de homine occiso quaeritur, aut negari omnino factum solet, aut recte ac iure factū defenditur 373
occultator latronum, & receptator locus 180
Occupatio —— in tāta occupatione maximarum rerum, quas gerit ut

uel obliuisci aliorum non sit mirum, uel si meminerit oblitum esse facile possit probare 210
occurrebat mancam ac debilem praeturam suam futuram consule Milone 177
occurrent mentibus facta eorum 10
occurrere ad tempus 258
occurrere —— quid tibi de alio audienti, de se ipso occurrat, nō reformidat Ligarius 229
occurrere solet misericordia tua supplicibus & calamitosis, nullius oratione euocata 251
oceanus 280
octauianum bellum 378
oculis eminentibus 80
oderint dum metuant 52
odium acerbissimum 181
odium iustum & debitum 154
odium iustum 179
odium omne inclusum uesanis sensibus impior m in me profudistis. pag. 150
odium quibusdam infinitum est, in quos semel susceptum est 127
odiosum habere eundem iratum & armatum 263
offendebant ij, qui populares erant, apud graues & honestos homines pag. 63
offendistis aliquid in me 190
offendere alicuius animum 208
offenuere animum tuum profectio nō debet 229
offendere —— neminem re, uerbo, uultu offendit 129
offendere uereor tuas patientissimas aures 234
offendebatur saepe optimatium uoluntas, suffragiis 53
offendi —— ii proficiscantur legati, in quibus non offendatur Antonius 360
offensio animi 242
offensionem habere. an reditus in patriam habet offensionē apud populum? 137
offensione aliqua interposita 268
offensionibus praesertim commemoratis 215
obtuli me morti prote toties 189
obtulit Caesarem adolescentem populo Ro. deus 319
obtulit in discrimen uitam suam 33
oblata fortuna est decretandi 368
oblatam occasionem tenere 302
oblatum stuprum sorori tuae comperisses 286
offerre libēter corpus suū gladiis 290
offerre mortem hostibus 27
offerre necem 85
offerre salutem suam in discrimē pro statu ciuitatis 4
offerre se in periculum capitis, atque in uitae discrimen 118
offerre se insolenter, & insectari 10
offere se laudi & gratulationi alicuius —— cuius ordinis, cuius generis, cuius denique fortunae studium laudi, & gratulationi tuae se non obtulerunt? 263
offerre se temeritatibus 33
offerentes se morti gladiatores, seruari cupimus 189
officere luminibus —— nec mentis quasi luminibus officit altitudo fortunae & gloriae 210
officij in omni uita, non commodi ratio est ducenda 14
omisisset curare 105
omen fati —— eius oratio omen fati uidebatur 341
omen —— proficiscantur legi optimis ominibus 361
omen —— quod dij omen auertant 361
omen —— exierūt malis ominibus, atque exsecrationibus duo uulturij Piso & Gabinius 38
ominetur suo capiti salutis nobis 352
omne malum nascens facile opprimitur, inueteratum sit plerumque robustius 315
omnis fortunae ac loci uiri ac mulieres 159
onerasti eum omnibus contumelijs. pag. 386
onerare aliquē laudibus alienis 273
operae concitatae 34
opes fundatae, atque optime constitutae 197
opinio est grauior 329
opinio in Hercule consecrata 74
opinio tacita admiratio perspicua 114
oportere, necesse esse 45
oportere —— non oportere est aliquid, quod non oporteat, etiāsi licet: quidquid uero non licet, certe non oportet 115
oppetierunt mortem pro salute populi Ro. 382
oppetere mortem aequo animo 27
oppignerabantur libelli pro uino. pag. 54
oppilatis tabernis impetum tuum cōpressit 272
opponere armati exercitus terrorem togatis 29
opponere —— quid opponas, si negem me umquam has litteras dedisse. pag. 267
opponere ueteranorum nomen optimis caussis 347
opposuit suas uires Antonio Gallia. pag. 317
oppositus laterum, & corporum nostrorum tibi pollicemur 224
opportunitas diuina 299
oppressa —— praemio mens, lingua astricta mercede 154
oppressus conscientia scelerum 156
oppressus ruinis nequid ad ruinas, quibus hic oppressus est, addēdum acerbitatis putet 197
oppressus sententijs iudicium 128
oppressus ui morbi 342
oppugnatur maioribus praesidiis & copijs resp. quam defenditur 51
oppugnatores reip. 124
ops —— pecunia utiuā ad Opis maneret 259
ops —— ad Opis 337
optatissimi nuntij, & litterae uenerunt 378
optio & potestas tua &, ut, &c. pag. 91
optimates qui 50
optimates sunt ii omnes, qui neque nocentes sunt neque natura improbi, nec furiosi, nec malis domesticis impediti 50
optimates, qui aduersabantur popularibus, ualebant in senatu multum, apud bonos uiros plurimū, multitudini iucundi non erant. pag. 53
optimatium natio 49
optimum esse putemus, quod erit rectissimum 74
optima consilio, & optima mente. pag. 296
ora Graeciae —— prima ora Graeciae 345
oratio curis & uigiliis elaborata. pag. 103
oratio stabilis ac non mutata 189
oratio subtiliter inducta ad criminandum 59
orator ex aratore factus 299
orbata est talibus uiris resp. 269
orbam, totam legationem orbam & debilitatam reliquit 340
orbis saltatorius 151
ordo amplissimus —— senatus 135
oriens incendium restinguere 371
ornamenta & beneficia in uirtute et iadustria posita lucent 369
ornamentum dignitatis 221
ornare aliquem suis laudibus. pagin. 273
ornatur uerbis amplissimis a senatu prouincia Gallia 308
ornatus a te honore amplissimo. pag. 242
ornatissimus ominibus & uirtutis et fortunae bonis 373
ornatus a se, & per se nixus Cicero pag. 325

Landesbibliothek Oldenburg

os foetidum 149
os fugitiuum dominũ accusantis 241
os importunum ostendere dijs penatibus 289
os infame Dolabellae 351
os —— Piso nihil incolume domum praeter os illud pristinum suum e prouincia retulit 159
os — quam causam ad patronos tuos, aut quod os afferes 80
os —— quod habent os? quam audaciam 208
os tuum ferreũ senatus conuicio uerberari noluisti 161
os —— quo ore uos ille poterit, quibus uicissim illum oculis intueri? pag. 331
ostentationis genus & gloriae 209
otiosae dignitatis membra & fundamenta quae 50
otium amplexari nullum oportet, quos abhorreat a dignitate 50
otium cum dignitate 50
otriculana uilla 183
ouij Mamertini 114

P

PACATISSIMA prouincia pag. 229
Palladium 178
Pallietus 204
Palliatus, togatus 342
Paludatus 138
Paludati exierunt Piso, & Gabinius pag. 38
Paludati proficiscebamini in prouincias 154
Palmarum intentus 61
Pansa cum intermedia hostium tela uersaretur, uulnera accepit 382
Pansa dixit excessurũ se ex Italia si remp. oppressisset Antonius 361
Pansa & Hirtius quasi cornua duo Caesaris tenuerunt 371
Pansa princeps proelij faciendi, & cum Antonio confligendi 379
Pansa sapiẽs ad coniecturam rerum futurarum, diligens ad propulsandum metum 347
Parare bellum 315
Paratus studio 317
Parati ad nutum futuri sunt 330
Parcat iuuentus pudicitiae suae 103
Parens —— ad parentem sic agi solet, Erraui, feci temere, poenitet, ad clementiã tuam cõfugio, delicti ueniã peto, ut ignoscas oro 236
Parcus in largienda ciuitate 124
Parentare 258
Parent, nota sunt omnibus, tenentur al. patent. 185
Parere dolori suo in sententia dicenda 130
Pariat aliquando dolor populi Ro. quod iamdiu parturit 290
Parmenses —— quae in Parmẽsium liberis & coniugibus fecerit Antonius 367
Partes —— istas tu partes potius, quam a populo Ro. defectionem uocas? 370
Partes uitae 351
Partes pietatis potius, quam defensionis mihi susceptas esse statuo 5
Parthini 169
Partium in rep. tamquam in scena optimatium Aesopus 62
Partitus est orbem terrarum quibus cum uoluit 185
Pauit eos furor Clodij rapinis, & incendijs 172
Pascere oculos suos in lacerando atque uexando alicuius corpore 351
Pascor —— his rebus pascor, his delector, his perfruor 157
Pascuntur ciuium discordijs 51
Passis manibus 59
Patefactis sibi eam uiam ad opes suas amplificandas Caesar, quã uirtus liberi populi ferre non posset 320
Patefecere domum suam omnium cupiditati 104
patefacere uiam aliquam sceleratissimorum hominum audaciae 345
Patefieri aditus ad ciuitatem lingua & ingenio potest: manu & uirtute non potest? 125
Pateo —— praemia quę pateant stipendiarij 118
Patet in tabulis 284
Patebat iudicatus isti ordini lege Iulia 260
Patebat talibus nuntijs & rumoribus ad Oriente mutia 242
Patuerunt aures Ciceronis dies, noctesque omnium praeceptis ac monitis 378
Patrum uirtus celebratur fermone hominum ad memoriam prodendam 197
Patria —— nulla cuiquam iusta causa esse potest contra patriã arma capiendi 277
Patria — non est uiri, minimeque Romani dubitare cum spiritum, quẽ naturae quid debeat, patriae reddere 241
Patria —— pauci post genus hominum natum reperti sunt, qui multis praemijs propositis uitam suã hostium telis obiecerint 118
Patriae caritas magna est 279
Patriae libertas & salus, lex sanctissima, & mos optimus est 354
Patriã liberare periculis —— nihil uiro praestabilius, quam periculis patriam liberare 191
Patricida magis non, qui consulem patrem, quam si quis humilem necauerit 176
Patricidae —— atrocius est patriae parentem, quam suum interficere pag. 273
Patroni Caesaris actorum acerrimi pag. 346
Patruus censor, magister — 99
Pax tranquilla libertas 289
Pax —— & nomen pacis dulce est, & ipsa res salutaris 289
Pax honesta, aut bellum uecessarium pag. 114
Pax —— ioter pacem & seruitutem plurimum interest 289
Pax —— non pax, sed pactio seruitutis 361
Pax omnis pax cum ciuibus bello ciuilior uidetur 275
Pax —— uidendum est cum omnibusne pax esse possit, an sit aliquod bellum inexpiabile, in quo pactio pacis, lex sit seruitutis 365
Pacis nomen dulce est, res uero ipsa cum iucunda, tum salutaris 366
Pacis nomine bellum obuolutum — al. inuolutum 330
Pacem cogitare, cum aciem uideas, amentis est 23
Pacem conciliare —— mea persona ad istam pacem conciliandam nõ fuit deligenda 361
Pacem cum Antonio esse non uult Cicero, quia turpis est, quia periculosa, quia esse non potest 329
Pacem haberemus 284
Pace dicam tua 242
Pace tua dixerim 191
Pectus tuum hominis simplicis uidimus 287
Pecunia semper ab amplissimo quoque, clarissimoque contempta est pag. 262
Pecuniae auferendae, aut constandae ratio 35
Pecuniae capiendae genus turp. 200
Pecuniae, captae, exactae, imperatae 155
Pedem discedere negat umquã je a te in Deiotari tetrarchia pedẽ discessisse 251
Pedem ponimus in possessionem libertatis 299
Pedem ponere in prouincia prohibuit estis 224
Pegerare —— ubi semel quis peieraerit, ei credi postea, etiamsi pluribus deos iuret, non oportet 209
Penates —— te eius dij penates accepterunt 243
Pendet omnium uita ex unius tui uita 210

penetrare in Syriam Dolabellæ latro cinium ne uiuo quidem Crebonio fuiſſet Caſſius 356
penetrare —— ſi Antonius in illam ultimam Galliam penetrare potuiſſet 317
penitus perſpicere 236
penſio —— nimium debet diu tertiã penſionem 289
penula Mulionia 43
penulatus 182
pepigerat fines 155
peragrare —— nec uero diſiunctiſſimas terras citius cuiuſquam paſſibus potuiſſe peragrari, quae Caeſaris non dicam curſibus, ſed uictoriis illuſtratae ſunt 212
peragare omnes ſuſpicionum latebras dicendo 105
peragrare —— ultra quam fines imperij populi Ro. ſunt, laetita haec peragrauit 189
peragratio itinerum 278
percaluerat uſu ciuitatis patientia pag. 135
perculit eos ciues Martis uis, qui amiſſi ſunt, non ira uictoriae 219
perculerunt te oculi Coelij 101
perculiſſent quemuis etiam mediocrium conſcientiam 183
perculſus hac ſuſpicione 183
percipere animis 108
percurſatio Italiae eadem comite mima 279
percuſſit uos inani cogitatione 186
percute locum —— non percuſſit locum 43
perditi egeſtate & ſcelere perditi 4
perdoctus uſu & rerũ uarietate 127
pereant amici, dum una inimici intercidant 246
perficere cogitata 245
perfodio —— omnium Marcellorũ memoria meũ pectus perfodit 217
perfodit parietes in adoleſcentia Vatinius 228
perfregerat ſanctiſſima ſenatus decreta 188
perfugerat in tribunatus portum Clodius 10
perfugijs non utor aetatis 100
perfuncta grauiſſimis ſeditionib. & diſcordijs plebs otium malle uidetur, quam aliqua largitione concitari 52
perfuncti periculi memoria 8
pergit in mea maledicta 271
perhorreſce eorum exitus, quorum facta miraris 267
periculũ facere ſaepius fortunae 138
periculum factum conſilii 146
periculũ fortunae quotidie facit 312
periculum —— propoſita inuidia morte, poena, qui nihilo ſegnius remp. defendit, is uir uere putandus eſt 187
periſſe eum non poſſe, niſi crura fracta eſſent 369
permanarent ſermones ad aures ueſtras 126
permanes conſtantiſſimus defenſor pag. 335
permiſcere ſuas ſordes cum clarorum uirorum ſplendore 83
permittas ne etiam cauſam ſenatui pag. 83
perpendere iudicium cum foederibus pag. 115
perpoliendi operis labor extremus a Cicerone adhibitus 117
perpolitus non philoſophia ſolum, ſed etiam ceteris ſtudij 164
perpolitiones intemperatiſſimae 151
perrhaebia 169
perſequebatur dolorem ſuum magna contentione animi 23
perſequatur poenas patrias D. Bruti ſanguine 371
perſequi armis 165
perſequi bello terra marique 355
perſequi dolorem, & iniuriam 109
perſequi extrema 134
perſequi iniurias reip. non ſuas 235
perſequi maiorum ſuorum exempla pag. 352
perſequi omnes ſolitudines 159
perſequi ſpem infinitam 242
perſequi Trebonii mortem 370
perſeuerantia in cauſſa 235
perſeuerare in ſententia, quam quis prae ſe tulit 306
perſoluere gloriae munus optimis & fortiſſimis ciuibus monumenti honore 381
perſonabat cantu & cymbalis collegae tui domus 151
perſonabant omnia uocibus ebriorum 288
perſonare —— nõ loquuntur ſolum, uerum etiam perſonant 104
perſpicere animos regum —— miſſus ad animos regũ perſpiciẽdos 340
perſtingam celeriter 276
perſtringere uocis libertate eos, quorum ſceleris furore uiolatus es 10
pertinacia —— quae pertinacia quibuſdam, eadem aliis conſtantia uideri poteſt 223
pertinere —— numquid ſubtimes ne ad te hoc crimen pertinere uideatur? 274
perturbare atq. impedire tantã Gallici belli rationem prope iam explicatam 138
peruagatus ciuitatis ſermo —— neſtrae peregrinantur aures, neque in hoc peruagato ciuitatis ſermone uerſantur? 178
peruenire ad exitum —— cum omnes actiones horum menſium peruenerint ad eum, qui mihi fuit proprofitus, exitum 361
peruenire ad fortunas ſuas ſeſe aliquando poſſe ſperauit 204
peruenire ad ſuorum laborum fructus 138
peruenitur ad manus 42
peruertere adoleſcẽtem nũc primum floreſcẽtem firmata iam ſtirpe uirtutis, tamquam turbine aliquo, aut ſubita tempeſtate 110
peruertere leges 115
peruerſum, & praepoſterum 209
peruulgari et ſe omnibus 101
peruulgata & per celebrata ſermonibus res 108
petimus precibus & lacrumis 231
petere alicunde praemia laudis 187
petere ab aliquo pudoris, pudicitiae exempla 247
petere curſum laudis 109
petere ſanguinem 231
petreii excellẽs animus amore reip. 9
phalaris grammaticus 165
phalaridis taurus 157
pharſalica acies 280
pharſalicum proelium 247
pharſalicae pugnae triumphum non agit Caeſar 378
pharſalica pugna eosciues ſuſtulerat, quibus non modo uictoribus, ſed etiam uiuis, & incolumis & florens ciuitas eſſe poſſet 379
philadelphus Annius 369
philoſophari —— ad extremum incipit philoſophari 371
philoſophi Epicurei omnes, res quae ſunt homini expetendae, uoluptate metiuntur 164
philoſophi nonnulli cum uoluptate dignitatem coniungendam putauerunt 103
philoſophi quidam omnia uirtutis cauſſa ſapientes facere dixerunt pag. 103
philoſophiam qui profitetur, grauiſſimam mihi perſonam ſuſtinere uidetur 164
philoſophia uirtutis continet, & officii, & bene uiuendi diſciplinam pag. 164
picta uidere, non geſta audire 181
piiſſimus non eſt uox Latina 371
piorum ſedem & locum cõſecuti 381
pignus ab eo reip. datum ſe liberam ciuitatem eſſe uelle 255
piſo a Graecis ſubtilius eruditus —— per ludibrium 133
piſo gener Ciceronis, a Piſonis cõſulis pe-

tis pedib. supplex reijciebatur 30
piso nihil in colume domum, praeter os illud pristinum suum, e prouincia retulit 159
pisi nullas e prouincia litteras Romam m sit ad senatum de suis rebus gestis 156
pis populum Ro. tristitia, multuque accepit 132
pisonis libidines 133
pisonis oratio ad Caesarem a Ciceroneficta 161
pisonis reditus ex prouincia qualis pag. 159
piso is responsum Torquato, Lucullo & ceteris datum pro Cicerone orantibus 165
pisoni genero Ciceronis fructum pietatis suae neque a Cicerone, neque a populo Ro. ferre licuit 37
pisoni Macedonia tradita ob euersam ciuitatem 160
piso & Gabinius, cum ut de Ciceronesententias dicerent, flagitabantur, legem se Clodium timere dicebant 37
pisonum nomen. Pisonum familiae ingenerata frugalitas uidetur 14
piso & Gabinius edixerunt ut senatus ad uestitum suum rediret 150
piso & Gabinius duplices pestes Sociorum, militum clades, publicarorum ruinae, prouinciarum uastitates, imperij maculae 133
piso & Gabinius edixerunt ut ad suũuestitum senatus rediret 18
piso et Gabinius foedus fecerunt cumtribuno pl. 15
piso & Gabinius non consules, sed euersores imperij, proditores senatoriae dignitatis: &c. 10
piso & Gabinius pactione prouinciarura libertatem omnem perdiderant 37
pisonis & Gabinij facinore in prouincijs 48
plebicola — ut plebicola uideretur Gellius, libertinam duxit uxorem pag. 54
placa animum tuum aliquando & mitiga 344
plaga sanabilis — mortifera 25
plato totius Graeciae facile doctissimus Dionysio Siciliae tyranno, se commisit, eiusque iniquitate in maximis periculis, insidysque uersatus est 204
plausus cum a popularibus ciuibus tribuuntur, contemnendi: cum ab uniuersis non plausus sunt, sed iudicia 264
plausus ex fori cancellis excitatus 64
plausum, immortalitatem uideri necesse est ei, qui fauore populi tenetur, & ducitur 59
plausus obstupefactis hominibus ipsa admiratione Caesaris compressus pag. 249
plenum annum atque integrum habere uolebat Clodius ad dilacerandam, atque enertendam rep. 187
pocula immania 279
poema ita festiuum, ita concinnum, ita elegans, ut nihil fieri possit argutius 168
In poena esse — ea poena, in qua Q. Ligarius adhuc est, non uidemini esse contenti 231
poena grauissima est imperatori non credi eius litteris, quae rem bene gestam in bello nuntiarent 133
poena non uidetur habere id, quod accidere innocenti, quod forti, quod sapienti, quod bono uiro & ciui potest 169
poenae deorum immortalium in impios & cõsceleratos quaenam sint constitutae 157
poenitere — quos certo scio dignitatis optimarum feminarum nõ poenitere 297
poenitere — quod obiectum est Coelio de pudicitia, id numquam tam acerbe ferret Coelius, ut eum poeniteat non deformem esse natum 95
poetria uetus, & plurimarum fabularum 107
politus e schola 161
polluerat stupro sanctissimas religiones 188
pompeius ad L. Sullae maximum imperium, victoremq. exercitum accessit 319
pompeius neque Ciceroni fuit amicus ac sibi 166
pompeius caruit foro, caruit publico pag. 176
pompeius, Caesar — si aliquid de summa grauitate pompeius: multum de cupiditate Caesar remisisset: & pacem stabilem, & aliquãremp. nobis habere licuisset 165
pompeius imperium populi Ro. orbis terrarum terminis definiuit 35
pompeius a L. Lentulo, & Q. Saga, & L. Torquato multisque aliis oratus, obsecratusque in Albano, ne Ciceronis fortunas desereret cũ reip. salute coniunctas, eos omnes ad consules remisit, ut causam publicam susciperent: se contra armatum tribunum pl. sine consilio publico decertare nolle 165
pompeius Magnus imperii populi Ro. lumen fuit 318
pompeius Pompeii Fil. a seruatu laudatus 374
pompeius, qui tripertitas orbis terrarum oras atque regiones tribus triumphis adiunctas imperio Ro. notauit, Ciceroni testimonium patriae conseruatae dedit 65
pompeii bona ab Antonio dissipata pag. 366
pompeii uirtus experrecta Ciceronẽ requisiuit 155
pompeiũ a Caesaris amicitia disiunctũ esse opera Ciceronis — obiectum ab Antonio Ciceroni 272
Lex Aelia —— 58
Lex Aelia, & Fufia 85. 148
Lex Agraria 53
Lex L. Antonij de magistratibus a Caesare designandis 330
Lex Caecilia, & Didia 310
Lex Ciceronis de ambitu . pagin. 90. 91
Lex Cornelia de repetundis . pagin. 200
Lex frumentaria 53
Lex L. Gellij & Cornelij, ut ciues R. essent ij, quos Cn. Pompeius, &c. ciuitate donasset 112
Lex iudiciaria a Pompeio lata. pagin. 169
Lex Iulia de repetundis 162
Lex Iulia de repetundis iubet persequi ab ijs, ad quos ea pecunia, quam is ceperit, qui damnatus sit, peruenerit 192
lex Iulia Licinia 71 89
lex Licinia, & Mucia 124. 126
lex Scatinia de puerorum stupratoribus 297
lex Seruilia de repetundis . pagin. 200
lex Sullae, ne Marianorũ proscriptorum liberis magistratus capere liceret 147
lex Voconia de mulierum hereditatibus 297
leges Papiae duae latae de ciuitate 125
leges quattuor reip. pernitiosas tulit Clodius in tribunatu plebis 19
leges sacratae 11. 143
leges cur promulgarentur . pagin. 268
leges in templis ferebantur. pagin. 21
legum antiquarum principium hoc erat: Consules populum iure rogauerunt 262
legis impediendae duo genera, obnunciatio, & intercessio 43

Landesbibliothek Oldenburg

Leges ſuadere, & diſſuadere, ante quam ferrentur, non modo magiſtratibus, uerum etiam priuatis hominibus licebat 34
Leges in aes incidebantur 165
Leges —— in legibus quaedam ex naturae, quaedam ex ciuili iure ſcripta ſunt 48
Leges ſilent inter arma 174
Liberos de uno filio dicere ſolet Cic. 138
Liberos, pro unica Antonij filio uſurpat Cicero 255
Libertini ex infima plebe fuerunt, pag. 57
Libido a luxuriae differt 159
Libri —— gloſſemata multa in ueterum libros irrepſerunt 50
Licinia Iunia lex 89
Licinia, & Mucia lex 126
Lictoribus laureatis utebantur, qui imperatores ex aliqua uictoria nati erant 279
Ligario Cæſar & ſi iratus, ignouit tamen, uictus Ciceronis eloquentia 226
Q. Ligarium Q. Tubero apud Caeſarem accuſauit de ui 226
M. Liuius Druſus, uelut ſocialis belli auctor, domi occiſus fuit. pag. 202
Locus —— ex loco ducuntur quoque argumenta 181
Loco dicere: loco inſanire, uetus locutio 43
Loca omnia augurijs conſtituta, templa dicebantur 34
Loca publica, & religioſa, pagin 49
Λόγος ἐνδιάθετος 72
Loquere tecum 237
L. Lucceius 99
Luci, pro, Luce, antique 363
L. Lucullus uillam praeclaram habuit in Taſculano 48
Luculli, & Pompeij inimicitiarũ cauſſae 32
Ludi in theatro dabantur 60
Ludi Apollinares ad curam praetoris urbani pertinebant 345
Ludos ſpectabant ſedẽtes in theatri gradibus 61
Ludius 60
Lumine ſecundo, pro eras 207
Lumen curię Sex. Clodius per iocum a Cic. uocatus 180
Luminibus alicuius obſtruere, translate 211
Lupercalia 283
Luperci germani 100
Luperci ad honorem Panis inſtituti, Februario menſe urbem nudi percurrebant 328
Lupercis uectigal Cæſar dedit; eo mortuo ſenatus ademit 379
Luſtrare: interdũ eſt, circuire. 217 plus eſt, quam, peragrare. ibidem.
Lux, pro, dies 190
Luxuries differt a libidine 159

M

MActare, pro, placare. pag. 83
Maereor pro maereo 45
Maereor corpus dolor animi: ſali quando, maeror animi 37
Maeror plus eſt, quam dolor 350
Magiſtratus in eos a populo conferebantur quorũ agendis in foro cauſſis induſtria probata eſſet 236
Magiſtratus & nunciationem habebant, & ſpectionem 282
Magiſtratus curules non omnes faſces habebant 203
Magiſtratum gerenti moleſtus eſſe priuatae rei cauſſa nemo poterat 12
Magiſtri ludorum, collegiorum, vicorum 76
Magiſtri ludorum praetexta uti ſoliti 147
Magius 163
Magni ludi ab ædilibus curdabãtur 148
Magnus & amplus 5
Magnitudo rei, ex nominis inopia demonſtrata 378
Marcelli Patricij, & plebeij 213
M. Claudius Marcellus bello ciuili Pompeium ſecutus, 212, cum impetraſſet a Caeſare, ut in patriam rediret, a P. Magio Chilone eſt interfectus 214
C. Marius belli Iugurthini gloriã multis praeclaris factis Metello debitam intercepit 22. conſeruator patriae fuit. ibid. quas res in unoquoque cõſulatu geſſit. ibid.
Marij monumentum 60
Marius ſemper ex hoſtibus reip. uictoriam retulit 22
Maſſo cognomen Papiriae gentis patriciae 125
Maſtruca 134
Mediolanum caput erat Inſubriæ regionis 162
Memmia lege ſancitum, ne eum, qui reip. cauſſa abeſſet, uocare in iudicium liceret 2
Mens liberalis in muliere non laudatur 106
Merito poteſt alicui aliquid contingere, non tamen optimo iure 216
metaphora non repente, & cum impetu irrumpit, ſed pedetentim, & placide in orationem ingreditur 26
metaphora tum eſt perfecta, cum & cauſſam ſimul, & quod ex cauſſa fit, complectitur 40
metaphora per oppoſitionem, ab Ariſtotele laudata 35
metellorum familia nobiliſſima. pag. 68 intra XII ferme annos aut conſules fuerunt aut cẽſores, aut triumphauerunt ex Metellis amplius XII
Q. Metellus, inimicitias, quas cum Cicerone exercebat, reip. remiſit 40
metellus Numidicus Metellorũ omnium praeſtantiſſimus 68
Q. Metellus Numidicus quare Mario, & Saturnino non reſtiterit 12. in exſulium abijt 22
Q. Metellus exſulare maluit quẽ inlegem Saturnini iurare 151
metelli Numidici tabulas, cum eae, ut mos eſt, circumferrẽtur, iudices adſpicere noluerunt. pag. 116
miltiades accuſatus, & damnatus, in uinculis diem obijt 74
militia — cogebantur in militiam ire uel ui, uel multa 334
milo —— poſt occiſum Clodium quotidie contra Milonem concionabãtur, tres tribuni pl. 173
Miloni erepto poteſtas Clodium accuſandi 143
minime ſtultus, pro, ſapientiſſimus &c. 244
mirmillones gladiatores 70
miſerationis cõmouendae partes nonnumquam ſubit patronus ipſe 191
miſericordiam ſupplices facile cõſequuntur 79
mitella 206
moderari 8
moenia columna 64
moribus agere 47
mortis uitatae ignominiam ut excuſent non oratores modo, ſed etiam poetae, moriẽdi cauſſae maiorem uiuendi cauſſam opponunt 207
morte obita 44
multitudinis numero, pro ſingulari uti, eſt artis oratoriae. pagin. 43
T. Munatius Plancus Burſa trib. pl. quare ambuſtus a Cic. dicatur 175
municipia, quae ſuis legibus uiuerent 118

Municipijs quattuoruiri ptaeerant 13
Munus de quibus proprie dicitur 64
Mus, Deciae gentis cognomen. pag. 372
Mylasa 313

N

NATIO latius patet, quam gens 29
Neque, modo praecedit, Et, modo sequitur 351
Neque--ex hoc loquendi genere, Neque ineſt, &, Non ineſt, gignitur comparatio 188
Neque enim erant occulta —— loquendi modus 25
L. Ninnius retulit ad ſenatum de reditu Ciceronis 16
Nitedulam Numerium cur appellet Cicero 39
Nobiliſſimi homines appellati etiam ij qui plebeijs familijs nati erant 14
Nobilitas ualet plurimum ad opinionem hominũ excitandã 14
Nomen aliquãdo pro, cognomẽ, uſurpatum 14
Nomen, pro praenomen, nomen, cognomen 39
Nominis ex inopia magnitudo rei demoſtrata 378
Notus, etiam pro eo, qui nouit 95
Notus, in malam partem 101
Nummo ſeſtertio uenire aliquid. pag. 211
Nunc, pro, ſed 222

O

OBSERVARE 277
Obſtrepi res, parum uſitate uidentur 217
Ottauiani mater Atia 298
Octauiani Caeſaris pater, prius quam profiteri ſe conſulatus cãdidatum poſſet, morte obijt repentina 297
Octauio Auguſto exprobratus auus argentarius 20
Octauianus Caeſar priuato conſilio contra M. Antonium arma ſumpſit. 293. annos tum natus XIX. 295. meſtruus ſumptus, in milites, quẽ ipſe faciebat, ibid.
Octauius Pantagathus 57
Oculi ſenſus omnium praeſtantiſſimus 104
Oculorum flagrantia in meretricibus cernitur 104
Offendere aliquid in aliquem. pag. 191
ὁμοιοτέλευτον 63. 173
Oratio moralis 72
Orator aeque utitur ueriſimilibus atque ueris arg. 229
Orator deeſt iudicibus, & populo, cum ea, quae requirit cauſſa, non exponit 21
Oratores quod in ſentẽtia magis ualet ad mouẽdum, id in extremo collocare conſueuerunt 75
Oratores augere culpam in inimicis, in ijs, quos defendunt, imminuere ſolent 11
Oratorum ſtudia frequentia audi torum maxime nituntur 241
Oratoriae eſt artis numero uti multitudinis pro ſingulari. pag. 43
Oratoriae artis eſt, quod obijci nobis ab aduerſario poteſt, id praeripere, & aut argumento refellere, aut excuſando eleuare 26
Orbis terrarum maior & nobilior pars imperio populi Ro. tenebatur 36
Orcheſtra 133
Orcheſtra ſenatorum erat in theatro 277
Ordo poſterior prioris non auferebat inſignia 56
Ore pudoris ſigna cernuntur 163
Os pro impudentia 159. 163
Oſtienſis quaeſtura cui contigerat, is, rei ſtumẽtariae praeerat pag. 23
L. Opimius quare, & a quo damnatus 73
Opum uoce non tantum diuitiae, ſed exiſtimatio quoque deſignatur 197
Opibus ualere 59
Opprimi 206
Ouantiũ corona myrtea fuit. 160

P

PALATINA tribunus ſtudioſa perditorum ciuium 59
Palmaris ſtatua 326
C. Panſa, Vibiae gentis plebeiae. pag. 216
Panſa Cæſari coniunctiſſimus. pag. 316
Papiae leges duae de ciuitate latae 125
παράγραμμα 32. 371. 372
Partes dare 198
Partim, aduerbium pro nomine pag. 159
Partes --- quorum partes in aliqua gloria praeſtiterunt, eorum plerique in hoc genere laudis ſtudent excellere 198
Patronus innocentiae ſuae fama cauſſae actionem magnopere adiuuat 243
Patronos ſibi ciues in ditione Romana, ſubiectae urbes deligebant, quem quae maxime probabat 8
Patrui acres, & aſperi ſunt obiurgatores 99
Paullus Manutius, cũ aliquid corrigit, primum litterarum ſimilitudinem, deinde hiſtoriae teſtimonium ſequi ſolet 73
Paullus Manutius quae in Demoſthene, & Cicerone obſeruauerat, cum ſtudioſis communicatorum pollicetur 4
Pecuarij 83
Perditus homo 19
Perfunctus, pro liberatus 223
Perorandi locus —— in eo plurimum pollet oratio 116
Perſequi aliquem 305
Perſonae ſecundae exemplum ad alios transferri ſolet 241
Pertendere plus eſt, quam conferre 116
Pertinacia in mala cauſſa dicitur. pag. 46
Phaernus amauit perpetuitatẽ ſimilitudinis in caſibus in corrigendo 281
Pherno perſuaſum plane fuit, ut in Cicerone finem uerſus uitare uellet 157
Pierius Valerianus 138
C. Piſo Ciceronis gener 150
L. Piſo matrẽ habuit hominem Gallo natam. 14. Epicureus fuit non doctrina, ſed uoluntate 15
Piſo, in adoleſcentia etiam ſeuerus fuit uultu 164
Piſoni uitioſus fuit oculus 148
Piſo barbam alebat 151
Piſonem Caeſoninum Caluentiũ uocat Cic. 132
Piſo Cæſaris ſocer 71
Piſo duumuir Capuae fuit 153
Piſo poſt Cæſaris necem inuectus eſt in M. Antonium, nemine aſſentiente 258
T. Plancus Burſa inimiciſſimus Ciceroni fuit 324
Plancus lege Pompeia de ui dãnatus, a Cæſare reſtitutus 372
Plauſu populus amorem indicabat 60
Plutarchi ἀκρισπονία 9
Plutarchi error 33
Pompeij laudes 36
Cn. Pompeius duumuir Capuae fuit 153
Pompeius in conſulatu ſecundo de iudicandi ratione quid promulgarit 261
Pompeius de tribus orbis partibus triumphauit 36

Landesbibliothek Oldenburg

Pompeius, pulso Cicerone, aliquandiu, metu Clodij, domi se continuit 150
Pompeius aliquando Ciceroni officium amici non praestitit 23
Pompeij, & Luculli inimicitiarū causſae 32
Pompeius in gratiam cum Clodio redijt 176
Pompeium monuit Cicero initio, ne cum Caesare se cōiungeret; deinde, ne ab eo se disiungeret pag. 272
Pompeius ex Africa, Europa, & Asia triumphauit 116
C. Pomptinius Ciceronis socius in opprimenda Catilinaria coniuratione 138
Populum fluctus appellat Cicero pag. 140
Populus R. in magistratu mandando iudicium suum ostendit 53. cum in theatrum populares ciues ingrediebantur, ad benevolentiam conciliandam, plausum dabat. 53. tribus in locis iudicium eius significari poterat, in foro, in campo Martio, in theatro 54
Populi consensus non ita cognoscebatur ex comitijs, & concionibus, ut ex ludorum, gladiatorumque consessu 59
Populus, apertis valuis eius templi, in quo senatus haberetur, audire potuit quae in senatu decerentur 323
Populus R. nemini, nisi ob acceptas iniurias, aut ablatas res, bellum inferre solebat 32
Populus Romanus quando cum Aegypti rege Ptolemaeo societatem coierit 51
Populares qui sint re uera 55
Porta triumphalis Romae 160
Portitores 82
Postliminio ciuitatem amittere qui diceretur 119
Postumi dicebantur post patris interitum nati 193
Potestas de magistratu dicitur pagin. 36. 38
Praeda ex hostibus parta gestari solebat in triumpho 137
Praefecturis a populo R. missi ciues R. praeerant 13
Praestare alienum factum 22
Praestigiae 209
Praetexta quot hominum genera uterentur 76
Praerexta magistratuum erat toga 57
Praetextae color 76
praetextati annum aetatis xvi. egressi erant 6
praeturam licuit petere, aedilitate omissa 57
praetores octo erant, cum de Ciceronis reditu lata lex fuit 46
praetorum iurisdictio, & munus pag. 102
praetores duo, urbanus, & peregrinus ius dicebant; reliqui de criminibus quaerebant 345
praetores urbani ad curam Apollinares ludi pertinebant 343
Pirimpili centurio, summus ordo inter pedites legionarios 121
primum pilum capessere 121
princeps senatus qui deceretur 23
idem fere erat princeps ciuitatis 23
priuato nō licebat habere concionem, nisi a magistratu produceretur 54
priuilegium 35
pro, valet interdum, In. 81
pro, significat, Ante, &, In 20
probatio fortior multo est ex pugnantibus 186
probitatem mores condiunt, utriusque magnum constantia ornamentum est 244
proconsules multi dicti, nullo gesto consulatu 228
profligare plus est, quam, incipere, minus, quam, conficere 138
prooemia unde ducantur 172
propola 163
propugnare, & Defendere non idem omnino sunt 75
proscribi qui dicantur 26
proscripti ciues, propositio praemio necabantur 231
proscriptionis nomē odiosum 69
προσωποποιία 67
proterui qui 100
prouincia —— in mandanda prouincia maior erat populi potestas, quam senatus 22
prouinciae primum S. C. dabantur, deinde lege curiata 35
prouinciae —— in prouincias ituri sortiebantur, aut comparabant inter se 139
prouinciae praetoriae qui praeesset, & praetor, & propraetor, & proconsul interdum dicebatur 228
prouincia aquaria 83
prouocatores gladiatores 70
prudentia quodammodo diuinatio est 198
ptolemaeus rex Alex. pulsus a suis ciuibus Romam petijt, ut restitueretur 97
ptolemaeus rex pulsus a Gabinio restitutus fuit 159
ptolemaeus Cypri rex, accepto de lege Clodia nuncio, sibi mortem intulit 31
publica loca 49
publicani 83
publicani erant equestris ordinis
publius mimis excellebat 108
pudicitia corporis est, pudor animi 270
puniri, pro punire a Cic. usurpatum 18. 334
puteal Libonis 12

Q

QVADRANTARIA Clytemnestra Clodia a Coelio appellata 108
Quadrantem soluebant, qui in balneis lauabant 108
Quaedam uirtus, quaedam eloquentia, cum laudamus, non dicimus, sed, summa quaedam uirtus &c. 67
Quaerere condiciones 102
Quaestio noua 45
Quaesturam petebant, gesto tribunatu mil. 7
Quaestores lege Sullae erant uiginti 83
Quaestores designati, cui quisque muneri in magistratu praesset, sortiebantur 7. 83
Quaestorum urbanorum dandae, attribuendae, soluendaeq. pecuniae in monumenta publica, munus erat 382
Quaestores imperium in prouincijs non habebant 66
Quaestor, honore legato praestabat 168
Quaestor relinqui solebat, decedente e prouincia praeside pag. 228
Quaestuariae artes ab infima plebe tractabantur 20
Qui, pro, Quo, antique 102
Qui res iudicant, pro iudices 261
Quid est aliud, &c. Nisi &c. pagin. 158
Quid hoc homine facias? locutio Ciceroni satis usitata 18
Quinctilianus diligens Ciceronis obseruator, & artis rhetoricae magister optimus 174
Quis non modo approbauit, locutio Ciceroni usitata 54
Quod 177
Quod pro, sed 344
Quod, pro, ut, saepe Cicero dixit pag. 345

Index

R

C. Rabirius Postumus a C. Mēmio accusatus 193
C. Rabirio Memmius duo crimina obijciebat 199
Recognoscere 116
Reditus a reuersione differt 255
Redundare 230
Reges in tutela deorum putantur esse 251
Reges non a populo, sed a senatu appellabantur 31
Reges, qui a senatu Romano & reges, & socij appellati fuerint pag. 238
Rei ad eliciendam misericordiā inculti & sordida ueste induti ad iudicium ueniebant 75
Religiosa loca 49
Remurinur ager 326
Repetitio uerbi uim habet, & elegantiam 170
Repudiatus totus 337
Requirere. pro accusare 237
Respectum habere ad aliquem pag. 320
Resp. — tria hominum genera de rep. recte sentientium 51
Retiarij gladiatores 70
Retractatio — sine ulla retractatione 382
Reuersio differt a reditu 253
Rhegini municipes erāt Romani pag. 358
Ridiculum quaerere in re turpi a rhetoribus laudatur 35
Romani populi non minor bellicæ uirtutis, quam clementiæ, fidei, iustitiæ fama fuit 238
Romani ciues erant nō modo priuatorum, hominum, sed opidorum etiam, ac ciuitatum hospites 8
Romani omnes in aliqua tribu censeri solti, & ab ea interdum indicari 142
Romani ciues alij magistratibus, alij militiae, alij mechanicis artibus operam dederunt 20
Romani omnes nobiles in montibus habitabant 334
Romanum ciuem in dicta caussa condemnari leges uetabant. pagin. 24
Romani in debellanda Italia plus consumpserunt temporis, quā in reliquo terrarum orbe 307
Roscius primas in comoedijs ferebat 64
Rostra — plures statuæ eorum, qui pro rep. mortem obierant, in Rostris erant 44
Rostra quare templum etiam vocata 34
Rudis uirga, libertatis index, qua gladiatores donabantur 281
Rudiorum aliqua interdum habenda ratio, in ijs praesertim, quae ad Latinae linguae proprietatem spectant 241
P. Rutilius, cum accusatus, defendere se noluisset, exsulatum abijt 207

S

Sacerdotia maturius dari solita, quam magistratus pag. 76
Sacerdotia senatoribus deferebātur potius, quam equitibus, propter dignitatem ordinis 213
Sacerdotes ante Labieni legem a collegio creabantur 76. 98
Sacramento contendere 186
Sacratae leges 35
Sacrosanctæ res quæ 120
Samnites gladiatores 70
Sanctiones duobus modis sacrosanctæ sunt 120
Sapiens gloriam, quae uirtutis fructus est, non quaerit, ipsa uirtute contentus 222
Sapientē tenere uirtutes omnes, Stoici arbitrabantur 115
Saturninus Appuleius trib. plebis, homo seditiosus. ibid.
M. Scaurus 23
M. Scauri constantia in tuenda rep. 51
Scelus & impietas proprie in suos dicitur 241
Sedere, verbum, saepe de iudicibus usurpatur 200
Seducere aliquem 338
Senatores ordo amplissimus ciuitatis gradus 203
Senatum, portum appellat Cicero 140
Senatui diuersis nominibus appellare solet Cicero, scilicet, publicum consilium, summum ordinem, amplissimum ordinem, principem ordinem 25
Senatus auctoritas 41
Senatus habendi dies legitimi 257
Senatus; non populus, reges appellabat 31
Senatus — patebant ualuæ templi, in quibus senatus habebatur 302
Senatus bellum indixit Antonio pag. 332
Senatores esse qui possent 50
Senatores multi ex municipijs erant 95
Senatores ante creatos censores, a populo legebantur 72
Senatoribus, qui in senatum, uocati, non ueniissent, pignora auferri solebant 259
S. C. primum in senatu scribebatur, deinde in æs incidebatur, tum in Capitolio figebatur, postremo ad ærarium deferebatur pag. 301
S C. uel post occasum, vel ante ortum solis facta irrita erant 300
S. C. dabantur pecuniae, & legationes, prouinciae uero primum S. C. deinde lege Curiata 35
S. C. dent operam consules, praetores, &c. ne quid resp. detrimenti capiat, 317. aduersus Cæsarem factum 243
Sensum rebus inanimis poetica licentia dat Cicero 217
Sententias iurati ferebant 3
Seplasia, Capuae platea in qua unguenta ueniebant 13. 153
Septemuirum agris diuidendis nomina 352
Sepultura differt a sepulcro 342
Seruilia lex 125
C. Seruilius Glaucia cur interfectus 202
P. Seruilis Isauricus unde dictus 6
P. Seruilius Isauricus consulariū omnium uetustissimus, Ciceronis tempore 130
Seruare de caelo quādo, & quo pacto liceret 282. 283
Seruare de cælo de magistratibus dicitur 84
Seruare de caelo per ueteres leges licebat, cum lex ferretur; cum magistratus crearetur, non licebat 142
P. Sextius quaestor C Antonij fuit in consulatu 83
Si, particula multo uenustius omittitur, quam adiitur 353
Sibilo populus odium indicabat pag. 60
Si dijs p'acet 156
Singularia multa sunt in ijs etiam libris, qui ad aetatem nostram peruenerunt 157
Siparium 133
Si quid mihi humanitus accidisset pag. 258
Sisapo Hispaniæ urbs 277
Socij a stipendiarijs distinguuntur 168
Socij Latini, socij & Latini, Socij Latini nominis &, Socij & Latini nominis, dicebant ueteres 18
Socij Latini nominis ex Vrbe exirea consulibus quoties iussi 18
Socijs utebantur comoedi 207

Landesbibliothek Oldenburg

Sodalitates quid 20
Sodalitates ad honorem alicuius dei institutæ sunt 100
Soleæ 282
Solus plus uidetur esse, quam, Vnus 170
Sorti aliquid destituere 316
Splendor proprie de equestri ordine dicitur 95
Squalor perculsi animi signum 37
Stans, pro incolumis 295
Stare, & lacere, antitheta 35
Statua omnis est imago, non contra 102
Stipendiarij a socijs distinguuntur 168
Stipendiarij deteriore sunt conditione, quam foederati 118
Stoici, sapientem tenere uirtutes omnes, arbitrabantur 115
Stolam utebantur honesto loco natæ mulieres 277
Studium plus, quam Voluntas 240
Subsellia erant iudicum, accusatorum, defensorum 209
Subtilitas orationis quæ 115
Suffragium ferre in urbana tribu, ignominiosum 126
L. Sulla duodecim nouarum, pessimorumque rerum auctores urbe exturbauit 28
Sulla contra Marianos, libertinos in quattuor tantum urbanis tribubus, ut antea, suffragium ferre uolebat 363
Ser. Sulpicius legatus ad Antonium missus in legatione interijt. 339. ei sepulcrum publice decretum & statua, ex Cic. sententia. ibid.
Superbissimus delectus 131
Supplicatio —— in ea decernenda, maximum, si quis scribendo adesset, amorem in eum, cuius de honore agebantur, præseferebat 136
Supplicatio eum decerneretur, rogari sententias mos fuit 299
Supplicatio ordinaria dierũ erat quinque 136
Supplicationes non solum pro re in bello prospere gesta, sed in honestandis etiam funeribus a senatu decerni solitæ 89
Supplicatio uni Ciceroni togato decreta a senatu, oppressa Catilinæ coniuratione 267
Supplicatio decreta Cæsari uiginti dierum. 136. Pompeio, decem ibid.
Supplicatione mortuo Cæsari, tamquam Deo decerni, queritur Cic. 289
Supplicum similitudinem quandam præseferunt, qui culpam fatentur 197
Sustinere pro, retinere 7

T

TABVLA Valeria 86
Tæter Claro opponitur 13
Talentum, ubi simpliciter dicitur, pro Attico capitur 205
Templa non omnia sancta 34
Templum Honoris, & Virtutis 60
Tempora, pro, calamitates 191
Testamento filios 281
Testimonium improbi & egentis iure contemnitur 80
Testimonium iurari dicebant 81
Themis unde dicta 162
Theophanes Pompeij Magni libertus Cornelium Balbum adoptauit 127
Thyestes Ennij tragoedia 157
Timor in leuioribus caussis uitiosus est, in granioribus non item pag. 340
Timore imminuta facultas, aequare fidem non potest 241
Toga utebantur infames & libertini generis mulieres 277
Toga uirilis anno XVII. sumebatur 75
Togata 61
Toreuma unde dictum 163
Translata iucundiora, quam propria 36
Translata eidẽ rei multa possunt in seruire 75
Trãslationes dum nimis amamus, maxime cauẽdum, ne in allegoriæ uitium incidamus 182
C. Trebonius Asiam prouinciam obtinens, a Dolabella Smyrnæ interfectus 349
Tribunatus pl. homini patricio mandari non poterat XI
Tribuno pl. magistratum inijsse nonis Decembris, falsum. 33. fuit eorum magistratus primus dies IV idus Decembris 34
Tribunorum pl. magistratu ultimus dies erat V. idus Decembris 9
Tribuno pl. intercedi a collega leges non uetabant 43
Tribunus pl. patricios aduocandi ius non habet 84
Tribunus pl. alterius tribuni acta poterat rescindere 45
Tribuni pl. lictoribus non utebantur 279
Tribunatu gesto, petebant aedilitatem, præturam consulatum censuram 6
Tribum suam candidato non ferre in petitione ignominiosum pag. 59
Tribunum mutatio omnibus non modo ingenius, uerũ etiam libertinis concessa, ex uetere Appij censoris instituto 59
Tristis, pro, asper. 100
Triumphabat nemo, qui imperium a populo non accepisset pag. 203
Triumphalis porta Romæ 160
Tuditanus Sempronius 298
Tueri, pro, conseruare 223
Tunica equestris minores habebat clauos, quam senatoria 110
Tunicæ senatoriæ a plebeijs, quo pacto distinguebantur 13
Turma erat equitum triginta 217
Tuumque hostẽ esse duxit suum pag. 243
Tyrannorum corpora proijciuntur inhumana 252

V

VALERE opibus 59
Valerij Max. locus corruptus 277
Varietas ut in pictura, sic in oratione placet 55
C. Varro Visellius 140
Vas 168
Vasarius 168
Vastare 28
Vastus locus 30
Vaticinari, pro, alucinari 15
Vatinius fuit Sergia 58. 91
Vatinij struma 81
Vatinius deformis fuit 70
Vatinius deformis, & turpi ingenio 80
Vatinius ut sua scelera excusaret, C. Cæsare cõsule auctore quæcumque egerat egisse dicebat pag. 83
Vatinius contemptis auspicijs, &c. leges tulit, quas uoluit 58
Vatinij lex de alternis cõsilijs reijciendis 87
Vatinij lex de legatis deligendis pag. 90
Vatinia lex cæsari citeriorem gallia cum Illyrico dedit 139
Vectigalium societates equitum R. omnes erant 18
Vector 26
Veniae contra, aliquem 268. 336
Verba composita uel suam augẽt uim, si si præponatur, Ad, uel amittunt, si De. 241
Verbi eiusdem sententiam claudentis ex repetitione ornamentum 278

Verbera-

Verberare conuicio 163
Vereor ut, &, Vereor ne, tota sententia differunt 218
Versus Medeae Ennij tragoediae uera lectio 98
Vestibulum templi pars fuit 38
Veteranorum commodis, post Caesaris necem, consuli senatus, consuli senatus, concordiae caussa uolebat 279
L. Vettius Caesarem inter Catilinae socios nominauit 86
Via Cassia, & Aurelia 362
Via militaris latior quam ceterae pag. 131
Via militaris per Macedoniã erat usque ad Hellespontum 187
Via perpetua cuius esse dicatnr pag. 155
Victoria, & Virtus 36
Victoriam ipsam uicisse uideris pag. 218
Victoria ciuilibus in bellis, natura insolens est, & superba 217
Vigintiuiri agro Campano diuidendo 140
Vindiciae 186
Vir, & Ciuis simul usurpat Cicero, cum laudat 46
Virtus, & Fides 36
Virtus & Victoria 36
Virtutis spectatae, quam incognitae durior est cognitio 247
Virtus perfecta est in agẽdo, & intelligendo 46 47
Vis —— de ui damnati solum uertebant. 35. non omnis uis capitalis fuit 35
Vis argenti, pro, magna pecunia pag. 131
Vituperandi modus ex comparatione 271
Vnus solus 25
Vnus minus uidetur, quam Solus pag. 170
Volitare 5
Voluntates hominum occultae multiplicesq. naturae 221
Voluptas duplex, animi ex uoluptate; corporis ex uitio 164
Vomere cum cogitarent ueteres, large cenam sumebant 245
Vox fletu debilitatur 64
Vrbium captarum simulacra in triumphi pompa ferebãtur 336
Vrnis tabellae iudicum seruabantur 90
Vt, iteratum sine caussa 118
Vt —— Quamuis sis, ut es, uiolentus, &c. 306
Vtilitates, pro commodis 243
Vtique, pro, & ut, in S. C. usitatum 382
Vultures inter infausti nominis animalia numerantur 39
Vulturius, pro raptore, & praedatore 156

X

XENIAE balneae 108

FINIS.

Landesbibliothek Oldenburg

Vbi patria, ibi bene, pag. 163
Vbi, & Vtrobique, tota ten-
tatio differunt 218
Vbi vis Medea Emili tragoedia
acta fuerit 98
Vehiculum templi pars fuit 38
Venenorum communis, port-
Cadaris pocem, conuiui ruina-
tus, conuiui ruinas, confor-
dia caufa celebrata 279
L. Veratius Catarem inter Cauli-
nae locum nominatur 86
Via Cafia, & Aurelia 382
Via militaris latior quam cetera
pag. 121
Via militaris per Macedoniam erat
usque ad Hellefpontum 187
Via perpetua cuius olim dicatur
pag. 155
Victoria, & Virtus 26
Victoriam ipfum inuifit videris
pag. 218
Victoria ciuilibus in bellis, natura
inuicta eft, & fuperbit 217
Vigintiuiri agro Campano dimi-
dendo 140
Vindicare 156
Vir, & Cuius fimili ufurpat Cice-
ro, cum leuitate 46
Virtus, & Fides 36
Virtus & Victoria 36
Virtutis peculiare, quam incogni-
te durare eft cognitio 247
Virtus perfecta eft in agendo, non
intelligendo 49.47
Vis —— de iu. Iamnari folum ver-
tebant, 35. non omnis vis cupi-
talis fuit 33
Vis argenti, pro, magna pecunia
pag. 131
Vtuperandi modus ex comipara-
tione 271
Vnus folus 25
Vnus minus videtur, quam Solus
pag. 170
Voluare 5
Voluntates hominum occultae
multiplicesq. natura 221
Voluptas duplex, animi ex tuta
praeteritorum ex mixta 164
Vomere cum coenant nefas, 243
Vox fieri debilitatur 64
Vltum capitum fimulacra in
triumpho ponere fenebantur 136
Vnus tabellarius 50
Vr. Iterum Fide caufa 118
Vr. —— Quantus fis, ut cupiolen-
tus, &c. 306
Vulitares pro comitatu 243
Vtique, pro, &ut, in S. C. ufita-
tum 383
Vulteres inter infimi nominis
mimalia numerantur 130
Vulturius, pro raptore, & peni-
tore 156

X

X Dnias balneae 108

FINIS.



IN. ORATIONEM. CICERONIS
PRO. P. SEXTIO.
PAVLLI. MANVTII
COMMENTARIVS

ARGVMENTVM

P. Sextius, cum, Lentulo & Metello cos. tribunus pl. esset, omnem vim tribunatus sui ad Ciceronem patriae restituendum maximo animo contulit. eius conatibus cum P. Clodius, qui Ciceronem vrbe expulerat, homo seditiosus, ac turbulentus, obsisteret; factum, vt IIIx. Kal. Feb. inter eos, qui Ciceroni fauebant, & Clodianos magna pugna, armatis vtrinque hominibus, committeretur. eo nomine, anno post, Marcellino, & Philippo cos. P. Sextio M. Tullius Albinouanus detulit nomen, eumq. lege Lutatia de vi apud M. Aemilium Scaurum praetorem postulauit. defensus Sextius cum ab alijs tum a duobus praestantißimis oratoribus, Q. Hortensio, & M. Tullio Cicerone, atque absolutus est. itaque ipse Cicero lib. II. ep. ad Q. Fr. Sextius, inquit, noster absolutus est III. id. Mart. &, quod vehementer interfuit reip. nullam videri in eiusmodi caussa dissensionem esse, omnibus sententijs absolutus est. Exsulauit tamen postea hic ipse Sextius: quo crimine condemnatus, pro certo dici posse non arbitror: puto tamen, quod a Pompeio aduersus Caesarem stetisset: id quod constare potest vel e lib. VII. epist. ad Atticum quidquid sit, certe, nisi post interitum Pompeij, non exsulauit. exstat epistola, qua ei Cicero consolationem adhibet, lib. V. earum, quae familiares nominantur.

DE GENERE ET STATV ORATIONIS PRO SEXTIO

CAVSSA P. Sextij, quia continet accusationem & defensionem, est in genere iudiciali: quia vero partem habet honestatis, & turpitudinis, in ea generis parte sita est, quam rhetores dubiam & ancipitem nominarunt. turpitudo patebat in eo, quod Sextius armatorum multitudine contra leges in publico vsus erat: honestas in eo, quod, multis ante vulneribus acceptis, vitam suam, ne vim iterum eandem pateretur, necessario praesidio munierat. pugnat igitur cum turpitudine honestas: vtra vincat, apud iudices quaestio est. Quod ad statum pertinet: cum de nomine controuersia sit, quia vim fuisse accusator ait, defensor negat, status est is, qui definitiuus appellatur. quod si quis caussam Sextij non ad definitiuum, sed ad generalem statum reuocet: hic, vt quidem ego sentio, non omnino nihil viderit. cum enim in ipsa rei natura diligenter inspicio; facile fit, vt in hac caussa generalem statum esse putem: quia, cum de Sextij facto conueniat; quale sit, quaeritur, iustum scilicet, an iniustum. quam generali statu contineri quaestionem nemo nescit. Et quoniam hic status duas in partes distribuitur, iuridicialem hic agnosco: quia, cum Sextius aequũ & rectum fuisse dicat, praesidium vitae aduersus vim comparare; aequi & recti natura quaeritur. Rursus, cum iuridicialis in absolutam, & assumptiuam diuidatur: hic, excluſa absoluta, locũ habet assumptiua: quia res ipsa per se satis est infirma, sed defensione nititur extrinsecus petita. Assumptiuae autẽ eam partẽ intelligo quae dicitur a remotione: quia factum reus nõ negat, sed crimen a se remotum in P. Clodium transfert. Cum vero in purgatione tria cõsiderentur, imprudentia, casus, & necessitas: necessitatis partem Sextius assumit: cum se, necessitate coactũ, armatorum hominũ praesidio vsum esse confirmet. quid enim faceret, cũ in templo Castoris multis vulneribus cõcisus, ac pene occisus, vitam non iure & legibus, sed vi & armis aduersus inimicorum audaciam ac furorem tuendam esse didicisset? Est igitur Sextij caussae status generalis, iuridicialis assumptiuus, ex concessione, cum purgatione per necessitatẽ. quod si ad Hermogenis doctrinã, tunc in hoc genere praeclaram, respiciamus: status erit qualitatis: quia de qualitate rei, vtrum iusta fuerit an iniusta, consideratur. erit autem in qualitate ἀντιστάσεως: quia Sextius vniuersum factum in se ipsum refert, cũ se quidem armis vsum esse dicat, verũ ob eam caussam, quae iustissima est, vt salutẽ suã vitamq; seruaret.

DE EXORDIO ORATIONIS

EXORDIA oratoribus in genere demonstratiuo habita sunt, in deliberatiuo & iudiciali non sunt, sed caussis deseruiunt, & a caussarum vi ac natura ducũtur. & quia caussarum plura genera sunt, inde fit vt exordiorum plura quoque genera nascantur. caussa Sextij est in genere iudiciali, & ab huius generis in ea parte, quae anceps appellatur. In ancipiti caussa, cũ honestas & turpitudo sibi inuicem aduersentur a beneuolentia limitus exordium. cũ enim, vt dixi, turpitudo & honestas versentur in caussa; eaeq; iudicis animũ diuersum trahant: addenda sunt vires honestati, quo plus ad commouendũ ac persuadendũ valeat. fit autẽ firmior honestas caussae, si cũ iudicis beneuolentia cõiungitur. nã cũ iudicis animus, dubia quadam turpitudinis honestatisq; specie dissimiliter affectus, neutrã in partem propendeat facile, si quid ad alterutram accesserit momenti, commouebitur. cũ vero inter eas rationes, quae ad conciliandã beneuolentiã valent, minime omnium ea sit imbecilla quae a rei persona proficiscitur: nihil enim reo potest esse optabilius, quã vt ijs a quibus iudicatur, carus sit: propterea de quarto locis, vnde comparatur beneuolentia, eo primũ vtitur Cicero qui est omniũ vtilissimus, maximeq. necessarius. Et quoniã nõ satis est, si a persona rei beneuolentiã quaeramus, sed ab ijs ipsis rebus quaerere debemus, quae inter praeclare facta maxime excellunt: hoc ipsũ quoq. acutissimi orator ingenij & vidit facile, & obseruauit. nã cũ recte facta possint esse quamplurima, cũque inter haec ipsa nihil praestantius habeatur, quã de patria bene mereri: optimã ac perfectissimã cõparandae beneuolentiae rationẽ inuit, cũ a commemoratione beneficiorũ, quae Sextius in remp. contulit orsus est. Iã, cũ eiusdem generis nõ omnia beneficia sint; quod erat omnium maximũ, id nominãdũ. est autem omnium maximũ ipsa resp. salus, atque libertas: quã duobus in locis exordij sui Cicero, primũ recte, deinde aperte, P. Sextij summo studio summaq. virtute conseruatã significat: recte, cũ ait; Qui auderent se, & salutem suam in discrimen offerre pro statu ciuitatis, & pro communi libertate: aperte, cum illa pronunciat; Vno aspectu intueri poteritis eos, qui cum senatu, cum bonis omnibus remp. afflictam excitarint, & latrocinio domestico liberarint, maestos, sordidatos, reos. Et quoniam in defensionibus id primum est, vt reum subleuemus; alterum, vt aduersarios deprimamus; vt alteri beneuolentia, alteris odium concilietur: in hoc exordio & vtrumque, & quo conueniebat, loco factum est. nam cum reo iam consuluisset in eo, Intueri potestis eos, qui remp afflictam excitarint, maestos, sordidatos, reos: proxime intulit, Eos autem, qui omnia diuina, & humana violarint, vexarint, perturbarint, euerterint, non solũ alacres laetosq. volitare, sed etiã voluntarios fortissimis atque optimis ciuibus periculum moliri, de se nihil timere. ita, cum ex vna parte summum Sextij beneficiũ, ex altera grauissimas aduersariorũ in remp. iniurias cõstituat; eaq. nõ disperse, & ex interuallo, sed proxime, nulla interiectione commemoret; quo

res

res vtraque ex propinqua rei contrariae comparatione maior appareat: consecutus est id, quod ad absolutionem rei quasi viam munire iam significauimus, vt & honestatem causae iudicum benevolentia confirmaret, & turpitudinem, odio in aduersarios concitato, ita debilitaret, vt cum honestate congressa facile cederet. Est autem & illud non vulgaris artificij; idque ad comparandam benevolentiam valere antiqui rhetores dixerunt; quod, cum maximum Sextij beneficium ostendisset, maximum eiusdem incommodum proximum demōstrauit. ad illud enim, Qui remp. afflictam excitarint, quod amplissimis præmijs dignissimum esse beneficium videbatur, apposuit, ad elicendam misericordiam, Maestos, sordidatos, reos, de capite, de fama, de fortunis, de liberis dimicantes. Eodemq. cōsilio cum de aduersarijs dixisset, Qui omnia diuina & humana violarint, vexarint, perturbarint, euerterint, quod erat crimen poena grauissima notandum; adiunxit, ad commouendam indignationem, Non solum alacres laetosq. volitare, sed etiam voluntarios fortissimis atque optimis ciuibus periculum moliri, de se nihil timere. quo facto aduersarijs & odium ex improbitate quaesiuit, qui omnia diuina, humanaq. violarint; & inuidiam ex potentia, quia deinde, alacres laetique volitantes, periculum alijs creent, de se nihil extimescant.

M. TVLLII. CICERONIS
PRO. P. SEXTIO.
ORATIO I.

Si quis antea, iudices, mirabatur, quid esset, quod pro tantis opibus reip. tantaque dignitate imperii nequaquã satis multi cives forti, & magno animo inuenirẽtur, qui auderent se, & salutẽ suam indiscrimẽ offerre pro statu ciuitatis, & pro communi libertate: ex hoc tempore miretur potius, si quem bonum, & fortem ciuem uiderit, quam si quem aut timidum, aut sibi potius, quam reip. consulentem. nam, vt omittatis de uniuscuiusque casu cogitando recordari, uno aspectu intueri potestis eos, qui cum senatu, cum bonis omnibus remp. afflictam excitarint, & latrocinio domestico liberarint, maestos, sordidatos, reos de capite, de fama, de ciuitate, de fortunis, de liberis dimicantes; eos autem, qui omnia diuina, & humana uiolarint, uexarint, perturbarint, euerterint, non solum alacres laetosque uolitare, sed etiam uoluntarios fortissimis, atque optimis ciuibus periculum moliri, de se nihil timere. in quo cum multa sunt indigna, tum nihil minus est ferendum, quam quod iam non per latrones suos, non per homines egestate, & scelere perditos, sed per uos nobis, per optimos uiros optimis ciuibus periculum inferre conantur; & quos lapidibus, quos ferro, quos facibus, quos ui, manu, copiis delere non potuerunt, hos uestra auctoritate, uestra religione, uestris sententiis se oppressuros arbitrantur.

EXPLANATIO

NOn est mihi consiliũ in hac oratione explicãda facere id, quod a nimiũ multis hoc tẽpore factitari video, qui annotandis atque enumerãdis figuris, quasi colligẽdis in littore lapillis, pueriliter occupati, si metaphoras aliquot, metonymiasque annotauerint, magnũ se, ac memorabile praestitisse aliquid arbitrantur: interea neque deprauatis locis medicinã adhibent vllam, &, vbi ex intima historia, antiquitatis ve cognitione promendũ aliquid est, aut tacent, aut ita se gerunt, vt, eos in rebus Romanis plane hospites esse facile intelligas. ego istiusmodi artificiũ aut omnino praetermittã silentio, aut admodũ paucis locis strictim & modice attingã, cũ alijs de caussis, tũ quia de hoc toto genere alius mihi locus, aliud addicendũ tempus constitutum est; quo ea cum studiosis communicare in animo habeo, quae nõ de vulgaribus rhetorũ hausta libris, sed, duobus eloquentiae luminibus Demosthene ac Cicerone, diligenter & accurate inuicẽ cõferẽdis, obseruata a me, atque annotata, non nihil vtilitatis ijs, qui de eloquẽtiae laude cogitant, allatura esse confido.

SI *quis antea*]proprium paene, ac perpetuũ hoc Ciceroni, est vt quas caussas defendit, earũ euẽtũ ad publicam vtilitatem pertinere demonstret. sicut hic statim a principio ostẽdit; nisi absoluatur Sextius. fore, vt vix vllus postea ciuis reperiatur, qui se in discrimen offerre pro salute publica velit. OPIBVS *reip.*]opes reip. dignitatem imperij nominauit; quod, vbi opes, ibi praemia speramus; vbi dignitas, laude commouemur COMMVNI]publicam caussam cum priuata coniunxit; vt hoc dicat: si quis de statu ciuitatis non laborat, suae tamen libertatis caussa, quam in communi esse inclusam intelligit, ad subeunda pericula, ad repellendos improborum impetus excitetur. Ex *hoc tempore*]multo enim magis, quam antea, dominatur improbitas. quod ex eo patet, quia P. Sextius, T. Annius Milo, P. Lentulus, optime de rep. meriti, acerbissime vexantur. erant autẽ rei, de vi vterque, Sextius & Milo. de Lentulo rogationẽ promulgauerat C. Cato tribunus pl. vt Ciliciae quam regebat, imperiũ ei abrogaretur. quae colliguntur in orationis epilogo. BONVM, *& fortem*]Bonũ, vt sentiat; fortem, vt audeat quae reip. ratio postulat. in multis enim recte sentientibus fortitudo desideratur. SIBI *potius,*]qui bonus ciuis esse non potest: cũ ad remp. boni ciues omnia referant. VT *omittatis*]velim, quae abierunt, omittatis: spectate, quae adsunt. EOS,]quos intelligit, iam nominaui. LIBERARINT,]mere stituto, debilitatis perditorum viribus. SORDIDATOS, *reos,*]reos, de Sextio, & Milone dictum. reus enim Lentulus non erat. sordidatos, & ad eosdem. & ad Lentulum praeterea refero. nam Catonis rogatione de abrogando ei imperio promulgata, vestitum filius mutauit ad misericordiam commouendam. ad Q. fratrem lib. II. epist. DE *capite,*]non de vita, (ciuẽ enim Romanũ nullo crimine, perduellione excepto, interfici licebat) sed, De capite hoc est de ciuitate. nam de vi damnatos exsulij paena sequebatur. ideoque capitalis caussa dicebatur, & capite diminuti qui ciuitatẽ amittebant. Nec moueor quod subiũgit de ciuitate. modo enim a genere ad speciẽ trãsit, vt hic, de capite, de ciuitate, cũ in paena capitis cõtineri ciuitatis amissionẽ cõstet; modo a specie ad genus, vt lib. I. de or. in Mãcini caussa: Quã possumus reperire ex omnibus rebus ciuilibus caussam, cõtentionemq. maiorẽ, quã de ordine, de ciuitate, de libertate, de capite hominis consularis? vtrumque autem fieri constat exaggerandi gratia. DE *liberis*]quibus priuantur in exsulium legibus eiecti. VOLITARE,]verbum hoc se-

curitatem

curitatem quandam, arrogantia, impudentiaq. coniunctam, significat. sic infra: Cum illa coniuratio ex latebris, atque ex tenebris erupisset, palamq. armata uolitaret. & in Pisonem: Sex. Clodium, qui numquã antea praetextatus fuisset ludos facere & praetextatum volitare passus es. OPTIMOS *uiros optimis ciuibus*] optimos viros, religiosissimos, & sanctissimos in iudicandis rebus. optimis ciuibus, studiosissimis reip. praeclareq. de ea meritis. non est autem eadem virtus optimi viri, & optimi ciuis: quod declarat Aristoteles III. politicorum. VESTRÃ *auctoritate*,] delecti enim ex tribus ordinibus iudicabant. VESTRA *religione*,] quia iurati sententias ferebant.

ORATIO

EGo *autem, iudices, qua uoce mihi in agendis gratijs, commemorandoq. eorum, qui de me optime sunt meriti, beneficio esse utendum putabam, ea nunc uti cogor in eorum periculis depellendis: ijs potissimum uox haec seruit, quorum opera & mihi, & uobis, & populo R. restituta est. & quamquam a Q. Hortensio clarissimo uiro, atque eloquentissimo, caussa. est P. Sextij perorata; nihilq. ab eo praetermissum est, quod aut pro rep. conquerendum fuit, aut pro reo disputandum: tamen aggrediar ad dicendum; ne mea propugnatio ei potissimum defuisse uideatur, per quem est perfectum, ne ceteris ciuibus deesset. atque ego sic statuo, iudices, a me hac in caussa, atque hoc extremo dicendi loco, pietatis potius, quam defensionis, querellae quam eloquentiae, doloris quam ingenij partes esse susceptas. itaque, si aut atrius egero, aut liberius, quam qui ante me dixerunt; peto a uobis, ut tantum orationi meae concedatis, quantum & pio dolori, & iustae iracundiae concedendum putetis. neque enim officio coniunctior dolor ullus esse potest, quam hic meus, susceptus ex hominis de me optime meriti periculo: neque iracundia magis ulla laudanda, quam ea, quae me inflammat eorum scelere, qui cum omnibus salutis meae defensoribus bellũ esse sibi gerendum iudicauerunt. sed quoniam singulis criminibus ceteri responderunt, dicam ego de omni statu P. Sextii, de genere uitae, de natura, de moribus, de incredibili amore in bonos, de studio conseruandae salutis communis, atque otii; contendamq. si modo id consequi potero, ut in hac confusa, atque uniuersa defensione nihil a me, quod ad uestram quaestionem, nihil, quod ad reum, nihil, quod ad remp. pertineat, praetermissum esse uideatur, & quoniam in grauissimis temporibus ciuitatis, atque in ruinis euersae atque afflictae reip. P. Sextii tribunatus est a fortuna ipsa collocatus: non aggrediar ad illa maxima atque amplissima prius quam docuero, quibus initijs, de fundamentis hae tantae summis in rebus laudes excitatae sint.*

EXPLANATIO

EGo *autem*,] commemoratio haec fraudatae exspectationis suae efficax in primis est ad misericordiam concitandam. IN *hac caussa, atque hoc extremo dicendi loco*,] cum plures eandem caussam agerent, extremum sibi fere concedi solitum a ceteris dicendi locum, ipse in Oratore testatur his verbis: Quid ego de miserationibus loquar? quibus eo sum usus pluribus, quod, etiam si plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant: in quo vt viderer excellere, non ingenio, sed dolore assequebar. CONFUSA, *atque uniuersa*] in qua non de vno aut altero crimine agetur, sed de omni statu P. Sextij, de genere vitae, de natura &c. quae ipsa tamen ita agemus, vt, quod ad vestram quaestionẽ pertinet (quaeritis autem deui, & vis in hoc iudicio iudicatur) quod item ad ipsum reũ, hoc est ad ea, quae reo obijciuntur, crimina, quod etiam ad remp. nihil praetermittamus. GRAVISSIMIS *temporibus ciuitatis, atque in ruinis euersae, atque afflictae reip.*] non est superuacaneum, reipublicae, quia dixerit, ciuitatis: sed est amplificatio quaedam: quia plus est in republica, quam in ciuitate: similiter vt cum dixit, ruinis; cum dixisset iam, grauissimis temporibus. plus enim aliquanto significant ruinae, quam grauissima tempora. & est hoc Ciceroni, ob eximiam ingenij vbertatem, usitatum, maximeq. frequens in orationibus ornamentum. EVERSAE, *atque afflictae reip.*] plus est afflictae, quam euersae. nam euersa non stant, erigi tamen videntur posse: afflicta vero neque stant, neque, fractis iam ac debilitatis viribus, erigi amplius possunt. A FORTVNA *ipsa*] amicissima reipublicae quae fecerit, vt, quo anno maxime ciuitas consilio atque ope ciuium optimorum indigebat, is Sextio petendi tribunatus annus esset quodam igitur modo eius anni laudem & gloriam cum Sextio fortuna communicauit. itaque prius exponam ea, quae ad Sextium tota referuntur, minime a fortuna pendent. ILLA *maxima, atque amplissima*] quae gessit in tribunatu, pro salute Ciceronis, lege Clodia exsulantis, hoc est, vt ipse accipi vult, pro salute reip. significat enim, sua caussa remp. Sextio debere: quando quidem eam euersam atque afflictam tum fuisse dixit, cum a Clodio pulsus exsularet. Et apte, maxima, atque amplissima: vt & maximi momenti, & late diffusa significet. quomodo & in epistola ad Lentulum magna, & ampla negotia nominauit. SVMMIS *in rebus*] quas in quaestura & in tribunatu Sextius gessit: quae infra enumerabuntur. EXCITATAE] quia dixerat, Fundamentis, ideo subiungit, Excitatae, quod verbum ad ea quae aedificantur, solet accommodari, ut lib. 2. de Legib. Ne e lapide excitari plus, nec imponi, quam quod capiat laudem mortui incisam. & Seneca.

Landesbibliothek Oldenburg

ORATIO

PArente. P. Sextius natus est, iudices, homine, ut plerique meministis. & sapiente, & sancto, & seuero; qui cum tribunus pl. primus, inter homines nobilissimos, temporibus optimis factus esset, reliquis honoribus non tam vti noluit, quam dignus videri. eo auctore duxit, honestissimi & spectatissimi viri, C. Albini filiam: ex qua hic est puer, & nupta iam filia. duobus his grauissimis antiquitatis viris sic probatus fuit, vt vtrique eorum & carus maxime, & iucundus esset. ademit Albino soceri nomen mors filiae, sed caritatem illius necessitudinis, & beneuolentiam non ademit. hodie sic hunc diligit, vt vos facillime potestis ex hac vel assiduitate eius, vel sollicitudine, & molestia iudicare. duxit vxorē patre viuo optimi & calamitosissimi viri filiam L. Scipionis. clara in hoc P. Sextii pietas exstitit, & omnibus grata, quod & Massiliam statim profectus est, vt socerum videret, consolariq. posset fluctibus reip. expulsum, in alienis terris iacentem, quem in maiorum suorū vestigiis stare oportebat: & ad eum filiam eius adduxit, vt illo in sperato aspectu, complexuq. si non omnem, at aliquam partem maeroris sui deponeret: & maximis officiis & illius aerumnam, quoad vixit, & filiae solitudinem sustentauit. Possum multa dicere de liberalitate, de domesticis officiis, de tribunatu mil. de prouinciali in comagistratu abstinentia: sed mihi ante oculos obuersatur reip. dignitas, quae me ad se rapit, haec minorare linquere hortatur.

EXPLANATIO

SAPIENTE,] nō loquitur de illa summa sapientia; quam qui habet, nullam virtutē desiderat: (cur enim adderet, sancto?) sed communē quandā in rebus gerendis prudentiā intelligit. &, sapiente, dixit, cū ad rerum actionē respiceret: sancto, ad ipsius vitam: seuero, ad domesticā disciplinam. TRIBVNVS *pl. primus inter homines nobilissimos temporibus optimis factus esset,*] considerandum, cur dixerit, Primus, inter homines nobilissimos, temporibus optimis. nō modo enim tribunus pl. Sextij pater factus est sed primus inter eos, qui simul facti sunt; neque primus modo inter collegas, sed primus inter eos collegas, qui nobilitate florebant: neque hoc modo, sed etiam tēporibus optimis. nā si & tribunus pl. & primus, & inter homines nobilissimos factus esset nec tamen optimis tēporibus: nō ita laudabile videretur. potuisset enim & primus, & inter homines nobilissimos tribunatū cōsequi nō virtute, sed malis artibus, puta ambitione, pecunia, vi. ergo nō sine caussa copiosus Cicero. cuius verba, qui nō intelligunt, quo spectēt & quā aptē in sententiā cōueniant: verbosū, si dijs placet, appellant. quibus ipsis quia deest, quod loquantur, aut scribant; aut, si quid habēt, nō suppetit vnde ornēt: diuitias vrationis, inopiae suae cōscij, in alijs ferre nō possunt. RELIQVIS *honoribus*] gesto tribunatu, petebant aedilitatem, praeturā, consulatū, censurā. quos honores pater Sextij non petijt: qua caussa, ignoratur: sed oratorie Cicero cōuertit in laudē quod, eos consequi cū posset, moderatione tamen quadā abstinuerit qui plus in ipsa re, hoc est in recta viuendi ratione quā in honorū specie, poneret hoc significat, cū ait. Non tam vti noluit quam dignus videri. HONESTISSIMI, *& spectatissimi viri,*] laudat & familiam, & hominem. honestissimi, honestissimo loco nati: spectatissimi, sua virtute insignis. C. ALBINI] hic, vt opinor honores non habuit, sed senator fuit: vt in quadam epistola legimus, quae est libro fam. XII. 8. HIC *est puer,*] L. Sextius: vt ex ea, cuius proxime facta mentio est, epistola cognoscitur. quamquā Publium infra nominat cum ait, Recita quaeso P. Sexti. aut igitur in ea epistola Publius, non Lucius legendum: aut hic Lucius, nō Publius. Hic: qui adest in iudicio. paruulos enim filios ad eliciendam misericordiā in iudicium adducere moris erat. & puer vocatus, licet esset praetextatus, vt in extrema oratione; praetextati autē annum aetatis XVI egressi erant. ANTIQVITATIS] magis laudat, quam si tantum, grauissimis viris, dixisset. est enim ad antiquitatē comparatio: quā praestare nostris temporibus semper existimamus: itaque dicimus, homo antiqua virtute, antiqui officij: & illud, nihil mihi est antiquius, pro praestantius. Seruius in illud lib. I. Aen. Non Troia antiqua, accipit hic, Antiquitatis, pro, nobilitatis. ET *carus & iucundus*] carus quia filius, & gener: iucundus, quia bene moratus, & bono ingenio praeditus. NON *ademit.*] suauitate quadā aures afficit verbi geminatio praeposita secūdo loco negatione: vt hic, ademit Albino soceri nomē mors filiae, sed caritatē illius necessitudinis, & beneuolentiā nō ademit, & in ep. ad Lentulū, ceteris satisfacio omnibus, mihi ipse numquā satisfacio. OPTIMI, *& calamitosissimi*] cur bonitatē cū miseria cōiunxit? vt indignū ea calamitate Scipionē ostenderet. SCIPIONIS.] Asiarici: qui cū C. Norbano cōsul fuit, Marianasq. partes adiuuit: sed eius exercitu ad Sullā signa transferente, cū interimi posset, dimissus est. Gener fuit L. Crassi oratoris: vt lib. III. de Orat. in prooemio. epitome Liuiana lib. LXXXV. Philippica XII. & XIII. ad Atticū lib. IX. Orosius. MASSILIAM] sic & Milo, qui P. Clodiū interfecit, Massiliā in exsuliū abijt. FLVCTIBVS] bellis ciuilibus. & proprie fluctibus, quia, sicut fluctibus iactatur nauis, sic bellis ciuilibus agitatur, & quasi fluctuat resp. IN *alienis terris iacentem,*] respondet ad hoc id, quod sequitur. vt ita opponas: in alienis terris, maiorum suorum vestigijs; iacentem. stare. DOMESTICIS *officiis,*] quae contulit in suos: quae praetermitto, non quia minima, sed quod illa, quae cōtulit in rempublicam multo pluris aestimanda. TRIBVNATV *mil.*] tribunorum militarium, inquit

Pedianus

Pedianus duo genera, primum eorum, qui Rufuli dicuntur: hi in exercitu creari solent alij sunt Comitiati, qui Romae comitijs designantur. MAGISTRATV] κατ' ἐξοχὴν, magistratum appellat: tribunatus enim militum honor quidem est, magistratus autem non est: vt in libro de magistratibus docebimus. APPETENTIA:] cum ceteri militum praefecti prouincias rapinis exhaurire consuessent: vide Scaptius ille in epistolis ad Atticum.

ORATIO

QVAESTOR hic C. Antonij, collegae mei, iudices, fuit sorte, sed societate consiliorum meus. impetror non nullius officij, vt ego interpretor, religione, quo minus exponam quam multa ad me detulerit, quae tum ipse mouerit. atque ego de Antonio nihil dico. praeterea omnia, numquam illum in illo summo timore ac periculo ciuitatis neque communem metum omnium, neque propriam nonnullorum de se ipso suspicionem aut tollendo tollere, aut dissimulando sedare voluisse. Quo collega sustinendo, atque moderando si quam in illum inuidiam, coniunctam cum summa eius in te laude vere solebatis: par prope laus P. Sextio debetur, qui non ita consulem obseruauit, vt collegae fidem bonus, & vobis omnibus optimus ciuis videretur. idem, cum illa coniuratio ex latebris atque exitibus erupisset, palamque armata volitaret, venit cum exercitu Capuam; quam vrbem propter plurimas belli opportunitates ab illa impia & scelerata manu attentari suspicabamur; & inde M. Aulianum, tribunum mil. Antonij, praecipitem iecit, hominem perditum, & non obscure Pisauri, & in alijs agri Gallici partibus, in illa coniuratione versatum: idemq. C. Marcellum, cuius non solum Capuam venisset, verum etiam se quasi armorum studio, in maximam familiam conuexisset, exterminandum ex illa vrbe curauit. qua de causa & tum conuentus illo Capuae, qui, propter salutem illius vrbis consulatu conseruatam, meo, me vnum patronum adoptauit, huic apud me P. Sextio maximas gratias egit: & hoc tempore idem homines, nomine commutato coloni decuriones q. fortissimi atque optimi viri, beneficium P. Sextij testimonio declarant, periculumq. decreto suo deprecantur.

EXPLANATIO

QVAESTOR] gesto tribunatu militum, qui questuram petebant: isq. primus in vrbe gradus honoris erat. haec agemus in libro de magistratibus. COLLEGAE *mei*] in consulatu: quo gesto, in Macedoniam iuit proconsul. SORTE,] quaestores designati, cui quisque muneri in magistratu praeesset, sorte ducebant, alij cum consulibus in vrbe remanebant: alij aerarium curabant: alij in prouincias exibant. SOCIETATE *consiliorum*] quia cum Cicerone consule de republica, quae ad patefaciendam & opprimendam Catilinae coniurationem pertinebant, communicauit, & ad eum C. Antonij, cuius erat quaestor, consilia detulit. ad quem lib. VII fam. ita scripsit: Si falsi fuerunt, quae tu ad me, vt tuis, detulisti, quid ego tibi debeo? sin vera: tu es optimus testis, quid mihi populus R. debeat. NON *nullius officij religione*,] quia, cum sit quaestoris & consulis maxima necessitudo, videtur ab officio Sextius discessisse, qui consilia sui consulis alteri consuli prodiderit. vel expone sic: non explicabo quaecunque ad me Sextius detulit quia contra officium videar feciſſe, si quae Sextius ad me secreto detulit vt potius reipublicae, saluti quam cōsulis sui voluntati satisfaceret, ea nunc omnia commemorem. DE *Antonio nihil dico*,] occurrit suspicioni, nam quod intelligit ex eo, quod dictum est, posse aliquem colligere, & existimare participem Catilinae coniurationis Antoniū fuisse: ingeniose facit, vt hanc suspicionem neque confirmet, ne hominem eum, quem in consulatu collegam habuerat, in exsilio satis misere viuentem, suo testimonio cōdemnet; neque tollat, ne, quae a Sextio de illius consilijs ad se delata significat, ficta & inania videantur propterea, ne obijciat aliquis, ergo tu cum Catilina consensisse Antoniū confirmas: ego inquit nihil dico, neque participē illius cōiurationis fuisse, neque non fuisse; hoc vnū dico; si negare voluisset, se Catilinae partibus haerere; aut saltē dissimulare; futurum fuisse vt ille metū ciuitatis, & eam, quae de ipso erat, suspicionē aut omnino tolleret aut certe sedaret. neutrū tamen fecit. Et est animaduertendū, quod cū, hic quasi lubrico in loco Cicero versetur, quia, si Sextij quaesturā laudat, Antonium vituperat; si Antoniū excusat, Sextij causſam non subleuat; lubrico, vt dixi, in loco consultutus, ad Sextium, cuius periculum agebatur, potius quā ad Antoniū, inclinat: & cum ait, numquā illum neque negare, neque dissimulare voluisse, non alienū a Catilinae cōsilijs fuisse tacite significat: aperte nō exponit ne miserum hominē suo testimonio premat. In Pisonē tamen apertius: Ego Antonium collegā, cupidā prouinciae multa in rep. molientē, patientia, atque obsequio meo mitigaui. INFITIANDO] nā si infitiatus esset se cum Catilina consentire, propriam non nullorum de ipso suspicionem sustulisset. numquam autem est infitiatus: numquam igitur eam opinionem sustulit. tale illud in ea post reditum in senatu: Numquam infitiando, suspicionem hominum, curamq minuerunt. Quibus in locis non dubito quin ad illum respexerit Cicero Attij in Atreo versum, quem recitat in orat. in Pisonem

Numquam istam in minuam curam, infitiando tibi. SVSTINENDO,] retinendo; ne longius progrederetur; ne coniuratorum in societatē sese totū daret. est enim hic, sustinere, pro retinere, vt in epistola ad Varronem: Exspectabā omnino iā diu, mecq. sustinebā, ne ad te prius ipse quid scriberē, quā aliquid accepissem. & in libro de amicitia: Est prudentis, sustinere, vt cursū, sic impetū benevolentiae.

lentiae. & ad Atticum, sustinere equos, sustinere currum. MODERANDO] vt, si minus eum ad tuendã reip caussam possem traducere, a studio tamen cõiurationis abducerem. hoc est enim, moderando, quo verbo vitij correctio significatur; vt modus imponatur in ea re, quae immoderate facta turpitudinẽ habet. moderatus autẽ Cicero, quia Macedoniã illi decernendam curauit: vt, cũ aeris alieni caussa sensisse cũ Catilina putaretur, rursus lucri spe ad reip. studiũ sese cõuerteret. quod & Plutarchus in Ciceronis vita notauit. PAR *prope laus*] callide, Prope, addidit: ne Sextiũ sibi in laude cõferat, quod ille quidẽ quaestor multum rempublicã iuuerit, nõ tamen, quantũ ipse cõsul. AVLIANVM, Auliae gentis mentio apud Liuium lib. IX. & in Fastis 534 ANTONII] C Antonij consulis, labe[con]iurationis infecti. AGRI *Gallici*] Galliae cisalpinae, quae ad Rubiconẽ amnẽ terminabatur. C. MARCELLVM,] nõ eum, qui fuit M. Marcelli, viri clarissimi, frater, & cõsulatũ est adeptus, de quo in oratione pro Marcello, & epist. fam lib. X sed eũ, de quo mentio fit in oratione in Catilinã. QVASI *armorum studio*,] quasi & ipse vna cũ ijs in ludo gladiatorio exerceri vellet. nã serui gladiatores, rudes in armis, exercebantur a lanistis in ludo, hoc est in loco, vbi non caedis, sed artis caussa arma tractabãtur. cũ igitur Capuae maxima familia hoc est maximus seruorum numerus, (familiã enim pro seruis non semel vsurpat Cicero) in arte armorum ludicra versaretur: C Marcellus, qui eos ad cõiuratorũ partes cuperet adiungere, admiscuit se ad eos, simulato armorũ studio. CONVENTVS] in praefecturis id erat cõuentus, quod in coloniis, & municipijs decuriones, id est senatus quidã. Capua foederata ciuitas fuit ante secundũ Punicũ bellũ. quo bello, cũ Hannibalis partes secuta esset, capta a Romanis in praefecturae formam redacta est. post annos denique CLII. vt ait. Velleius, C. Caesar consul coloniam fecit. PATRONVM] in ditione Romana patronos sibi ciues subiectae vrbes delegebant, quẽ quaeque maxime probabat sic Allobroges Fabiorum, Syracusani Marcellorũ patrocinio vtebantur de Capua vero a se consule seruata etiã in oratione meminit pro Milone. P SEXTIO] nõ satis constat, abundet nec ne; cũ dixerit huic. NOMINE *commutato*] quia Cicerone consule cõuentus Capuae dicebatur: tunc enim erat praefectura quod legimus in Velleio. cũ autẽ haec oratio est habita, coloni, decurionesq. dicebantur, post coloniam C Caesare consule, lata ab ipso lege missam. Velleius, Dio, Appianus. Plutarchus ipse Cicero. DECVRIONES] erant decuriones in colonia, quod senatus Romae; duumuiri autem id, quod consules. hos & in municipijs fuisse constat ex orat. pro Cluentio, & ep. 18. lib. VI. fam. FORTISSIMI, *atque optimi*] propria & absoluta colonorum laus. nam & fortes esse debent, vt eum, quo missi sunt, locum tueri possint, & boni, vt velint.

ORATIO

RECITA, quaeso, P. Sexti, quid decreuerint Capuae decuriones: vt iam virilis tua vox possit aliquid significare inimicis nostris. quidnam, cum se corroborarit, effectura esse videatur. DECRETVM. DECVRIONVM: non recito decretum officio aliquo expressum. vicinitatis, aut clientelae, aut hospitij publici, aut ambitionis, aut commendationis gratia; sed recito memoriam perfuncti periculi, praedicationem amplissimi beneficij, vicem officij praesentis, testimonium praeteriti temporis. Atque illis temporibus ijsdem cum iam Capuam metu Sextius liberasset; vrbem senatus atque omnes boni, deprehensis atque oppressis domesticis hostibus, me duce, ex periculis maximis extraxissent: ego litteris eum Capua accersiui cum illo exercitu, quem tum secum habebat. quibus hic litteris lectis, ad vrbem confestim incredibili celeritate aduolauit. atque vt illius temporis atrocitatem recordari possitis, audite litteras, & vestram memoriam ad timoris praeteriti cogitationem excitate. LITTERAE. CICERONI COS. hoc aduentu P. Sextij tribunorum pl. nouorum, qui tum extremis diebus consulatus mei res eas, quas gesseram, vexare cupiebant, reliquiq. coniurationis impetus, & conatus sunt retardati. ac posteaquam est intellectum, Catone tribuno pl. fortissimo atque optimo ciue, remp. defendente, per se ipsum senatum populumq. R. sine militum praesidio tueri facile maiestatem suam, & dignitatem eorum, qui salutem communem periculo suo defendissent: Sextius cum illo exercitu summa celeritate est Antonium consecutus.

EXPLANATIO

P. SEXTI] patet, non esse reum, sed puerum, rei filium: cuius tamen in voce virile quiddam fuisse dicit. quia scilicet annũ aetatis XVI. egressus iã erat. praetextatus enĩ vocatur in extrema oratione EFFECTVRA] cum inimicos nostros accusabis OFFICIO *aliquo*] officium refert ad illa tria, vicinitatis, clientelae, officij publici. est autem inter vicinos, clientes, & hospites, ipso vicinitatis, clientelae, hospitij iure, in conferendis officijs mutua voluntas. VICINITATIS] opidorum: vt, si Arpinates, exempli caussa, aliquem Tusculanum, in vitae aut fortunarum discrimen adductum decreto commendarent, vicinitate adducti. CLIENTEIAE,] vt, si Siculi aliquem e Claudia, Marcellorum familia, in periculo constitutum, missis Romam publicis litteris subleuandum curarent. HOSPITII *publici*,] erant enim ciues Romani non modo priuatorum hominum, sed opidorum etiam, ac ciuitatum hospites. non aliqua, inquit, huiusmodi de caussa petitum a nobis hoc decretum, impetratumq. est. id enim valet, expressum: quasi studiose petentibus concessum:

cum

cum hoc sponte cupideq. ab ipsis Campanis factum sit, ad grati animi memoriam significandam. AMBITIONIS,] vt, cum aliquem candidatum officiose commendamus COMMENDATIONIS] quo gratior aliquis sit bonamq opinionem nostro testimonio consequatur. PERFVNCTI *periculi*,] passiue dixit: quo scilicet Capua Sextij virtute ac vigilantia liberata est. VICEM] parem gratiã: quia praesenti officio acceptum a Sextio beneficium remuneratur. DOMESTICIS *hostibus*] quinque coniuratis, de quibus Sallustius, Dio, ipse Cicero in Catilinam, Lentulo, Cethego, Gabinio, Cepario, Statilio. ILLIVS *temporis atrocitatem*] quaenam atrocitas, cum iam domestici hostes deprehensi oppressiq. essent: ipse se paullo post exponit, cum ait, Tribunorum pl. reliquorum, reliquiq. coniurationis impetus conatusq. retardati sunt. TRIBVNORVM *pl. nomine*] maxime Q. Metellum Nepotem significat: qui Ciceronem extremo consulatus die, concionis habendae potestate priuauit. in quo Plutarchi ἀντιφορία licet cognoscere: qui Ciceronem concionandi potestate a duobus tribunis pl. Q. Metello Nepote, L. Calpurnio Bestia priuatum esse dicat: cum ea se ignominia ab vno tribuno pl. esse affectum, ipse Cicero in oratione in Pisonem, & fam. lib. v. confiemur vt omittam id, quod a Sallustio docemur, Bestiam Ciceronem cõsule tribunum pl. fuisse. vt extremis consulatus diebus Ciceronem concione prohibere non potuerit: cum v. Idus Decembris, quod ex Dionysio & Liuio constat, vltimus tribunorum pl. in magistratu dies fuerit. Metellum autem anno, qui Ciceronis consulatum secutus est tribunatum pl. gessisse, nemo nescit. REI. QVI *coniurationis impetus*] cum adhuc in vrbe coniurationis occultae reliquiae superessent. CATONE qui Vticensis postea cognominatus. hic, cum audisset Q. Metellum Nepotem tribunatum esse petiturum, quem de republica non optime cogitare compertum habebat, ex itinere in Vrbem rediit, vt tribunatum peteret, indeq. perniciosis Metelli collegae rogationibus aut conatibus obsisteret. Plutarchus, alij.

ORATIO

Hic ego quid praedicem, quibus hic rebus consulem ad rem gerendam excitarit? quot stimulos admouerit homini studioso fortassis victoriae, sed tamen minuum communem Martem belliq. casus metuenti? longum ea dicere; sed hoc breue dicam si M. Petreius non excellens animo & amore rep. virtus, non summa auctoritas apud milites, non utrificus vsus in re militari exstitisset, neque adiutor ei P. Sextius ad excitandum Antonium, cohortandum, impellendam fuisset datus: illo in bello esset hiemi locus, neque vmquam Catilina, cum e pruina Apennini, atque e niuibus illis emersisset, atque ae statem integram nactus, Italiae caulas, & pastorum stabula praeclara cepisset, sine multo sanguine, ac sine totius Italiae vastitate miserrima cõcidisset. Adhuc igitur animum ad tribunatum attulit P. Sextius: vt quaesturam Macedoniae relinquam, & aliquando ad haec propiora veniam. quamquam non est omittenda singularis illa integritas prouincialis, cuius ego nuper in Macedonia vidi vestigia, non pressa leuiter ad exigui praedicationem temporis, sed fixa ad memoriam illius prouinciae sempiternam. verum haec ita praetereamus, vt tamen intuentes & respectantes relinquamus: ad tribunatum, quia ipse a se se iam diu vocat, & quodammodo abforbet orationem meam, contento studio, tursuq. venimus. de quo quidem tribunatu ita dicam a Q. Hortensio, vt eius oratio non defensionem modo criminum videretur continere, sed etiam memoriam dignam reip. capessendae auctoritatem, disciplinamq praeferibere. sed tamen, quoniam tribunatus quidem totus P. Sextij nihil aliud nisi meum nomen caussamq. sustinuit, necessario mihi de ijsdem rebus esse arbitror, si nõ subtilius disputandum, at certe iudices, dolentius deplorandum.

EXPLANATIO

NIMIVM *communem Martem &c.*] latenter significat Antonium consulem non alienum a coniuratis fuisse, qui a pugna prorsus abhorreret. M. PETREI] hic Antonij consulis legatus, ipso Antonio consule absente quod ex podagra laboraret, Catilinam cum suis vicit, ac trucidauit. idem postea Magni Pompeij legatus in Hispanijs fuit, cũ duobus collegis, Varrone & Afranio ad extremum in Africa cum Iuba rege pugnans, cum quo de mutua caede consenserat, ne in C. Caesaris potestatem veniret, occisus est. EXCELLENS *animo, & amore rei p.*] cũ ad naturalem animi magnitudinem eximia quaedam vis amoris in remp. accederet. ESSET *hiemi locus.*] hieme nõ esset bello finis impositus. STABVLA] vnde se suasq. copias alere posset. QVAESTVRAM *Macedoniae*] quaestor fuit Antonij consulis, eiusdemq. Macedoniam proconsulari imperio regentis. quã prouinciam cũ haud satis abstinenter administrasset, accusatus & condemnatus est. ad Atticum libro 1. pro M. Coelio, in Vatinium Florus. NVPER] cum abessem, lege Clodia pulsus. AVCTORITATEM, quia, cum res a Sextio in tribunatu gestas commemoraret, videbatur reliquis ciuibus praeferibere, quid pro salute patriae bonorumq ciuium in magistratu esset agendum. auctoritatem autem dixit, vel quia Sextij, qui praeclare tribunatum gessisset, vel quia ipsius, qui narraret, Hortensij auctoritas ad excitandos ciuiũ animos valere plurimũ deberet. DISCIPLINAM] quid ciues P. Sextij exemplo discerent, & in quo se exercerẽt. NISI *meum nomen*] quia nihil egit in tribunatu Sextius, nisi de Cicerone reuocãdo.

ORATIO

QVA in oratione si asperius in quosdam homines inuehi vellem; quis non concederet, vt eos, quorum sceleris furore violatus esset, vocis libertate perstringerem? sed vt agam moderate, & huic potius tempori seruiam, quam dolori meo: si qui occulte a salute nostra dissentiunt, lateant: si qui fecerunt aliquid aliquando, atque iidem nunc tacent & quiescunt, nos quoque simus obliti: si qui se offerunt insolenter, & insectantur; quoad ferri poterunt, perferemus: neque quemquam offendet oratio mea, nisi qui se ita obtulerit, vt in eum non inuasisse, sed incurrisse videamur. sed necesse est, antequam de tribunatu P. Sextii dicere incipiam, metotum superioris anni reip. naufragium exponere, in quo colligendo, ac reficienda salute communi omnia reperientur P. Sextii dicta, facta, consilia versata. Fuerat ille annus in reip. magno motu, & multorum timore tamquam intentus arcus in me vnum, sicut vulgo ignari rerum loquebantur; re quidem vera, in vniuersam remp. traductione ad plebem furibundi hominis ac perditi, mihi inati, sed multo acrius ocii, & communis salutis inimici. hunc vir clarissimus, mihiq. multis repugnantibus amicissimus, Cn. Pompeius omni cautione, foedere, execratione deuinxerat, nihil in tribunatu contra me esse facturum.

EXPLANATIO

VT. EOS] satis patet, Clodium, Pisonem, Gabinium praecipue significari. SCELERIS *furore violatus*] his tribus verbis respondent illa, vocis libertate perstringerem. POTIVS *tempori*] quod postulare videtur, vt ea tantumodo, quae cum Sextij caussa coniuncta sunt, exponat. SE *offerunt insolenter, & insectantur*;] duo significat hominum genera, de quibus proxime dixit; vnum eorum, quos latere vellet; alterum, quos tacere, & quiescere: qui si, inquit, non latebunt, sed se offerent insolenter; non tacebunt, & quiescent, sed insectabuntur; eos, quoad licebit, perferemus. SVPERIORIS *anni*] quo Cicero lege Clodia pulsus est. REIP. *naufragium*] recte: nam cõtra leges tribunus pl. factus est P. Clodius, & contra leges Cicero eiectus est. leges autem cum negliguntur, quasi naufragium respublica facit. IN *quo colligendo, ac reficienda salute communi*] pergit in metaphora. nam post naufragium primũ dispersae res colliguntur: deinde reficitur nauis: nisi si vi tempestatis fracta penitus, demersaq. est. DICTA *facta consilia versata.*] haec addidit, ne extra caussam futura narratio videatur. ILLE *annus* is, quo C. Caesar consul P. Clodium Pulchrum ad plebem traduxit, iratus Ciceroni quia statum reipublicae quodam in iudicio paullo liberius deplorauerat. Suetonius, idemq. ipse Cicero significat in oratione pro domo sua. INTENTVS *arcus*] quod, quemadmodum arcus intentus sagittam emissurus videtur, sic ille annus aliquam iniuriam in me coniecturus putaretur. cum igitur ad plebem a Caesare consule traductus est Clodius, tum in Ciceronem tamquam arcus intentus: iniuria vero, tamquam sagitta ex arcu, coniecta est anno insequenti, Clodio tribuno pl. facto, Pisone & Gabinio consulibus. MIHI *irati*,] quod in ipsum, de incestu accusatum, testimonium dixerat lib. 1. ad Atticum, Plutarchus, alij. MVLTIS *repugnantibus*] Pompeij gratiam aucupatur. cupit enim ei persuasum esse, nullam apud se acceptae iniuriae memoriam superesse, cum sibi contra Clodium auxilio non fuit. CAVTIONE, *foedere, execratione*] de hoc ad Atticum lib. 11. sic: Pompeius affirmat non esse periculum: adiurat. addit etiam se prius occisum iri ab eo, quam me violatum iri.

ORATIO

AT ille nefarius, ex omnium scelerum colluuione natus, parum se foedus violaturum arbitratus, nisi ipsum cautorem alieni periculi suis proprijs periculis terruisset; hanc tetram immanemq. belluam, vinctã auspicijs, alligatam more maiorum, constrictam legum sacratarum catenis, soluit subito legum vinculis consu, vel, vt ego arbitror, exoratus, vel, vt non nemo putaret, mihi iratus, ignarus quidem certe & imprudens impendentium tantorum scelerum ac malorum. qui tribunus pl. felix in euertenda rep. fuit, nullis suis neruis. qui enim in eiusmodi uita nerui esse potuerunt, hominis fraternis flagitijs, sororiis stupris, omni inaudita libidine infamis? sed fuit profecto quaedam illa reip. fortuna fatalis, vt ille caecus atque amens tribunus pl. nanciscereture, quid dicam consules? hoccine ut ego apellem nomine euersores huius imperij? proditores uestrae dignitatis? hostes bonorum omnium? qui ad delendum senatum, affligendum equestrem ordinem, exstinguenda omnia iura, atque instituta maiorum se illis fascibus, ceterisq. insignibus summi honoris atque imperij ornatos esse arbitrabantur. quorum per deos immortales, si nondum scelera uulneraq. inusta reip. vultis recordari, vultum, atque incessum animis intueamini. facilius facta eorum occurrent mentibus uestris, si ora ipsa oculis proposueritis. Alter unguentis affluens, calamistrata coma, despiciens conscios stupri sui, ac ueteres uexatores aetatulae suae, Puteali & feneratorum gregibus inflatus, atque perculsus, qui olim, ne Scyllaeo illa aeris alieni in freto ad columnam adhaereseceret, in tribunatus portum perfugerat, contemnebat equites R. minitabatur senatui: uenditabat se operis, atque ab iis se ereptum, ne de ambitu causam diceret, praedicabat; ab iisdemq. se, etiã inuito senatu, prouinciã sperare dicebat; eamq. nisi ante potius esset, se incolumem nullo modo fore arbitrabatur.

EXPLA-

EXPLANATIO

EX *omnium scelerum colluuione natus*,] non dissimile illud de eodem, in Pisonem: Animal ex nefarijs stupris, ex ciuili cruore, ex omnium scelerum & flagitiorum impunitate concretum. non enim Clodium dicit sceleratis parentibus esse natum, sed, multis sceleribus iam commissis, talem postremo fuisse qualem exsistere, & tamquã gigni necesse esset. simile & illud in III. Phil. Quid est in Antonio praeter libidinem, crudelitatem, petulantiam, audaciam? ex his totus cõglutinatus est. IPSVM *cautorem alieni periculi*] Pompeium, qui mihi a Clodio cauere voluerat: cum non intelligeret, ne sibi quidem ipsi ab homine omnium perditissimo caueri posse. PROPRIIS *periculis*] de quibus in oratione pro Milone, & in Pediani commentario. VINCTAM *auspicijs*.] quia si patricij fierent plebeij, contra auspicia videbatur. quae cum patriciorum tantum essent vt & Liuius, & ipse Cicerone non semel significat; nimirum, si ad plebem homines patricij traducerentur, interitura auspicia videbantur, cũ, a quibus haberentur, patricij deessent. ALLIGATAM *more maiorum*.] non vetabat lex vlla e patricijs plebeios fieri: sed apud maiores omnino pauci facti erant itaque Clodio ad plebẽ transire cupienti mos maiorũ obsistere videbatur. LEGVM *sacratarum catenis*] leges sacratae dictae, quae in Sacro monte, plebis caussa, latae sunt. in ijs hoc maxime sancitũ est, ne tribunatus plebis homini patricio mandari posset. quã ob caussam soluisse videtur eas leges Caesar consul, cũ Clodiũ ad plebẽ traduxit, vt deinde, quod factũ est tribunus pl. crearetur SVBITO] cur subito? quia, vt ait Suetonius & ipse pro domo sua, quo die Cicero in iudicio C. Antonij de statu reipublicae questus est, eo Caesar cõsul, cum antea nihil eiusmodi cogitasset, Clodiũ ad plebẽ traduxit LEGVM *vinculis*] catenis, proxime dixit. EXORATVS,] Caesaris culpam artificiose in alios transfert. MIHI *iratus*,] haec vere Caesarem induxit caussã, vt Clodium plebeiũ faceret. non enim aliorũ precibus exoratus, sed ira incitatus, quia Cicero C. Antoniũ in iudicio defendens, paullo liberius de statu reipublicae quaestus erat, Clodiũ traduxit ad plebẽ. quod vt ita esse demonstremus, recitentur ipsius verba in oratione pro domo sua. Hora inquit, fortasse sexta diei questus sum in iudicio, cũ C. Antoniũ collegã meũ defenderẽ, quaedam de rep. quae mihi visa sunt ad illius miseri caussã pertinere. haec homines improbi ad quosdã viros fortes longe aliter, atque a me dicta erant, detulerunt. & infra, cũ ait: Ipse autẽ Caesar, quem maxime ignari homines veritatis mihi esse iratum putabant, erat ad portas. in oratione autẽ de prouincijs cõsularibus nõ negat Caesarẽ sibi fuisse iratũ, sed irae caussam dissimulat. & pro vera falsam ponit. Traduxit, inquit ibi, ad plebẽ inimicũ meũ; siue iratus mihi quod me secũ ne beneficijs quidẽ videbat posse coniungi; siue exoratus &c IGNARVS] quod erat improbitatis crimen, imprudentiae vitium facit, oratorie. nam vt augere culpam in inimicis, sic in ijs, quos defendere, sibiq. conciliare student, imminuere oratores solent. SCELERVM *ac malorum*.] quae tribunus pl. Clodius patrauit. nã vt omittam de Cicerone pulso, Catone in Cyprum a mandato, pernicioßissimae reipublicae leges ab illo tribuno pl. latae sunt de quibus in hac ipsa oratione mentio fit infra, & in oratione de prouincijs consularibus, & in ea in Pisonem, inq Pediani commentario. QVI *tribunus pl.*] hoc ad illud, Hanc tam tetram immanemq. belluam, referri posse video. tamen quia non satis cohaeret cum superioribus, planeq. disiunctum videtur, vereor vt emendatus sit locus: non quod ex his verbis mendum vllum esse suspicer: sed quod aliquid fortasse desit. FELIX *in euertenda republica*] felicem vocat non ad veritatem, sed ad Clodij mentem ac voluntatem spectans. tantum enim abest, felix vt esse possit, vt miserrimus omnium sit, qui pessime de patria meretur. felix igitur, quia consecutus est id, quod volebat Clodius, vt rempublicam perderet. NVLLIS *suis neruis*.] non ad vim corporis, sed ad auctoritatem opesq. refert. quod indicat subscripta dictio, infamis. nam si infamis Clodius; qui potuit auctoritate tantum valere, vt rempublicam euerterit? euertit igitur, non suis neruis, sed auxilio consulũ, Gabinij & Pisonis. FRATERNIS *flagitiis*.] quae flagitia commisit in fratrem? multa scilicet, quae litteris tradita non sunt, sed illud maxime, de quo in oratione pro Milone ita scriptum est: Appium fratrem, hominem mihi coniunctum fidelissima gratia, absentem de possessione fundi deiecit. SORORIIS *stupris*.] tres Clodij sorores nupserunt, vna Q. Marcio Regi, altera Q. Metello Celeri, tertia L. Lucullo. de duabus, Metelli & Luculli vxoribus, a Clodio fratre stupratis, praecipua significatio est in oratione pro Coelio, in ea pro Milone in Plutarcho. de ea, quam Q Marcius habuit in matrimonio, nihil proprie legi: sed communiter de omniũ incestu patet ĩ epist fam. lib 1. & apud Plutarchũ in vita Ciceronis duas tamen non tres nominat Varro lib. III. de re rust. OMNĪ *inaudita libidine*] nõ hoc ad sorores, de quibus iam locutus est, sed ad sacra Bonae deae, quae Clodius incestu aut violauit, aut violare conatus est. patet historia in epistolis ad Atticũ lib. 1. in Suetonio in Iulij vita in Dione, Plutarcho epitome Liuiana CAECVS, *atque amens*] Caecus mẽte, qui, quid rectũ, quid fas piumq. esset, non dispiceret. NANCISCERETVR,] fuit enim fortunae ciuiusdam vt eodem anno duo perditissimi consules essent, quorum vterque cum tribuno pl. Clodio consẽsit. itaque in oratione post reditum in senatu. Audieram, inquit, e sapientissimo homine, atque optimo ciue, & viro, Q Catulo, non sæpe vnum consulem improbum, duos vero numquam, excepto illo Cinnano tempore, fuisse. quare meam caussam semper fore firmissimam dicere solebat, dũ vel vnus in republica esset cõsul. quod vere dixerat, si illud de duobus cõsulibus, quod ante ĩ rep. nõ fuerat, perenne ac propriũ manere potuisset. PRODITORES *vestrae dignitatis*?] ad iudices, vt ad bonos viros, beneq. in patriam

animatos,loquitur;quorum in tuenda republica omnis dignitas esset posita. AD *delendum senatum.*] acerbo vtitur verbo,vt senatum a consulibus prorsus contemptum ac repudiatum significet sic infra:Senatum de rep tollere:pro senatum sperne,eiusq. voluntatem minime spectare.cum enim Ciceronem senatus defensum vellet; consules oppugnarunt. idem lege in Ciceronem promulgata, cum vestitum mutasset;consules,vt ad suum vestitum rediret edixerunt. AFFLIGENDVM *equestrem ordinem.*] spectat ad illud,quod L. Lamiam, principem equestris ordinis,pro salute Ciceronis acerrime pugnantem,Gabinius consul in concione relegauit,edixitq.vt ab vrbe abesset millia passuum ducenta.de quo in oratione post reditum in senatu,& epist.fam.lib.XI. CETERISQ *insignibus*] toga praetexta,curuli sella: quae, praeter fasces, insignia consulū erant. pro Cluentio, & in Pisonē,quae consulatum in vrbe summum honorē esse,summamq.potestatē significant.SI *nondum scelera*] alius enim mihi locus ad ea vobis in memoriā reuocanda constitutus est. VNGVENTIS *affluens,*] Gabiniū significat qui ob molliriē odoratis liquoribus perfundebatur.de quo & in oratione post reditum in senatu Ille,inquit,vnguentis oblitus irrisit squalorē vestrū.& in oratione in Pisonē.Erant illi compti capilli,& madentes cincinnorū fimbriae. CALAMISTRATA *coma,*]de eodē in eadē oratione Cur in lustris,& heluationibus huius calamistrati saltatoris tam eximia virtus tā diu cessauit? & post reditum in senatu,de eodem:Vnguentorū odor vini anhelitus,frons calamistri notata vestigij.est autem calamistrū tenue ferrū, quo in cinere calefacto crispantur capilli. vnde fiunt illi tamquam annuli,qui cincinni vocantur.intorquebat igitur sibi capillos calamistro Gabinius consu ,mollior,atque effeminatior,quā & aetas illius,& eius,quam sustinebat,personae dignitas ferebat.de quo in ea pro domo sua.Quo vultu cincinnatus ganeo patriae preces repudiauit?De coma illud suspicor,breuiorē,quā ceterorū,fuisse,vt saltare Gabinius elegantius,& commodius posset.ideo tonsam saltatricem vocat eū Cicero in Pisonē. STVPRORVM,]Gabiniū in pueritia male audisse praeposterae libidinis vitio,eaq.passum esse,quae tu sic:Quorū altera me Catilinā amatorē suum alter Cethegū, consobrinū suum,reposcebat.Et ibidē paullo post:In concionē ascendit,eaq.dixit,quae,si eius vir Catilina reuixisset,dicere non esset ausus. PVTEALI] Puteal basilica fuit,a Scribonio Libone facta:vbi caussae fenebres agebantur significat igitur, cum ait, Puteali eorum iudiciorum ministros, vt scribas,viatores tabulas:deinde litigatores ipsos addit;cum ait,feneratorū gregibus.erat igitur in consulatu inflatus, maximeq. sibi placens eorū comitatu Gabinius , a quibus antea magnopere tinuerat,cum feneratoribus immensam pecuniam deberet.cōcidisset enim graui aere alieno oppressus, nisi tribunus pl.factus esset.in quem magistratum,tamquam in portum,perfugit: tum ne a creditoribus appellari posset; (nam magistratum gerenti molestus esse priuatae rei caussa nemo poterat) tum vt legem aliquam in eo magistratu pretio ferret. quod eū fecisse, significatur in oratione post reditū in senatu.apte igitur,& congruenter ad sententiam traducit similitudinem maris: quod aes alienū Gabinio fuerit tamquam mare illud nauigantibus infestissimum,Scyllae & Charybdis: quo certe obrutus esset,nisi in tribunatus quasi portum perfugisset.crederē autē,illum,Atque perculsus, mendosū esse.neque enim tota horū verborū structura satis apte cohaeret sententia quidē obscura nō est.quā rem & in oratione post reditū in senatu satis plane his verbis exposuit: Qui nisi in arā tribunatus confugisset;neque vim praetoris,nec multitudinem creditorum,nec bonorum proscriptionē effugere potuisset.quo īmagistratu nisi rogationē de piratico bello tulisset;profecto,& egestate,& improbitate coactus piraticā ipse fecisset.Et quoniā Sicilienſis freti mentione facta de columna subiunxit Rhegiā columnā potuit intelligere,quā Plinius ait in Siciliēsi freto fuisse,&quasi iocū in verbo quaerens,potuit significare,vt cū de Moenia loqueretur,simul tamē ad Rhegiā,similitudinis caussa,respiceret:quae naufragis idē erat,quod Maenia debitoribus:cū ad illā e naufragio proiecti sic adhaerescerēt, vt ad Maeniā ij, quibus nō esset, vnde creditoribus satisfacerēt. Rhegia vero columna dicebatur,quod ab vrbe Rhegio nō longe distaret. CONTEMNERAT *equites R.*]vtpote qui L.Lamiā,vt iā diximus edicto relegauit. EREPTVM,]metu accusatoribus inie cto,aut fortasse disturbato iudicio. DE *ambitu*]ob cōsulatū non more maiorū,sed pecunia quaesitū. INVITO *senatu,*]sperabat enim,etiā si prouinciā ei senatus denegaret fore tamē,vt rogatio a tribuno pl. Clodio,adiuuantibus corruptis hominibus,perferretur.idq.sibi maxime necessarium videbat esse:qui sine ingētibus rapinis contractum aes alienum dissoluere non posset.de hoc in oratione in Pisonē sic:Gabinium sine prouincia stare non posse: spem habere a tribuno pl.si tua consilia cum illo coniunxisses:a senatu quidem desperasse. Et argute, oratorio more, inducit Gabinium Cicero ea dicentem, quae quo tempore habita est haec oratio,facta iam erant nam Gabinius, neglecta senatus auctoritate,lege Clodia in Syriam prouinciam ierat. SE *incolumem nullo modo fore*] ad rem familiarem; & ad dignitatem refero. nam de vtraque actum iri videbat, nisi ad diripiendas pecunias prouinciam statim post cōsulatum habuisset.hoc est,quod dixit in ea in Pisonem,Sine prouincia stare nō posse.

ORATIO

ALTER, *o dii boni, quam taeter incedebat, quam truculentus, quam terribili aspectu. vnum aliquem te ex barbatis illis, exemplū imperii veteris, imaginem antiquitatis, columen reip. diceres intueri. uestitus aspere, nostra haec purpura plebeia, ac pene fuscа, capillo ita horrido, vt Capua, in qua ipse tum, imaginis formandae*

formandae causſa, duumuiratũ gerebat, Septaſiam ſublaturus videretur. nam quid ego de ſupercilio dicam, quod tum hominibus non ſupercilium, ſed pignus reip. videbatur? tanta erat grauitas in oculo, tanta frontis contractio, vt illo ſupercilio reſp. tamquam Atlante caelum, niti videretur. erat denique hoc omnium ſermo. Eſt tamen reip. magnum firmumq. ſubſidium habeo, quem opponam labi illi, atque coeno. vultu medius fidius collegae ſui libidinem, leuitatemq franget. habebit ſenatus, in hunc annum quem ſequatur: non deerit auctor, & dux bonis. mihi denique homines praecipue gratulabantur, quod habiturus eſſem contra tribunum pl. furioſum, & audacem cum amicum, & affinem, tum etiam fortem & grauem conſulem. atque eorum alter feſellit neminem. quis enim clauum tanti imperij tenere, & gubernacula reip. tractare in maximo curſu ac fluctibus poſſe arbitraretur hominem, emerſum ſubito ex diuturnis tenebris luſtrorum, ac ſtuprorum, vino, ganeis, lenociniis, adulterijsq. conflictum, cum is praeter ſpem in altiſſimo gradu alienis opibus poſitus eſſet, qui non modo tempeſtatem intueri impendentem temulentus, ſed ne lucem quidem inſolitam aſpicere poſſet?

EXPLANATIO

QVAM *taeter*] Gabinius & nitenti vultu, ceruſſatisq. buccis, vt eſt in oratione in Piſonẽ, coma in cincinnos intorta ſignificare nequitiẽ & leuitatẽ videbatur: Piſo cõtra triſti obſcuraq. facie, horrido capillo, ſeueritatem illam veterem, & conſtantiã praeſeferebat Gabinius quod vultus indicabat, id praeſtitit: fuit enim nequiſſimus atque improbiſſimus cõſul. Piſo longe aliter, quam homines opinabantur, conſulatũ geſſit, nefarie ſcilicet, maximeq. cõtra rempublicam. itaque paullo poſt, Alter, inquit, fefellit neminẽ: alter multos plane in omnes partes fefellit. Taeter opponitur claro: vnde illud de M. Marcello in epiſtola Ser. Sulpicij: Vir clariſſimus ab hominẽ taeterrimo eſt interfectus. Ex *barbatis illis*.] qui olim rempublicã ſumma cũ laude adminiſtrarunt. Sic pro Coelio: Aliquis mihi ab inferis excitandus eſt ex barbatis illis, non hac barbula, qua iſta delectatur, ſed illa horrida, quã in ſtatuis antiquis, & imaginibus videmus. barbas alere ante minoris Africani tempora Romani conſueuerunt. is radi primus inſtituit: itaque poſt inualuit cõſuetudo, vt, qui nõ raderentur, quaſi laſciui homines, nimiumq. delicati, nõ optime audirẽt. itaque cũ probro ſeripſit illud Cicero ad Atticũ lib. 1. Cõcurſabant barbatuli iuuenes, totus ille Catilinae grex, duce filiola Curionis. NOSTRA *hac purpura plebeia, ac pene fuſca*.] tunica & toga Romani vtebantur. tunica carnẽ tegente, toga tunicae ſuperinducta. tunica ſenatoribus erat purpurea, cum lato clauo intexto: toga vero alba, quod ex Iſidoro, & Statij Siluar. lib. v. conijcitur, magiſtratibus autẽ, auguribus, ſacerdotibus, collegiorũ magiſtris, pueris ad annũ aetatis XVI. purpureo praetexta limbo. Noſtra, igitur, dixit, de tunica ſenatoria, ideſt lato clauo, plebeia ac paene fuſca: filo craſſo & colore ad fuſcũ accedẽte: quales erant plebeiorũ tunicae. quae a ſenatorijs primũ clauo, differebãt, qui arat in ſenatorijs latus, in plebeijs anguſtus, quod exemplis intelligitur, deinde praeſtantia purpurae. itaque purpurã Piſonis plebeiã, ac paene fuſcã Cicero vocauit. de tunicis autẽ plebeijs purpureis Quinctil. lib. XI. nã neque filo erat tunica Piſonis, vt reliquae tunicae ſenatoriae, ſubtili, ac diligenter cõteſto; ſed plebeijs tunicis, craſſo filo ſatis temere factis, admodũ ſimilis: &, quod ad colorẽ attinet, ita longe aberat a purpureo vt ad fuſcũ accedere videretur. IMAGINIS *formandae cauſſa duumuiratum gerebat*,] coloniis duumuiri, & ex ipſa colonia, & ex ordine decurionũ creati; municipijs quatuoruiri, ex ipſis municipijs, praefecturis miſſi a populo, aut praetore, vt ait Feſtus, ciues Romani praerant. quid autem differrent inter ſe ciues Romani coloni, municipes, & ij qui cõuentus in praefecturis dicebãtur, alio loco docebimus. Coloniae, Capuã C. Caeſare cõſule deductae, creati ſunt duumuiri L. Piſo & Cn. Pompeius Magnus, ille ſocer. hic gener C. Caeſaris. de Piſone cũ hic, tũ in oratione in ipſum, & in ea poſt reditũ in ſenatu ſatis cõſtat. de Pompeio in oratione poſt reditũ in ſenatu, & in ea pro Milone, aperta mentio eſt: etiã in ea de prouincijs cõſularibus, in Piſonẽ, pro domo ſua, ſignificatur. IMAGINIS *formandae*] vt fingeret, ac componeret vultum ad illam ſeueritatem, quã in vrbe poſtea conſul praeſe ferre meditaretur. SEPTASIAM] platea fuit Capuae, in qua vngventa veniebant. at Piſo ita capillo erat horrido, vt odiſſe vngventa videretur. ideoq. de tollenda ab eo Septaſia pro ea poteſtate, quam Capuae duumuir habebat, argute Cicero comminiſcitur. de Septaſia in oratione in Piſonem, & Pedianus, & in agraria III. PIGNVS ep. a feneratoribus tranſtulit quod, vt hi, accepto pignore, pecunias ſuas putant ſe tuto committere: ſic reſpublica Piſoni, cui ſe commiſerat, ſupercilio tamquã pignore, cõfidere, optimeq. ſperare debatur. GRAVITAS *in oculo*,] vel, oculo, pro oculis dixit, quod Piſonis oculi non temere mobiles, ſed ſtabiles & attenti ſignificationem quandam optimae mentis hominibus afferrent; ſicuti contra, quibus arguti &, vt ita dicam, volucres oculi ſunt, leues homines minimeq. ſapientes plerique peperiuntur: vel, quod facile ſuſpicor, in alterum Piſonis oculum, aliquo vitio deprauatum, tacite ludit. nam & in oratione in ipſum, Sex. Clodium inquit, qui numquam antea praetextatus fuiſſet, ludos facere, & praetextatum volitare paſſus es, hominem impurum, atque non modo facie, ſed etiam oculo tuo digniſſimum quaſi dixerit: hominem ita turpi vita, vt tibi turpis facies, turpiſq. oculus eſt. Ecce aliud exemplum, quod eodem, vt opinor, ſpectat, in oratione poſt reditum in ſenatu L. Piſo, tu ne auſus es iſto oculo, non dicam iſto animo, iſta fronte, non vita; tanto ſupercilio. & cetera. AMICVM *& affinem*,] amicum ita, vt ſuis comitijs primum cuſtodem praerogatiuae Ciceronem praefecerit. de quo in oratione in ipſum his verbis: Tu non modo ad eũ Cicero nẽ, (mitto enim domeſtica, quae negari nõ poſſunt: haec commemoro, quae ſunt palam) nõ modo

inquam,

inquam, ad eum, cui primã comitijs tuis dederas tabulam praerogatiuae, quem in senatu sententiã rogabas tertium, numquam aspirasti, sed omnibus consilijs, quae ad me opprimendum parabantur non interfuisti, solum, verum etiam crude issime praefuisti. & in ea post reditum in senatu: Tu mi sericors me affinem tuum, quem comitijs praerogatiuae primũ custodem praefeceras, quem Kalẽdis Ian. tertio loco sententiam rogaras constrictum inimicis reipub. tradidisti. AFFINEM,] ob Tulliam C. Pisoni Frugi, L. Pisonis propinquo, in matrimonium collocatam. post reditum in senatu. ALIENIS *opibus*] Pompeius Magnus A. Gabiniũ, quem hic Cicero significat neque sua virtute, neque maiorum commendatione insignem, suis opibus ad consulatum produxit. INSOLITAM] quia lustrorum ac stuprorum in tenebris diu latuerat. subitam autem post tenebras lucem oculi nõ sustinent. & est praeclara a mari ad rempublicam translatio: quam ita regere ac tueri debet cõsul in periculo constitutam, vt gubernator nauem in mari fluctuantem.

ORATIO

ALTER *multos plane in omnes partes fefellit: erat enim hominum opinioni nobilitate ipsa, blanda conciliatricula, commendatus. omnes boni semper nobilitati fauemus, & quia vtile est reip. nobiles homines esse dignos maioribus suis, & quia valet apud nos clarorũ hominum & bene de rep. meritorum memoria etiam mortuorum. quia tristem semper, quia taciturnum, quia subhorridum atque incultum videbant; & quod erat eo nomine, vt ingenerata familiae frugalitas videretur; flumbant, gaudebant, & ad integritatem maiorum spe sua hominem vocabant. materni generis obliti. ego autem (vere hoc dicam iudices) tantum esse in homine sceleris, audaciae, crudelitatis, quantum ipse cum rep. lusit, nunquam putaui: nequam esse hominem, & tenem & falsa opinione, errore hominum, ab adolescentia commendatum sciebam. vt enim animus eius vultu, flagitia parietibus tegebantur. sed haec obstructio nec diuturna est, nec obducta, ita vt curiosis oculis perspici non possit. videbamus genus vitae, desidiam, inertiam; inclusas eius libidines, qui paulo propius accesserant, intuebantur. denique etiam sermonis ansas dabat, quibus reconditos eius sensus tenere possemus. laudabat homo doctus philosophos nescio quos: neque eorum tamen nomina poterat dicere; sed eos tamen laudabat maxime, qui dicuntur praeter ceteros esse auctores, & laudatores voluptatis: cuius, & quo tempore, & quo modo, non quaerebat; verbum ipsum omnibus modis animi, & corporis deuorabat: eosdemq. praeclare dicere aiebat, sapientes omnia sua causa facere, remp. capessere hominem bene sanum non oportere, nihil esse praestabilius otiosa vita, & plena, & conferta voluptatibus: eos autem, qui dicerent dignitati esse seruiendum, reip. consulendum, officii rationem in omni vita, non commodi, esse ducendam, subeunda pro patria pericula, vulnera excipienda, mortem oppetendam, vaticinari atque insanire dicebat.*

EXPLANATIO

NOBILITATE *ipsa*,] non quod esset patricius Piso, sed quia maioribus ortus clarissimis. nam nobilissimos homines etiam eos, qui plebeijs familijs nati erant, appellatos esse animaduerti. BLANDA *conciliatricula*.] vt ad conciliandum amorem aptae sunt blanditiae, sic ad opinionem hominum excitandam nobilitas valet plurimum. Eo *nomine*.] nomen pro familia veteres vsurpabant, vt ab exemplis planum fit: hic tamen pro cognomine dictum videtur. vt cognomen Frugi, quo Pisones appellabantur, intellexerit potius Cicero, quã Calpurniae gentis nomen quo spectant ea, quae proxime sequuntur, verba: Vt ingenerata familiae frugalitas videretur. praeterea nostram sententiã confirmat illud in oratione in ipsum Pisonem: Quod minimũ specimẽ in te ingenij, ingenij autem? immo ingenui hominis, ac liberi? qui colore ipsõ patriã aspernaris oratione genus, moribus nomen quo in loco non pro familia, sed pro cognomine nomẽ esse positũ, Pedianus interpres significat his verbis: Tametsi haec oratio inscribitur, in L. Pisonẽ: tamen non puto vos ignorare, hunc Pisonẽ ex ea familia esse, quae rugi appellata sit & ideo dicit aspernari eum moribus nomen. FRVGALITAS] ob cognomen. sunt autem frugi homines vt in re domestica, sic in republica continentes, & temperati, ideoque praeter ceteros iusti. Piso igitur, qui publicam rem pessime curauit, degenerasse a suo cognomine videtur. MATERNI *generis obliti*] L. Piso matrem habuit, non Romanam, sed homine Gallo natam: qui cum Placentiae consedisset, in eam ciuitatẽ adscitus, postea Romam venit, & Pisoni Caesonino, eius Pisonis filio, quem ab Heluetijs interfectum Caesar scribit, filiam collocauit. hinc illa in Pisonem; O familiae non dicam Calpurniae, sed Caluentiae, neque huius vrbis, sed Placentini municipij, neque paterni generis, sed braccatae cognationis dedecus. Hoc autem ideo dixit, quod Piso ex materno genere cognatos haberet homines braccatos, hoc est Gallos transalpinos, qui braccis vtebantur. & in eadem oratione: O tenebrae, o lutum, o sordes, o paterni generis obliite, materni vix memor. & in ea post reditum in senatu: Is non me (quamquã equidem non cognoram eum propter Pisonum affinitatẽ, quem longe hinc ab hoc genere cognatio materna transalpini sanguinis abstulisset) sed vos populumq. R. non consilio, neque eloquentia, quod in multis saepe accidit, sed rugis, supercilioq. decepit. Is autẽ, qui patris huius Pisonis socer fuit, Caluentius est appellatus. Pedianus. VVLTV,] quia tristis taciturnus, subhorridus, incultus quod proxime dixit. DESIDIAM, *inertiam*,] plus inertia vituperationis habet, quam desidia. desidem enim appellamus, qui

qui nihil agat quasi desidentem: inertem autem qui etiam agendi arte, non modo voluntate, careat, ergo in desidia voluntas, in inertia simul cum voluntate notatur inscitia hoc paullo clarius ostẽditur in epistola ad Cornificium his verbis. Quod si, vt es, cessabis; lacessam: ne tua ignauia etiã inertiam afferat: id est, ne, dum nihil vmquam scribis, etiam scribere dediscas, & scribendi artem obliuiscare. PAVLLO *propius*] in aedes ipsius. dixit enim iam: Flagitia parietibus tegebãtur. & infra. Videbam, quibus cum hominibus in interiore aedium parte viueret. TENERE] apte verbum cum nomine coniunxit: nam ansa est, quam in vase manu apprehendimus. NEQVE *eorum nomina poterat dicere.* satis plane indicat non doctrina, sed voluntate, quia scilicet voluptatem diligeret, Pisonem fuisse Epicureum. qui enim eorum nomina, quorum sectam sequebatur, ignoraret, ex hominum sermonibus, & ex naturali quadam propensione potius, quam exlibris, genus illud philosophiae cognouisse putandus est. Est igitur & Epicureus Piso, id est non admodum laudandae philosophiae studiosus; & indoctus tamen Epicureus. aperta enim ironia in proximis verbis: Laudabat homo doctus. quod infra quoque patet. cũ subiungit: cuius, & quo tempore, & quomodo, non quaerebat. non enim libros legebat Epicureorũ: in quibus voluptas quidẽ vna ante omnes res, nõ omnis tamen, nec omni tempore, aut modo laudabatur. OMNIBVS *modis*] contra quam reliqui Epicurei, qui, doctrina a libris accepta, non omnibus modis amplectendam voluptatẽ existimabant. OMNIA *sua causa facere:*] hoc quoque, & quae continuo sequuntur, ad Epicureos referenda. congruit autem cum hoc loco locus in epistola ad Trebatium, in qua scripsit haec. Indicauit mihi Pansa meus Epicurum te esse factũ: sed quonã modo ius ciuile defendes, cũ omnia tua causa facias, nõ ciuium? & paullo post ibidem. Quid fiet populo Vlubrano, si tu statueris πολιτεύεσθαι non oportere? EOS *autem,*] philosophos. ab Epicuro dissentientes, Stoicos, Academicos, Peripateticos, qui honestatem vel vnam, vel maxime expetendam affirmabant. VATICINARI,] non est hic, diuinare, sed, alucinari, errare, vt in epistola ad Coelium: Sed ego fortasse vaticinor, & haec omnia meliores habebunt exitus.

ORATIO

EX his assiduis eius quotidianisq. sermonibus, & quod videbam, quibus cum hominibus in interiore aedium parte viueret, & quod ita domus ipsa fumabat, vt multa eius sermonis indicia redoleret, statuebam sic, boni nihil ab illis nugis exspectandum, mali quidem certe nihil pertimescendum. sed ita est iudices. vt, si gladium paruo puero, aut si imbecillo seni, aut debili dederis: ipse impetu suo nemini noceat; sin ad nudum vel fortissimi viri corpus accesserit, possit acie ipsa & ferri viribus vulnerare: ita, cum hominibus euersatis, atque exanguibus consulatus, tamquam gladius, esset datus: qui per se pungere neminem vmquam potuissent, hi, summi imperij nomine armati, rempublicam cõtrucidauerunt, foedus fecerunt cum tribuno pl. palam, vt ab eo prouincias acciperent, quas ipsi vellent; exercitum, & pecuniam, quantam vellent, ea lege, si ipsi prius tribuno pl. afflictam & constrictam remp. tradidissent: id autem foedus meo sanguine ictum sanciri posse dicebant. qua re patefacta, (neque enim dissimulari tantum scelus poterat, nec latere) promulgantur vno eodemq. tempore rogationes ab eodem tribuno de mea pernicie, & de prouincijs consulum nominatim.

EXPLANATIO

MALI *nihil*] cum se Piso totum gulae ventri crapulae dedisse videretur, nihil de perturbanda rep cogitare. IMBECILLO *seni, aut debili*] quasi non modo imbecillo, sed debili quoque: vt maior sit in imbecillo infirmitas, quam in debili. CVM *tribuno pl.*] P. Clodio. PROVINCIAS *acciperent, quas ipsi vellent;*] non enim in eo legum ratio habita est: quia Gabinius Syriam accepit, cum ei iam Cilica data esset: Piso autem Achaiam, Thessaliam, cunctam Graeciam, quos populos Caesar, eius gener, sua lege liberos esse iusserat. de quo sic in oratione pro domo sua. Quis prouinciam homini post homines natos turpissimo, sceleratissimo contaminatissimo, quis illam opimam fertilemq. Syriam, quis bellum pacatissimis gentibus, quis pecuniam ad emendos agros constitutam, ereptam vi ex Caesaris rebus actis, quis imperium infinitum dedit? cui quidem cum Ciliciam dedisses, mutasti pactionem, & Ciliciã ad praetorem item extra ordinem transtulisti: Gabinio, pretio amplificato, Syriã nominatim dedisti quid? homini taeterrimo, crudelissimo, fallaciissimo, omnium scelerum libidinumq. maculis notatissimo. L. Pisoni non ne nominatim populos liberos, multis S.C. etiam recenti lege soceri ipsius liberato vinctos, constrictos tradidisti? Quo in loco manifestũ in omnes impressos libros irrepsit mendum. non enim, lege soceri, legendum est, sed, lege generi: quia C. Caesar, Pisonis gener, in consulatu eam legem tulerat. quod in oratione in Pisonem declarant illa verba: Obtinuisti prouinciam consularem finibus ijs, quos lex cupiditatis tuae, non quos lex generi tui pepigerat. nam lege Caesaris, iustissima, atque optima, populi liberi plane, & vere erãt liberi: lege autem ea, quam nemo legem praeter te, & collegam tuum putauit, omnis erat tibi Achaia, Thessalia, Athenae, cuncta Graecia addita. Et in ea de prouincijs consularibus: Emisti a foedissimo tribuno pl. tũ in illo naufragio huius vrbis, cum tu idẽ, qui gubernare debueras, euerteres; tũ, inquã, emisti grandi pecunia, vt tibi de pecunijs creditis ius in liberos populos cõtra S.C. & cõtra le-

gem

gem generi tui dicere liceret. PECVNIAM *quantam vellent.*] quam deinde cum iis Clodius partitus est. vnde infra, Omitto, inquit, gratulationes, epulas, partitionem aeratij. Et pro domo sua, & in Pisonem. AFFLICTAM *& constrictam rempublicam*] consulum praesidio nudatam, constrictam, vt commouere se non posset. DE *mea pernicie, & de prouincijs consulum nominatim.*] non, nominatim, de mea pernicie, sed, nominatim de prouincijs consulum. nam lex Clodij, vt in Dione, Velleio, & epistola quadam ad Atticum legimus, Ciceronem non nominabat, sed in eos generaliter scripta erat, si qui ciues Romanos indicta caussa condemnassent. in quo tamen praecipuum Ciceronis factum notabatur, qui coniuratos sine populi iudicio damnauerat. prouincias autem consulum in ea lege nominatas esse, indicant illa, quae proxime recitauimus ex oratione pro domo sua.

ORATIO

HIc tum senatus sollicitus, vos equites excitati, Italia cuncta permota, omnes denique omnium generum, atque ordinum ciues summae reip. a consulibus, atque a summo imperio petendum esse auxilium arbitrabantur; cum illi soli essent, praeter furiosum istum tribunum, duo reip. turbines, qui non modo praecipitanti patriae non subuenirent, sed etiam nimium tarde concidere moererent flagitabatur ab his quotidie cum querellis bonorum omnium, tum etiam precibus senatus, vt meam caussam susciperent, agerent aliquid, denique ad senatum referrent. hi non modo negando, sed etiam irridendo, amplissimum quemque illius ordinis insequebantur. hic subito, cum incredibilis in Capitolium multitudo ex tota vrbe, cunctaq. Italia conuenisset, vestem mutandam omnes, meq. etiam omni ratione priuato consilio (quoniam publicis ducibus resp. careret) defendendum putarunt. erat eodem tempore senatus in aede Concordiae, quod ipsum templum repraesentabat memoriã consulatus mei, cuius flens vniuersus ordo cincinnatum consulem orabat. nam alter ille horridus, & seuerus consulto se domi continebat. qua tum superbia caenum illud, ac labes, amplissimi ordinis preces & clarissimorum ciuium lacrumas repudiauit? me ipsum vt contempsit heluo patriae? nam quid ego, patrimonij, dicam? quod ille, cum quasi quaestum faceret, amisit. cum venisset ad senatum, vos, vos, inquam, equites R. & omnes boni, veste mutata, vos quoque pro meo capite ad pedes leonis impurissimi proiecistis. cum, vestris precibus a latrone illo repudiatis, vir incredibili fide, magnitudine animi, constantia, L. Ninnius ad senatũ de rep. retulit, senatus, frequens vestem pro mea salute mutandam censuit.

EXPLANATIO

VOS *equites*] praesentes iudices. nam ex tribus ordinibus iudicia cõstabant, senatorio, equestri, plebeio. SVMMO *imperio*] ipsis consulibus. paullo ante. Hi, summi imperij nomine armati, remp contrucidandam putauerunt. IN *aede Concordiae,*] qua in aede factum est Cicerone consule senatus consultum de coniuratis occidendis. ideo subijcit: Quod ipsum templum repraesentabat memoriam consulatus mei, qua de re in Philippica 5. In hac, inquit, caella Concordiae, (o dij immortales) in qua me consule salutares sententiae dictae sunt, quibus ad hanc diem viximus, cum gladijs homines collocati stant. CINCINNATVM *consulem*] ad contemptum: quod amplissimus ordo nequissimum consulem, qui sibi calamistro comam in cincinnos intorqueret, cum lacrumis oraret. CONSVLTO *se domi continebat.*] dissimulat caussam, qua Piso domo non exibat. non enim consulto se domi continuit, vt hic Cicero ad creandam inuidiam fingit; sed aduersa valetudine impeditus: quod in Dionis historia legimus lib. XXXIX. idemq. ex oratione in ipsum facile cognoscitur. QVOD *ille, cum quasi quaestum faceret, amisit.*] falsè simul & acerbe. mirum enim, qui quasi meretrix diuulgato corpore quęstum faciat, cum patrimonium amittere. notat impudicitiam simul & nequitiam Gabinij. L. NINNIVS] tribunus pl. qui deinde retulit ad senatum de reditu Ciceronis, vt est infra. Ninnium quadratum vocat Dio nominatur & epist. 23. lib. III. ad Att. VESTEM *mutandam*] non modo senatui, vt hic Cicero videtur significare; sed populo quoque Ninnius persuasit, vt, tamquam in aliqua publica calamitate, pro salute Ciceronis vestem mutaret. Dio. lib. XXXIIX.

ORATIO

O Diem illum, iudices, funestum senatui bonisq. omnibus, reip. luctuosum, mihi ad domesticum maerorem grauem, ad posteritatis memoriam gloriosũ. quid enim quisquam potest ex omni memoria sumere illustrius, quam, pro vno ciue & bonos omnes priuato consensu, & vniuersum senatum publico consilio mutasse vestem? quae quidem tum mutatio non deprecationis caussa est facta, sed luctus. quem enim deprecarentur, cum omnes essent sordidati? cumq. hoc satis esset signi esse improbum, qui mutata veste non esset? hac mutatione vestris facta tanto in luctu ciuitatis, (omitto, quid ille tribunus, omnium rerum diuinarum humanarumq. praedo, fecerit, qui ad se nobilissimos adolescentes, honestissimos equites R. deprecatores salutis meae, iusserit, eosq. operarum suarum gladijs, & lapidibus obiecerit: de consulibus loquor, quorum fide resp. niti debuit) exanimatus

animatus euolat ex senatu, non minus perturbato animo, atque vultu, quam si ante annis paucis in creditorum conuentum incidisset: aduocat concionem; habet orationem talem consul, qualem numquam Catilina victor habuisset: errare homines, si etiam tum senatum aliquid in rep. posse arbitrarentur: equites vero R. daturos illius dies poenas, quo, me consule, cum gladiis in cliuo Capitolino fuissent: venisse tempus iis, qui in timore fuissent, (coniuratos videlicet dibebat) vlciscendi se, si dixisset hoc solum, omni supplicio esset dignus; nam oratio ipsa cõsulis perniciosa potest remp. labefactare: quid fecerit, videte. L. Lamiam, qui cum me ipsum prosumma familiaritate, quae mihi cum fratre, cum patre eius erat, vnice diligebat, tum pro rep. vel mortem oppetere cupiebat, in concione relegauit, edixitq. vt ab vrbe abesset millia passuum ducẽta, quod esset ausus pro ciue, pro bene merito ciue, pro amico, pro rep. deprecari.

EXPLANATIO

BONOS *omnes*] hominum viginti millia pro salute Ciceronis vestem mutarunt. RERVM *diuinarũ*] potissimum ob violata sacra Bonae deae. historia satis nota. ADESSE] cum legem perferre vellent. erat enim consuetudo, vt, ante quam ferretur lex, prodirent, qui vellent, ad suadendum, aut dissuadendũ. de quo satis multa diximus in lib. de comitijs. GLADIIS, *& lapidibus*] hac ipsa de re in oratione pro domo sua his verbis: Cum eos, qui in conuentu virorum bonorum verba de salute mea fecerant, adesse iussisti, eorumq. aduocationem manibus, ferro, lapidibus discussisti, tum profecto ostendisti vim tibi maxime displicere. IN *creditorum conuentum*] aeris alieni plurimum habuisse Gabinium supra diximus. ILLIVS *dies*] dies, hoc loco, non diei, legendum esse admonet Gellius libro IX. aliter sensisse videtur Priscianus lib. VII. cap. de genitiuo. IN *cliuo Capitolino*] circa templum Concordiae, in cliuo Capitolino, cum in eo templo de coniuratis consul Cicero ad senatum retulisset, armati equites R. praesidij caussa circumsteterant. de quibus in oratione I. in Catilinam. Illi, inquit, equites R. honestissimi atque optimi viri, ceteriq. fortissimi ciues, qui circumstant senatum, quorũ tu & frequentiam videre, & studia perspicere & voces paullo ante exaudire potuisti. quorum ego vix abs te iamdiu manus ac tela contineo, eosdem facile adducam, vt te haec, quae iampridẽ vastare studes, relinquentẽ vsque ad portas prosequantur. Et hac ipsa de re in ea post reditũ in senatu, his verbis: In cõcionẽ ascendit, eaq. dixit, quae, si eius vir Catilina reuixisset, dicere nõ esset ausus: nonarũ Dec. quae me consule fuissent, cliuiq. Capitolini poenas ab equitibus R. esse repetiturum: neque solum id dixit, sed, quos ei commodũ fuit, compellauit: L. vero Lamiã, equitẽ R. praestanti dignitate hominẽ, & saluti meae pro familiaritate, reip. pro fortunis suis amicissimũ, cõsul imperiosus exire vrbe iussit. Quod autẽ de cliuo Capitolino, vt inique factũ Gabinius accusabat, idem & M. Antonius Ciceroni multis post annis obiecit: in quẽ illa sunt in Philippica II. At etiã ausus es, (quid autẽ est, quod tu nõ audeas?) cliuũ Capitolinũ, dicere, me cõsule, plenũ seruorũ armatorũ fuisse. vt illa, credo, nefaria senatus cõsulta tũ fierent, vim afferebã senatui. o miserũ, siue tibi illa nota non sunt; nihil enim boni nosti; siue sunt, qui apud tales viros tam impudenter loquare. quis enim eques R. quis praeter te, adolescens nobilis, quis vllius ordinis, qui se ciuem meminisset, cum senatus in hoc templo esset, in cliuo Capitolino nõ fuit? Vere. quod enim Cicero tuendi senatus caussa fecerat, id, quasi cõtra leges regio more commissum, Gabinius & Antonius accusarunt. Quod autẽ dixit: *illius dies*:] intellige illũ diẽ, quo S. C. de necandis coniuratis, referente Cicerone, factũ est. quamquã non illo tantum die cum gladijs in cliuo Capitolino equites R. fuisse, satis constat ex ijs verbis, quae ex oratione I. in Catilinam recitauimus: quae habita est aliquot dies ante illũ diem, quem hic Cicero significat. PRO *ciue*,] Ciui, legit Priscianus lib. VII. & pro Plancio: Quid dicam de tali ciui, & viro? Et lib. IV. in Verrem: Quod Siculus a ciui Romano. Ibidem: Quod ciuis cum ciui ageret.

ORATIO

QVid hoc homine facias? aut quo ciuem tam importunum, aut quo potius hostem tam sceleratum reserues? qui, vt omittam cetera, quae sunt ei cum collega immani impuroq. coniuncta atque communia, hoc vnum habet proprium, vt expulerit ex vrbe, relegarit, non dico equitem R. non ornatissimum, atque optimum virum, non amicissimum reip. ciuem, non illo ipso tempore vna cum senatu, & cum bonis omnibus casum amici reiq. pub. lugentem, sed ciuem R. sine vllo iudicio ex patria consul eiecerit. nihil acerbius socii Latini ferre soliti sunt, quam id, quod perraro accidit, ex vrbe exire a consulibus iuberi. atque illis tum erat reditus in suas ciuitates, ad suos lares familiares: & in illo communi incommodo nulla in quemquam propria ignominia nominatim cadebat. hoc vero quid est? exterminabit ciues R. edicto consul a suis diis penatibus? expellet a patria? deliget quem volet, damnabit, atque eiiciet nominatim? hic, si vnquam vos eos, qui nunc estis in rep. fore putasset; si denique imaginem iudiciorum, aut simulacrum aliquod futurum in ciuitate reliquum credidisset; vnquam ausus esset senatum de rep. tollere, equitum R. preces aspernari, ciuium denique omnium, nouis, & in auditis edictis, ius libertatemq. peruertere?

EXPLANATIO

QVID *hoc homine facias?*] antiqua locutio, huic nostro satis vsitata. quam & a comicis vsurpatam inuenimus. subaudiri videtur, de. huic autem loco simillimus est ille ex primo accusationis: Quid hoc homine faciatis? aut quā ad spem tā perfidiosum, tā importunum animal reseruetis? nec dissimile illud in epistola ad Terentiā: Quid Tulliola mea fiet? Ennius autē, si quid me fuerit humanitus: pro mihi. vt notauit Festus. SOCII *Latini*] dicebant veteres, socij Latini, socij & Latini socij Latini nominis, socij & Latini nominis: cū tamē de solis Latinis intelligerent. exempla sunt & apud hunc nostrū, & apud Liuiū quamplurima ID *quod perraro accidit.*] bis omnino; quod quidē ego legendo obseruauerim; primū, edicto Proculi Virginij consulis, cum Sp. Cassium Viscellinum collegā haberet, anno ab vrbe condita CCLXVII. qua de re scriptū est apud Dionysium Halicarnassēū lib. IIX. his verbis: Επισημήναντος δὲ τὸ πλῆθος ὡς τὰ κράτιστα ὑποθεμένω, καὶ καταλύειν ἐκτὸς νόμου τὸ πεισθὲν δίχα σίας μέρος, ἀξιοῦντος, ἀπορῶν ὁ, τί χρὴ πράττειν ὁ Κάσσιος. καὶ ὅτε ἀναδέσθαι τὴν ψῆφον προαιρούμενος ἐτέμενεν ἐπ' αὐτῆς, ἀντιτραπόντων τῶν δημάρχων, ἀνωλύοντος τότε μὲν διέλυσε τὴν ἐκκλησίαν: τὰς δὲ ἑξῆς ἡμέρας ἀρχαιρεσίαν σκηπτόμενος, ἐκέτι κατέβαινεν εἰς τὴν ἀγοράν. αὐτὸ μένων ἔνδον ἐπραγματεύετο βία, καὶ χειροκρατία κυρῶσαι τὸν νόμον. καὶ μετεμέμπετο ἀτίνωτε. καὶ ἐρινίκων ὅσους ἐδύνατο πλείστους ἐπὶ τὴν ψηφορίαν οἱ δὲ σωπεσαν ἀθρόοι. καὶ δι' ὀλίγου μεσὴ ξένων ἦν ἡ πόλις. ταῦτα μαθὼν Οὐεργίνιος κηρύττειν ἐκέλευσε κατὰ τοὺς γενήτας, ἀπιέναι τοὺς μὴ κατοικοῦντας ἐν τῇ πόλει χρόνον ὁρίσας ὀλύν. ὁ δὲ Κάσσιος τἀναντία ἐκέλευε κηρύττειν, παραμένειν τοὺς μετέχοντας τῆς ἰσοπολιτείας, ἕως ἂν ἐπικυρωθῇ ὁ νόμος. deinde [illegible] post v. C. DXXX. cum C. Fannius cos. vocatos a C. Graccho ad suffragium ferendum Latinos, eodem die exire vrbe iussit. qua de re Appianus aperte, nec obscure admodum Cicero in Bruto. Eos. *qui nunc estis*] magna praeditos auctoritate, & cum potestate iudicandi. sperauit enim fore, vt boni iacerent, improbi dominarentur. IMAGINEM *iudiciorum:*] si iudicia, aut omnino imaginem, aut simulacrum vllum iudiciorum fore credidisset; in remp. non tam nefarie peccasset peccauit autem, quia credidit, extinctis iudicijs. poenam delinquentibus nullam futuram. IVS. *libertatemq.*] ius, & libertatem Gabinius eripuit ciuibus, cum eos, suum dolorem veste mutata significantes, ad vestitum quem deposuerant, redire iussit.

ORATIO

ETsi me attentissimis animis summa cum benignitate auditis iudices: tamen vereor, ne quis forte vestrum miretur, quid haec mea oratio tam longa, ac tam alte repetita velit, aut quid ad P. Sextii causam, eorum, qui ante huius tribunatum remp. vexarunt, delicta pertineant. Mihi autem hoc propositum est ostendere, omnia consilia P. Sextii, mentemq. totius tribunatus hanc fuisse, vt afflictae, & perditae reip. quantum posset, mederetur. ac si in exponendis vulneribus illis de me ipso plura dicere videbor, ignoscitote. nam & illā meam cladem vos, & omnes boni maximum esse reip. vulnus iudicauistis: & P. Sextius est reus non suo, sed meo nomine: qui cum omnem vim sui tribunatus in mea salute consumpserit; necesse est meam causam praeteriti temporis cum huius praesenti defensione esse coniunctam. Erat igitur in luctu senatus: squalebat ciuitas, publico consilio mutata veste: nullum erat Italiae municipium, nulla colonia, nulla praefectura, nulla Romae societas vectigalium, nullum collegium, aut concilium, aut omnino aliquod commune consilium, quod tum non honorificentissime decreuisset de mea salute: cum subito edicunt duo consules, vt ad suum vestitum senatores redirent. quis vmquam consul senatum ipsius decretis parere prohibuit? quis tyrannus miseros lugere vetuit? parum ne est Piso, (vt omittam Gabinium) quod tantum homines fefelliste, vt negligeres auctoritatem senatus? optimi cuiusque consilia contemneres? remp. prodereres? consulare nomen affligeres? etiam ne edicere audeas, ne maererent homines meam, suam, reip. calamitatem? ne ve hunc suum dolorem veste mutata significarent? nam, siue illa vestis mutatio ad luctum ipsorum, siue ad deprecandum valebat; quis vmquam tam crudelis fuit, qui prohiberet quemquam aut sibi maerere, aut ceteris supplicare?

EXPLANATIO

ANTE *huius tribunatum*] quia Gabinius anno ante, quam Sextius tribunus pl. fuit, consulatū gessit. ILLAM *meam cladem*] iniuriam iniquissima Clodij lege illatam. NON *suo, sed meo nomine:*] non quod ipse deliquerit, sed quod me inique pulsum restituerit. NECESSE *est meam causam &c.*] necesse, inquit, est cum Sextium defendo, de me ipso dicere: quia & multas defensionis meae partes ab illius tribunatu cogor petere; & tribunatus in mea salute totus est consumptus. REVS *non suo, sed meo nomine:*] accusatur enim a meis inimicis, nō quod ipse cōtra leges aliquid commiserit, sed quod in tribunatu de mea salute laborarit. MVNICIPIVM,] inter municipiū, coloniā, & praefecturā, quid interfit, dictum est in libro de ciuitate Romana. SOCIETAS *vectigalium*] societates eorum qui vectigalia redimebant, equitum R. omnes erant. COLLEGIVM,] de collegijs paullo infra dicemus.

CONCI-

CONCILIVM] conuentus hominum, ad aliquid agendum institutus. AD *lectum ipsorum,*] siue inquit, vestem mutauerant, vt meam pariter, & suam lugerent calamitatem, siue vt meam salutē deprecarentur; neutram ob caussam facere id quod fecisti, aequum fuit: cum nemo vmquam tam crudelis fuerit, qui prohiberet quemquā aut maerere in suo dolore aut ceteris in amici periculo supplicare.

ORATIO

QVid? sua sponte homines in amicorum periculis vestitum mutare non solent? pro te ipso, Piso, nemo ne mutauit? ne isti quidem, quos legatos, non modo nullo S. C. sed etiam repugnante senatu; tute tibi legasti. ergo hominis desperati, & proditoris reip. casum lugebunt fortasse, qui volent: cuius florentissimi benevolentia bonorum, & optime de salute patriae meriti periculum coniunctum cum periculo ciuitatis lugere senatui non licebit. Idem consules (si appellandi sunt consules, quos, nemo est, qui non modo ex memoria, sed ex fastis euellendos non putet (pactoiam foedere prouinciarum, producti in circo Flaminio in concionem ab illa furia, ac peste patriae, maximo cum gemitu vestro, omnia, quae tum contra me, contraq. remp. edixerant, voce ac sententia sua comprobauerunt. Iisdem consulibus sedentibus, atque inspectantibus, lata lex est, ne auspicia valerent ne quis obnunciaret, ne quis legi intercederet, ut omnibus factis diebus legem ferri liceret ut lex Aelia, lex Fusta ne ualeret, qua una rogatione, quis est, qui non intelligat, uniuersam remp. esse deletam? Iisdem consulibus inspectantibus, seruorum delectus habebatur pro tribunali Aurelio, nomine collegiorum, cum uicatim homines conscriberentur, decuriarentur, ad nim, ad manus, ad caedem, ad direptionem incitarentur.

EXPLANATIO

PRO *te ipso*] apostrophe ad Pisonem absentem. nam hoc tempore Macedoniam proconsulari imperio administrabat. quod significant illa verba: Cum sciat illa duo reip. paene fata, Gabiniū, & Pisonem, alterum haurire quotidie ex pacatissimis atque opulentissimis Syria gazis innumerabile pōdus auri & quae sequuntur. vt illam rationē omittā, quod haec oratio pro Sextio habita est Marcellino & Philippo cos. Piso autē sequenti anno, Pompeio & Crasso cos. redijt e prouincia: quod in argumento orationis in ipsum Pedianus probat. Apparet autē in hoc loco, Pisonē ante consulatum reū fuisse. quo crimine, incertū est. loquitur enim Cicero de ijs, quorū in periculis amici vestitū mutare solent. NVLLO, *S. C.*] cū antea, qui in prouincias ibant, legatos, quos secum adducerent, a senatu petere consuessent; quā consuetudinē primus neglexit P. Vatinius, & post eū anno proximo Piso & Gabinius legis vt opinor, Clodiae priuilegio sunt enim in ea Vatiniū haec verba: Quis legatos vm quā audiuit sine S. C. ante, te nemo post cōtinuo fecit idē in duobus prodigijs reipublicae Clodius. Idē in hac pro Sextio significatur. Quis, inquit, prouinciā, quis pecuniā quis legationē absenatu petebat? HOMINIS *desperati,*] qui vt recte agat, aut sentiat sperari nō potest. eodē sensu dicebant, homo perditus, quasi qui rectam mētem prorsus amisisset. LVGEBVNT *fortasse,*] addidit fortasse, vt dubitari posse indicet, an aliquis omnino in hominis desperati & proditoris reipublicae casu lacrumas daturus sit. Ex *fastis*] libris, in quibus consulum nomina scribebantur. ad Atticum lib IV. PACTO *iam foedere prouinciarum,*] vt prouincias acciperent a Clodio tribuno pl. quas vellent, ea lege, si ipsi prius ei permitterent, vt, quae vellet, in remp. perficeret, hoc est vt leges reipublicae pernicioſissimas perferre posset. CIRCO, *Flaminio*] dicit idem in ea Post Red. in sen. Tres autem fuere Romae circi Maximus, Flaminius, qui & Apollinaris dictus est, item circus Neronis. QVAE *tum contra me, contraq. remp. edixerant*] cum edixerunt, vt senatus, qui propter maerorem vestitum mutauerat, ad pristinum vestitum rediret COMPROBAVERVNT.] Piso dixit se misericordem semper fuisse. Orat. in ipsum, & post Red. in sen. LATA *lex est,*] quattuor leges reip. pernicioſas tulit. P. Clodius in tribunatu pl. de annona, vt populo frumentum quod antea semissibus & trientibus dabatur, gratis daretur: alteram, vt collegia restituerentur: tertiam, vt infirma censorum potestas esset quartam hanc, de qua hic Cicero loquitur vide infra, in Pisonem, Pedianum Dionem lib. XXXIIX. NE *auspicia ualerent*] significat Dio lib. XXXIIX auspiciorum duo fuisse genera, vnum sine obnunciatione, alterum cum obnunciatione. vtroque genere potestas agendi cum populo tollebatur: primo, vel si nulla omnino signa de caelo monstrarentur, nec obnunciaretur quidquam: altero cum, caelesti aliquo signo viso, quod publicam calamitatem portendere videretur, obnunciaret is, qui auspicabatur, ei qui agere cum populo vellet. vtrumque genus hic attigit Cicero, cum ait, Ne auspicia valerent, ne quis obnunciare. NE *quis legi intercederet,*] hoc erat, tribuniciam potestatem tollere. nam nouem tribunis pl. legem ferentibus vnius obsistebat intercessio. sed quia senatus caussa ius intercedendi comparatum erat, vt esset quo tribuniciae rogationes impediri possent: Clodius, optimatibus infensus, amator nouitatis, liberam & solutam in ferenda lege tribunorum potestatem esse voluit. itaque intercessionem lege lata sustulit, non tamen omnem intercessionem, sed tantum cum intercederetur legi. nam praeterea, & senatus consultis, & iudicijs tribuni pl. intercedebant. in quo ius tribunicium imminui Clodius noluit: quia rotum ad impediendam senatus & optimatum voluntatem pertinebat. OMNI BVS *fastis*] cum diebus fastis omnibus quidem lege agere, non omnibus tamen cum populo agere liceret, nisi diebus fastos omnes comitiales esse iussit, hoc est, vt, quod quibusdam fastis licebat, id

omnibus liceret. item in ea de prouincijs consularibus, Vobis, inquit, statuendum, legem Aeliam manere, legem Fusiam non esse abrogatam, non omnibus fastis legem ferri licere; cum lex feratur, de caelo seruari, obnunciari, intercedi licere. [Lex *Aelia & Fusia ne valeret*.] dicit idē, quod proxime. nam lex Aelia & Fusia de auspicijs & obnunciatione erat. sed legem nominat, vt inuidiam in Clodium augeat. [Nomine *collegiorum*,] collegia, hoc est infimorum hominum, certas artes pariter exercentium, conuentus, iam inde a Numa rege esse instituta in Plinij naturali historia, & in Plutarcho scriptum est. postea, cum horum collegiorum numerus esset auctus; omnia, praeter pauca atque certa, vt fabrorum fictorumq. quae ciuitatis vtilitas desiderabat, pluribus legibus sublata sunt, neque solum legibus, sed etiam senatus consultis vt L. Caecilio Q. Marcio cos. nec enim hominum humilium coitiones in ciuitate satis tutae videbantur. Clodius autem, vt inopem plebem, quae parato negotio ad facinus impellitur, sibi cōciliaret vt pote qui nouitatē & vim meditaretur; collegia non solum vetera restituit, sed etiam noua innumerabilia constituit. de quo & in hac ipsa oratione infra, & in Pisonem Cicero meminit. praeterea Dio libro xxxix. Pedianus in commentario Cornelianae Haec autē collegia non e solis peregrinis, aut e seruis, sed e peregrinis, qui postea ciues fiebant; e nouis ciuibus, ex veteribus Romanis inopia laborantibus, e seruis cōstabant, est enim ridiculum, eos putare fuisse peregrinos, quorum patres & maiores multis ante annis artem aliquā sedentariā administrassent. peregrini quidem & erant, & dicebantur, ante quā essent censi: sed cum Romae domicilij iam per aliquot annos habuissent, professi apud praetorem, ciuium Romanorūiura cōsequebantur; & vel easdē, quas antea artes administrabant, vel in militiā proficiscebatur. in qua cū nō nulli fortē fidelemq. operā reipublicae nauassent; equestris loci dignitatē, si modo H-S quadringenta millia possiderent, cōsequebantur, vel tribuni militū fiebant; ex quo postea tribuni plebei creabantur: vnde ad alios magistratus erat ascensus. Romanos autē ciues, alios magistratibus, alios militiae, alios mechanicis artibus operā dedisse, facile mihi & Plinius persuadet, qui de collegijs aerariorū fabrū, & figulorum a Numa rege institutis, mentionē facit; & L. Florus idē aperte demonstrat: cuius haec sunt verba: A Ser. Tullio rege populus Romanus relatus in censū, digestus in classes, decurijs atque collegijs distributus: summaq. regis sollertia ita est ordinata respublica, vt omnia patrimonij, dignitatis, aetatis, artiū, officiorumq. discrimina in tabulas referrētur, ac si maxmia ciuitas minimę domus diligētia cōtineretur. Collegia nominat, & artes: quae duae dictiones manifesto declarant, cōtra quā Dionysius Halicarnasseus quodā in loco affirmat, artes illas quae in officinis tractantur etiā abijs, qui multis ante annis iure ciuiū Romanorū vterentur, esse cultas. hoc & Cicero demonstrat in oratione pro domo sua: ait enim sic: Nullum est in hac vrbe collegiū, nulli pagani, aut montani, (quoniā plebi quoque vrbanae maiores cōuenticula & quasi cōcilia quaedā esse voluerunt) qui nō amplissime nō modo de salute mea, sed etiā de dignitate decreuerint. Et in eadē; non ita multo post: Quē tu populū, nisi clausis tabernis, frequētare nō poteras. Praeterea libro vi. epist. ad Att. iudicē esse Romae significat Turpionē sutoriū. quid autē? Pedianus, qui fuit antiquitatū Romanarū bene peritus, nō ne in orationis pro Milone commentario & concionē, & populū nominat, cū deijs qui mechanicas artes tractarent, manifeste loquatur? nā cū exponit illud, Contra hesternā concinē illam; subiungit haec: Idē T. Munatius Plancus, vt saepe diximus, post audita & obsignata testiū verba, dimissoq. interim iudices, vocata cōcione cohortatus erat populū, vt, clausis tabernis, postero die ad iudiciū adesset. nec patereturelabi Milonē Ar. M. Aemilij Scauri pater, quamuis patricius, negociū carbonariū, vt in libello de viris illustribus narratur ob paupertatē exercuit: & C. Terentij Varronis, qui ad Cannas male pugnauit patrē lanium fuisse ferunt. quo quid sordidius? Erant igitur opificū collegia ex quattuor hominū generibus, e seruis, ex inopi veterū ciuium Romanorū plebe, ex nouis ciuibus, ex ijs, qui cū proxime in vrbē veniissent, censi nondū erant. sed illa, quae P. Clodius restituit. qui etiā, vt ait Cicero in Pisonē, noua quaedā e seruitiorum faece constituit, Dio historiae suae lib. xxxv. τὰ ἑταιρικὰ κολλήγια nominat: quod nihil aliud esset, quam opificum sodalitates: quales Venetijs videmus esse quamplurimas. quod etsi ita sit ad aliam tamen sententiam conuertendum est illud, quod in libro de senectute ex persona Catonis Cicero pronunciat: Sodalitates paullo ante me quaestorem constitutae sunt. non enim de collegijs opificum est intelligendum, sed de sodalitatibus honestorum ciuitum, animi caussa constitutis &, quemadmodum sodalitates, item collegia non semper de artificum caeritibus dicuntur. ii non enim, quod lib. ii. ad Q. fratrem scriptum est, M. Furium Flaccum, equitem Romanum, Capitolini & Mercuriales de collegio eiecerunt; sic exponendum est, vt de collegio eorum, qui mechanicas artes exercerent, sed de collegio aliquo sacerdotum eiectū esse Flaccum intelligamus. non enim suspicari aliter possumus; cum eques Romanus esset; artes autē quaestuariae ab infima plebe tractarentur. argentaria tamen excepta; quā a Q. Caecilio, equite Romano, Pomponij Attici auunculo, esse administratam, libro i. ad Atticum Cicero significat; si modo fenerator, & argentarius idem fuit. erat igitur inter quaestuarias artes paullo honestior, vel, vt dicam verius, paullo minus turpis argentaria: cui tamen operam dare, probro ducebatur. itaque Octauio qui postea est Augustus appellatus auum argentarium M. Antonius & Cassius Parmensis exprobrare soliti sunt. [Pro *tribunali Aurelio*,] in tribunali Aurelio. nam pro, & ante significat, & in: ante vt in Philippica ii. Hasta posita pro aede Iouis Statoris. In, vt apud Sallustium in Iugurthino Numidae pro muris dies noctesq. agitare. Festus etiā veteres ita locutos auctor est: ait enim sic: Pro significat ī, vt pro Rostris pro aede, pro tribunali. Quod si quis, cur

in hoc

in hoc loco, pro potius pro, in accipiã, quã pro, ante, caussã quaerit: illa fuit, quod in oratione post reditũ ad Quirites eadẽ de re sic est scriptum: Ego, cũ homines in tribunali Aurelio palã cõscribi, centuriariq. vidissem. Et pro domo sua: Cum in tribunali Aurelio conscribebas palam non modo liberos, sed etiam seruos ex omnibus vicis concitatos. Fuit autem hoc tribunal in foro: quod ex oratione cognouimus in Pisonem: in qua haec notauimus: Cum seruorum delectus haberetur in foro, arma in templum Castoris luce & palam comportarentur. NOMINE *collegiorum*] cum Clodius velle se fingeret noua collegia constituere, itaque Post Red. in sen. dixit, simulatione collegiorum VICATIM] quod per vicos facinorosum quemque legeret. DECVRIARENTVR,] loquitur de ijs, qui collegiorum nomine vicatim conscribebantur. nam, decuriare, commune verbum est de ijs, qui quam libet ob caussam ita congregantur, vt eorum ordo quidam, & descriptio sit. & quamquam, cum decuria, vel decuriare dicitur, certus numerus, hoc est decem, significari videtur. de plurimis tamen, & hic a Cicerone, & alibi cum ab ipso, tum a bonis viris usurpatum esse constat. dixit igitur, decuriarentur, pro, in collegia conscriberentur, in ordines cogerentur. sic in oratione pro domo sua: Cum desperatis ducibus decuriatos ac descriptos haberes exercitus perditorum. libro autem II. ad Quinctum fratrem, cum non de his collegijs, sed de ambitiosa hominum coitione intelligat, Eodem, inquit, die senatus consultum factum est, vt sodalitates, decuriatiq. discederent.

ORATIO

IISDEM consulibus arma in templum Castoris palam comportabantur; gradus eiusdem templi tollebantur; armati homines forum, & conciones tenebant; caedes, lapidationes fiebant; nullus erat senatus, nihil reliqui magistratus; vnus omnem omnium potestatem armis, & latrocinijs possidebat, non aliqua vi sua, sed cum duos consules a rep. prouinciarum foedere retraxisset: insultabat, dominabatur, alijs pollicebatur, terrore, ac metu multos, plures etiam spe, & promissis tenebat. quae cũ essent eiusmodi, iudices; cum senatus duces nullos, ac pro ducibus proditores, aut potius apertos hostes haberet; equester ordo reus a consulibus citaretur; Italiae totius auctoritas repudiaretur: alij nominatim relegarentur; alij metu, ac periculo terrerentur; arma essent in templis, armati in foro? eaq. non silentio consulum dissimularentur, sed & voce, & sententia comprobarentur; cum omnes vrbem nondum excisam, & euersam, sed iam captam, atque oppressam videremus: tamen his tantis malis, tanto bonorum studio, iudices, resistissemus: sed me alij metus, atque aliae curae, suspicionesq. mouerunt. exponam enim hodierno die, iudices, omnem rationem facti, & consilij mei; neque huic uestro tanto studio audiendi, neque vero huic tantae multitudini quanta mea memoria numquam vllo in iudicio fuit, deero. Nam si ego in caussa tam bona, tanto studio senatus, consensu tam incredibili bonorum omnium, tã parato, tota denique Italia ad omnem contentionem expedita, cessi tribuni pl. despicatissimi hominis furori, cõtemptissimorum consulum leuitatem, audaciamq. pertimui? nimium me timidum, nullius animi, nullius consilij fuisse confiteor.

EXPLANATIO

IN. TEMPLVM *Castoris*] hinc apparet, leges in templis latas esse. nam in Castoris templum propterea comportabantur arma, vt legem Clodius, si quis intercedere aut impedire vellet, vi perferret. cognoscitur maxime ex ea pro domo sua. & in Pisonem. LAPIDATIONES *fiebant;*] in Pisonem: Viri boni lapidibus e foro pellerentur. REVS a *consulibus citaretur;*] significat illud quod in concione Gabinius consul dixerat: Equites R. daturos illius diei poenas, quo, Cicerone cõsule, cum gladijs in cliuo Capitolino fuissent. REVS] igitur praeclarissimi facti ITALIAE *totius*] quae meam caussam suis decretis susceperat. NOMINATIM *relegarentur;*] patet L. Lamiam significari. IN *templis,*] de templo Castoris proxime dixit. VOCE, *& sententia comprobarentur;*] in circo Flaminio: vt paullo ante ALII *metus, aliae curae*] quae sunt haec? illa, de quibus infra, quod Clodius ea, qua contra Ciceronem faceret, se facere auctoribus Pompeio, Crasso, Caesare, in concionibus clamabat. qui cum tacerent, confiteri videbantur. his igitur, inquit cessi, non, homini despicatissimo, Clodio, non contẽptissimis consulibus, Pisoni, & Gabinio. FACTI, *& consilii mei*] facti, quod cesserim communibus inimicis, & in exsulium ire maluerim, quam cum vniuersae reip. periculo dimicare. consilij, quo sum adductus, vt id, quod feci, bonis omnibus, antea quoque a me seruatis, vtilius existimarem. HVI *tantae multitudini,*] populi circumstantis. DEERO] deest enim orator iudicibus, & populo, cum ea, quae requirit caussã, nõ exponit. AD *omnem contentionem expedita,*] quod ex decretis poterat intelligi

ORATIO

QVid enim simile fuit in Q. Metello? cuius caussam, etsi omnes boni probabant, tamen neque senatus publice, neque vllus ordo proprie, neque suis decretis Italia tota susceperat. ad suam enim magis quandam illle gloriam, quam ad perspicuam salutẽ reip. spectarat, cum unus in legem per vim latam iurare noluerat. denique videbatur ea condicione tam fortis fuisse, vt cum patriae caritate constantiae gloriam communicaret. erat autem ciues cum exercitu C. Marij inuicto: habebat inimicum C. Marium, conseruatorem patriae,

sextum

sextum iam illum consulatum gerentem; res erat cum L. Saturnino iterum tribuno pl. vigilante homine & in caussa populari si non moderate, at certe populariter abstinenterq. versato cessit; ne aut victus a fortibus viris cum dedecore caderet, aut victor multis & fortibus ciuibus rempublicam orbaret. meam caussam senatus palam, equester ordo acerrime, cuncta Italia publice, omnes boni proprie euixeq. susceperant. eas res gesseram, quarum non vnus auctor, sed dux omnium voluntatis fuissem, quaeq. nō modo ad singularem meam gloriam, sed ad salutem communem omnium ciuium, & propè gentium pertinerent; ea conditione gesseramus vt meum factū semper omnes praestare tueriq. deberent. erat autem mihi contentio non cum victore exercitu, sed cum operis conductis, & ad diripiendam vrbem concitatis. habebam inimicum non C. Marium terrorem hostium, spem, subsidiumq. patriae, sed duo importuna prodigia, quos egestas, quos aeris alieni magnitudo, quos lenitas, quos improbitas tribuno pl. constrictos addixerat.

EXPLANATIO

QVID *enim simile fuit in Q. Metello?*] in Pisonem. Alia caussa praestantissimi viri Q. Metelli fuit: qui C. illi Mario, fortissimo viro, & consuli & sextum consuli, & eius inuictis legionibus nearmis confligeret, cedendum esse duxit. Est igitur hic sensus. discedendum fuit Q. Metello illi Numidico: quod eius caussam non senatus publice susceperat: quod ei res esset cum exercitu C. Marij inuicto, cum ipso C. Mario, conseruatore patriae, sextum consule, cum L. Saturnino iterum tribuno pl. homine vigilante: quod, si pugnare vellet, aut ipsius interitum ex inimicorū victoria, aut, si ipse vinceret, magnā reip. calamitatē e fortissimorum virorū caede prospiceret. mea ratio fuit alia. cum enim & meā caussam senatus, equester ordo, cuncta Italia publice suscepisset; & mihi res esset non cum C. Mario, sed cū ducibus contemptissimis consulibus, non cum L. Saturnino, sed cum tribuno pl. P. Clodio, omnium hominum nequissimo, atque turpissimo; quos homines si occiderem, nemo neque meum factum reprehenderet, neque illorum morte maereret: haec cum ita essent, valde me timidum, atque imprudentem confiterer fuisse, si horum [illegible]inū metu discessissem. cur igitur cessi? mouerunt me illa, quae de Pompeio Crasso, Caesare Clodius praedicabat: quae illi tacendo confiteri videbantur. NEQVE *vllus ordo*] nō modo equester, qui meā caussā susceperit sed nullus omnino. SALVTEM *reip.*] non enim in eo seruabatur respublica, si vnus Metellus in legem, quam Saturninus, Mario gratificans, per vim ferret iurare nollet. nihilo enim minus, ipso non iurante, lata lex est. Appianus lib. 1. Plutarchus in Mario. VT *cum patriae caritate*] patriae caritas postulat, vt ab ea ne discedamus. at Metellus voluntarium in exsulium abijt: quia suam gloriam pluris, quam patriae caritatem, fecit. poterat enim aliquis obijcere. magna laus Metello debetur, qui de patria maluit, quam de sententia, decedere. verum, inquit Cicero, cum ad spectu patriae carissimo se priuauit, constantiae laudem quaesiuit, patriae eq. amissionem gloriae fructu compensare visus est. cessit igitur Metellus, nō quod in eo sitam esse reipublicae salutem intelligeret, sed quod ei canor constantiae gloria, quā adspectus patriae, fuit. INVICTO] semper enī Marius ex hostibus reipublicae victoriā retulerat, Numidis Germanis, Italis. Plutarchus, Velleius, Appianus. INIMICVM *C. Marium*,] iam inde a bello Iugurthino. cuius gloriā, multis praeclaris factis Metello debitā, Marius intercepit. nā cū senatus Numidiā Metello, in qua bellū iam gerebat, decreuisset; Marius consul designatus effecit, vt eam sibi prouinciā populus mandaret; cū Metellū, hominē inanē, imperio nimis gaudentē, bellū de industria ducere cōminaretur. erat autē in mandanda prouincia maior populi potestas, quam senatus. CONSERVATOREM *patriae*,] in eo potissimum, quod innumerabilis Cimbrorū Teutonumq. copias cecidit. de legibus quoque lib. 11. duos ex Arpinati municipio reipublicae cōseruatores a Cn. Pompeio vocatos significat, ipsum & C. Marium. sunt etiam in epitome Liuij haec verba: Primores ciuitates, qui aliquantulum vt nouo homini ad tanto honores euecto inuiderant, conseruatam ab eo rempublicam fatebantur. SEXTVM *illum consulatum*] oppressis Glaucia & Saturnino insignem. primo cōsulatu Iugurtham debellauit: secundi primo die. id est Kalendis Ianuarij, de eo triumphans vrbem ingressus est: tertium in apparatu belli Cimbrici consumpsit: quarto trans alpes circa aquas Sextias cū Cimbris quae Germanorum gens fuit, prospera fortuna conflixit: quinto citra alpes in campis Raudis eosdem vicit: sexto Glauciam praetorem, & Saturninum tribunum pl. perniciē reipublicae molientes occidit: septimo paucis post, quam inierat, diebus vita decessit. SATVRNINO] Metelli inimico; quod ab eo censore notatus erat. Appianus lib. 1. fuit egente Appuleia, homo seditiosus: ideo Clodius Appuleia vocatur in epistola quadā ad Atticū, ob ingenij similitudinē: muliebri autē genere potius, quam virili, ob mollitiē & libidines. Plutarchus, Appianus, Velleius, epitome Liuiana. IN *caussa populari*] quia legem agrariam ferebat. SI NON *moderate*] quod A Numium, tribunatum petentem, & C. Memmium, consulatus candidatum, Glauciae competitorem occidendos curauerat. Plutarchus, epitome Liuij, Appianus, Cicero in IV. in Catilinam Florus. POPVLARITER] populi cum gratia: quia nihil omisit, vt populi commodo consuleret. ABSTINENTERQ.] hoc verbo visus est, vt Saturninum etsi non moderatum, tamen prae P. Clodio tolerabilem fuisse demonstret. non enim ille, vt Clodius, alieni appetens non testamentarius, non latro, non (vt hoc etiam ad libidines referatur) sororis adulter, stuprorum sacerdos. AD *salutem communem*] cum Metellus ad suam magis gloriam, quam ad salutem reipublicae, spectasset. OMNES *praestare*] quod eas res ex omnium voluntate gessissem praestare alienum factum dicitur is, qui alieni facti defensionē suscipit. praestare autē

debet

debet is, qui, vt fieret, auctor fuit. ideo se non vnum earum rerum auctorem, sed ducem alienae voluntatis dixit fuisse. EGESTAS, *aeris alieni magnitudo*,] hæc ad Gabinium spectare facile cognoscet is, qui, quae supra dicta sunt, meminerit. LEVITAS,] ad eundem refero, ob vngnenta, cincinnos, chorcas. IMPROBITAS] de Pisone dictum: quem sceleratum audacem, crudelem appellauit.

ORATIO

NEc mihi res erat cum Saturnino, qui, quod a se quaestore Ostiensi per ignominiam ad principem & senatus & ciuitatis M. Scaurum rem frumentariam translatam sciebat, dolorem suum magna contentione animi persequebatur; sed cum scurrarum locupletum scorto, cum sororis adultero, cum stuprorum sacerdote, cum veneficio, cum testamentario, cum sicario, cum latrone. quos homines si, id quod facile factu fuit, & quod fieri debuit, quodq. a me optimi & fortissimi ciues flagitabant, vi armisq. superassem: non verebar, ne quis aut vim vi repulsam reprehenderet, aut perditorum ciuium, vel potius domesticorum hostium morte maereret. sed me illa mouerunt omnibus in concionibus illa furia clamabat, se, quae faceret contra salutem meam, facere auctore Cn. Pompeio, clarissimo viro, mihiq. & nunc, & quoad licuit, amicissimo. M. Crassus, quo cum mihi erant omnes amicitiae necessitudines, vir fortissimus, ab eadem illa peste infestissimus esse meis fortunis praedicabatur. C. Caesar, qui a me nullo meo merito alienus esse debebat, inimicissimus esse meae saluti ab eodem quotidianis concionibus dicebatur. bis se tribus auctoribus in consilijs capiendis, adiutoribus in re gerenda esse vsurum dicebat: ex quibus vnum habere exercitum maximum in Italia, duos, qui priuati tum essent, & praesse, & parare, si vellent, exercitum posse, idq. facturos esse, dicebat. nec mihi ille iudicium populi, nec legitimam aliquã contentionem, nec disceptationẽ, aut causae dictionem, sed vim, arma, exercitus, imperatores, castra denunciabat. quid ergo? inimici oratio, vana presertim, tam improbe in clarissimos viros coniecta, me mouit? me vero non mouit illius oratio, sed eorum taciturnitas, in quos illa oratio tam improba conferebatur.

EXPLANATIO

QVAESTORE *Ostiensi*] recitanda sunt, quae in oratione legimus de haruspicũ responsis: pertinẽt enim ad hunc locum. Saturninum inquit, quod in annonae caritate quaestorẽ a sua frumentaria procuratione senatus amouit, eiq. rei M. Scaurum praefecit, scimus dolore factũ esse populare. Apparet ex vtroque loco, eũ, cui quaestura Ostiensis obtigisset, rei frumentariae praefuisse: propterea quod, cum frumenta nauibus importarentur, omne nauigiorum genus, quibus ad vrbẽ cursus esset, portus excipiebat Ostiensis. ideo in orat. pro Murena huic prouinciæ, cũ sortitio fieret, quaestores acclamare solitos esse dicit: quia scilicet non tacitã esse, & quietã, sed negociosã, molestamq. scirent. Paterculus etiã lib. II. haec de Ti. Nerone scripsit: Quaestor maximã difficultatẽ annonae, ac rei frumentariae inopiã ita Ostiae, atque in vrbe moderatus est, vt per id, quod agebat, quantus euasurus esset, eluceret. PRINCIPEM *senatus & ciuitatis*] senatus, quod eũ in recitãdo senatu censores primũ legissent: ciuitatis, ob summos honores eximia cũ laude administratos. erat autem fere, qui princeps senatus, idẽ ciuitatis: quod cẽsores principẽ eũ legere solerent, cuius inter omnes ciues dignitas emineret. M. SCAVRVM] e patricia Aemiliorum gente, magni animi virũ, & constantiae laude insignẽ. epist. fam. lib. I. & Pedianus SCVRRARVM] homines intemperantes, nullam pudoris partẽ retinentes, scurras a similitudine nominat: quod scurrae impudentes sunt, nec in facetijs modũ seruant. SORORIS *adultero*] vxoris L. Luculli, qui Tigranẽ Mithridatemq. acie vicit. pro Milone, Plutarchus in Lucullo, Cæsare, Cicerone. Velleius lib. II. STVPRORVM *sacerdote*,] iocose: quod, vt Põpeiã C. Caesaris vxorẽ stupraret, ad aras Bonę deæ quasi sacerdos accessisset: vt, quemadmodũ sacrorum sacerdotes sunt, sic ipse stuprorũ sacerdos esset. simile illud lib. I. ad Att ep. 16. M Luculli vxorẽ Mẽmius suis sacris initiauit. historiã hac de re nemo paullo humanior ignorat. TESTAMENTARIO,] de corruptis aut suppositis a Clodio testamentis nihil, quod cũ hoc loco consentiret adhuc inueni; sed in eũ, cuius esset ad omne facinus immanis audacia, cõuenire nefaria quaeq. possunt. QVOS *homines*] Clodium, Pisonem, Gabinium. OPTIMI & *fortissimi ciues*] maxime L Lucullus: vt in Plutarcho scriptum est. QVOAD *licuit*,] latenter excusat Pompeium: quod aliquando sibi officium amici non praestiterit, nec a Clodio inique oppugnatum defenderit non enim ei per Caesarem socerum licuit: qui, vt ea, quae consul contra leges & auspicia gesserat, confirmarentur, alienare a se tribunum pl. popularem nolebat. infra, & proxime, & in Pisonem. NVLLO *meo merito*] falsã fuisse, quae ab illo in Caesarem dicta certi homines detulerunt, & hic significat & aperte ostendit in ea pro domo sua. Plutarchus autẽ nõ ideo infensum Ciceroni Caesarem fuisse dicit, quia Cicero cõtra eum locutus esset, sed quia cũ eo legatus in Galliã ire, quod pollicitus iam erat, quasi de Clodio nihil timens, recusasset. Velleius ait, quod inter XX viros diuidendo agro Campano esse noluisset. ego eã caussã, quã Cicero ipse ponit quã & Suetonius cõfirmat, veriorẽ duabus reliquis existimo. IN *consiliis capiendis*,] de pernicie mea. [IN RE *gerenda*] in me eijciendo. VNVM] C. Caesarem: qui Galliam Cisalpinam, quae Italiae pars olim fuit, cum exercitu imperioq. obtinebat. EXERCITVM *maximum*] legiones quattuor, praeter auxiliares. Plutarchus in Pompeio, Caesare, Catone. DVOS,] Cn. Pompeium,

Landesbibliothek Oldenburg

ium, M. Crassum. PRAESSE,] magistratus habere. FACTVROS] vt ipsum, si opus esset, adiuuarent in re gerenda. IVDICIVM *populi*,] populum enim in caussa capitali, centuriatim coactũ, iudicẽ esse oportebat: idq. & sacratis legibus & XII. tabulis sancitũ erat quod infra patet, & libro de legibus III. LEGITIMAM] si non ad populum, at ante aliquem magistratum, publicumue consilium. DISCEPTATIONEM,] propria vox ad explicandam inter litigantes contentionem. itaque in epistola ad Metellum Nihil, inquit, illi tam propositum fuit, quam me non iudicio, ac disceptatione, sed vi, atque impressione euertere. & pro Plancio his verbis: Erat non iure, non legibus, non disceptando decertandum. CAVSSAE *dictionem*,] ciuem enim Romanum indicta caussa condemnari, leges vetabant. quo nomine & ipse Cicero a P. Clodio tribuno pl. lege lata pulsus est coniuratos enim, indicta caussa, necari e S.C. iusserat. VIM, *arma, exercitus, imperatores, castra*] duo prima verba ad ipsum Clodium, tria postrema ad Caesarem refero. VANA] quae nihil veri contineret. EORVM *taciturnitas*,] nam etsi, cum tacerent, quid sentirent, intelligi non poterat: mouebar tamen, quia tacendo loqui videbantur, inficiando confiteri. pro Plancio.

ORATIO

QVi quamquam ob aliam caussam tacebant, tamen hominibus omnia timentibus tacendo loqui non inficiando confiteri videbantur. illi autem aliquo tum timore perterriti, quod acta illa, atque omnes res superioris anni labefactari a praetoribus, infirmaria senatu atque principibus ciuitatis putabant, tribunum popularem a se alienare nolebant, suaq. sibi propiora pericula esse, quam mea, loquebantur. Sed tamen & Crassus a consulibus meam caussam suscipiendam esse dicebat: & eorum fidem Pompeius implorabat, neque se priuatum caussae publice susceptae defuturũ esse dicebat. quem virum studiosum mei, cupidissimum reip. cõseruandae, domi meae certi homines ad eam rem compositi monuerunt, vt esset cautior; eiusq. vitae a me insidias apud me domi positas esse dixerunt; atque hanc ei suspicionẽ alij litteris mittendis, alij nuncijs, alii coram ipsi excitauerunt; vt ille, cum a me certe nihil timeret, ab illis, ne quid meo nomine molirentur, sibi cauendum putaret. Ipse autem Caesar, quem maxime ignari homines veritatis mihi esse iratum putabant, erat ad portas, erat cum imperio: erat in Italia eius exercitus; inq. eo exercitu ipsius tribuni pl. inimici mei fratrẽ praefecerat. Haec ego cum viderem, (neque enim erant occulta) senatum, sine quo ciuitas stare non posset, omnino de ciuitate esse sublatum, consules, qui publici consilij duces esse deberent, perfecisse, vt per ipsos publicum consilium funditus tolleretur; eos, qui plurimum possent, opponi omnibus concionibus, falso, sed formidolose tamen, auctores ad perniciem meam; conciones haberi quotidie contra me; vocem pro me, ac pro rep. neminem mittere; intenta signa legionum existimari ceruicibus ac bonis vestris, falso, sed putari tamen; coniuratorum veteres copias, & effusam illam ac superatam Catilinae manum importunam, nouo duce, & insperata commutatione rerum esse renouatam: haec cum viderem, quid agerem iudices? scio enim, tum non mihi vestrum studium, sed meum prope vestro defuisse.

EXPLANATIO

OB ALIAM *causan tacebant*,] haec ad Caesarẽ potius caussa pertinebat, quam aut ad Pompeium, aut ad Crassum. cũ enim vehementer timeret Caesar, ne, quae anno superiore contra auspicia peregerat, ea non a consulibus Pisone & Gabinio, quorũ, alterũ socerũ, alterũ suis partibus addictũ habebat, sed a praetoribus infirmarẽtur: tribunũ pl. P Clodiũ alienare a se nolebat. is enim praetoribus, de tollẽdis Cæsaris actis rogationẽ ferẽtibus, vel interceſſione poterat, quia tribunus pl. erat, vel, quia facinorosus & audax, etiã vi armisq. resistere. hãc igitur ob caussã Caesar tacebat. Crassus autẽ & Pompeius, quia Caesari fauebant alter amicitia & coitione in rempublicã facta, alter etiã affinitate deuinctus. ACTA *illa*,] ea, quae proximo anno cõsul gesserat. qua de re in oratione in Pisonẽ his verbis: Adducta res in certamẽ te cõsule putabatur, vtrũ, quae superiore anno ille gessisset, manerẽt, an rescinderentur. & in ea de prouincijs: Terror iniectus Caesari de eius actis, metus caedis bonis omnibus. Et pro domo: Tua denique omnis actio posterioribus mensibus fuit, omnia, quae C. Caesar egisset, quae cõtra auspicia essent acta, per senatum rescindi oportere. LABEFACTARI] rescindi; quod in legibus ferendis neque auspiciorum, neque veterũ legũ habita ratio esset. PRAETORIBVS,] C. Memmio L. Domitio Ahenobarbo: de quibus haec in Suetonij Iulio scripta sunt. Functus cõsulatu, C. Memmio, L. Domitio praetoribus de superioris anni actis referentibus, cognitionẽ senatui detulit: nec illo suscipiente, triduoq. per irritas altercationes absumpto, in prouinciã abijt: & statim quaestor eius in praeiudiciũ aliquot criminibus arreptus est. & in Nerone: Huius filius praetor Caesarẽ abeuntẽ cõsulatu, quẽ aduersus auspicia legesq. gessisse existimabatur, ad disquisitionẽ senatus vocauit. INFIRMARI *a senatu*] si decerneret, leges omnes a Caesare cõsule aut a tribuno pl. illius fatelite Vatinio cõtra auspicia esse latas: quod olim de legibus a tribuno pl. M Liuio Druso latis decretũ erat. Pedianus. PRINCIPIBVS *ciuitatis*] Caesaris inimicos intelligit, M. Bibulum, M. Catonem, L. Domitium; item alios opinor, viros bonos, vt L. Cottam, P. Seruilium Isauricum, Q. Hortensium, forte & duos Lucullos, Pompeijob ereptam Mithridatici belli gloriam inimicos. TRIBVNVM *populi rem*]

rem]quia,cum a patricijs ad plebem transiijt,magnam a populo gratiam inijt. SVAQ. *sibi propiora pericula esse,quam meae,loquebatur.*]hoc,vt proxima superiora,ad Caesarē spectat:cuius erant illa acta,quo tū caussa timebat.itaque in Pisonē,Fuit,inquit de Caesare sibi amicior,quam mihi. PVBLICE *susceptae*]a consulibus.in Pisonem,DOMI *meae*]hac de re sic in ea pro domo sua.Quid? cū Syria Gabinio dabatur,Macedonia Pisoni,vt tibi omnia permitterent,te adiuuarent, me terrerent minis, meā domū refertā viris bonis,per amicos suos complerent proscriptionis metu me frequentia nudarent, ne tum quidem vis erat? COMPOSITI *monuerunt*]compositi,fraude & insidijs consulū: monuerunt, litteris,& nuncijs ij, qui familiares non erant; coram autē ij quibus iure familiaritatis hoc licebat: de quibus loquitur in ea in Pisonē. MEO *nomine*]veritus est ne illi ipsi,a quibus monebatur,aliquid in ipsum molirentur;quod fore sperarent,vt homines id a Cicerone commissū existimarent,a quo insidias eius vitae positas praedixerant. IGNARI *homines veritatis*] non ideo tacuisse Caesarem significat,quia sibi esset inimicus,sed quia,ne acta sua rescinderentur a praetoribus,timeret. ERAT *ad portas*]non enim prius ad bellum profectus est Caesar, quam Ciceronē Clodius Italia expulit, quod a Plutarcho scriptum est. FRATREM]Ap Pulchrum qui legatus fuit in exercitu Caesaris. HAEC *ego cum viderem:(neque enim erant occulta)*]genus loquendi Graecis quoque vsitatum. ijsdem enim verbis vsus est Demosthenes in ea περὶ στεφάνου ταῦτα δὲ ὁρῶν ὁ φίλιππος οὐδὲν ἀργὸν ἐᾷ πρᾶγμα. cuius in imitationem non de industria,vt opinor,sed casu, & ex legendi consuetudine Cicero incurrit: cum etiā in epistola ad Lentulū itidem locutus sit:Quae cū viderem:(neque enim erant obscura)Nec dissimiliter in agraria II.Quae cū ego non solū suspicarer sed plane cernerē (neque enim obscure gerebātur) PVBLICI *consilij*] senatus quem diuersis nominibus appellat, senatum,publicum consilium, summum ordinem amplissimum ordinem,principem ordinem. EOS,*qui plurimum possent*]tres illos, quos proxime nominauit. LEGIONVM]Caesaris. MEVM *prope vestro defuisse.*]quod ijs,pro ipsius salute contra Clodium pugnare cupientibus,non permisit.ex quo sunt illa ad Lentulum:Meos ciue,& a me seruatos,& me seruare cupiētes,armatis seruis obijci noluerim. Nec alibi semel idē gloriatur.

ORATIO

CONTENDEREM *contra tribunum pl. priuatis armis? vicissent improbos boni, fortes inertes: interfectus esset is, qui hac vna medicina sola potuit a reip. peste depelli. quid deinde? quid reliquidrum restaret? quid denique? erat dubium, quin ille sanguis tribunicius,nullo praesertim publico consilio profusus, consules, vltores, & defensores esset habiturus? cum quidem in concione dixisset, aut mihi semel pereundum, aut bis esse vincendum. quid erat, bis vincere? id profecto, vt, cum amentissimo tribuno pl. cum decertassem, cum consulibus, ceterisq. eius vltoribus dimicarem. ego vero, si mihi vni pereundum fuisset.ac non accipienda plaga,mihi insanabilis,illi mortifera quam reip.imposuissem,semel perire tamen,iudices,maluissem quam bis vincere. erat enim illa altera eiusmodi contentio, vt neque victi, neque victores remp. tenere possemus. quid, si in prima contentione, vi tribunicia victus, in foro cum multis bonis viris concidisset? senatum consules,credo,vocassent, quem totum de ciuitate delerant:ad arma vocarent,qui ne vestitu quidem defendi remp. sinuissent: a tribuno pl. post interitum meū dissedissent. qui eandem horam meae pestis & suorum praemiorum esse voluissent.*

EXPLANATIO

HAC *vna medicina*]aduersus enim illius furorem non satis in iudicijs & legibus esse praesidij,sae pe res docuerat. SOLA]cum dixerit,Hac vna;videtur abundare sola sed non est ita.nam,vt res augeatur,ita loqui Cicero solitus est.de quo infra, his verbis: Vnus est solus inuentus. qui ab hac tā impensa voluntate bonorum palam dissideret.& in ea in Pisonem,his verbis:Ciues Romani quiin his locis negociantur,te vnum solum suum depeculatorem,vexatorem,praedonem, hostē venisse senserunt. A REIP. *peste*]ab ea peste,quam Clodius reipublicae importabat. ACCIPIENDA *plaga*;]locus obscuratur mendo:maximeq corruptā suspicor dictionē,Illi.quod si verba loco mutes, vt alterum in alterius locū demigret,vnde librariorū fortasse incuria extrusa sunt, meo iudicio nihil erit, quod desideres.venit enim in mentem Ciceronem,ita scriptom reliquisse: Plaga mihi insanabilis, reip.mortifera quam illi imposuissem. &c. QVAM *bis vincere.*]quando quidem sine magna ciuiū strage vincere non possem. ILLA *altera*]cum consulibus. NEQVE *victi*,]quia bonis ciuibus interfectis,respublica stare non poterat qui enim superessent?nō ad seruos res veniisset;quod ipse quasi ad huius loci expositionem,infra dixit NEQVE *victores*] grauem enim plagā e caede consulū accepisset respublica,pessimo exemplo in ciuitatem inducto. EADEM *horam*] quia,vt ait infra,eodem die,atque etiam eadem hora leges duae,altera de Ciceronis pernicie,altera de prouincijs consulum,latae sunt.

ORATIO

VNum enim mihi restabat illud,quod forsitan non nemo vir fortis, & acris animi magniq. dixerit: restitisses, repugnasses, mortem pugnans oppetisses: de quo te, te, inquam, patria obtestor, & vos penates patrij-

uiuiq. dii, me uestrarum sedium templorumq. caussa, me propter salutem meorum ciuium: quae mihi semper fuit mea vita carior, dimicationem caedemq. fugisse. etenim si mihi, in aliqua naue cum meis amicis nauiganti, hoc, iudices, accidisset, vt multi ex multis locis praedones, classibus eã nauem se oppressuros minitarentur, nisi me vnum sibi dedidissent; si id vectores negarent, ac mecum simul interire, quam me tradere hostibus, mallent: iecissem me ipse potius in profundum, vt ceteros conseruarẽ, quam illos mei tam cupidos non modo ad certam mortem sed in magnum uitae discrimen adducerem. cum uero in hanc reip. nauem, ereptis senatui gubernaculis, fluitantem in alto tempestatibus seditionum, ac discordiarum, armatae tot classes, nisi ego vnus deditus essem, incursurae viderentur; cum proscriptio, caedes, direptio denunciarentur; cum alii me suspicione periculi sui non defenderent, alii vetere odio bonorum incitarentur, alii inuiderẽt, alii obstare sibi me arbitrarentur, alii vlcisci dolorem suum aliquem vellent, alii rem ipsam publicam, atque hunc bonorum statum, ociumq. odissent, & ob hasce causas, tot, tamq. varias, me vnum deposcerent: de pugnarem potius cum summo, non dicam exitio, sed periculo certe vestro, liberorumque uestrorum, quam non id, quod omnibus impendebat, unus pro omnibus suscipe rem, ac subirem? victi essent improbi: at ciues, at ab eo priuato, qui sine armis etiam remp. consul conseruarat, sine victi essent boni, qui superessent? non ad seruos uitis rem uenturam fuisse

EXPLANATIO

DE *quo te, te, inquam patria obtestor,*] quod obijci nobis ab aduersario potest, id, praeripere, & aut argumento refellere, aut excusando eleuare, oratoriae artis est. quare cũ hoc loco Cicero illa, quae sibi exprobrari posse intelligebat, κατὰ τὴν προσωποποιίαν induxisset, illa, inquam, Restitisses, repugnasses, mortem pugnans oppetisses: conuersu ad patriam, deosq. penates ac patrios, ignominiam auertit iureiurando. quod facere solemus, cum peccatum, aut infamiam in nos coniectam redarguere testibus non licet. itaque & Virgilianus Aeneas, veritus ne sibi vitio daretur, quod extrema illa nocte, cum Achiuorum manu Troia caderet, multis circa seuiris fortibus interfectis, ipse quoque mortẽ pugnans nõ oppetisset ad igna viae, timiditatisq tollendã suspicionẽ illa pronũciat:

Iliaci cineres, & flamma extrema meorum,
Testor in occasu vestro nec tela, nec vllas
Vitauisse vices Danaum; &, si fata fuissent
Vt caderem, meruisse manu.

VESTRARVM *sedium, templorumq caussa,*] ne homines impij ac nefarij, e pugna ciuium occasione arrepta, vestris sedibus, ac templis sceleratas faces inferrent. Sedum legit Priscianus lib. VII. SI *mihi in aliqua naue cum meis amicis nauiganti,*] argumentum a minori: quoniam in naui minus est, quam in republica: & in aliquot amicis, quam in maximo bonorum ciuium numero. VECTORES] non nautas, qui & vehunt nauem, & vehuntur ipsi; sed eos qui vehuntur tantũ, amicos videlicet suos. IN *profundum*] vis maior, quam si dixisset, in mare. facilius enim seruatur qui est in mari, quã qui in profundo mari. CVM *vero in hanc reipublicae nauem,*] nisi ante iam de naue meminisset, haud satis verecunda tralatio videretur. nõ enim repente & cũ impetu irrumpit sed pedetentim & placide in orationẽ ingreditur metaphora, praesertĩ vbi paullo illustrior est, nec vno, aut altero verbo terminatur. quare nõ offenduntur nouitate aures nostrae, cũ, in hanc reipublicae nauẽ, audiunt: nihil enim ad illas accidit insolens. cũ nauis mentionẽ proxime senserint neque solũ nõ offendũtur, sed etiã, cũ id, quod exspectarunt ijs infunditur, delectantur, & voluptatis quadã quasi titillatione perfruuntur. quando autẽ exspectare videntur aures: tũ scilicet, cũ is, qui metaphoram inducturus est, aditũ sibi prius & viã ad nouae rei mentionẽ similitudine patefacit: vt hic: Etenim si mihi in aliqua naue cũ meis amicis nauiganti: quasi dicat: Quemadmodũ amicorum mecum nauigantium vitam libenter interitu meo conseruarem; sic ego vos discessũ meo a dimicatione ac caede liberaui: vt igitur amicis in illa naui consulerem; sic in hac reipublicae naue, hoc est in ipsa rep. tamquã naue periclitante, ciuibus consultum a me volui. nec est praetermittendum, quod in illo suo pererudito, atque aureo libello Demetrius notauit cum a principe ciuitatis ad gubernatorẽ nauis, aut ad aurigam apte metaphora deducatur; propterea quod omnes hi rectores sunt; recte etiam, cum de ciuitate, aut de republica loquimur, a naui, aut etiam a curru metaphoram posse capi. EREPTIS *senatui gubernaculis*] a consulibus destituto: qui senatus quasi quaedã gubernacula sunt. FLVITANTEM] recte appositi id, quod naui bus gubernaculo priuatis in tempestate solet accidere. fluitant enim, neque cursum tenent. ARMATAE *tot classes,*] perditorum ciuiũ exercitus. PROSCRIPTIO] proscribuntur ij, quorum interfectori bus proposita tabula, praemia promittuntur. quibus interfectis, eorum bona publicantur. ideo, cũ dixisset Cicero Proscriptio, recte subiunxit, caedes, direptio. haec enim proscriptionem consequuntur. respexit ad Sullani temporis proscriptionem: SVSPICIONE *periculi sui*] bonos viros intelligit: qui cũ eũ defensum omnes cuperent, metu tamen perterriti deseruerunt. VETERE *odio bonorum*] im proborũ ciuiũ duplex odiũ fuisse significat, in homines, & in statũ ciuitatis: in homines, vt hic ostẽdit: in statum ciuitatis, vt infra, cum ait, Alij rẽ ipsã publicã, atque hunc bonorum statum, ociumq. odissent. INVIDERENT,] noui enim hominis gloriam vix ferebant. OBSTARE] quia contra extraordinarias potentias libere loqueretur. DOLOREM *suum*] ex aliqua Ciceronis iniuria susceptum. & hoc in C. Caesarẽ praecipue coniectũ videri potest: qui etiam P. Clodium, iracundia ac dolore percitus, ad

plebem

plebem traduxerat pro domo sua, Suetonius in Iulio. NON *dicam exitio,*] poterat enim accidere, vt vinceremus: sed erat admodum periculosa victoria. IMPENDEBAT,] quid? pernicies, si vinceremur. SVSCIPEREM,] voluntario discessu, omisso dimicandi consilio. CONSERVARAT.] patefacta, & oppressa coniuratione.

ORATIO

AN mihi ipsi, vt quidam putant, fuit mors aequo animo oppetenda? quid? tum mortem ne fugiebam? aut erat res vlla, quam mihi magis optandam putarem? aut, ego illas res tantas in tanta improborum multitudine cum gerebam, non mihi mors, non exsulium oculos versabantur? non haec denique a me tum tanquam fata, in ipsa re gerenda concinebantur? an erat mihi in tanto luctu meorum, tanta disiunctione, tanta acerbitate, tanta spoliatione omnium rerum, quas mihi aut natura, aut fortuna dederat, vita retinenda? tam eram rudis? tam ignarus rerum? tam expers consilii, aut ingenii? nihil audieram? nihil videram? nihil ipse legendo quaerendoq. cognoueram? nesciebam vitae brevem esse cursum, gloriae sempiternum? cum esset omnibus definita mors optandum esse, vt vita, quae necessitati deberetur, patriae potius donata, quam reservata naturae, videretur? nescieba inter sapientissimos homines hanc contentionem fuisse, vt alii dicerent animos hominum sensusq. morte restingui, alii autem, tum maxime mentes sapientum ac fortium virorum, cum e corpore excessissent, sentire, ac nigere? quorum alterum fugiendum non esse, carere sensu; alterum etiam optandum, meliore esse sensu. Denique cum omnia semper ad dignitatem retulissem, nec sine ea quidquam expetendum esse homini iudicassem; mortem, quam etiam uirgines Athenis, regis, opinor, Erechthei filiae, pro patria contempsisse dicuntur, ego, uir consularis, tantis rebus gestis, timerem? praesertim cum eius essem ciuitatis, ex qua Q. Mutius solus in castra Porsenae uenisset, eumq. interficere proposita sibi morte conatus esset: ex qua P. Decius primum pater, post alii quot annos patria uirtute praeditus filius se, ac uitam suam instructa acie pro salute populi R. uictoriaq. deuouisset: ex qua innumerabiles alii, partim adipiscendae laudis, partim uitandae turpitudinis caussa, mortem in uariis bellis aequissimis animis oppetissent: in qua ciuitate ipse meminissem patrem huius M. Crassi, fortissimum uirum, ne uideret uictorem iuuis inimicum, eadem sibi manu uitam exhausisse, qua mortem saepe hostibus obtulisset.

EXPLANATIO

ILLAS *res tantas*] in consulatu gestas. HAEC] quae sum perpessus. COCCINEBANTVR?] vt a vate fata pronunciante. est enim canere verbum de futura praedicentibus vsurpatum. vnde illud in Catilinam: Quae ita nobis consulibus facta sunt, vt haec, quae nunc fiunt, canere dij immortales viderentur. & Virgilius libro, vt opinor, secundo, Sola mihi tales casus Cassandra canebat. AVT *natura, aut fortuna*] liberos natura, rem fortuna dat. vtrumque significat. QVAERENDOQ.] percunctando a peritis nam tum a libris, tum a viua hominum voce doctrina comparatur. SAPIENTISSIMOS *homines*] non puto Platonem & Aristotelem significari, quin, vtrumque in animorum immortalitate consentire, Graeci omnes interpretes, praeter vnum Alexandrum, existimant. ex vna igitur parte Platonem, & opinor, Aristotelem, de animorum aeternitate idem sentientes, posuit: ex altera Epicurum, quique ante, & post in ea haeresi fuerunt. REGIS *Erechthei filiae*] de quib apud Aristidem ita scriptum legimus: εἶτα παναθηναϊκῶν. Λέγεται γὰρ Ἐρεχθέως μὲν ἐν τῷ πρὸς Εὐμολπον πολέμῳ τὴν θυγατέρα κατὰ τῶν πολεμίων ἐπιδόναι, τοῦ θεοῦ χρήσαντος, προσαγαγὼν δ' αὐτὴν κοσμήσασιν μίτρᾳ ὥσπερ εἰς θεωρίαν πέμπασι. quo in loco interpres haec adscribit, τὴν θυγατέρα τὴν ἀγλαύρου λέγει, περὶ ἧς ἡ μοσθένης ἐν τῷ περὶ παραπρεσβείας. καὶ τῶν ἐφήβων τῆς ἀγλαύρου. αἱ δὲ ταύτης ἀδελφαὶ σωθεῖλον ἑαυτὰς τὴν ἀδελφὴν, ὅτε καὶ Εὐπάνδρου ὁ λωΐδης ἀλλήλας κατεκλείσαν κινδυνεύειν ἅπασι πρὸς αὐτάς. ex vtriusque verbis, & quae fuerint Erechthei filiae, cognoscitur, & qua de caussa mortem obierint. praeterea hic ipse noster in III. de natura deorum. In plerisque ciuitatibus, inquit, intelligi potest, augendae virtutis caussa, quo libentius reipublicae periculum adiret optimus quisque, virorum fortium memoriam honore deorum immortalium consecratam. ob eam enim ipsam caussam Erechtheus Athenis, filiaeq eius in numero deorum sunt. Tusculana autem quaestione prima, Repetunt inquit, ab Erechtheo: cuius etiam filiae cupide mortem expetiuerunt pro vita ciuium. Et de finibus lib v. Quis vlbis consetaneam Codrum quis Erechthei filias nō maxime laudat? Praeterea in funebri oratione pro militibus Athenienſibus, quae λόγος ἐπιτάφιος inscribitur, ἤθεσαν ἅπαντες ἐρεχθεῖδαι τὸν ἐπώνυμον αὐτῶν ἐρεχθέα ἔτεκε δὲ σῶσαι τὴν χώραν τὰς αὐτοῦ παῖδας. ἐς ὑπαιθίδας λατέσιν, εἰς πρᾶπον δ' ἀνατον δάντα ἀναλῶσαι in oratione contra Leocratem, recitati etiam Euripidis versibus. Q. *Mucius*] historia patet apud Liuium lib. II. PATER,] qui se Latino bello in armatas iecit hostium cateruas. Liuius lib. IX. POST *aliquot annos*] Etrusco bello Liuius lib. x. tertium Decium hic omisit: qui & ipse, patris auiq. exemplum secutus, Pyrrhi bello, quod aduersus Romanos pro Tarentinis gessit, mortem pro salute patriae pugnans oppetijt. duos etiam tantum nominat in I. Paradoxo. at lib II. de finibus, tres commemorat. PATREM *huius M. Crassi*] eius, qui perijt in Parthis. INIMICVM,] L. Cinnam. Illa audiuimus, inquit, in oratione pro Scauro, hoc vero meminimus, ac paene vidimus, eiusdem stirpis ac nominis P. Crassum, ne

in manus incideret inimicorum, se ipsum interemisse. Et Pedianus haec adiungit: Hic Crassus fuit pater Crassi eius qui aemulus potentiae Cn Pompeij fuit. perijt autem in dominatione L. Cinnae. In prooemio autem lib. III. de oratore. Non, inquit L. Crasso, propinquum suum, maximi animi virum, suapte interfectum manu vidit. Idem & in epitome Liuiana lib. LXXX.

ORATIO

HAec ego, & multa alia cogitans, hoc videbam; si causam publicam mea mors peremisset, neminem vnquam fore, qui auderet suscipere cōtra improbos ciues reip. salutem: itaque non solum si vi interissem, sed etiam si morbo exstinctus essem, fore putabam, vt exemplum reip. conseruandae mecum simul interiret. quis enim vmquam, me a senatu populoq. R. tanto bonorum omnium studio restituto, quod certe, si essem interfectus, accidere non potuisset, vllam reip. partem cum sua minima inuidia auderet attingere? seruaui igitur remp. discessu meo, iudices: caedem a vobis liberisq. nestris, vastitatem, incendia, rapinas meo dolore luctuq. depuli, & vnus remp. seruaui, semel gloria, iterum aerumna mea. neque enim in hoc me hominem esse inficiabor vmquā, vt me optimo fratre, carissimis liberis, fidissima cōiuge, uestro conspectu, patria, hoc honoris gradu sine dolore caruisse glorier. quod si feci ssem; quod a me beneficium haberetis, cum pro vobis ea, quae mihi essent vilia, reliquissem? hoc, meo quidem animo, summi in patriam amoris mei signum esse debet certissimum, quod, cum abesse ab ea non possem sine summo dolore, hunc me perpeti, quā illam labefactari ab improbis, malui.

EXPLANATIO

CVM *sua minima inuidia*] quis non modo cum maxima, sed ne minima quidem sua cum inuidia, vlla reipublicae partem suscipere ausus esset, cum discessum meum miserrimum luctuosumq. vidisset, reditum autem glorioſum, me ante exstincto, videre non potuisset? VASTITATEM,] vastare, non est rapere sed rapere simul, & destruere. SEMEL *gloria, iterum aerumna mea.*] gloriam coniurationis oppressae, aerumnam exsulij sui significat. MIHI *hominem esse*] hoc totum & in ea scriptum est pro domo sua. HOC *honoris gradu*] nullum tunc administrabat magistratum: sed honorem & dignitatem illam dicit, qua post magistratus egregie gestos viri praestantes in patria fruuntur. LABEFACTARI] quod factum esset, si dimicare potius, quam cedere maluissem.

ORATIO

MEmineram, iudices, diuinum illum virum, atque ex ijsdem, quibus nos, radicibus natum ad salutem imperij huius, C. Marium, summa senectute, cum prope vita iustorum armorum profugisset, primo senile corpus paludibus occultasse demersum, deinde ad infimorum ac tenuissimorū hominum Minturnis miserieordiam cōfugisse, inde nauigio per paruo, cū omnes portus, terrasq. fugeret, in oras Africae desertissimas peruenisse. atque ille vitam suam, ne inultus esset, ad incertissimam spem, & ad reip. statum reseruauit: ego, qui, (quemadmodum multi in senatu me absente dixerunt) periculo reip. viuebam, quiq. ob eam causam consulatibus litteris de senatus sentētia exteris nationibus commendabar, non ne, si meam vitam deseruissem, remp. prodidissem? in quo quidem nunc, me restituto, viuit mecum simul exemplum fidei publicae, exemplum reip. defendendae. quod si immortale retinetur, quis non intelligit, immortalē hanc ciuitatem futuram? nam externa bella regum, gentium, nationum iampridem ita exstincta sunt, vt praeclare cum ijs agatur, quos pacatos esse patiamur. denique ex bellica victoria non fere quemquam est inuidia ciuium consecuta. domesticis malis, & audacia ciuium cōsilijs saepe est resistendum, eorumq. periculorum est in rep. retinenda medicina: quam omnem, iudices, perdidissetis, si meo interitu senatui populoq. R. doloris sui de me declarandi potestas esset erepta.

EXPLANATIO

EX *ijsdem, quibus nos, radicibus*] vterque enim Arpini natus est. SVMMA, *senectute,*] hanc enim miseriam sustinuit Marius post VI. consulatū, anno aetatis suae. si Velleio credimus LXX. a quo dissentit Plutarchus: qui eum annum agentem LXIIX. perijsse tradit. PROPE *vim iustorum armorum*] prope iusta vocat arma, quibus L. Sūlla duodecim, vt ait Velleius, nouarū pessimarumq. rerū auctores inter quos Mariū cū filio, & P. Sulpicio tribuno pl. vrbe exturbauit. nulla in ciues arma iusta sunt: sed illa prope iusta Plutarchus, Velleius, Pedianus, epitome Liuij. PALVDIBVS *occultasse*] historiam apud Plutarchum, Appianum, Velleium, Liuij epitomen licet videre. DESERTISSIMAS] peruenit enim in ea loca, vbi aemula quondam Romanae vrbis Carthago fuerat, ibiq. vitam inopem in tugurio ruinarum Carthaginiensium toleravit. Velleius INCERTISSIMAM *spem,*] qui enim ab omni re tum nudus esset, eius incertissima spes, maximeq. dubia videbatur. AC *reip. statum*] ad id tempus, quo, mutatione rerum facta, alius, atque is, qui tunc erat, status reipublicae videretur esse. quod cum accidisset,

ridisset Sulla ad Mithridaticū bellū profecto; ipse suam pristinam dignitatē recuperauit, interfectis iis, qui Sullae partes tuebantur. PERICVLO *reip.*] cū in mea vita periculū adiret respublica, mecum q simul periclitaretur: cū eadē vtrique fortuna impenderet: cū accidere mihi ad illa seiunctum nihil posse videretur. CONSVLARIBVS *litteris*] non consulū, sed eorū, qui cōsules fuerant: quorū apud exteras nationes vigebat auctoritas. EXEMPLVM *reip defendendae.*] non enī deerunt, qui exemplo meo excitati rempublicam defendant: cum, & si me iniquorum fraude pulsum, eundem tamen ab ipsa republica omnium ordinum hominumq. consensu restitutum meminerint. quod nisi factum esset exemplum defendendae reipublicae mecum simul interijsset. GENTIVM *nationum*] natio, latius patet, quam gēs. sic enim plures in natione gentes, vt plures in gente populi. itaque Virg. l x. de natione Etrusca, Gens illi triplex, populi sub gente quatterni. Tamen interdū cōfunduntur, vt in orat. de prouincijs cum dixit, Agentib. inimicis huic imperio, de ijsdem proxime subiunxit, quas nationes. RETINENDA *medicina*:]quae ita retinetur, si bonos & fortes viros respublica fouet, & ab impetu insidijsq. tuetur improborum. nec alienum hoc a Sextij caussa videtur: cui propter ea, quae in tribunatu pl. pro Cicerone, hoc est pro rep. gesserat, excitatā accusationis procellam non semel significat.

ORATIO

QVare moneo vos adolescentes, atque hoc meo iure praecipio, qui dignitatem, qui remp. qui gloriam spectatis, ne, si qua vos aliquando necessitas ad remp. contra improbos ciues defendendam vocabit, segniores sitis, & recordatione mei casus a consilijs fortibus refugiatis. primum non est periculum, ne qui vmquam sint in ciuitate eiusmodi consules, praesertim si erit his id, quod debetur, persolutum: deinde numquam iam, vt spero, quisquam improbus consilio & auxilio bonorum se oppugnare remp. dicet, illis tacentibus; nec armati exercitus terrorem opponet togatis; neque erit iusta caussa ad portas sedenti imperatori, quare terrorem suum falso iactari opponiq. patiatur. numquam enim erit tam oppressus senatus, vt ei ne supplicādi quidem, aclugendi sit potestas; tam captus equester ordo, vt equites R. a consule relegentur. quae cum omnia, atque etiam multo alia maiora, quae consulto praetereo, accidissent; videtis tamen in pristinam meam dignitatem, breui temporis dolore interiecto, reip. vocē esse reuocatum. Sed vt reuertar ad illud, quod, mihi in hac omni est oratione propositum, omnibus malis illo anno scelere consulum remp. esse confectam: primum illo ipso die, qui mihi funestus fuit, omnibus bonis luctuosus, cum ego me e cōplexu patriae conspectuq. vestro eripuissem, &, metu periculi vestri, non mei, furori hominis scelerati, perfidiae, telis, minisq. cessissem; patriamq. quae mihi erat carissima, propter ipsius patriae caritatem reliquissem; cum meum illum casum tam horribilem, tam grauem, tam repentinum non solum homines, sed tecta vrbis, ac templa lugerent, nemo vestrum forum, nemo curiam, nemo lucem aspicere vellet; illo, inquam, ipso die, die dico? immo hora, atque etiam puncto temporis eodem mihi reiq. pub. pernicies, Gabinio & Pisoni prouincia rogata est.

EXPLANATIO

MEO *iure praecipio*,] hoc enim ego praeter ceteros posse videor facere; cum omnium maxime, quàm grato animo respublica ciues optime meritos amplectatur, in me ipso sim expertus. MEI *casus*] cū eiectus sum. reditus enim gloria, non discessus calamitas, cogitanda vobis est. PERSOLVTVM:] si vt meriti sunt, ita punientur. BONORVM] bonos vocat, Caesarem, Pompeium, Crassum: quos excusat, vt in consules & Clodium culpam conuertat vniuersam. iam enim, habendam sibi rationem ocij simul & dignitatis, malo doctus constituerat. itaque, quod eorū animos qui plurimum poterant, possit offendere, nihil temere pronuuciat. IVSTA *caussa*] quia Caesar, ne sui consulatus acta, qnibus & Pomp. Magnus eius gener consenserat, a Clodio trib. pl. rescinderentur, extimescebat: de quo supra, his verbis: Illi autem, quod acta illa, atque omnes res superioris anni labefactari a praetoribus, infirmari a senatu putabant, tribunum popularem a se alienare nolebant. & in ea de prouincijs. IMPERATORI,] quis non videt Caesarem significari? CAPTVS] impeditus, infirmus, nullo apud consules loco. spectat enim ad casum L. Lamiae. NVMQVAM *enim erit tam oppressus senatus*.] cum hic Cicero colligat eas caussas quibus tribunicio furore cedere coactus erat, videtur potius legendum, Numquam etiam. nam, Numquam enim, pertineret ad rationem ostendendam superiorum: quod minus conuenit. BREVI] quia per XVII. tantum menses patria caruit. discessit enim ab vrbe mense Martio, rediit pridie nonas Septembris. PERFIDIAE,] quia, cum Pompeio saepe pollicitus esset, se nihil in tribunatu contra Ciceronem esse acturum, promisso non stetit: de quo in epist. ad Att. lib. II. DIE *dico?*] correctio, qualis illa lib. I. in Verrem: Dictum hoc est in Cn. Dolabellae iudicio: dictum? immo etiam aestimatum. ROGATA *est*.] nam & de me, hoc est de ipsa republica, & de consulum proulncijs lata lex est. in Pisonem, Post Red. in sen.

ORATIO

ORATIO

PRo dij immortales, custodes, & conseruatores huius vrbis, atque imperij, quaenam illa in rep. monstra, quae scelera vidistis? ciuis erat expulsus is, qui remp. ex senatus auctoritate cum omnibus bonis defenderat, & expulsus non alio aliquo, sed eo ipso crimine: erat autem expulsus sine iudicio, vi, lapidibus, ferro, seruitio denique concitato: lex erat lata vasto ac relicto foro, & sicarijs seruisq. tradito, & ea lex, quae vt ne ferretur, senatus fuerat veste mutata. Hac tanta perturbatione ciuitatis, ne noctem quidem consules inter meum discrimen, & eorum praedam intereße passi sunt. Statim, me perculso, ad meum sanguinem hauriendum, & spirante etiam rep. ad eius spolia detrahēda aduolarunt. omitto gratulationes, epulas, partitionem aerarij, beneficia, spem, promissa, praedam, laetitiam paucorum in luctu omnium. vexabatur vxor mea: liberi ad necem quaerebantur: gener, & Piso gener, a Pisonis consulis pedibus supplex reijciebatur: bona diripiebantur, eaq. ad consules deferebantur: domus ardebat in Palatio: consules epulabantur. quod si meis incommodis laetabantur, vrbis tamen periculo commouerentur. sed vt a mea causa iam recedam; reliquas illius anni pestes recordemini. sic enim facillime perspicietis, quantam vim omnium remediorum a magistratibus proximis resp. desiderarit.

EXPLANATIO

SENATVS *auctoritate*] quia senatus decreuerat, vt viderent consules, ne quid respublica detrimenti caperet. SINE *iudicio*] populi. VASTO] cum obessent omnes boni. vastus enim locus dicitur is, vbi solitudo est. vt in II. in Rullum genus agrorum vocat propter pestilentiam vastū, atque desertū. Et festus vastum pro inani vsurpatum a veteribus docet, vtiturq. Attij, & Pacuuij testimonio. STATIM *me perculso*,] statim, lege de me lata, ad mea bona diripienda conuolarunt. post reditum in senatu. SANGVINEM] tralationem continuat. sunt enim illa tralata: Me perculso, meum sanguinem hauriēdum, spirante republica, spolia detrahenda. dicit autem, spirante republica, cum de se ipso loquatur, quia rempublicam vna cum ipso perculsam confectamq. esse vult existimari. itaque & proxime, Eadem, dixit mihi reip. publicae pernicies rogata est & in Pisonem nō modo suum, sed etiā patriae funus appellat. & alibi saepissime idem significat. PARTITIONEM *aerarii*.] cum Clodio: qui, lege lata de maximis pecunijs Pisoni & Gabinio dandis, quasi euntibus cum exercitu in prouincias necessariae magnopere essent, eas deinde pecunias cum ipsis partitus est. supra, & pro domo sua. VEXABATVR *vxor mea*.] quippe quae etiam ad tabulam Valeriam ducta sit epist. fam. lib. XIV. PISO *gener*] tres generos habuisse Ciceronem constat, L. Calpurnium Pisonem Frugi, Furium Crassipedem, P. Cornelium Lentulum Dolabellam. qua in re Pediani error deprehenditur, qui in oratione in Pisonem duos fuisse commemorat Pisonem, & Dolabellam Crassipedis praenomen ignoratur. REIICIEBATVR.] eadem res in orat. in Pisonem. AD *consules deferebantur*:] ad Gabinium villa Tusculana ad Pisonem Palatina domus. nam in oratione post reditum in senatu, Domus, inquit, mea diripiebatur: ardebat bona ad vicinum consulem de Palatio, ille Tusculano ad item vicinum alterum consulem deferebantur. & pro domo sua: Cum domus in Palatio, villa in Tusculano altera ad alterum cōsulem transferebatur: columnae e marmoreae exaedibus meis, inspectante populo Romano, ad socrum consulis (sic enim ex oratione in Pisonem, & ex Pediano correxi) portabantur: in fundū autē vicini cōsulis nō instrumentū, aut fundamenta aulae, sed etiā arbores trāsferebantur. in ea vero in Pisonem: At tu, inquit, illo ipso tempore apud socrum tuam, cui domum meam exhauriendā patefeceras, sedebas. VRBIS *tamen periculo commouerentur*.] vel quod ea simul cum salute Ciceroni periclitaretur: vel quod ob ea, quae proxime commemorabit, proprium vrbis periculum ageretur.

ORATIO

LEgum multitudinem, cum earum, quae latae sunt tum, vero quae promulgatae fuerunt, dicam? nam latae quidem sunt consulibus illis tacentibus: promulgatae vero approbantibus etiam: vt censoria notatio, & grauissimū iudicium sanctissimi magistratus de rep. tolleretur: vt collegia, non modo illa vetera contra S. C. restituerentur, sed ab vno gladiatore immemorabilia alia vona conscriberentur: vt, remissis semissibus & tricensibus, quincta prope pars vectigalium tolleretur: vt Gabinio pro illa sua Cilicia, quam sibi, si remp. prodidisset, pactus erat, Syria daretur: vt vni beluoni bis de eadem re deliberandi, & rogata lege, potestas fieret prouinciae commutandae. vt ritum legem, quae omnia intra legibus, auspicia rum potestatum, omnes leges, quae sunt de iure & de religione legum rogandarum, vna rogatione delerentur. vt vrbanam domesticam labem, etiā exteras nationes illius anni furore sorduissetas, videbamus lege tribunicia Matris Magnae, Pessimus ille sacerdos expulsus, & spoliatus sacerdotio est; summa sanctissimarum, atque antiquissimarum religionum vendidisse pecunia grandi Brogitaro, impuro hominī, atque indigno illa religione, praesertim cum ea sibi illa non colendi, sed violandi causa appetisset: appellati reges a populo, qui id numquam ne a senatu quidem postulassent: reducti

reducti, exsules Byzantium condemnati, tum cum inde omnati ciues e ciuitate eiiciebantur. Rex Ptolemaeus, qui si nondum erat ipse a senatu socius appellatus, erat tamen frater eius regis, qui, cum esset in eadem causa, iam erat a senatu honorem istum consecutus; erat eodē genere, iisdemq. maioribus, eadem uetustate societatis; denique erat rex, si nondum socius, at non hostis; pacatus, quietus, fretus imperio populi R. regno paterno atque auito, regali otio perfruebatur.

EXPLANATIO

PROMVLGATAE] aliquot igitur non perlatae, tribuno pl aliquo, vt opinor, intercedente. quod & infra patet, & pro domo sua. DICAM?] non dubitat, vtrum dicat an omittat; sed indicat. legum multitudinem oratione vix posse comprehendi. VT *censoria notatio*,] hac de Clodij lege sic in oratione in Pisonē: Ab eodem homine, in stupris inauditis nefarijsq. versato, vetus illa magistra pudoris & modestiae, censoria seueritas sublata est. Quem locum Pedianus sic exponit: Tulit P. Clodius tribunus pl. legem, ne quem censores in senatu legendo praeterirent, ne ve qua ignominia afficerent, nisi qui apud eos accusatus, & vtriusque censoris sententia damnatus esset Haec Pedianus. Dio autem lib. XL. hanc legē a Scipione consule, Magni Pompeij socero, esse abrogatam tradit. Quod autem scriptum est, Censoria notatio, & grauissimum iudicium; non dubito quin rectius sit, Censoria notio non enim potest esse notatio ante iudicium: sed iudicabant prius censores, quam notarent. quare primum ipsa me ratio mouet, vt notio pro notatio, reponendum putem: deinde habeo duo in duabus eiusdem orationibus exempla. nam in ea de prouincijs consularibus, in extremo fere, Stabuendum, inquit, vobis est, legem Aeliam manere, legem Fufiam non esse abrogatam, non omnibus fastis legem ferri licere; cum lex feratur, de caelo seruari, obnunciari, intercedi licere; censoriū iudicium ac notionem, & illud morum seueriſſimum magisterium non esse nefarijs legibus de ciuitate sublatum. In Pisonem autem: Centum prope annos legem Aeliā & Fufiā tenueramus, quadringentos iudicium notionemq. censoriam: quas leges ausus est non nemo improbus, potuit quidem nemo vmquam conuellere, quam potestatem minuere, quo minus de minoribus nostris quincto quoque anno iudicaretur, nemo tam effuse petulans conatus est. COLLEGIA,] non sunt eadem iteranda. satis hac de lege, & de collegiorū nomine diximus supra. VECTIGALIVM] lege enim lata, vt frumentum populo, quod antea semis aeris, hoc est quadrante, vt vulgo nunc appellantur, cū dimidio, in singulos modios dabatur, gratis daretur, vectigalia quincta fere parte diminuebantur. hanc legē & Saturninus. & ante C. Gracchus tulerat. epitome Liuiana lib. LX. ad Herenniū lib. I. & Pedianus. VNI *heluoni*] ipsi Vatinio; quod esset homo nequā, dissolutus, & intēperantia perditus. DE *eadem re*] de prouincia. vide pro domo sua. EAM *legem*.] quae legem Aeliā & Fufiā euertit. vide supra. RELIGIONVM,] nullam enim religionem, cum lex ferretur, impedimento esse voluit. posuit autē primū genus, deinde speciem. nam inter religiones sunt auspicia. AVSPICIORVM,] ne auspicia valerent. POTESTATVM,] ne quis intercederet, supra. DE *iure, & de tempore*] de iure, hoc est de auspicijs, erat Aelia: de tempore, Fufia. Clodius vtramque sua lege deleuit. tulit enim, vt nequis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de caelo seruaret: & vt omnibus diebus fastis legem ferri liceret. supra. OMNEM *domesticam labem*.] leges de rebus vrbanis a Clodio latas & dixit, Omnem: quasi praeter ea, quae iā commemorauit, supersint multa. TRIBVNICIA,] P. Clodij tribuni pl. BROGITARO,] Gallograeco, Deiotari, regis genero. vide de haruspicū responsis. CVM *ea*] vel, Ea, quae ad religionē pertinent, quae illi Clodius sua lege assignauit: vel, Eam, lege: vt ad religionē referatur. NE *a senatu quidem*] non ā populo, sed a senatu reges appellabantur. primū igitur in eo peccat Clodius, quod reges per populū, nō per senatū appellat: deinde, quod eos appellat, qui id nūquā, nō modo a populo, sed ne a senatu quidē postularint. satis autem constat, haec omnia significari, a Clodio mercede, & pretio esse facta. nā & in ea pro domo sua, Situus inquit, scriptor in illo incēdio ciuitatis nō syngraphas cū Byzantijs exsulibus, & cū legatis regijs faceret. & proxime infra, Regū appellationes venales erant. Et pro Milone: Eū, qui regna dedit, ademit. CONDEMNATI,] nimis iniuste, nimis tyrannice agit Clodius: exsules, legibus cōdemnatos, reducit; ciues eijcit indemnatos. in quo se ipsum Cicero significat. qua de re saepe queritur, & in oratione pro domo, & alibi. PTOLEMAEVS,] Cypri rex: qui, accepto de lege Clodia nuncio, quae regnū vniuersamq regiā gazā publicabat, ipse sibi, veneno sūpto, mortē intulit. causſam regni publicati scripsit Dio lib. XXXIIX. quod olim Clodiū a piratis captū Cypri rex Ptolem. redimere noluisset. hac de re & in ea pro domo sua bis. Et est notandū ἀναχολουθον nā rex Ptolemaeus nō est, quo referatur. quale illud in Tusculana III in extremo, Philosophia cū vniuersam aegritudinē sustulit, tamen &c. EIVS *regis*,] Alexandrini; qui & ipse Ptolemaeus vocabatur: de quo in libro epistolarum ad Lentulum. IN *eadem causſa*,] cū meritis in populum Romanū fratri, Cyprio regi, non praestaret. sed pari cum eo condicione esset. HONOREM *istum*] societatis. vnde illa pro Rabirio Postumo: Non ei regi credidit, qui alienus ab hoc imperio esset. sed ei, qui cum foedus fieri in Capitolio viderat. Societatis autem honorem Ptolemaeus Alexandriae rex, C. Caesaris cos. beneficio, consecutus est. quod ipse Caesar scripsit lib. III. de bello ciuili. EADEM *uetustate societatis*.] nō dicit, socium fuisse cum fratre, vetusta societate: (iam enim hoc negauit) sed vtrūque a maioribus ortum vetusta populo Romano societate coniunctis. nam inde ab eo tempore, cum Pyrrhus rex in Italiam transijt, populus Romanus cum Aegypti rege Ptolemaeo societatē coierat.

ORATIO

ORATIO

De hoc, nihil cogitante, nihil suspicante, eisdem operis suffragium ferentibus, est rogatum, vt sedens cum purpura, & sceptro, & illis insignibus regijs praeconi publico subijceretur; & imperante populo R. qui etiam bello victis regibus regna reddere consueuit, rex amicus, nulla iniuria commemorata, nullis repetitis rebus, cum bonis omnibus publicaretur. multa acerba, multa turpia, multa turbulenta habuit ille annus: tamen illi sceleri, quod in me illorum immanitas edidit, haud scio an recte hoc proximum esse dicam. Antiochum illum magnum maiores nostri, magna belli contentione terra mariq. superatum, intra montē Taurum regnare iusserunt: Asiam, qua illum multarunt, Attalo, vt is regnaret in ea, condonauerunt. cum Armeniorum rege Tigrane graue bellum perdiuturnumq. gessimus, cum ille, iniurijs in socios nostros inferendis, bello propemodum lacessisset. hic & ipse per se vehemens fuit, & acerrimū hostem huius imperij Mithridatem, pulsum Ponto opibus suis regnoq defendit; & a Lucullo, summo viro atque imperatore, pulsus animo tamen hostili cum reliquis copijs sui in pristina mente permansit. hunc Cn. Pompeius, cum in suis castris supplicem abiectumq. vidisset, erexit; atque insigne regium, quod ille de suo capite abiecerat, reposuit; & imperatis certis rebus, regnare iussit; nec minus & sibi, & huic imperio gloriosum putauit, constitutum a se regem, quam constrictum videri. Tulit gessit, qui & ipse hostis fuit populi R. & acerrimum hostem in regnum recepit, qui conflixit, qui signa contulit, qui de imperio paene certauit, regnat hodie, & amicitiae nomen, ac societatis, quod armis violarat, id precibus est consecutus. ille Cyprius miser, qui semper socius, semper amicus fuit, de quo nulla vnquam suspicio durior aut ad senatum, aut ad imperatores nostros allata est, viuus (vt aiunt) est, & videns, cum victu ac vestitu suo publicatus.

EXPLANATIO

EISDEM *operis*] quarum suffragio & alias iniquissimas leges Clodius pertulerat. NVLLA *iniuria commemorata*] nota consuetudinem populi Romani qui nemini, nisi ob acceptas iniurias, aut ablatas res, quae per feriales repetebantur, bellū aut damnum inferre solitus erat. quod vtrumque a Clodio neglectum est. ILLVM *magnum*] Asiae e regem qui, cum multi fuerint Antiochi reges, opibus & potentia cunctis antecelluit, ideo, vt ab alijs distinguatur appositum, Illum magnum. SVPERATVM,] a L. Scipione, Africani maioris fratre: qui ob eam caussam Asiatici cognomen est adeptus. ATTALO,] Eumenis fratri, qui eam postea populo Romano moriens testamento legauit. BELLO *paene*] non enim bello Tigranes Romanos lacessiuit: sed, vexandis socijs, quasi bellum inferre videbatur non satis habet Cicero, populum Romanum excusare, qui non lacessitus bellum intulerit; sed excusat etiam cum laude, quod sociorum iniurias suas iniurias duxerit. ACERRIMVM] qui bellū per annos quadraginta cum Romanis gesserit. A. LVCVLLO,] qui Mithridatem, atque etiam Tigranem ita iuuit, vt Pompeio, qui successit, non difficiles belli reliquias tradiderit. vnde inimicitiarum inter eos origo fluxit: cum vterque eius belli gloriam ad se traheret. Plutarchus, & alij. CONSTITVTVM *a se regem, quam constrictum*] iucunditatem in vocum similitudine quaesiuit. nam cōstitutum & constrictū & similiter incipiunt, & similiter desinunt. hanc figuram Graeci παράγραμμα dicunt TVLIT *gessit*,] apertum mendum. nec dubium est quin Tigranes significetur, cuius comparatione auget Clodij scelus ex Ptolemaei iniustissima calamitate. est enim argumentū a maiori. si Tigrani, inquit qui hostis fuit populi Romani, regnum conseruastis: quanto magis Ptolemaeo, qui semper socius semper amicus fuit, conseruare debuistis? postulat igitur sententia, vt pro, Tulit gessit, reponatur Tigranes igitur, vel, igitur is. sed quoniam odi coniecturas, quae a litterarum similitudine discedunt; opē veterum librorū exspectandā censeo. alio qui nihil tentandum. ACERRIMVM *hostem*] Mithridatem dici constat. DE *imperio paene*] non omnino, sed paene actum esset de imperio populi Romani si, cum Tigranes signa contulit, victoriā consecutus esset. alios enim exercitus parare, iterumq. belli fortunam experiri nobis licuisset. QVI *semper socius*,] nō ad ipsum Ptolemaeum, sed ad maiores eius referendum est. nā ipse, cum Clodius legē tulit, nondū erat socius. dixit igitur, semper socius, pro, qui veterē nobiscum societatē conseruabat. maiores enim eius inter socios fuisse pop. Romani, indicant illa verba, Erat eodem genere, ijsdem maioribus, eadē vetustate societatis quod maiores eius socij nostri semper fuerint. Ammianus tamen lib. XIV. foederatum, & socium appellat his verbis: Ptolemaeo rege, foederato nobis, & socio, ob aerarij nostri angustias iusso sine vlla culpa proscribi, ideoq. hausto veneno voluntaria morte deleto, & tributaria facta Cyprus est, & velut hostiles eius exuuiae classi impositae, ī vrbē aduectae sunt per Catonē? VIVVS, *& videns*,] Sumpsit a Terētio: apud quē in Eunucho ita loquitur Phaedria: Prudens, sciens, viuus videnſque pereo.

ORATIO

EN, *cui ceteri reges stabilem esse suam fortunam arbitrentur; cum, hoc illius funesti anni perdito exemplo, uideant per tribunum aliquem, & sexcentas operas se fortunis spoliari, & regno omni posse nudari.*

At etiam

At etiam eo negotio M. Catonis splendorem maculare voluerunt, ignari, quid grauitas, quid integritas, quid magnitudo animi, quid denique virtus valeret: quae in tempestate saeua quieta est, & lucet in tenebris, & pulsa loco manet tamen, atque haeret in patria; splendetq. per se semper; neque alienis umquam sordibus obsolescit. nō illi ornandum M. Catonem, sed relegandum; nec illi committendum illud negocium, sed imponendum putauerunt; qui in concione palam dixerint, linguam se euellisse M. Catoni, quae semper contra extraordinarias potestates libera fuisset. sentient, vt spero, breui tempore, manere libertatem illam, atque hoc etiam, si fieri poterit, esse maiorem. quod cum consulibus illis M. Cato, etiam cum iam desperasset aliquid auctoritate sua profici posse, tamen voce ipsa, ac dolore pugnauit, & post meū discessum ijs Pisoneta verbis, fleus meum & reip. casum, vexauit, vt illum, hominem perditissimum, atque impudentissimum, paene iam prouinciae paeniteret. cur igitur rogationi paruit? quasi vero ille non in alias quoque leges, quas iniuste rogatas putaret, iam ante iurarit.

EXPLANATIO

EN. CVR *ceteri reges*] de hac figura diximus lib. 1. in Verrem, in eo loco: En cui tuos liberos committas. MACVLARE] nam regiae gazae vendendae, & pecuniae deportandae M. Catonem, lege lata, Clodius praefecit; non vt Catonem ornaret; sed partim vt virum fortissimum, & improbis ciuibus infensum, a republica remoueret; partim vt, si quis deinde legem illam de Cypro publicatam vellet accusare, socium, ac defensorem haberet M. Catonem, vtpote qui eius negocij particeps fuisset. quod sane ita contigit. pro domo sua, de prouincijs consularibus, Plutarchus, Velleius. IGNARI, &c.] laudat virtutem; vt Catoni, viro innocentissimo, & omni laude praedito, nullam ex illo negocio haerere infamiā potuisse constet. turpis quidem Clodius, qui legem tulit: non tamen turpis Cato, qui negocium, ea lege impositum administrauit. IMPONENDVM] & rei, & hominis caussa hoc verbo vsus est: vt hoc significet, & rem Catone indignam esse impositam, & impositam inuito. quod & Dio tradit libro XXXIX. EVELLISSE] sic & in ea pro domo sua, quo modo autem euellisse; quia Cato susceptō & administrato negocio, contra leges a Clodio in tribunatu latas pro sua vetera publicata: quae si tolleretur, ea simul, quae Cato in Cypro gesserat, tolli necesse erat. nec sane parum callide Clodius cogitauit. nam, quod fore putauit, id ipsum euenit; vt Cato, ne, quae ipse in Cypro & Byzantij egisset, infirmarētur, Clodij tribunatum contra Ciceronem defenderet. de quo in oratione de prouincijs consularibus, & Plutarchus in Cicerone. POST *meum discessum*] errat igitur Plutarchus, qui Catonem ait ante Ciceronem a Clodio emissum. PROVINCIAE *paeniteret.*] cuius mercede, ac pactione inductus, cum Clodio de mea pernicie cōsenserat. PARVIT?] quod in Cyprū iuit.

ORATIO

NOn offert se ille istis temeritatibus, vt, cum reip. nihil prosit, se cum reip. priuet. consule me, cum esset designatus tribunus pl. obtulit in discrimen vitam suam: dixit eam sententiam, cuius inuidiam capitis periculosi sibi praestandam videbat: dixit vehementer, egit acriter, ea, quae sensit, prae se tulit, dux, auctor, actor rerum illarum fuit, non quo periculum suum non videret: sed in tanta reip. tempestate nihil sibi, nisi de patriae periculis, cogitandum putabat. consecutus est ipsius tribunatus. quid ego de singulari magnitudine animi eius, ac de incredibili virtute dicam? meministis illum diem, cū, templo a collega occupato, nobis omnibus de vita eius uiri & ciuis timentibus, ipse animo fortissimo venit in tē plum, & clamorem hominum auctoritate, impetum improborum virtute sedauit. adijt tum periculum, sed adiit ob caussam, quae quanta fuerit, iam mihi dicere non est necesse. at, si isti Cypriae rogationi sceleratissimae nō paruisset, haereret illa nihilo minus in rep. turpitudo. reguo enim iam publicato, de ipso Catone erat nominatim rogatum. quod ille si repudiasset; dubitatis, quin ei vis esset allata, cum omnia acta illius anni, per illum vnum labefactari viderentur? atque etiam hoc iubebat: quoniam illa in rep. macula regni publicati maneret, quam nemo iam posset eluere; quod ex malis boni posset in rep. prouenire, id vtilius esse per se conseruari, quam per alios amitti. atque ille, etiam si alia quapiam vi expelleretur illis temporibus ex hac vrbe, facile pateretur, etenim qui superiore anno senatu caruisset; quo si tum veniret, me tamen socium suorum in rep. consiliorum videre posset: is aequo animo tum, me expulso, & meo nomine cum vniuerso senatu, tum sententia sua condemnata, in hac vrbe esse posset? ille vero eidem tempori, cui nos, eidem furori, eisdem consulibus, eisdem minis, insidiis, periculis cessit. luctum nos hausimus maiorem; dolorem ille animi non minorem.

EXPLANATIO

DESIGNATVS *tribunus pl.*] nonis Decembris: quem saepe diem sibi glorioſum, reipublicae salutarem Cicero nominat, de cōiuratis in senatu dictae sententiae sunt: factoq. in Catonis sententiā senatus consulto, in carcere necati. hinc apparet, quod in Pediano legitur, falsū esse, magistratū inijsse tribunos pl. nonis Decembribus. nā designatū hic apparet fuisse tribunū M. Catonē, quo die

dictae sententiae sunt de cõiuratis: quē fuisse nonas Decembris ex ea pro Flacco, ex epistola M. Bruti è Sallustio, & Plutarcho nō dubie cōstat. primus autē magistratus dies tribunis pl. fuit, iv. idus Decembris, quod a Dionysio, & Liuio cognouimus. SIBI *praestandam*] ita grauē sibi inuidiā videbat impendere, vt eā subire sine vitae periculo nō posset subijt tamē, patria vitae ante lata. TEMPLO *a collega occupato*,] Q. Metellus Nepos, M. Catonis in tribunatu pl. collega legē de Pompeio cū exercitu ex Asia ad vrbē reuocādo perferre conatus est. obstitit Cato, nō sine vitę periculo, vt Plutarchus in eius vita docet. Templū hic Cicero vocauit Rostra, in quibus leges ferri solitae sunt. nā loca omnia augurijs cōstituta templa dicebātur. & vt nō omnia templa sancta, sic nec sacrae omnes aedes templa apud veteres fuere. illud ex Varrone hoc ex Gellio cognoscitur. Varro sic lib. vi. de līgua Latin. Curia Hostilia templum est, & sanctum nō est. Gellius autē lib. xiv. c. 7. ex libro Varronis quarto epistolicarum quaestionū haec recitat: Docuit, cofirmauitq. nisi in loco per auguria cōstituto quod tē plū appellaretur, S. C, factū esset, iustum id nō fuisse propterea & in curia Hostilia, & in Pompeia, & post in Iulia cū profana ea loca fuissent, tēpla esse per auguria cōstitūta, vt in ijs S. C. more maiorū iusta fieri possent. inter quae id quoque scriptū reliquit: nō omnes aedes sacras templa esse ac neq; idem quidē Vestae templū esse. Suggestus igitur ille, qui in foro fuit, vnde tribuni pl. ad populum leges ferebāt, modo Rostra, modo templū vocabatur; Sed templū, vt opinor, prius, quā Rostra. nā Varro lib. v. in templo adesse homines, dixit, pro in Rostris. Et Cicero de Inuent. lib. 2. tribunū pl. de templo deducere. Et Liuius lib. iii. P. Valerius, inquit, se ex curia proripuit: inde in templū ad tribunos venit. Rostra quę postea dicta sunt, templū vocauit. Liuius lib. ix. Naues Antiatum partim in naualia Romae subductae, partim incensae: Rostrisq earū suggestū in foro exstructū adornari placuit: Rostraq. id templū appellatū. Et infra, eo ē libro. Rostra significat, cū ait: Digressum eū templo laetus senatus laetior populus, circumfusi, ac gratulantes hinc magistro equitū, hinc dictatori, prosecuti sunt. Et lib. xxiii. Egressus curia in templo magistratuum cōtendit, comprehēditq D. Magium, atque ante pedes statutū caussam dicere iussit. Abundamus Ciceronis exemplis. nā in hac oratione inquit de Fabricio tribuno pl. Princeps rogationis. Q. Fabricius templum aliquanto ante lucem occupauit. Et infra: Tribunos pl. ferro e Rostris expulsos. quo loco Q. Fabricium, a quo templum occupatum dixerat, significat. Et in Vatinium L. Vectium in concionem produxeris; indicem in Rostris, in illo, inquam, augurato templo & loco collocaris. Et pro lege Manilia de Rostris loquitur, cum ait in extrema oratione: Deos omnes testor, eos maxime, qui huic loco temploq. praesident. Et in Verrem lib. iii. Quid possumus contra illū praetorem dicere, qui quotidie templum tenet? Nec aliter accipio illud in lib. 2. de oratore: Vi pulsum ex templo L. Cottam, & T. Didium, cum intercedere vellent rogationi, nemo poterat negare. A. COLLEGA] Q. Metello Nepote, qui, vt iniquā legem ferret, templum occupauit. non tulit autem, Catone cum vitae periculo resistente. Plutarchus in eius vita ADIIT *tum periculum*,] me consule, & anno sequenti, cum obstitit Metello consuli. HAERERET *illa nihilo minus in rep. turpitudo.*] nihilo minus omnia regia bona praeconi subiecta venissent. cum enim, vt negocium illud Cyprium a Catone administraretur, lata lex est; iam regnum erat publicatum. PER *illum iam labefactari*] si, Clodia lege contempta in Cyprum ire recusaret. quo quidem ostendisset, leges Clodij nullas esse. QVOT *ex malis boni possent in rep. peruenire*,] malum fuit, insonti regi sine caussa suum eripere: bonum de bonis illius coactam pecuniam in aerarium inferre. quod a Catone potius, integerrimo homine, quam a quouis alio fieri, e rep. fuit. ALIA *quapiam vi*] placet, vt est in Maffeiano libro, Aliquapiam vi: vt, quemadmodum ab alius quisquam fit aliquisquam, (nam dixit Liuius lib. xxxxi. Nec vllos alicuiquiam in seruitutem dari placere) sic ab alius quispiam deducatur aliquispiam. SVPERIORE *anno*] Caesare consule. quo anno, cum nihil more maiorum gereretur, Caesare leges & auspicia negligente; Cato desperatione quadam in senatum non venit. SENTENTIA *sua*] cum enim pulsus est Cicero, tum damnari, & senatus visus est, sententia Catonis. pulsus enim est ob coniuratorum necem. illi autem e senatus consulto, Catonis in sententiam facto, necati sunt. CESSIT.] cum Cypriae rogationi paruit, & in Cyprum profectus est.

ORATIO

His de tot, tantisq inurijs in socios, in reges, in liberas ciuitates consulum querella esse debuit. in eius magistratus tutela reges, atque exterae nationes semper fuerunt. ecquae vox vmquam est audita consulum? quamquam quis auderet, si maxime queri vellet? de Cyprio rege quererentur, qui me ciuem, nullo meo crimine, patriae nomine laborantem, non modo stantem nō defenderunt, sed ne iacentem quidem protexerunt? cesseram, si alienam a me plebem fuisse vultis, quae non fuit, inuidiae; si commoueri omnia videbantur, temporis; si vis fuberat, armis; si societas magistratum, factioni; si periculum ciuium, reip. cur, cum de capite ciuis, (non disputo, cuiusmodi ciuis) & de bonis proscriptio ferretur, cum & sacratis legibus, & XII tabulis sancitum esset, vt neque priuilegium irrogari liceret, neque de capite, nisi comitijs centuriatis, rogari, nulla vox est audita consulum? constitutumq. illo anno est, quantum in illis duabus huius imperij pestibus fuit, iure posse per operas concitatas quemuis ciuem nominatim tribuni pl. consilio ex ciuitate exturbari? quae vero promulgata illo anno fuerunt, quae promissa multis, quae conscripta, quae sperata, quae cogitata, quid dicam? qui locus orbis terrae iam non erat alicui destinatus? cuius negotij publici cogitari, optari, fingi curatio potuit, quae

quae non esset attributa, atque descripta? quod genus imperij, quae prouincia, quae ratio aut auferendae, aut conflandae pecuniae, non reperiebatur? quae regio, quae terrarum paullo erat latior, in qua non regnum aliquod statueretur? quis autem rex, qui illo anno non aut emendum sibi, quod nō habebat, aut redimendum, quod habebat, arbitraretur? quis prouinciam, quis pecuniam, quis legationem ab senatu petebat? Damnatis de vi restitutio, consulatus petitio ipsi illi populari sacerdoti comparabatur.

EXPLANATIO

IN *socios, in reges, in liberas ciuitates,*] in Pessinuntē, in Ptolemaeum, in Byzantium. supra. QVIS *audiret,*] transit a parte ad totum, hoc est a cōsulibus ad omnes ciues. quis inquit, in ciuitate cōtra P. Clodium, facinorosum hominē, & audacē mittere vocē, si maxime vellet, audiret? rursus a toto ad partē hoc est ad cōsules, orationē conuertit. mihi, inquit, quia patriā a cōiuratorum scelere vindicarā, laborāti nō modo ante discessum meū, sed ne post discessum quidē auxilio fuerunt. & metaphora, quae sit per oppositionē, quā Aristoteles laudat, vsus est: nam, stantē & iacentē, cū translata sunt, tum etiā antitheta. Suspicor tamē legendum hic esse: Quamquā quis audiret, si maxime queri vellent: SOCIETAS, *magistratuum*] inter consules & tribunum pl. vt illi de mea pernicie, cū lex rogaretur, conniuerent: hic prouincias quas vellent, sceleris mercedem daret. SACRATIS *legibus,*] in Sacro monte latis, cum plebs a patribus secessit. Iunius, Dionysius, Cicero ipse pro C. Cornelio, Pedianus. PRIVILEGIVM,] legē aduersus vnum ciuē. DE *capite,*] cum caput diminuitur, hoc est, cum aliquis ciuitate, ac libertate priuatur ideo saepe caput & fortunas Cicero coniungit: propterea quod quibus in caussis de capite, in ijsdem fere de bonis agitur. COMITIIS *centuriatis*] de his, & de omni comitiorum genere satis in libro de comitijs disputatum a nobis est. quod autē ad huius loci sentētiā attinet: etsi, quid dicatur, apertū est; verba tamen ex libro III. de legibus recitabo. Priuilegia, inquit, ne irroganto: de capite ciuis, nisi per maximum comitiatū, ne ferunto. & in eodē libro in extremo: Propterea quod neque tributa capitis comitia rata esse possunt, neque vlla priuilegij. maximū comitiatum pro cēturiatis comitijs posuit: quod his & maiores magistratus mādari, & summa quaeque perfici solerent. CONSCRIPTA,] priuatim & occulte, vt syngraphae illae cum Byzātis exsulibus, & legatis regijs factae. pro domo sua. DESCRIPTA.] vnico verbo duas res significat: primum, procurationum, quae dabantur, multitudinem; vbi enim descriptio, ibi ordo; & vbi ordo, ibi numerus: deinde, Clodij infinitam licentiam, qui, quasi vnus omnia teneret, ita quae cuique vellet, pro sua libidine describebat. QVAE *prouincia,*] ita omnes contrahendae pecuniae vias peruestigabat, vt prouincias nouas faceret, easq; improbis hominibus administrandas pretio traderet. huc illud spectat, quod est in ea pro domo sua: Imperia scribebantur noua iuuentuti. REGNVM *aliquod*] vt nouas prouincias, ita noua regna Clodius ad conflandam pecuniam statuebat. AB *senatu petebat?*] a Clodio petebant omnes, non, vt mos erat, a senatu pecunia enim, & legationes senatus consulto dabantur, prouinciae vero primum senatus consulto, deinde lege curiata: nisi si quis, cum perferri legem curiatam non liceret, eo imperio, quod senatus lege Cornelia dabat, contentus, suo sumptu in prouinciam vellet ire. quod paucissimi fecerunt. DAMNATIS *de vi*] quos restitui leges vetabant, eos restituere Clodius cogitabat & apparet, de vi damnatos solum vertisse: cum dicat, Restitutio. sed capitali de vi est intelligendū. nec enim omnis vis capitalis fuit. quod in libro de legibus ostendimus. CONSVLATVS *petitio*] forte hoc significat in oratione pro domo sua, cum ait: Imperia scribebantur noua iuuentuti. POPVLARI *sacerdoti*] P. Clodio: qui, vt Plutarchus & alij prodiderunt, libidinis caussa ad aras Bonae deae, quasi sacerdos esset, penetrauit. ridiculum Cicero, quae fiuit in re turpi. quod ab iis, qui de arte rhetorica scripserunt, non modo conceditur, verum etiam laudatur. πολλαχοῦ, inquit Demetrius, καὶ τὰ μὲν πράγματα ἀτερπῆ εἰσφύσει, καὶ συγγνώμης δὲ τοῦ λέγοντος γίνεται ἔλαφρά.

ORATIO

HAec gemebant boni, sperabant improbi, agebat tribunus pl. consules adiuuabant. hic aliquando, serius quam ipse vellet, Cn. Pompeius, inuitissimis ijs, qui mentem optimi ac fortissimi viri suis consiliis, ac fictis terroribus a defensione meae salutis auerterant, excitauit illam suam non sopitam, sed suspicione aliqua retardatam cōsuetudinem reip. bene gerendae. non est passus ille vir, qui sceleratissimos ciues, qui acerrimos hostes, qui maximas nationes, qui reges, qui gentes feras atque inauditas, qui praedonum infinitam manum, qui etiam seruitia virtute, victoriaq. domuisset, qui, omnibus bellis terra marique compressis, imperium populi R. orbis terrarum terminis definisset, remp. euerti scelere paucorum, quam ipse non solum consiliis, sed etiam sanguine suo saepe seruasset: accessit ad caussam publicam: restitit auctoritate sua reliquis rebus: de praeteritis quaestus est. fieri quaedam ad meliorem spem inclinatio visa est. decreuit senatus frequēs de meo reditu Kalendis Iun. dissentiente nullo, referente L. Ninnio, cuius in mea caussa numquam fides virtusque contremuit. intercessit Ligus istę nescio qui, additamentū inimicorum meorū.

Landesbibliothek Oldenburg

EXPLANATIO

SERIVS *quam ipse vellet*,] excusat Pompeium, quod a principio nefarijs Clodij consilijs & actis obuiam nō ierit, vo uisset enim obsistere: sed, vt Caesari satisfaceret, suorum actorum dissolutionē metuenti, hominem nefarium furere in Ciceronem, atque in ipsa rempublicam passus est. INVITISSIMIS] maxime consules intelligi, possumus existimare. nam in Pisonem, Vestrae fraudes, inquit, vestrum scelus, vestrae criminationes insidiarum mearum, illius periculorum, nefarie fictae; &c. EXCITAVIT *illam suam*] pro Domo: Excitatus aliquando Cn. Pompeij nimium diu reconditus, & penitus abstrusus animi dolor subuenit subito reip. NON *sopitam*,] non vsque eo suam diligentiam & vigilantiam intuenda republica Pompeius omisit, vt omnino publicae caussae indormiret, sed vt paullulum conniueret. SCELERATISSIMOS *ciues*.] breui oratione omnes Pompeij laudes percurrit. sceleratissimos ciues appellat, Cn Carbonem Cn. Domitium, Q. Sertorium: quorum vnum in Sicilia, alterum in Africa, tertium Pompeius in Hispania vicit. Marcum etiam Brutum, M. Bruti illius, qui C. Caesari manus intulit, patrem in Gallia cisalpina occidit. quem ipsum cum tribus ijs quos nominaui, fortasse Cicero significauit. Plutarchus, Valerius, epitome Liuij, alij. acerrimos autem hostes, & maximas nationes non dubito quin intelligat Afros, Gallos, & Hispanos: qui odio quodam in populum Romanum impulsi Carbonis & Sertorij partibus haeserunt. pro lege Manilia. Quod autem sequitur, Qui reges, qui gentes feras atque inauditas; manifeste dictum apparet de Hiarba, Mithridate, Tigrane deq. nationibus illis, quas, ante alia minus notas, Pompeius, dum fugientem Mithridatem persequitur, transitum negantes vicit & ad populi Romani ditionem adiunxit. vnde illud in epistola quadam ad Atticum: Sampsicerame quid dices? vectigal tenobis in Antilibano constituisse, agri Campani abstulisse? epitome Liuij, lib. C I. Plutarchus. PRAEDONVM] Pompeius bellum aduersus piratas, lege Gabinia sibi demandatum, vndequinquagesimo die felicissime confecit. pro lege Manilia, Plutarchus, & alij QVI *etiam seruitia*] seruitia reuera non Pompeius, sed M. Crassus deuicit. sed eam laudem Cicero saepe ad Pompeium conatur transferre. cum dicat, aduentante Pompeio seruilem manum timore consternatam, nullo labore a Crasso esse deuictam. Testis est, in quit pro lege Manilia, iterum, & saepius Italia: quae cum seruili bello taetro periculoso q. premeretur, ab hoc auxilium absente expetiuit: quod bellum exspectatione Pompeij attenuatum atque imminutum est, aduentu sublatum ac sepultum. & dixit. Etiam: quasi, contra quam videtur: cum aliter homines existiment; quia seruile bellum duce Crasso confectum est. hinc illud libro I. ad Atticū de Crasso: Qui mihi laudem illam eo minus deberet, quod meis omnibus litteris in Pompeiana laude perstrictus esset. VIRTVTE *victorioq.*] non, Virtute, seruili bello demonstrata; aut, Victoria, de seruis relata; sed, Virtute, quam superiore bello, aduersus Mithridatem & Tigranem gesto, iam ostenderat Victoriae; quam eo bello consecutus erat. cuius virtutis victoriaeq opinione ac fama fractos esse, ac perturbatos seruili exercitus animos significat: vt deinde Crasso nō difficilis victoria fuerit. curautē neque virtutē sine victoria, neque victoriam sine virtute posuit, sed alteram cum altera coniunxit; quia neque semper, qui virtute praediti sunt imperatores, hostem vincunt: neque qui vincunt ij semper virtute excellūt. itaque cum virtutem & victoriam nominamus, summam & absolutā laudem exprimimus: alioqui neque virtus imperatoris in bello sine fortuna, neque fortuna sine virtute laudatur. DOMVISSET,] caute, nec sine industria posuit hoc verbum non enim a Pompeio victa seruitia sed illius aduentu compressa debilitataq. sunt. Vicisset, igitur, aut Debellasset, perspicue falsa erant: Domuisset, vt fallum refelli non potest. OMNIBVS *bellis*] Africano, transalpino, Hispaniensi Mithridatico. de tribus enim orbis partibus Pompeius triumphauit, victo in Africa Carbone, in Hispania Sertorio, in Asia Mithridate. ORBIS *terrarum terminis*] ὑπερβολικῶς. non enim vniuersus terrarum orbis, sed & maior, & nobilior pars imperio populi Romani tenebatur. SANGVINE *suo*] cum, bello Sertoriano, Sucronensi proelio vulnus acceperit. Plutarchus in Sertorio & Pompeio. Appianus lib. I. AVCTORITATE *sua*] non dixit, potestate, quia, priuatus erat. est enim magistratus potestas, priuati vero hominis auctoritas. sic infra, Princeps, inquit, P. Lentulus auctoritate ac sententia sua caussam suscepit: quia nondum consulatū inierat Lentulus, sed designatus erat. L. NINNIO,] tribuno pl. NVMQVAM] nam &, antequam Cicero iret in exsilium, cum alia praestitit officia, tum populo persuasit vt tamquam in publica calamitate vestē mutaret. hoc apud Dionē libro. XXXIX. scriptum est. idem Ninnius videtur & ad senatum de vestitu mutando retulisse. quod ex illis verbis, quae in hac ipsa oratione sunt, conijcio: Vir incredibili fide, magnitudine animi constantia L. Ninnius ad senatum de rep retulit; senatusq. frequens vestem pro mea salute mutandam censuit. FIDES *virtusq.*] Fides & virtus propterea dicit; quia pro amico non satis est velle, nisi audeas; & multos, quibus animus non deest, fides & voluntas deficit. CONTREMVIT.] in periculis poetice magis, quam oratorie, dictum nam hoc verbum potius in animalia conuenit. quod si dixisset, L. Ninnius, quia fide, ac virtute esset singulari, numquam in sua caussa contremuisse: proprie dixisset, non tamen, vt Graeco verbo vtar, ἐνεργητικῶς: propriū igitur, quo res significatur, omisit: translatum, quo significatur simul & augetur, vsurpauit. His autē translationum quasi luminibus si cuius inter Latinos Ciceronis maxime splēdet oratio. translata porro verba plus habere iucūditatis, ac plus etiā ad significandum valere, quā propria, sciendū est. migrant enim in alienum locū: ex quo libentius tam quā accurrit animus ad nouitatē; & quia comparationes & similitudines rē plane subijciunt oculis

ideo

ideo translata, quae nihil aliud quam breues & concisae similitudines sunt, vigere magis in ostendenda re quam propria videntur. sed de translatione, Cic fam. ep. 17. l. xvi. & in Bruto, Demetrius in illo aureo περὶ ἑρμηνείας. libello, quē pater meus, restituendae antiquitatis cupidus, ante me natum edidit. LIGVS *iste nescio qui,*] Aelium Ligurem significat: & in ambigua nominis significatione ludit. nam Ligus & gentis Aeliae cognomen est: & hominem in Liguria natum demonstrat. notat igitur ignobilitatem, cum ait, Ligus iste nescio qui. &, Ligus, non ut familiae Romanae cognomen, sed vt nationis nomen posuit. supra, & pro domo sua, de haruspicum responsis. ADDITAMENTVM] quia cum nouem tribunos pl. ante discessum suum Cicero habuisset, post discessum Ligus iste ex eo numero defluxit, seq. ad Clodij partes addidit.

ORATIO

RES erat & caussa nostra eo iam loci, vt erigere oculos, & viuere videretur. quisquis erat, qui aliquam partem in meo luctu sceleris Clodiani attigisset, quocumque venerat, quod iudicium cumque subierat, damnabatur. inueniebatur nemo, qui se suffragium de me tulisse confiteretur. decesserat ex Asia frater meus magno squalore, sed multo etiam maiore maerore. huic ad urbem venienti tota obuiam ciuitas cum lacrumis ge mituq; processerat; loquebatur liberius senatus: concurrebant equites R. Piso ille, gener meus, cui fructum pietatis suae neque ex me, neque a populo R. ferre licuit, a propinquo suo socerum suum flagitabat: omnia senatus reiiciebat, nisi de me primum consules retulissent. quae cum res iam manibus tenerentur; & cum consules prouinciarum pactione libertatem omnem perdidissent; quarum in senatu priuatim, vt de me sententias dicerent, cogitabantur, legem illisse Clodiam timere dicebant: cum haec non possent iam diutius sustineri, initur consilium de interitu Cn. Pompeii. quo palàm facto, ferroq. deprehenso, ille inclusus domi tamdiu fuit, quamdiu inimicus meus in tribunatu. de mea reditu octo tribuns promulgarunt. ex quo intellectum est, non mihi absenti creuisse amicos, in ea presertim fortuna, in qua nonnulli etiam, quos esse putaueram, non erant. sed eos voluntatem semper eandem, libertatem non eandem semper habuisse. nam ex nouem tribunis, quae tunc habueram, vnus me absente defluxit, qui cognomen sibi ex Aeliorum imaginibus arripuit, quo magis nationis eius esse, quam generis, videretur. hoc igitur anno, magistratibus nouis designatis, cum omnes boni omnem spem melioris status in eorum fidem conuertissent, princeps P. Lentulus auctoritate ac sententia sua, Pisone & Gabinio repugnantibus, caussam suscepit; tribunisq. pl. octo referentibus, praestantissimam de me sententiam dixit. qui cū ad gloriam suam, atque ad amplissimi beneficii gratiam magis pertinere videret, caussam illam integram ad suū consulatum reseruari; tamen rem talem per alios citius, quam per se tardius, confici malebat.

EXPLANATIO

QVI *aliquam partem in meo luctu, &c.*] qui de mea pernicie cum Clodio sensisset. QVOD *iudicium cūque*] sic & Terentius disiuncte locutus est: Cum quibus erat cumq. vna, his sese dedere. DAMNABATVR.] deesse verbum suspicor. nā cū duas res proposuerit, Quocumque venerat quod iudiciū cumque subierat: quorū alterū de Clodianis candidatis, alterū de ijsdē aut accusatoribus, aut reis dictū est: consentaneū erat vt duobus item verbis sententiam clauderet, sic, repudiabatur, & damnabatur: vt & repulsam, & damnationē demonstraret. in quo ne quis me, inani coniectura ductū, vaticinari & insanire putet: locū recitabo ex oratione pro domo sua, qui meā opinionē satis, vt opinor, comprobabit. sic igitur in ea scriptū est: Itaque cum tu florens ac potens per mediū forū popularis volitares: amici illi tui, te vno amico tecti & beati, qui se populo commiserant, ita repellabantur, vt etiā Palatinā tuā perderent: qui in iudiciū venerant, siue accusatores erant, siue rei, te deprecante, damnabantur. Satis ne patet ex his verbis, & de ijs, qui magistratū peterent, & de ijs, qui in iudiciū venirent, Ciceronē intelligere? ibidē, paucis interiectis versibus, haec sequuntur: De hac igitur lege dicimus, quae iure rogata videatur: cuius quā quisque partem tetigit, digito, voce, praeda, suffragio; quocumque venit, repudiatus, conuictusq. discessit, Repudiatus, inquit, a populo; conuictus, in iudicio. non temere igitur mutilum esse locum suspicamur; & ante verbū Damnabatur, scribendū, Repudiabatur, aut, Repellebatur. vtroque enim verbo eadē de re vsum esse Ciceronē in ea pro domo sua, demonstratum est. INVENIEBATVR *nemo, &c.*] cum enim Clodij amicos a populo repudiari, a iudicibus damnari viderent; negabant omnes suffragium se tulisse in illa rogatione, quam de me Clodius tulerat Ex *Asia*] minore: quam proconsulari imperio per triennū rexerat. SQVALORE,] colendi corporis curam omittimus in dolore. inde squalor, perculsi animi signū. MAERORE.] maerore hic pro animi solicitudine manifeste posuit. alibi maerorē i corpore, dolorē in animo significat, vt ad Atticum in quadam epistola: Maerore minui: dolorem non potui, nec, si possem, vellē. LOQVEBATVR *liberius senatus:*] liberius quam ratio temporum, aut consulum voluntas ferret. CVI *fructum, &c.*] quia perijt ante reditum Ciceronis. NEQVE *a populo R.*] quia, si vixisset, honores ei petēti populus R. memor pietatis in meo casū declarata, studiosissime mandasset. A PROPINQVO *suo*] Piso mē consule. IAM *manibus tenerentur;*] metaphora sumpta ab ijs, qui eos, quos fugientes insecuti erant, assecuti, manibus prehensos tenent item, inquit, mea res cum in manibus iam esset, cum a senatu

Landesbibliothek Oldenburg

natu & a bonis summo studio ageretur, initur consilium de interitu Cn. Pompeij. PRIVATIM,] a priuatis senatoribus, de mea salute laborantibus. LEGEM [Clodiam] in qua caput hoc erat, ne quis de Ciceronis reditu referret, ne quis decerneret, ne disputaret, ne loqueretur, ne pedibus iret in sententiã ne scribendo adesset, post reditũ in senatu & ad Att FERRO *deprehenso*.] in vestibulo senatus, in templo Castoris, nã vestibulũ templi pars fuit, atque hoc aperte in oratione pro Milone significatur his verbis: Comprehensus est in tẽplo Castoris seruus P. Clodij, quẽ ille ad Cn. Pompeiũ interficiendũ collocarat, extorta est confitenti sica de manibus, caruit foro Pompeius postea, caruit senatu, caruit publico, ianua se ac parietibus, nõ iure legũ iudiciorumque, texit. & infra: Insidiator erat in forocol locatus, atque in vestibulo ipso senatus & in eadẽ infra. Quando illius postea sica conquieuit? haec insidiata Pompeio est. Quẽ locũ exponens Pedianus, Pisone, inquit, & Gabinio consulibus, pulso Cicerone in exsuliũ, cũ III. idus Sextilis Pompeius in senatũ venit, dicitur, seruo P. Clodij sicã excidisse, eaq. ad Gabiniũ consulẽ delata, dictũ est, seruo imperatũ a P. Clodio, vt Pompeius occideretur. Pompeius statim domũ redijt, ex eo domi tenus. Et in ea in Pisonem: Deprehensus cum ferro ad senatũ is, quem ad Cn. Pompeium interimendum collocatum fuisse constabat. Dixit, Ad senatum, quia deprehensus erat in vestibulo senatus vt in ea pro Milone & pro domo sua, Cn. Pompeium, inquit, foro, curiaq. priuauit, domumq. coniecit. Ex *quo intellectum est, &c.*] si quis animum in sententiam diligenter intendat, deesse negatiuam particulam intelliget, nam quia de reditu Ciceronis octo tribuni promulgarunt, cum eorum antea ferenti legẽ Clodio intercessisset nemo; poterat aliquis, absenti Ciceroni creuisse amicos, existimare, quod falsum esse arguit. non, inquit, mihi amici creuerunt, sed, cum antea idem pro me voluissent, non idem tamen ausi sunt, & ipse se exponit, cum infert. Nã ex nouem tribunis, quos tunc habueram, vnus me absente defluxit. legendum igitur sic opinor: ex quo intellectum est, non mihi absenti creuisse amicos, &c. Ex *Aeliorum imaginibus*] imagines maiorum seruabantur, cũ inscriptione praenominis, nominis, cognominis. dicit igitur: Aeliũ, cũ inscriptiones imaginũ perlegisset, inde cognomen Liguris accepisse, quo gentẽ Aeliã vsam esse iam diximus. quod etsi ob eam caussam fecit, vt a bellis Aelijs Liguribus, clarissimis viris, originẽ videretur duxere: tamen cõtra quã ille putauerat, euenisse ait Cicero, vt ex illo cognomine potius ex Ligurina natione, quã ex Aelia gente, putaretur esse. PRINCEPS *P. Lentulus*] cõsules enim designati primo loco sententiã dicebãt. qua de re in libro de senatu dictũ est. AVCTORITATE] quã habebat, & quia magistratus gesserat, & quia consul erat designatus est enim in eo, qui magistratũ gerit, potestas, in eo, qui gesturus est, auctoritas. itaque in oratione in Pisonẽ de Q. Metello cõsule designato dixit: Ille designatus cõsul, cum quidam tribunus pl. suo auxilio magistros ludorum ludos contra senatu cõsultum facere iussisset, priuatus vetuit, atque id, quod nondũ potestate poterat, obtinuit auctoritate.

ORATIO

HOc interim tempore P. Sextius, iudices, designatus, iter ad C. Caesarem pro mea salute suscepit. quid egerit, quantum profecerit, nihil ad caussam. equidem existimo si ille, vt arbitror, aequus nobis fuerit, nihil ab hoc profectum; sin iratior, non multum. sed tamen sedulitatem, atque integritatem hominis videtis. Ingredior iam in Sextii tribunatum. nam hoc primum iter designatus reip. caussa suscepit. pertinere & ad concordiam ciuium putauit, & ad perficiendi facultatem, animum Caesaris a caussa non abhorrere. Abiit ille annus. respirasse homines videbantur, nondum re, sed spe reip. recuperandae. exierunt malis ominibus, atque execrationibus duo vulturii paludati: quibus vtinam ipsis euenissent ea, quae tum homines precabantur: neque nos prouinciam Macedoniam cum exercitu, neque equitatum in Syria, & cohortes optimas perdidissemus. ineunt magistratum tribuni pl. qui omnes de me promulgatoros confirmarant. ex his princeps emitur ab inimicis meis is, quem homines in luctu irridentes Gracchum vocabant: quoniam id etiam fatum ciuitatis fuit, vt illa ex vepretulis extincta nitedula remp. conaretur arrodere. alter vero non ille Serranus ab aratro, sed ex deserto Gabii Oleli horreo, calatis granis, in Calatinos ac Lelios in situs subito nominibus in tabulas relatis, nomen suum de tabula sustulit.

EXPLANATIO

DESIGNATVS,] in quibusdam antiquis libris legitur, Iudex designatus, sed mendose. nam Sextiũ significat Cicero non iudicẽ designatũ, sed tribunũ pl. quod nemini, qui paullo sit humanior, ignotũ existimo. cũ tribunus pl. fuerit Sextius eodẽ anno, quo P. Lentulus consul: vt, eodẽ anno designatum utrumq. fuisse, necesse sit. mẽdi caussã fuit, quod, Designatus, vnica dictio posita est, magistratus nomine praetermisso. EQVIDEM *existimo*.] plus est in hac periodo artificij, quã fortasse aliquis opinetur cũ enim, vt Sextij beneficiũ in se maximũ ostẽderet, quod quidẽ ab hac narratione, & ab ipsa caussã alienum nõ erat; posset dicere iter illius in Galliam ad Caesarẽ magnopere fructuosum fuisse, nõ dicit tamẽ, & de industria rẽ implicat, vt neque affirmet, neque neget: callide sane, & ingeniose. nã, si profecisse eo itinere affirmaret; Caesarẽ sibi antea fuisse inimicum ostenderet: quod pugnaret cum illis verbis, quae supra posuit, cũ dixit: Ipse autem Caesar, quẽ maxime ignari homines

veritatis

veritatis mihi esse iratũ putabãt, erat ad portas. Sin profecisse Sextium negaret, vel quod iratũ Caesarẽ nõ inuenerit, vel quod ita iratũ vt placari nõ potuerit; inanẽ, & inutilẽ illã profectionẽ significaret. cũ igitur ad vtramque partẽ offẽsionẽ videret, quo incurrere, vel si affirmaret, vel si negaret, cogeretur: ad artẽ confugit; rationemq. vt neque affirmaret, neque negaret, iniuit, hanc scilicet, vt dubitatione, quae inter affirmationẽ & negationẽ media est, vteretur. dixit igitur, Equidẽ existimo, si ille, vt arbitror, aequus nobis fuerit, nihil ab hoc profectum; sin iratior, nõ multũ. Verũ dubitabit aliquis: cur, cũ Sextij profectionẽ Cicero neque fructuosam velit ostendere, neque negare; tamẽ potius in eã partẽ inclinat, vt neget, quã vt affirmet? imminuit enim dubitationẽ, cũ ait, vt arbitror. Respõdeo: quia nihilo minus laudatur Sextius, etiam si nihil profecerit: voluntas enim ipsa, & sedulitas laudabilis est. Pẽdet autẽ potius Cicero in hanc partẽ, in qua ita Caesari gratificatur cũ sibi aequum fuisse indicat, vt Sextij tamẽ laudẽ nõ imminuat; quã in eã, in qua, si Caesarẽ iratũ fuisse significaret, Sextij quidẽ in se beneficiũ augeret, vtilitate profectionis illius demonstrata, verũ Caesaris animũ posset offendere: cũ in amicitia prẽteriti odij commemoratio displiceat. SEDVLITATEM,] quod iuerit ad Caesarem. INTEGRITATEM] quod in, Ciceronem, hoc est in ipsam rempublicã, optime fuerit animatus. laborem enim pro eo, quem nõ diligit nemo fere suscipit. CONCORDIAM *ciuium*] nã si cũ Clodio cõsentiret Caesar, haud paullo plus in restituendo Cicerone cõtentionis fuisset caussam autem Ciceronis nõ aperte Caesar iuuit, ne Clodiũ hominem popularẽ, & factiosum, contra se irritaret. iuuit tamen, vt illa verba demonstrant in epistola ad Lentulũ: Sese, quae de mea salute egisset, voluntate Caesaris egisse, ipsum meum fratrẽ testatus est. ILLE *annus*] quo Piso & Gabinius consules fuerunt. EXIERVNT] in prouincias euntes, Piso in Macedoniã, Gabinius in Syriã. VVLTVRII,] Vultures inter infausti ominis animalia numerãtur. sic Piso, & Gabinius, quasi mali ominis aues, calamitatẽ reipublicae, quae cõsecuta est, portendere videbãtur. NEQVE *nos*] significat, nõ ipsis euenisse ea, quae homines exeuntibus precabantur, sed reip. de prouincijs consularibus, in Pisonẽ. INEVNT *magistratum*] IV. Idus Decembris Dionysius, Liuius. GRACCHVM *vocabant*:] Gracchus & Quinctiae gentis, & Semproniae cognomen fuit. Numerũ Quinctium, de quo infra mentio fit, significat: & cognomen Gracchi ad irrisionem transfert: quod in homine sibi inimico, nec alioqui satis insigni, tam honorificum cognomen non libenter agnoscat. forte autem ille, qui se Ti. Graccho natum simulabat, ex cognomine occasionem arripuit, quod Gracchus vocaretur: quamquam non esset e Sempronijs, sed e Quinctijs. appellat enim eum Quinctium scriptor libri de viris illustribus: & Valerius Maximus duobus libris, III. & IX. ter Equitium nominat: etsi non Valerij sed librarij mendum puto fuisse: cum, Quinctius, non Equitius, videatur legendum. licet Equitiae gentis alibi metio reperiatur, vt in antiquis lapidibus. eundem & Cicero in oratione pro C. Rabirio perduellionis reo Gracchũ vocat. Ex *vepretulis*] Quinctilianus lib. v. de Diminutione legit, Vepreculis. NITEDVLA] venuste cũ per pusillo animali nitedula Numeriũ comparat, vt cõtemptissimum & infimae sortis hominem significet, qui rempublicam tamen fato quodam, laeserit. Nitedula, vel, vt Seruio Honorato placet, nitela, muris exigui genus est, rubri coloris. ALTER] emitur. SERRANVS] de Sex. Atilio Serrano loquitur. quem ne putetis, inquit Caio illi Serrano, quem serentem dati honores inuenerunt, cui a serendo agro cognomen est inditum praestantissimo viro, similem esse. non hic ab illo Serrano, cuius cognomen refert, originem ducit: sed, cum Gauij cuiusdam Oleli filius esset, ab inopi ac vacuo patris horreo in Atiliam familiam per adoptionem transijt. quod quasi iure quodam factum est. nam cum in deserto illo Gauij horreo ita pauca grana essent, vt calarentur hoc est voce numerarentur: (paucitas enim mensuram non requirebat:) merito hic eius filius a calatis granis in eam familiam, quae Calatini cognomen habet, insitus est. fuisse autem e gente Atilia Calatinos, vetera monumenta declarant. Ac *Lelios*,] Atilios, rectius: e qua gente Calatini fuere. SVBITO, *nominibus in tabulas relatis*,] subito, dixit, quasi nemo ita fore existimasset: cum Atilia illustri gente Gauius, homo taeterrimus ac turpissimus, minime dignus iudicaretur. vel, subito, quasi occulte, & fraude aliqua in Atiliam gentem irrepserit. IN *tabulas*] quo in libro Gauij nomen, cum praenomine, & cognomine, fuerat; ex eo libro priora nomina sustulit; & reposuit, Sex. Atilius Serranus. nomina autem hic Cicero dixit, pro praenomine, nomine, cognomine. quo modo & Plutarchus tria nomina dixit esse, Marcus, Tullius, Cicero: quorum primum praenomen, alterum nomen, tertium cognomen proprie vocantur. alibi nomen vsurpatur pro familia. NOMEN *suum*] Gauius. vel, si nomen & hic prolixius accipias, Gauius Olelus cum eo praenomine, quo ante vsus erat, de tabula sustulit.

ORATIO

VEniunt Kalendae Ian. vos haec melius scire potestis: equidem audita dico: quae tum frequentia senatus, quae exspectatio populi, qui concursus legatorum ex Italia cuncta, quae virtus, actio, grauitas P. Lentuli consulis fuerit, quae etiam collegae eius moderatio de me: qui cum inimicitias sibi mecum ex reip. dissensione susceptas esse dixisset, eas se patribus conscriptis dixit, & temporibus, & reip. permissurum, tum princeps rogatus sententiam L. Cotta, dixit id, quod dignissimum rep. fuit; nihil de me actum esse iure, nihil more maiorum, nihil legibus: non posse quemquam de ciuitate tolli sine iudicio: de capite non modo ferri, sed ne iudicari quidem posse, nisi comitijs centuriatis: vim fuisse illam: flammam quassatae reip. perturbatorumq. temporum,

vrbis, iure, iudicijsq. sublatis: magna rerum permutatione impendente declinasse me paullulum, & spe reliquae tranquillitatis praesentes fluctus, tempestatemq. fugisse: quare, cum absens remp. non minus magnis periculis, quam quodam tempore praesens, liberassem, non restitui me solum, sed etiam ornari a senatu decere. disputauit etiam multa prudenter: ita de me illum amentissimum, & profligatissimum hostem pudoris, & pudicitiae scripsisse, quae scripserat, iis verbis, rebus, sententiis: vt etiam si iure esset rogatum, tamen vim habere non posset: quare me, qui nulla lege abessem, non restitui lege, sed revocari senatus auctoritate oportere. hunc, nemo erat, quin uerissime sentire diceret. sed post eum rogatus Cn. Pompeius, approbata laudataq. Cottae sententia, dixit, sese odii mei caussa, vt omni populari concitatione defungerer, censere, vt ad senatus auctoritatem populi quoque, R. beneficium erga me adiungeretur.

EXPLANATIO

KALENDAE *Ian.*] quo die magistratum consules inibant. MELIVS *scire*] nam ego tum aberam: vos affuistis. FREQVENTIA *senatus,*] cum eo die de Cicerone actum iri Lentulo consule non ignorarent. MODERATIO] cum enim Q. Metellus & P. Clodij frater esset, & inimicitias cum Cicerone exercuisset, qui etiam tribunus pl. consulatu abeuntem concionis habendae potestate priuarat: tamen, Lentulo referente, moderatione quadā vsus, sese cōtinuit, inimicitijs reipublicae remissis. *Ex temporibus & reip.*] malim & temporibus reipublicae: quod reipublicae tempora ita ferrent: vt post Red. ad Quir. Odiū vel precibus mitigari potest, vel temporibus reip. communiq. vtilitate depōni. Et pro Balbo sic locutus est: Neque me dissensioni meae pristinae putaui potius assentiri, quam praesentib reip. temporibus, & cōcordiae cōuenire. PRINCEPS] non, quod esset e consularibus antiquissimus: nam triennio ante illum P. Seruilius Isauricus consul fuerat: sed antiquissimus eorū consulariū, qui tū erant in senatu. opinor enim, eo die Isauricū nō affuisse, nondū autē designatos cōsules fuisse, qui sententias primi rogabantur satisfiquet, cū essent calēdae Ianuarij. NIHIL *de me, &c.*] hoc scripsit & in oratione pro domo sua, & de legibus libro III. MORE *maiorum,*] qui optimis reipublicae temporibus valuit vt lex de legibus libro II. NON *modo ferri,*] si ferenda lex de capite: ferri cē turiatis comitijs necesse fuit: sin non dico ferenda lex, sed, quod iustius videtur, ante iudices de capite ciuis disceptandum neminem, nisi populū Romanū centuriatim coactum, oportuit iudicare. dicuntur autē comitia non modo cum ad magistratus creandos, sed etiam cum ad legem sciscendā, aut de ciue iudicandum populus conuenit. quod in libro de legibus demonstratum est. FLAMMAM *quassatae reipublicae*] quid simile est inter, Flamma, & Quassatae? vitium hic videbitur imperitis: quia duorum generum in eadem periodo metaphorae damnantur. verum non est vitium, sed est potius absolutae metaphorae lumen & ornamentum. tunc enim est perfecta metaphora, cum & causssam simul, & quod ex causssa fit, complectitur: vt si dicas. Ex illo morbo languet respublica: fructus vberrimos ex his seminibus licet exspectare. in tēpestate reipublicae naufragium fecit. item hic, cum ex motu vehementi excitetur ignis recte, & eleganter, quassata republica flammam illam, qua ipse perustus est, exstitisse demonstrat. IMPENDENTE] pulcherrima tralatio, Impendente, Declinasse, Tranquillitatis, Fluctus, Tempestatem. nam, Fugisse, neque cum hac vna metaphora conuenit: dicimus enim & flammam fugit illorum temporum & communem ciuitatis pestem fugit: neque ad metum impendentis rei dumtaxat, sed ad ea quoque, quae aequo loco sunt, accommodatur. ABSENS] quia discessit, ne inter ciues contentio excitaretur. PRAESENS,] cum in consulatu meo exortam & erumpentem coniurationem compressi, atque extinxi. VERBIS, *rebus, sententiis,*] lex infirmatur a se ipsa, cum in ea, quod non licet, scriptum est in oratione pro domo sua. ETIAM *si iure*] etiam si de mea pernicie iure rogaretur, ipsa tamen scriptione vim legis amitteret. CN. *Pompeius.*] secundo loco rogatus est dignitatis causssa, non quod esset post Cottam consularium vetustissimus. nam ante illum consulatum gesserant, qui tum viuebant, M. Lucullus, & L. Gellius. nisi si, non eo die fuisse eos in senatu. aliquis dixerit. DEFVNGERER,] liberarer: ne quis tribunus pl. aliquando concitandi in me populi occasionem haberet, quia me, lege eiectum, sine lege restitui non potuisse diceret.

ORATIO

CVm omnes certatim, aliusq. alio grauius, atque ornatius de mea salute dixisset, fieretq. sine vlla varietate discessio: surrexit, vt scitis, Atilius hic Gauianus: nec ausus est, cum esset emptus, intercedere: noctem sibi ad deliberandum postulauit. Clamor senatus, querellae, preces, socer ad pedes abiectus. ille se affirmare postero die moram nullam esse facturum. creditum est: discessum est. illi interea deliberatori merces, longa interposita nocte, duplicata est. consecuti dies pauci omnino Ianuario mense, per quos senatum haberi liceret: sed tamen actum nihil, nisi de me. cum omni mora, ludificatione, calumnia, senatus auctoritas impediretur, venit concilii de me agendi dies. XIIX. Kal. Febr. princeps rogationis viri mihi amicissimus, Q. Fabricius templum aliquanto ante lucem occupauit. quietus eo die Sextius, is qui est de ui reus, actor hic defensorq. causssae meae nihil progreditur, consilia exspectat inimicorum meorum. quid illi, quorum consilio P. Sexrius in iudicium vocatur, quo se pacto gerunt? cum forum, Comitium, curiam multa de nocte armatis hominibus, ac seruis plerisque occupauisset;

Landesbibliothek Oldenburg

sent; impetum faciunt in Fabricium; manus afferunt; occidant nonnullos; vulnerant multos; venientem in forum virum optimum, & constantissimum, M. Cispiũ, tribunum pl. vi depellunt; caedem in foro maximam faciunt, universiq. districtis gladiis, & cruentis, in omnibus fori partibus fratrem meum, virum optimum, fortissimum, mciq. amantissimum, oculis quaerebant, voce poscebant.

EXPLANATIO

GRAVIVS, *atque ornatius,*] sententias, & verba significat: quibus eloquentiam definimus. nõ enim eloquens est, cuius in oratione aut sententiarum grauitas, aut verborũ elegantia desideratur. VT *scitis*] quia pars iudicum senatores erant, qui tunc affuerant. GAVIANVS!] vetus nomen in anus producebant ij, qui adoptabantur. quod alibi quoque docuimus. SOCER] Cn. Oppius. post reditum ad Quirites, & ad Atticum libro. IV. LONGA *nocte.*] mense Decembri. DIES *pauca*] quia nec a Kalẽdis Ianuarij ad XVIII. Kal. Febr. nec a XVIII. Kal. Febr. ad Kalendas Febr. propter dies comitiales; nec vmquam a XII. Kal. Febr. ad Kalendas Febr. propter legem Pupiam. epist. fam. lib. I. ad Quinctum fratrem lib. II. CALVMNIA,] cum falsa quaedam ad moram interponendam afferrentur. sic epistola I. ad Lentulum, Calumniam religionis, dixit, cum falsam religionis inductionem significaret. SENATVS *auctoritas*] alibi senatus auctoritas dicitur ea, quae ne senatus consultum esset, tribunorũ pl. intercessione factum erat. de quo diximus in libro de senatu. hic, senatus auctoritas, est summa voluntas: cum semora; vt, cum Atilius noctẽ sibi ad deliberandũ postulauit iudificatione, vt, cũ promisit se postero die moram nullã esse facturum, nec tamen, quod promiserat praestitit: calumnia; vt, cũ falsae causae, differendi gratia, pro veris adducerentur. VENIT *consilii ac me agendi dies.*] promulgata enim lege, exspectauerat Fabricius, vt trinundinum praeteriret. non enim ante legem ferre licebat. &, Consilij agendi, dixit, pro populi conuocandi, vt promulgata lex ferretur. proprie enim de creandis magistratibus comitia dicuntur; de scisendis legibus, de ciuibus iudicandis, κατ' ἐξοχήν: contraq. de legibus, & de ciuibus consilium proprie vocatur; de magistratibus, non item sic in eo post reditum in senatu, Legem, inquit, tribunus pl. tulit, ne auspicijs obtemperaretur; ne obnunciare consilio, aut comitijs, ne legi intercederet liceret. AVCTOR *hic,*] non Sextius, sed Fabricius. cum enim dicat Hic nihil progreditur: consilia exspectat inimicorum meorum: haec ad Fabricium pertinere, dubium non est: si quidem & de eodem paullo post illa verba subiunguntur: Nullo verbo facto, nulla cõcio ne aduocata, nulla lege, concitatam nocturnam seditionem quis audiuit? QVID *illi?*] de Clodianis dici manifestum est, accusatum enim a Milone Clodium quod caedem cum gladiatoribus in foro fecisset, Dio libro XXXIX. scriptum reliquit. & de gladiatoribus, quos Appius praetor Clodio fratri commodauit, infra bis significatur. M. CISPIVM] in oratione post reditum in senatu legitur, Mosopius: cum legendum sit, vt quidem ego arbitror, M. Cispius & in oratione pro Plancio. pro, Crispio, non dubito quin reponendum sit, Cispio: primum, quod Crispiam familiam inter Romanas nominatam non inueni: deinde, quod, cum in oratione pro Plancio bene de se meritum appellet. conuenire hoc in M. Cispium, qui tribunus pl. Ciceronis causam tutatus erat, merito videtur: postremo, quod, cum in eadem pro Plancio, simultates eum, quas cum ipso habuerat, deposuisse dicat, suaeq. salutis non modo non oppugnatorem, sed etiam defensorem fuisse; hoc ipsum quoque in Cispium optime quadrat: de quo sic in ea post reditum in senatu: Quid M. Cispius? (sic enim potius, vt dixi, quam, Mosopius, lego) cui ego ipsi, parenti, fratriq. eius sentio quantum debeam: qui, cum mea sententia voluntas eorum in priuato iudicio esset offensa, publici mei beneficij memoria priuatam offensionem obliterauerunt. Cispiorum familiam alibi nominatam videmus, Neap. & Romae.

ORATIO

QVorum ille telis libenter in tanto luctu, ac desiderio mei, non depugnandi, sed moriendi causa, corpus obtulisset suum, nisi suam vitam ad spem mei reditus reseruasset. subijt tamen vim illam nefariam conscleratorum latronum: & cum ad fratris salutem a populo R. petendam deprecandamq. veniisset, pulsus e Rostris, in Comitio iacuit, seq. seruorum & libertorum corporibus obtexit, vitamq. tum suam noctis, & fugae praesidio, non iuris, iudiciorumq. defendit. meminisse tum iudices corporibus ciuium Tiberim compleri, cloacas referciri, e foro spongijs effingi sanguinem: vt omnes sentam illam copiam, & tam magnificum apparatum non priuatum, aut plebeium, sed patricium, & praetorium esse arbitrarentur: nihilq. neque ante hoc tempus, neque hoc ipso turbulentissimo die criminationis esse in Sextium. atqui vis in foro versata est. certe: quando enim maior? lapidationes persaepe vidimus; non ita saepe. sed nimium tamen saepe gladios; caedem vero tãtam, tantos acerbos corporum exstructos, nisi forte illo Cinnano, atque Octauiano die, quis vmquam in foro vidit? qua ex contentatione animorum? nam ex pertinacia, aut constantia intercessoris oritur saepe seditio, culpa, atque improbitate latoris, commodo aliquo imperitis, aut largitione proposita; oritur ex concertatione magistratuum, oritur sensim ex clamore primum, deinde aliqua dissensione concionis; vix sero, & raro admo-

nus peruenitur: nullo vero verbo facto, nulla concione aduocata, nulla promulgata lege, concitatam nocturnã seditionem, quis audiuit? an verisimile. est, vt ciuis R. aut homo liber quisquam cum gladio in forum descende rit ante lucem, ne de me ferri pateretur, praeter eos, qui ab illo pestifero, ac perdito ciue iampridem reip. sanguine saginantur?

EXPLANATIO

FRATRIS *salutem*] ut Marcus frater ab exsulio reuocaretur. SERVORVM, *& libertorum*] si ita legas, seruos & libertos de Clodiano exercitu accipiemus: quasi omnes aut serui, aut liberti fuerint. quod si probamus; apparebit, eos, qui caesi sunt, quorũ se Quinctus corporibus texit, Clodianos omnes fuisse. quod aperte falsum videtur. nõ. n. multi de Clodianis, sed ab ipsis multi sunt interfecti itaque iam dixit, caedem in foro maximam faciunt; vniuersiq. districtis gladijs, & cruentis, in omnibus fori partibus fratrem meum oculis quaerebant, voce, poscebant. quo planũ fit, non victã esse Clodij manũ, sed victricẽ fuisse. quocirca, vt significetur, ex vtraque parte caesorũ in foro corpora iacuisse, legendum crederẽ, seruorum, & liberorũ: quod in ea dimicatione tũ serui de Clodiana factione, tũ liberi de bonorum parte sint occisi. EFFINGI] exprimi hoc reposuimus e Seruij Honorati in Virgilij cõmẽtario. nã antea pro effingi, effundi vulgatis in libris legebatur. eadẽ est eiusdẽ verbi apud Afranium significatio. Accedo, inquit, ad te. vt tibi ceruicẽ fingã linteo. Nunc locũ emendauit Frãciscus Hotomanus iuriscons. egregius doctrina ingenioq. excellens. postea Fuluius Vrsinus, iuuenis eruditissimus locum ostendit Isidori cum eadẽ correctione l. XII. ep. 6. TANTAM *illam copiam*,] quantam fuisse eã cõstat, quae caedẽ in foro maximã fecit. copiã enim pro multitudine hominũ posuit. MAGNIFICVM *apparatum*] non casu ad manus ventum esse significat, sed apparatu iã ante facto quem magnificum appellat, in Appium praetorem, Clodij fratrem, iocans quod exiguus apparatus esse non posset, quem praetor adornasset. non a priuato, inquit, homine, aut plebeio, hoc est a P. Clodio, qui tum & priuatus, & plebeius erat, haec armata manus est; sed a patricio, & praetorio, hoc est ab Appio Pulchro; qui & patriciae gentis erat, & praeturam eo anno gerebat. hic enim gladiatores eos, quos in funere Marci propinqui sui daturus erat, P. Clodio fratri suo commodauit. quod non obscure significatur infra; vbi haec sunt: Gladiatores ex praetoris comitatu comprehensi, in senatum introducti confessi, in vincula coniecti a Milone, missi a Serrano. Sed clarissime haec tota res narratur a Dione libro XXXIX. NIMIVM *tamen saepe*] vt Gracchanis primum, deinde Marianis temporibus. CINNANO,] cum inter Cinnam & Octauium consules in vrbe pugnatum est. Appianus lib. II. Pedianus. CONCERTATIONE] caedem illam tantam quae in foro facta est, qua ex concertatione natam vidimus? nulla scilicet. nullam enim aut Fabricius, aut Cispius occasionem pugnae committendae praebuerunt. PERTINACIA, *aut constantia*,] pertinacia, cum interceditur salutari legi: constantia, cum perniciosae. NVLLO *verbo factor*] hoc iam ostendit, cum dixit de Fabricio: Nihil progreditur: consilia exspectat inimicorum meorum. SANGVINE *saginantur?*] simili metaphora de ijsdem vsus est in ea pro Milone. Vnum, inquit, genus est aduersum infestumq. nobis, eorum, quos P. Clodij furor rapinis, & incendijs, & omnibus exitijs publicis pauit.

ORATIO

HIc iam de ipso accusatore quaero, qui P. Sextium queritur cum multitudine in tribunatu, & cum praesidio magno fuisse, num illo die fuerit? certe nõ fuit. victa igitur est causa reip. & victa non auspicijs, non intercessione, non suffragijs, sed vi, manu, ferro. nam si obnunciasset Fabricio is tribunus pl. qui seruasse de caelo diceret: accepisset resp. plagam, sed eam, quam acceptam gemere posset. si intercessisset collega Fabricio, laesisset remp. sed remp. iure laesisset. gladiatores tu nouitios, pro exspectata aedilitate suppositos, eum sicarijs e carcere emissis ante lucem in forum immittas? magistratus templo deiicias? caedem maximam faciasne forum purges? & cum omnia vi & armis egeris, accuses eum, qui se praesidio munierit non vt te oppugnaret, sed vt vitã suam posset defendere? atqui ne ex eo quidem tempore id egit Sextius, vt a suis munitus, tuto in foro tum magistratum gereret, remp. administraret. itaque fretus sanctitate tribunatus, cum se non modo contra vim, & ferrum, sed etiam contra verba, atque intercessionem legibus sacratis esse armatum putaret; venit in templum Castoris, obnunciauit consuli: cum subito manus illa Clodiana, in caede ciuium saepe iam victrix, exclamat, incitatur, inuadit: inermem atque imparatum tribunum alii gladiis adoriuntur, alii fragmentis septorum, & fustibus: a quibus hic multis vulneribus acceptis, ac debilitato corpore, & conf. rucidato, se abiecit exanimatus, neque vlla alia re ab se mortem, nisi opinione mortis, depulit.

EXPLANATIO

AVSPICIIS, *&c.*] lex enim vel auspicijs, & intercessione impeditur; vel suffragijs antiquatur: quae in Fabricij lege facta non sunt. vi, manu, ferro acta res est. OBNVNCIASSET] impediendae

diēdae legis duo genera sunt, obnunciatio, & intercessio. vtrumque ponit. SERVASSE *de caelo*] nefas enim erat agi cum populo, cū de caelo seruaretur. vide or. pro Domo, & Phil 2. ACCEPTAM *gemere posset.*] minorē, quā accepit. minor enim est plaga, cū obnunciatione, aut intercessione, quā cū ui & armis respublica vincitur. ita graue vulnus, inquit, illatū est reipublicae, vt ex eo statim occiderit, vt ne gemitū quidē edere potuerit. tralatio a vulnere ad damnū. IVRE *laesisset.*] nō quod iure intercessisset, sed quod intercedens, legitimo & iusto impedimenti genere vsus esset. GLADIATORES *nouitios,*] habuit igitur Clodius nō eos modo gladiatores, quos ei frater Appius dedit; de quibus iam dictum est; sed eos etiā, quos ipse sibi aedilitatis caussā comparauit. aediles enim ludos, & munera gladiatoria populo dabant. SVPPOSITOS,] fratrē Clodij notat: qui gladiatores emit, nō tā vt eos, quem admodum simulabat, anno aedilitatis suae populo daret, quā vt ad caedem faciendā in forum immitteret suppositos igitur, per fraudē inductos, malo cōsilio paratos: cum aliud Clodius in sermone ostenderet, aliud in animo cogitaret. CARCERE *emissis*] a tribuno pl. P. Clodio. MAGISTRATVS] Fabricum intelligit. supra. & est artis oratoriae, numero multitudinis vti pro singulari. augetur enim quodā modo res. Aristoteles rhetoricorum lib. III. PVRGES?] mendosa dictio. nam, purgare forum, infamiam non habet. quid si, Spurces, vnius litterae adiectione, legas? nam inter G & C, si, quo modo veteres scribebant, vt maiusculas consideres, minimum differt. spurcatum autem caesorum hominum sanguine forum intelligemus & ad illud, quod supra dictum est, optime referetur, Meministis e foro spongij effingi sanguinem. NE *eo quidem tempore,*] tempus illud significat, de quo proxime dixit, cum Fabricius de templo deiectus, Cispius depulsus, caedes facta maxima. INTERCESSIONEM,] hoc falsum est: nam tribuno pl. intercedit a collega leges non vetabant. aut igitur, Intercessionem, exponendum est, non tribunorum pl. sed reliquorum magistratuum: quam tamen opinionem vix probari posse crediderim: quando enim tribuno pl. legem ferenti consulem, aut praetorem, aut vllum omnino magistratum, pratum, praeter tribunum pl. intercessisse legimus? aut correctione vtēdum; ut aliquid a uetere scriptura non alienum excogitetur. certe, quod ad sententiā attinet, quā ego in emendandis locis potissimū soleo cōsiderare, aliquid uidetur esse reponendū, quod & minus, quā, uis, & plus, quā, uerba, significet. CONSVLI:] Metello, legem aliquam ferenti, quam Sextius minus e republica iudicaret. non enim hoc ad Ciceronis caussam pertinuit. contra quem nihil egisse Metellum in consulatu, satis constat. iam enim odium suum in Ciceronem reipublicae largitus erat.

ORATIO

QVem cum iacentem, & concisum plurimis vulneribus, extremo spiritu, exsanguem, & confectū viderent, defatigatione magis, & errore, quam misericordia, & modo, aliquando caedere destiterunt. & caussam dicit Sextius de vi? quid ita? quia viuit. at id non sua culpa. plaga vna illa extrema defuit: quae si accessisset, reliquum spiritum exhausisset: accusa Lentidium: non percussit locum. male dicito Sabino, homini Reatino, cur tam temere exclamarit occisum. ipsum vero quid accusas? num defuit gladijs? num repugnauit? num, vt gladiatoribus imperari solet, ferrum non recepit? an haec ipsa vis est, non posse emori? an illa, quod tribunus pl. templum cruentauit? an, quod, cum esset ablatus, primumq. respiuisset, non se referri iussit? vbi est crimen, quod reprehenditis? hic quaero iudices: si illo die gens ista Clodia, quod facere voluit, effecisset; si P. Sextius, qui pro occiso relictus est, occisus esset; fuistis ne ad arma ituri? fuistis ne vos ad patrium illum animum, maiorumq. virtutem excitaturi? fuistis ne aliquando remp. a funesto latrone repetituri? an etiam tum quiesceretis, cunctaremini, timeretis, cum remp. a facinorosissimis sicarijs, & a seruis esse oppressam, atque occupatam videretis? cuius igitur mortem vlciscereminī, si quidem liberi esse, & habere remp. cogitaretis; de eius virtute viui quid vos loqui, quid sentire, quid cogitare, quid iudicare oporteat, dubitandum putatis?

EXPLANATIO

ERRORE,] quia mortuum putarent. LOCVM.] quem ad inferendam necem percuti oportuit. uel, Loco, ubi opus fuit, uetus enim locutio, loco dicere, loco insanire. GLADIATORIVS] qui cum in arena pugnantes populo non satisfecerint, lanista eorum magister ceruicem dare iussos interficit. TRIBVNVS *pl.*] Sextius. TEMPLVM,] Castoris: in quo obnunciauit consuli.

ORATIO

AT uero ipsi parricidae, quorum effraenatus furor alitur impunitate diuturna, adeo vim facinoris sui perhorruerant, vt, si paullo longior opinio mortis Sextii fuisset, Gracchum illum suum, transferendi in nos criminis caussa, occidere cogitarint. sensit rusticulus non incautus (neque enim homines nequam tacere potuerunt) suum sanguinem quaeri ad restinguendam inuidiam facinoris Clodiani: mulionicam penulam arripuit cum qua primum Romam ad comitia venerat: messoria se corbe contexit: cum quaererent alii Numerium, alii Quinctium, gemini nominis errore seruatus. est, atque hoc scitis omnes, vsque adeo hominem in periculo fuisse,

quoad scitum sit Sextium viuere. quod nisi esset patefactum, paullo citius, quam uellem; non illi quidem morte me remanarii sui transferre potuissent inuidiam in quos putabant; sed acerbissimi sceleris infamiam grato quodam scelere minuissent. ac si tunc P. Sextius, iudices, in templo Castoris animam, quam vix retinuit, edidisset: non dubito, quin, si modo esset in rep. senatus, si maiestas populi R. reuixisset, aliquando statua huic ob remp. interfecto in foro statueretur. nec uero illorum quisquam, quos a maioribus nostris morte obita positos in illo loco, atque in Rostris collocatos videtis, esset. P. Sextio, aut acerbitate mortis, aut in rep. animo, praeponendus, qui, cum causam, ciuis calamitosi, causam amici, causam bene de rep. meriti, causam senatus, causam Italiae, causam reip. suscepisset, cumq. auspiciis, religioniq. parens obnunciaret, quod ferebat, luce, palam, a nefariis pestibus, in deorum hominumq. conspectu, esset occisus, sanctissimo in templo, sanctissima in causa, sanctissimo in magistratu.

EXPLANATIO

GRACCHVM] Numerium Quinctium Gracchum, quem Clodiani occidere cogitarunt, vt a Sextianis interfectus putaretur. TRANSFERENDI *criminis*] vt ex tribuni pl. morte inuidiam in nos concitarent, eam, quam e Sextij morte ipsi metuebant. AD *comitia*] ignobilem, & in agro educatum Numerium significat. GEMINI *nominis*] & hic praenomen Numerij nomen appellat, vt supra. ACERBISSIMI *sceleris*] in occidendo Sextio commissi. GRATO *scelere*] scelus esset, Numerium occidere, quia tribunus pl. erat: sed gratum ciuitati scelus, quia ciuis improbus. REVIXISSET,] perisse enim videbatur, cum Clodij furor dominaretur. MORTE *obita*] locutio poetis & oratoribus aeque communis. nam & ipse in Phil. IX. & Lucretius, ac Ouidius ita locuti sunt. IN *Rostris collocatos*,] apparet, plures statuas eorũ, qui pro republica mortem obierant, in Rostris fuisse: tamen in IX. Philippica vnam Cn. Octauij nominat. nam de quattuor legatis a Larte Tolumnio, Veientum rege interfectis, cum ait, Quorum statuae in Rostris steterunt vsque ad nostram memoriam: non tum esse in Rostris eorum statuas, sed aliquot ante annis sublatas esse, videtur indicare. nec dubito, quin tempus supra consulatum Marcellini & Philippi, quo anno Sextius est accusatus, illa verba significent, Steterunt vsque ad nostram memoriam. quid igitur existimabimus, vnam ne an plures in Rostris statuas fuisse? plures omnino: quando hic de pluribus Cicero meminit. & quamquã in Philippica vnam memorat, quae tum fuerit: tamẽ vnico exemplo eum fuisse contentũ, cũ pluribus vti, posset, credendum est. OBNVNCIARET,] consuli Metello, legem ferenti. SENSERAT;] cum de caelo auspicaretur. hoc addidit oratorie, vt religionis vim augeret. nam vel si nihil sensisset aduersum, obnunciabat tamen is, qui de caelo seruasset. Pro domo, negant, inquit, augures agi cũ populo fas esse, cum de caelo seruatur. idem significatur in Phil. 2. LVCE, *palam*,] ἐμφατικῶς est in singulis fere verbis vsque ad finem periodi. quod autem ait, Sanctissimo in templo, sanctissima in caussa, sanctissimo in magistratu; satis patet, templum Castoris, caussam reipublicae, tribunatum pl. significari.

ORATIO

EIus igitur vitam quisquam spoliandam ornamentis esse dicet, cuius mortem ornandam monimento sempiterno putaretis? Homines, inquit, emisti, coegisti, parasti. Quid uti faceret? senatum obsideret? ciues indemnatos expelleret? bona diriperet? aedes incenderet? tecta disturbaret? templa deorum immortalium inflammaret? tribunos pl. ferro e Rostris expelleret? prouincias, quas uellet, quibus uellet, venderet? reges appellaret? rerum capitalium condemnatos in liberas ciuitates per legatos nostros reduceret? principem ciuitatis ferro obsessum teneret? haec vt efficere posset, quae fieri nisi armis oppressa rep. nullo modo poterant; iccirco, credo, manum sibi P. Sextius & copias comparauit. At nondum erat maturum: nondum res ipsa ad eiusmodi praesidia uiros bonos compellebat: pulsi nos eramus, non omnino ista manu sola, sed tamen non sine ista: vos taciti maerebamini. captum erat forum anno superiore, aede Castoris, tamquam arce aliqua, a fugitiuis occupata: ferebatis. omnia hominum cum egestate, tum audacia perditorum, clamore, concursu, vi, manu gerebantur: perferebatis. magistratus templis pellebantur: alii omnino aditu, ac foro prohibebantur: nemo resistebat. gladiatores, ex praetoris comitatu, comprehensi, in senatum introducti, confessi, in vincula coniecti a Milone, missi a Serrano: mentio nulla. forum corporibus ciuium R. constratum caede nocturna: non modo nulla noua quaestio, sed etiam vetera iudicia sublata. tribunum pl. plus viginti vulneribus acceptis iacentem, moribundũq. vidistis: alterius tribuni pl. diuini hominis, (dicam enim, quod sentio, & quod mecum sentiunt omnes) diuini, insigni quadam, inaudita, noua magnitudine animi, grauitate, fide praediti, domus est oppugnata, ferro, facibus, exercitu Clodiano.

EXPLANATIO

HOMINES *emisti*,] hoc enim nomine reus erat Sextius, quod in tribunatu magnam armatorum manum circa se habuerit. QVID *vti faceret?*] non potest Cicero, quod obijcitur, inficiari: sed excusat,

excusat,atque eleuat,cum dicat Sextium necessario fecisse,vt vitam suam praesidio muniret. quod vt ita esse credatur,a posterioribus arguit.multitudine vsus est Sextius in tribunatu.factum.qua de caussa vsus est? an, vt senatum obsideret? ciues indemnatos expelleret? aut aliquid eorum faceret, quae Clodius commisit?nihil omnino fecit eiusmodi.non igitur malo consilio sed necessario praesidium comparauit.Enumerat autem Cicero Clodij facinora;quia quodam modo rei caussa sublatur,cum aduersariorum deprimitur. SENATVM *obsideret?*] obsessum.a Clodio senatum significat in consulatu Pisonis & Gabinij;quia vt apud Plutarchum in Ciceronis vita legimus,Clodius, cum armatis satellitibus curiam circumstans,omnia metu repleuerat.CIVES *indemnatos*]de ipso Cicerone dictum,vsque ad illud,Templa deorum.nam Clodius Ciceronem expulit indemnatum,bona diripuit,aedes incendit,tecta disturbauit.TEMPLA *deorum*]templum Nymphatum significat:quod incendit Clodius,vt publicae recensionis memoriam tolleret.pro Milone,& pro Coelio. TRIBVNOS *pl.*]de Q.Fabricio dicit.PROVINCIAS,]Macedoniam Pisoni,Syriam Gabinio,cum ei Ciliciam ante promisisset,Clodius sua lege dedit.supra ter,& pro domo sua.REGES *appellaret?*]& hoc a Clodio factum,iam dixit.RERVM *capitalium*]Byzantios exsules,quos restituit Clodius intelligit. LEGATOS]a Clodio missos,vt exsules Byzantium populi Romani nomine reducerentur. PRINCIPEM *ciuitatis*] Cn.Pompeium quem Damio Clodij libertus obsedit,pro domo sua,& Pedianus.NONDVM *erat maturum*:]vt armis contra ciues improbos viri boni vterentur. cur autem maturum nondum esset, caussam subiungit.NON *omnino manu sola*,]non a Clodianis tantum operis,sed & a consulibus ipsis. TACITI] tamquam oppressi,quibus ne queri quidem liceret, Clodiana arma,& consulum iniustam dominationem timentibus.verum ita taciti,vt inclusum animo dolorem maerente vultu significaretis. MAEREBAMINI.] passiue dixit: quod infrequens admodum est. vnicum Matij exemplum apud Varronem libro sexto de lingua Latina adhuc inuenimus.

Corpora Graiorum maerebat mandier igni.

ANNO *superiore*,] cum tribunus pl. Clodius esset,Pisone & Gabinio cos.AEDE *Castoris*,]hac tota de re saris plane supra dixit his verbis: Iisdem consulibus arma in templum Castoris palam comportabantur, gradus eiusdem templi tollebantur, armati homines forum & conciones tenebant.idem in oratione in Pisonem, & in ea pro domo sua.CVM *egestate.tum audacia*]alios enim rei familiaris inopia,alios audacia, & peccandi consuetudo ad facinus impellit.MAGISTRATVS *templis pellebantur*:]de Q.Fabricio tribuno pl.dicit.ALII *omnino, &c.*]M.Cispium tribunum pl.significat. PRAETORIS] Ap. Claudij Pulchri P.Clodij fratris. A.SERRANO:]Sex.Atilio Serrano.tribunus enim pl.alterius tribuni acta poterat rescindere. FORVM *corporibus &c.*] intelligit id, quod supra narrauit. CAEDE *nocturna*:] aliquanto enim ante lucem caedes illa facta est. cum Q.Cicero seruatus est. NOVA *quaestio*,] noua quaestio est,cum ob criminis atrocitatem.noua lege lata,de aliquo quaeritur.quod in caussa Milonis ob necem P.Clodij factum est. VETERA *iudicia sublata.*] quia ne veteribus quidem legibus de caede in foro facta quaesitum est. iudicium enim intercessio Serrani tribuni pl.impediebat. TRIBVNVM *pl.*] manifestum est de P.Sextio dici. ALTERIVS *tribuni pl.*] Milonem significat. DOMVS *est oppugnata*,] ep. 3.lib.IV.ad Att.propterea de vi Clodium Milo accusauit.infra.

ORATIO

ET tu hoc loco laudas Milonem, & iure laudas. quem enim vmquam virum tam immortali virtute praeditum viditaus, qui, nullo praemio proposito, praeter hoc, quod iam contritum & contemptum putatur, iudicium bonorum,omnia pericula,summos labores,grauissimas contentiones, inimicitiasq. susceperit? qui mihi unus ex omnibus ciuibus videtur re docuisse,non verbis, quid oporteret a praestantissimis viris in rep.fieri,& quid necesse esset: oportere hominum audacium, euersorum reip.sceleri legibus & iudicijs resistere: si leges non valerent,iudicia non essent,si resp. vi consensuq. audacium armis oppressa teneretur,praesidio & copijs defendi vitam & libertatem necesse esse. hoc sentire, prudentiae est;facere, fortitudinis; & sentire vero, & facere, perfectae cumulataeq. virtutis. Adijt ad remp. tribunus pl. Milo de cuius laude plura dicam: non quo aut ipse haec dici, quam existimari, malit; aut ego huc laudis fructum praesenti libenter impertiam, praesertim cum verbis consequi non possim: sed quod existimo, si Milonis caussam accusatoris voce collaudatam, probaro, uos in hoc crimine parem Sextii caussam existimaturos. Adiit igitur T. Annius ad caussam reip. sic, ut ciuem patriae recuperare uellet, reip. tum. simplex caussa, constans ratio, plena consensionis omnium, plena concordiae. collegas adiutores habebat. consulis alterius summum studium, alterius animus paene placatus. de praetoribus unus alienus, senatus incredibilis uoluntas, equitum R. animi ad caussam excitati, erecta Italia.

EXPLANATIO

HOC *loco*]laudauerat,opinor,Milonem Sextij accusator,quod oppugnatã a Clodio domum defendisset.Hoc loco,inquit,id est cũ de oppugnata domo mentio fit.& est imperfecta oratio. deest enim,cũ Sextium accuses.quod absolute dixit infra. IAM *contritum*,] nemo enim,iudiciũ bonorum tanti facit, vt hoc ad recte agendum praemio ducatur. PERFECTAE *cumulataeq. virtutis.*] in agendo,

agendo, & intelligẽdo perfecta virtus est: cũ multi recte agant sine recto sensu; alij, qui recte sentiũt metu tamen, aut alia de causa recte nõ agant. ideo fortitudinẽ cũ prudentia coniunctam, perfectam virtutem appellauit. ADIIT *ad remp.*] cum ad restituendum Ciceronem incubuit. PAREM *Sextii causam*] quia, si laudatur Milo, qui suam vitam armis tutatus est; non video, cur item Sextius nõ laudetur, qui & ipse, vim iam expertus, praesidio se muniuit. SIC, *ut ciuem*] mẽdo locus obscuratur, paulum tamen, vt in tenebris, elucet sententia: eaq; postulare videtur, vt ita corrigatur. Sic, vt ciuẽ patriae recuperare vellet, reipublicae virũ. vt, quemadmodũ cũ patria ciuis, sic cũ republica vir cõiungatur. haec enim duo nomina vsurpare solet Cicero, cũ laudat: vt infra: Cũ omnibus Metellis, tum vero vni, viro fortissimo, praestantissimo ciui, gratissimũ fratri suo fecit. & oratione 1. in Catilinam. Summi viri, & clarissimi ciues Saturnini, & Gracchorũ, & Flacci, & superiorũ compluriũ sanguine nõ modo se nõ cõtaminauerunt, sed etiã honestauerunt. & ad Atticũ lib. IV. O uirũ, o ciuẽ Memmiũ & alibi saepe. quod autẽ ait, Ciuẽ patriae, de ipso dici nõ obscurũ est. SIMPLEX *causa*,] quia nihil in ea causa, nisi de ipsa republica, videbatur agi. propterea, vt opinor, simplicẽ caussam appellat. CONSTANS *ratio*.] in mala causa pertinacia dicitur, in bona constantia. laudẽ igitur constantiae ferebat Milo, cum in optima causa tuenda perseueraret. COLLEGAS] non tribunos pl. omnes, sed omnes, exceptis duobus, Numerio Quinctio, & Sex. Atilio Serrano supra, pro Milone, & in Pisonem. in ea quoque post reditũ in senatu tribunos pl quorũ opera & studio restitutus fuerit, octo commemorat Milonẽ, Sextium, Cestilium, Cispium, Fadium, Curium, Mescinium, Fabricium: omittit Numerium, & Serranum qui etsi legi non intercesserunt, quod tantum senatus omniumq. magistratuum consensum timerent; male tamẽ animatos ad Ciceronem fuisse, & antea satis patuit, & tũ maxime, quod cũ collegis in ferenda lege non cõsenserunt. ALTERIVS *summum studium*,] P. Lentuli. ALTERIVS *animus pene placatus*.] Q. Metelli. qui cũ nec aduersatus est, nec adiuuit, nõ omnino placatus esse visus est. post autẽ etiam adiuuit. de quo sic in ea post reditum ad Quirites: Hoc duce, (Lentulum consulem dicit) collega autem eius, clementissimo atque optimo viro, primo non aduersante, post etiam adiuuante, reliqui magistratus paene omnes fuerunt defensores salutis meae. Et in ea in senatu, & in Pisonem. VNVS *alienus*,] Appius P. Clodij frater: de quo plane in Pisonem: De me, inquit, cũ omnes magistratus promulgassent, praeter vnum praetorem, a quo non fuit postulandum, fratrem inimici mei, praeterq. duos de lapide emptos tribunos pl. legem comitijs centuriatis tulit. P. Lentulus consul de collegae Q. Metelli sententia. nec dubito, quin, vbi scriptũ est in oratione pro Milone Septẽ praetores, recte scriptũ sit, contra quã nonnulli existimant, quibus, Nouem reponendũ videtur. octo enim tum fuisse praetores, non decem, probauimus in commentario ad Quinctũ fratrem.

ORATIO

DVo soli erant empti ad impediendum: qui si, homines despecti & contempti, tantam rem sustinere non potuissent, se caussam, quam susceperat, nullo labore peracturum videbat. agebat auctoritate: agebat consilio: agebat per summum ordinem: agebat exemplo bonorum & fortium ciuium: quid rep. quid se dignum esset, quis ipse esset, quid sperare, quid maioribus suis reddere deberet, diligentissime cogitabat. huic grauitati hominis videbat ille gladiator se, si moribus ageret, parem esse non posse ad ferrum, ad faces, ad quotidianam caedem, incendia, rapinas se cum exercitu suo contulit: domum oppugnare, itineribus occurrere, vi lacessere, & terrere coepit. non mouit hominem summa grauitate, summa q. constantia: sed, quamquam dolor animi, innata libertas, prompta excellensq. virtus fortissimum virum hortabantur, ui uim, oblatam praesertim saepius, ut frangeret, & refutaret, tanta moderatio fuit hominis, tantum consilium, ut contineret dolorem, neque eadem se re ulciscereturr, qua esset lacessitus; sed illum, tot iam funeribus reip. exsultantem, ac tripudiantem, legum, si posset, laqueis constringeret. descendit ad accusandum: quis umquam tam proprie reip. caussa? nullis inimicitiis, nullis praemiis, nulla hominum postulatione, aut etiam opinione id umquam esse facturum. fracti erant animi hominis: hoc enim accusante, pristinis illius sui iudicii turpitudinem desperabat. ecce tibi consul, praetor, tribunus pl. noua noui generis edicta proponunt: ne reus adsit, ne citetur: ne quaeratur: ne mentionem omnino cuiquam iudicum, aut iudiciorum facere liceat.

EXPLANATIO

DVo *soli*] tribuni pl. Numerius & Serranus: qui tamen non intercesserunt. SVSTINERE,] si consilium intercedendi omitterent, quod contra vniuersum senatũ omnesq. magistratus pugnare nõ auderẽt, quod sperare Miloni licebat: cũ, homines despectos & cõtemptos in suscepto negocio fortes & cõstantes fore, nõ admodũ verisimile videretur. AVCTORITATE:] auctoritas est in ijs, quorũ exstant in rempublicam praeclare facta. qui deinde cum aliquid agunt, recte agere putantur, ob eam, quam de ipsis iam homines perceperunt, opinionem. CONSILIO:] non temere, sed sapienter: cum in agendo nihil per imprudentiam committeret. PER *summum ordinem*:] auctore senatu: qui est ordo in ciuitate princeps. BONORVM *& fortium ciuium*:] qui cõtra perditos ciues rempublicã fortiter defenderunt. vt Ahala, Nasica, Opimius, Marius. pro Milone. Et bonos, ac fortes dixit; quia neque

que boni. si timidi sint, neque strenui, si non boni, reipublicae rationibus vtiles sunt. ideo supra, & sentire, & facere, perfectae cumulataeq. virtutis esse dixit. QVID *rep*] republica dignum erat, vt is, qui sceleratissimos ciues pro salute patriae necarat, ab indignissima exsulij fortuna in patriam sum ma cum dignitate reduceretur QVID *se dignum esset*,] qui antea in rempublicam multa beneficia cõ tulisset, eius maxime partes videbantur esse, vt optimum virum, salutarem patriae ciuem, vi pulsum, legib. restitueret. QVIS *ipse esset*,] erat enim is, qui & sperare summos honores posset, & egregia ma iorum facta deberet imitari. SI *moribus ageret*,] si more institutoq. omnium ei resisteret. sic pro Cęci na locutus est Nisi forte, inquit, hoc rationis habuit, quoniam, si facta vis non esset, moribus supe rior in possessione retinenda non fuisset. DESCENDIT *ad accusandum*:] sic in Diuinatione locutus est: Subito nunc, mutata voluntate, ad accusandum descendere. Habitabant enim in col ibus fere : & in foro, quod erat in planitie, iudicia fiebant alibi, Descendere in campum. accusauit autem Clo dium Milo, quod caedem in foro cum gladiatoribus fecisset. lib. xxxix. HOMINIS:] Clodij. Hoc Milo ne. PRISTINI *illius sui iudicij*] videtur significare, Clodij accusatorem in aliquo iudicio, pecunia cor ruptum, praeuaricatum esse: cum dicat, hoc enim a accusante. verum, quo in iudicio id acciderit, compertum non habeo. nam, in iudicio de sacris Bonae deae violatis id factum non esse, declarant illa ad Atticum verba libro I. Cum accusator, tamquam censor bonus, homines nequissimos reij ceret. De insigni tamen, ac noto iudicio videtur loqui, cum dicat: Illius sui iudicij. CONSVL, *praetor, tribunus pl.*] Metellus, Appius, Serranus. NE *quaeratur*:] ne res in iudicio cognoscatur. huc illa perti nent ex oratione post Red. in sen. Primo de vi postulauit: postea quam ab eodem iudicia sublata es se vidit, ne ille omnia vi posset efficere, curauit. IVDICVM, *aut iudiciorum*] opinor, quia edixerant, ne iudicium vllum ante comitia fieret. vide hac de re Dionem libro XXXIX.

ORATIO

QVid ageret vir ad virtutem, dignitatem, gloriam natus, vi sceleratorum hominum corroborata, legibus iudiciisq. sublatis? ceruices tribunus pl. priuato, praestantissimus vir profligatissimo homini daret? an causam susceptam affligeret? an se domi contineret? & vinci turpe putauit, & deterreri. etiam eripi reiecit: vt, quoniam sibi in illum legibus vti non liceret, illius vim neque in suo, neque in reip. periculo pertimesceret. Quo modo igitur in hoc genere praesidii cõparati accusas Sextium: cum idem laudes Milonem? an qui sua tecta defendit, qui ab aris, focis ferrum, flammamq. depellit; qui sibi licere vult tuto esse in foro, in templo, in curia; qui vitae praesidium comparat; qui vulneribus, quae cernit quotidie toto corpore, mouetur, vt aliquo praesidio caput, & ceruices, & iugulum, ac latera tutetur; hunc de ui accusandum putas? quis enim uestrum iudices ignorat, ita naturam rerum tulisse, ut quodam tempore homines, nondum neque naturali, neque ciuili iure descripto, fusi per agros, ac dispersi uagarentur, tantumq. haberent, quantum manu, ac uiribus per caedem, ac ulnera aut eripere, aut retinere potuissent? qui igitur primi uirtute & consilio praestanti exstiterunt, ii, perspecto genere humanae docilitatis, atque ingenii, dissipatos uagum in locum congregarunt, eosq. ex feritate illa ad iustitiam atque mansuetudinem traduxerunt. tum res communem utilitatem continentes, quas publicas appellamus; tum conuenticula hominum, quae postea ciuitates nominatae sunt: tum domicilia coniuncta, quas urbes dicimus; inuento & diuino & humano iure moenibus sepserunt.

EXPLANATIO

CORROBORATA,] ex impunitate. sublato enim iudiciorum metu aucta est hominũ improborũ audacia. SVBLATIS?] hoc totum licet videre in oratione post reditum in senatu. etiã in epistola, Periucundae, ad Lentulũ, hoc significat, cũ ait: Qui, cũ tribunus pl. paenas a seditioso ciue per bonos viros iudicio persequi vellet, exemplum praeclarissimũ in posterũ vindicãdae seditionis de republica sustulerunt. ETIAM *eripi reiecit*:] mendũ patet: nec est, vnde tollatur. cõsentiunt enim cũ impressis omnes, quos viderim, veteres libri. video sane tertium quiddã desiderari. quod referatur ad illud, An causam susceptã affligeret? nã cum dixit, Et vinci, spectauit illud: Ceruices daret: cũ autẽ, Deterreri, respondit ad illud, Se domi contineret. verum etsi fortasse licet sententiã diuinare; quibus tamen verbis explicetur, apertum non est. certe aliquid huiusmodi congrueret. Et causã affligere. Fecit, vt &c. vel, & causam abijcere. est tamẽ haec ex eo genere cõiectura, quod ego minime soleo probare; cũ inter mendũ & correctionẽ similitudo & tamquã affinitas litterarũ non est. AN *qui sua tecta defendit*,] suspicor aliquid in hoc verborũ ambitu desiderari. nã cũ illa conclusio Hunc de ui accusandũ putas, ad Sextiũ manifeste pertineat: tamẽ hęc prima, Qui sua tecta defẽdit, qui ab aris focis ferrum flammamq. depellit, ad Milonẽ sine dubio referuntur. quare totum hoc, vt ego sentio, apte quadraret hoc modo: An, qui sua tecta defẽdit qui ab aris focis ferrum flammamq. depellit, eum laudas: qui autẽ sibi licere vult tuto esse in foro, in templo, ĩ curia, qui vitae prędiũ comparat, qui vulneribus quae cernit quotidie toto corpore, mouetur, vt aliquo praesidio caput, & ceruices, & iugulũ, ac latera tutetur, hunc de vi accusandũ putas? si sic legeretur, perfecta, vt opinor, sentẽtia esset sic autẽ legendũ, cũ ea, quae a me dicta ratio est, declarat, tũ ea verba, quae supra proxime scripta sunt.

modo

modo igitur in hoc genere praesidij comparati accusas Sextium, cum idem laudes Milonem? TOTO *corpore*,] ipsius viginti vulneribus acceptis. NEQVE *Naturali, neque ciuili iure*,] ius naturae, omnium gentium commune est; ius ciuile, particulare ciuitatum ad loci rationem, aut ad hominum ingenia accommodatum. DESCRIPTO,] quaedam enim in legibus ex naturali iure scripta sunt, quaedam ex eo iure, quod ciuium sententia comprobauit.

ORATIO

ATque inter hanc vitam perpolitam humanitate, & illam immanem nihil tam interest, quam ius, atque vis. horum vtro vti nolimus, altero est vtendum. vim volumus exstingui: ius valeat necesse est, id est, iudicia, quibus omne ius continetur. iudicia displicent, aut nulla sunt, vis dominetur, necesse est. haec vident omnes: Milo & vidit, & fecit, vt ius experiretur, vim depelleret: altero vti noluit, vt uirtus audaciam uinceret: altero usus necessario est, ne uirtus ab audacia uinceretur. caeterum varia fuit P. Sextij, si minus in accusando, (neque enim per omnes fuit idem necesse fieri) at certe in necessitate defendendae salutis suae. praesidioq. contra uim & manum comparando. odij immortales, quemnam ostenditis exitum nobis? quam spem reip. datis? quotus quisque inuenietur tanta uirtute uir, qui optimam quamque causam reip. amplectatur, qui bonis inuis dissentiat, qui solidam laudem, uera amq. quaerat? cum sciat, illa duo reip. peste fata, Gabinium, & Pisonem, alterum haurire quotidie ex pacatissimis, atque opulentissimis Syriae gazis innumerabile pondus auri, bellum inferre quiescentibus, ut eorum ueteres, illibataq. diuitias in profundissimum libidinum suarum gurgite profundat; illam aedificare in oculis omnium tantam, tugurium ut iam uideatur esse illa nulla, quam ipse tribunus pl. pictam olim in concionibus explicabat, quo fortissimum, ac summum ciuem in inuidiam homo castus, ac non cupidus uocaret: alterum Thracibus, ac Dardanis primum pacem maxima pecunia uendidisse, deinde, ut illi pecuniam conficere possent, uexandam bis Macedoniam & spoliandam tradidisse; eundemq. bona creditorum ciuium R. cum debitoribus Graecis diuisisse: cogere pecunias maximas a Dyrrhachinis, spoliare Thessalos, certa Achaeis in annos singulos pecuniam imperauisse, neque tamen nullo in publico, aut religioso loco signum, aut tabulam, aut ornamentum reliquisse: hos sic illudere, quibus omnes supplicium, atque omnis iure optimo poena debetur? eos esse hos duos, quos uideris?

EXPLANATIO

DISPLICENT,] vel displicent ea, quae sunt; vel omnino non sunt. VT, *uirtus audaciam uinceret*:] vt audacem virtute praeditus legibus puniret. NECESSARIO] illatam enim vim ui repellere coactus est. SI *minus in accusando*,] non enim in accusando Clodio Milonem est imitatus, sed in salute sua defendenda. ODII *immortales*,] cum ciues improbi summis honoribus & potestatibus fruantur, boni tamquam nocentes accusentur: quid sperandum est? nihil scilicet non triste. ALTERVM *haurire*] Gabinium, qui Syriae praeerat. GVRGITEM] gurges, quod injicitur, absorbet: sic libidines Gabinij diuitias quamuis immensas exhauriebant. VILLAM] in Tusculano: quam Tusculanum montem vocat in oratione in Pisonem: quod ob altitudinem monti similior, quam villae, videretur. Etiã pro domo: Ad caelum exstruxit villam in Tusculano visceribus aerarij. TVGVRIVM, vt illa villa, cuius nomine summum ciuem olim in concione accusabat, tugurium prae sua, quam exstruit, esse videatur. TRIBVNVS. PL.] consulibus C. Calpurnio Pisone, & M'. Acilio Glabrione tribunus pl. Gabinius fuit: quod e Plutarcho licet conijcere. FORTISSIMVM, *ac summum ciuem*] L. Lucullum puto significari: qui, vt in eius vita scripsit Plutarchus, villam praeclaram habuit in Tusculano: quam cum Gabinij villa comparatam, tugurium videri Cicero nunc asserit. sunt etiam haec libro de officijs II. quae Luculli magnificentiam in aedificando declarant. L. Luculli, summi viri, virtutem quis? quã multi villarum magnificentiam imitati sunt? praeterea, Fortissimum, ac summum ciuem, optime conuenit in Lucullum; qui & bellica laude, & honoribus, atque opibus maxime inter ciues enituit. vt omittã eam rationẽ, quod ob simultatẽ, quae iam inde a Syllae testamento, vt indicat Plutarchus inter Lucullũ & Pompeium fuit, credibile est Gabiniũ Lucullo infensum fuisse. nam Pompeiũ Gabinius semper coluit atque obseruauit qui etiã tribunus pl. legem tulerit de bello illi aduersus piratas demandando. CASTVS, *c non cupidus*] alterum ad corpus alterum ad animum pertinet: qui enim aliena neque attingit, neque appetit, is homo castus, ac non cupidus recte vocatur. ironia in Gabiniũ, qui omni intemperantia luxuq. dissolutus ac perditus, quae in alijs vehementer accusauerat vitia, iis ipse vehemẽter laborabat. ALTERVM] Pisonem; qui Macedoniã regebat. VEXANDAM *Macedonia*, hoc est quod ait in Pisonẽ: Macedonia cõdonata barbaris. In ea tamẽ de prouincijs cõsularibus nõ ideo Thraces ait in Macedoniã impetũ fecisse, vt pecunias, quas Pisoni pro empta pace soluerent, maximas cogerẽt sed vt, pace antea magno pretio empta, exhaustas domos replere possent. vtroque modo grauiter, & cõtumeliose in Pisonẽ. CIVIVM. R.] cũ enim Graeci Romanis ciuibus magnas pecunias deberẽt, Pisoni lege Clodia permissũ est, vt ius in liberos populos de creditis pecunijs diceret. deinde autius nõ dixit, aut ita dixit, vt bonis ciues R. euerteret. de prouincijs cõsul, pro domo sua,

sua,& in Pisonē. DIVISISSE:] Apolloniatae CCtalenta Pisoni Romae dederunt, ne creditas pecunias soluerēt.in Pisonē.de Dyrrhachinis aūt, Thessalis, Achaeis magno auri pōdere a Pisone multatis,aut direptis, mētio fit in ea de prouincijs,& in Pisonē. NEQVE *tamen vllo in publico, aut religioso loco*,] mirum videtur, cū pecunias maximas cogeret,locis eum publicis, ac religiosis non pepercisse. Publica loca sunt,quo patet aditus vnicuique, vt fora, theatra, basilicae porticus: religiosa,dijs dicata. HOS *duos*,] Sextium,& Milonem, de vireos, Sextiū accusante M. Tullio Albinouano, vt partim ex epistola III. libri II. ad Quinctum fratrem,partim ex oratione in Vatiniū colligitur; Milonemaccusante P. Clodio aedile, vt & hic infra patet, & in oratione in Vatinium, & in Dione libro XXXIX. vtrumque tamen in eodem iudicio affuisse crediderim: cum dicat Cicero, Hos duos, quos videtis.

ORATIO

OMitto iam Numerium, Serranum, Aelium, qui squilias seditionis Clodianae. sed tamen hi quoque etiam nunc volitant, vt videtis: nec, dum vos de vobis aliquid timebitis, illi vnquam de se pertimescent. Nam quid ego de aedile ipso loquar? qui etiam diem dixit, & accusauit de vi Milonem. neque hic tamen vlla vnquam iniuria adduceretur, vt eum tali virtute, tantaq. firmitate animi se in remp. fuisse paeniteat: sed, qui haec vident, adolescentes quonam tuas mentes conferent? ille, qui monimenta publica, qui aedes sacras, qui domos inimicorum suorum oppugnauit, excidit, incendit, qui stipatus semper sicariis, septus armatis, munitus indicibus fuit, quorum hodie copia redundat, qui & peregrinam manum facinorosorum concitauit, & seruos ad tae dem idoneos emit, & in tribunatu carcerem totum in forum effudit, volitat aedilis, accusat eum, qui aliqua ex parte eius furorem exsultantem repressit: hic, qui se est tutatus sic, vt in priuata re deos penates suos, in rep. iura tribunatus, auspiciaq. defenderet; accusare eum moderate, a quo ipse nefariae accusatur, per senatus auctoritatem non esse situs. nimirum hoc illud est, quod de me potissimum tu in accusatione quaesisti, quae esset nostra natio optimatium: sic enim dixisti: rem quaeris praeclaram inuentuti ad discendum, nec mihi difficilem ad perdocendum. de qua pauca iudices dicam: &, vt arbitror, nec ab vtilitate eorum, qui audient, nec ab officio nostro, nec ab ipsa caussa P. Sextii abhorrebit oratio mea.

EXPLANATIO

NVMERIVM, *Serranum, Aelium*,] primi duo tribuni pl. fuerunt cōsulibus Lentulo & Metello, quo anno Cicero restitutus est: tertius anno superiore, cum Cicero pulsus est, consulibus Pisone & Gabinio. supra. TIMEBITIS,] tacite iudices hortatur ad puniendos Clodianorum scelerum satellites. numquā, inquit, eorū arrogantia, atque audacia reprimetur, nisi vos, obiecto metu, fortiter in istā manum hominum perditorū irruentes, rempublicā a nefario dominatu vindicetis. nunc quia languetis, quod fortasse vos mei casus memoria timidos reddit; isti volitant, quasi ea, quae improbe agendo meriti sunt, nihil extimescant. AEDILE *ipso*] P. Clodio. hinc apparet, vt alia praetermittam, hanc orationem consulibus Marcellino & Philippo habitam esse. nā Clodius eo anno aedilis fuit, vt vel vna de haruspicum responsis oratio demonstrat. ACCVSAVIT *deni*] hic Accusauit, infra vero, Accusat, dicit: quia & iā acta res erat, & in Quirinalia dilata fuerat, indeq. in nonas Maias. est enim accusatus Milo, ante quā Sextius postularetur: & tamen, absoluto iā Sextio, reus adhuc fuit, rē dilata: vt in libro II. ad Quinctū fratrē epistola 3 & 6. scriptū est. accusatus autē est de vi: quod cum bestiarijs obsedisse rempublicam dicebant. in Vatiniū: Dio autē lib. XXXIX. Clodium ait Miloni diem dixisse ijs de rebus, quas ipse commiserat. MONIMENTA *publica*,] opinor intelligi porticū Catuli, de Cimbricis manubijs exstructam: quam Clodius, quia cum Ciceronis domo coniungebatur, euertit. AEDES *sacras*,] templum Nympharum: de quo iam diximus. INIMICORVM] M. Tullij, Quincti fratris, Milonis. ad Atticum lib. VI. INDICIBVS] quorum corrupto indicio, bonos viros in iudicium vocare consueuerat. PEREGRINAM *manum*] fortasse ex Etruria conductam pro Milone. CARCEREM *totum*] homines audacia perditos Clodius in tribunatu carceribus liberauit. quos significauit Cicero, cū dixit, Cum sicarijs e carcere emissis. HIC,] Milo. DEOS *penates*] domū suā, a Clodio oppugnatā. AVSPICIAQ.] contra quae Clodius haberi comitia aedilicia voluerat, Milone resistente: ep. 3. lib. IV. ad Att. PER *senatus auctoritatem*] supra, non a senatu prohibitū esse Milonē dixit, ne Clodium accusaret, sed a consule, praetore, tribuno pl. qui mentionem vllam iudicum aut iudiciorum a quoquam fieri, propositis edictis, vetuerunt. sed credendum est, edicta illa prius in senatu: sententijs dictis, esse comprobata. nam in epistola, Periucundae, ad Lentulum, cum ait, Impunitatem est eorum sententijs assecutus, 'qui, cum tribunus pl. poenas a seditioso ciue per bonos viros iudicio persequi vellet, exemplum praeclarissimum in posterū vindicandae seditionis de republica sustulerunt; non significat Clodiū sententijs iudicū esse absolutū: nō enim iudiciū illud, quo Milo tribunus pl. Clodiū de vi accusauit, factū est: sed senatorū sententijs esse decretū ne causssam prius diceret, quā habita comitia essent. quibus cū aedilis esset Clodus designatus, institutam accusationē Milo persequi noluit, opinor ne plebem offenderet, cum ei, cui magistratum ipsa mandasset, perniciem quaerere videretur. NIMIRVM *hoc illud est*,] non satis patet, quo modo hoc ad superiora pertineat: & tamen

disiunctum esse non potest: cum dicat Cicero, Hoc illud est forte, quia Miloni Clodium accusare per senatus auctoritatem non licuerat, accusator Sextij inde arrepta occasione, quaesiuit a Cicerone; qui essent optimates illi, quos ipse & Sextius iactarent; cum senatus, impedienda Milonis accusatione, suam in Clodium voluntatem ac studium declarasset. OFFICIO *nostro,*] qui defendimus.

ORATIO

DVo genera semper in hac ciuitate fuerunt eorum, qui versar in rep. atque in ea se excellentius gerere studuerunt: quibus ex generibus alteri se populares, alteri optimates & haberi, & esse voluerunt. qui ea, quae faciebant, quaeque dicebant, multitudini iucunda esse volebant, populares: qui autem ita se gerebant, vt sua consilia optimo cuique probarentur, optimates habebantur. quis ergo iste optimus? quis? de numero si quaeris, innumerabiles: neque enim aliter fiare possemus. sunt principes consilij publici: sunt, qui eorum sectam sequuntur: sunt maximorum ordinum homines, quibus patet curia: sunt municipales rusticiq. Romani: sunt negocia gerentes: sunt etiam libertini optimates. numerus, vt dixi, huius generis late & varie diffusus est: sed genus vniuersum (vt tollatur error) breui circumscribi, & definiri potest. omnes optimates sunt, qui neque nocentes sunt, nec natura improbi, nec furiosi, nec malis domesticis impediti. esto igitur, vt hi sint, quam tu nationem appellasti. horum, qui voluntati, commodis, opinioni in gubernanda rep. seruiunt, defensores optimatium, ipsiq. optimates grauissimi, & clarissimi ciues nominantur, & principes ciuitatis. quid est igitur propositum his reip. gubernatoribus, quod intueri, & quo cursum suum dirigere debeant? id, quod est praestantissimum, maximeq. optabile omnibus sanis, & bonis, & beatis, cum dignitate ocium. hoc qui volunt, omnes optimates; qui efficiunt, summi viri, & conseruatores ciuitatis putantur. neque enim rerum gerendarum dignitate homines efferri ita conuenit, vt ocio non prospiciant; neque vllum amplexari ocium, quod abhorreat a dignitate.

EXPLANATIO

ISTE *optimus?*] rectius opinor, iste optimas? cum de optimatibus sermo sit. sic lib. 1. de rep. apud Nonium quomodo iudicatur iste optimas? doctrina, artibus, studijs. CONSILII *publici:*] senatus. sic enim eum appellat in epistola quadam ad Ap. Pulchrum. QVIBVS *patet curia:*] non enim omnium ordinum hominibus in senatum aditus est, sed ijs tantum, qui neque libertini sint, & DCCC milia possideat. municipibus autē, & rusticis, & negocia gerentibus, de quibus proxime loquitur, patere curiam non dicit: quia municipales in municipijs viuunt, suisq. legibus vtuntur; rustici senatorium censum non habent: negocia gerentes, quia quaestum aperte curant, non valde honorati. maximorum igitur ordinum homines dixit, qui optima condicione sunt in ciuitate. sic infimi ordinis homo, qui obscure sortis est. NATVRA *improbi.*] hos a nocentibus distinguit: quia multi peccant, & re nocentes sunt, cum natura tamen improbi non sint. FVRIOSI,] auget vitium. qui enim & nocentes sunt, & natura improbi, possunt a furore abesse. addit igitur id, quo pessima fit improbitas. MALIS *domesticis*] egestas enim facile homines ad facinus impellit. IMPEDITI.] maximum est ad praeclare agendum impedimentum rei familiaris inopia. vnde illud, Non facile emergunt, quorum, virtutibus obstat Res angusta domi. NATIONEM] quo verbo quasi per contemptum accusator vsus erat. APPELLASTI.] post hoc verbum sequebantur haec. Qui & integri sunt, & sani, & bene de rebus domesticis constituti. quae non leguntur in libro manuscripto, nec, vt accuratius consideranti facile patebit, necessaria sunt videntur enim ex eo genere, quae glossemata appellantur, quae in veterum libros quam multa irrepserint, notum est. GVBERNATORIBVS,] gubernare de nauigantibus proprie dicitur, de rempublicam administrantibus μεταφορικῶς. & est verbum ad inducendam metaphoram accommodatum. quia vsu paene proprium factum est. hoc enim verborum genere facile a proprijs ad translata deducimur: cum ad diuersa coniungenda medium quiddā requiratur. SANIS, *& bonis, & beatis,*] tribus modis idem dixit, primum. Neque nocentes, nec natura improbi, nec furiosi, nec malis domesticis impediti: deinde, Sanis, & bonis, & beatis. solet enim eos beatos appellare, qui diuitijs abundant extra egestatis incommoda constituti. CVM *dignitate ocium.*] vt & magistratus consequantur, &, ne quid in republica contra veteres mores ac leges nouetur, diligenter animaduertant. EFFICIVNT,] qui & recte sentiunt, &, quod sentiunt, re praestare possunt.

ORATIO

HVius autem ociosae dignitatis haec fundamenta sunt, haec membra, quae tuenda principibus, & vel capitis periculo defendenda sunt, religiones, auspicia, potestates magistratuum, senatus auctoritas, leges, mos maiorum, iudicia, iuris dictio, fides, prouinciae, socij, imperij laus, res militaris, aerarium. harum rerum tot, atque tantarum esse defensorem, & patronum, magni animi est, magni ingenii, magnaeq. constantiae. etenim in tanto ciuium numero magna multitudo est eorum, qui aut propter metum poenae, peccatorum suo-

rum conſcij, nouos motus conuerſionesq. reip. quae ant. aut qui, propter inſitum quendam animi furorem, diſcordiis ciuium, ac ſeditione paſcantur; aut qui, propter implicationē rei familiaris, communi incendio malint, quam ſuo, deflagrare. qui cum auctores ſunt, & duces ſuorum ſtudiorum, vitiorumq. nacti, in rep. fluctus excitantur: vt vigilandum ſit ijs, qui ſibi gubernacula patriae depoſcerunt; enitendumq. omni ſcientia, ac diligentia, vt, conſeruatis iis, quae ego paullo ante fundamenta, ac membra eſſe dixi, tenere curſum poſſint, & capere ocii illum portum, & dignitatis, hanc viam, iudices, ſi aut aſperam, atque arduam, aut plenam eſſe periculorum, aut inſidiarum negem, mentiar; praeſertim cum id non modo intellexerim ſemper, ſed etiam praeter ceteros ſenſerim.

EXPLANATIO

RELIGIONES,] vt ea quae ad Deos pertinent, ſtudioſe ſeruentur. AVSPICIA,] recte poſt religiones auſpicia poſuit. nam & ipſa deorum a voluntate pendent: nec omitti & negligi poſſunt, quin ſimul religio deſeratur. POTESTATES *magiſtratuum*,] ſeruanda enim ſunt iura magiſtratuum: vt tantum poſſint, quantum eis a legibus tribuitur. FIDES,] ne quid vtilitatis cauſſa praeter fidem committamus. de officijs lib. II. SOCII,] qui nobis tuendi ſunt: etſi non a magiſtratibus noſtris, ſicuti prouinciae, regantur. QVI *aut propter metum*] in tres partes diuiſa ſententia eſt. prima nocentes ſignificat, altera furioſos, tertia malis domeſticis impeditos. quae hominum genera ab optimatium numero iam excluſit. IMPLICATIONEM *rei familiaris*,] egeſtatem ſignificat: in qua qui ſunt, eos appellari latine & eleganter, malis domeſticis impeditos, non bene de rebus domeſticis conſtitutos, ſupra cognoſcitur. hic autem, cum dicat, Implicationem rei familiaris difficultatibus rei familiaris implicati, recte de eodem hominum genere dicemus. TENERE *curſum*] metaphorae initiū fecit in cōmuni verbo, Vigilandū: deinde ſubiunxit, gubernacula; quod eſt translatū illud quidē, vſu tamen ita tritū, vt paene propriū videatur: deinde, cū quaſi viam munijſſet, apertā tranſlationem induxit.

ORATIO

MAioribus praeſidiis & copiis oppugnatur reſp. quam defenditur: propterea quod audaces bonines & perditi nutu impelluntur, & ipſi etiam ſponte ſua contra remp. incitantur: boni veſcio quo modo tardiores ſunt, & ſi principiis rerum neglectis, ad extremum ipſa denique neceſſitate excitantur: ita, vt non numquam cunctatione ac tarditate, dum ocium volunt etiam ſine dignitate retinere, ipſi vtrumque amittant. propugnatores autem reip. qui eſſe voluerunt, ſi leuiores ſunt, deſciſcunt; ſi timidiores, deſunt: permanent illi ſoli, atque omnia reip. cauſſa perferunt, qui ſunt tales, qualis pater tuus, M. Scaure, fuit; qui a C. Graccho vſque ad C. Marium ſeditioſis omnibus reſtitit; quem nulla vnquam vis, nullae minae, nulla inuidia labefecit; aut qualis Q. Metellus, patruus matris tuae: qui cum florentem hominem in populari ratione L. Saturninum cenſor notaſſet, cumq. inſtitutum Gracchum contra vim multitudinis incitatae cenſu prohibuiſſet; cumq. in eam legem, quam non iure rogatam iudicarat, iurare vnus noluiſſe; de ciuitate maluit, quam de ſententia, dimoueri: aut, (ut uetera exempla, quorum eſt copia digna huius imperii gloria, relinquam, ne ue eorum aliquem, qui uiuūt, nominem) qualis nuper Q. Catulus fuit: quem neque periculi tempeſtas, neque honoris aura potuit umquam de ſuo curſu, aut ſpe, aut metu, dimouere. Haec initamini per deos immortales, qui dignitatem, qui laudem, qui gloriam quaeritis. haec ampla ſunt, haec diuina, haec immortalia: haec fama celebrantur, monimentis annalium mandantur, poſteritati propagantur.

EXPLANATIO

LEVIORES,] non admodū fortes. DESCISCVNT;] a reipublicae cauſſa: ſuſceptā defenſionem abijciunt. DESVNT:] volunt quidem, ſed prae timore non aggrediuntur. ILLI *ſoli*] tria facit hominum genera, de republica recte ſentientium: vnum eorum, qui pro communi commodo labores & pericula ſubeunt; quia tamen virtute non magna ſunt, non permanent in incepto: alterū eorū, qui metu deterriti a contentione abſtinent: tertiū eorū, qui omnia pro ſalute reipublicae & ſuſcipiunt, & perferunt PATER *tuus*.] M. Scaurus, princeps ſenatus: cuius in tuenda republica conſtantiā declarat etiam in ea pro C. Rabirio, his verbis: Cū armatus M. Aemilius, princeps ſenatus, in Comitio cōſtitiſſet: qui cum ingredi vix poſſet; non ad inſequendū ſibi tarditatē pedum, ſed ad fugiendum impedimento fore putabat. Eundem in ea pro Scauro, quae integra non exſtat, cuſtodem reipublicae vocat. M. SCAVRE] apud hunc, vt opinor, praetorē Sextij cauſſam Cicero agebat. nā & infra: Exte igitur, Scaure, potiſſimū quaero. Quod ad praetorē potius, quam ad iudicē, videtur eſſe pictum. propterea, ſi quis cū Pediano ſupputet, praetorē hoc anno fuiſſe reperiet. ait enim Pedianus, accuſatū eſſe Scaurū L. Domitio Ahenobarbo & Ap. Claudio Pulchro cos. cū Sardiniā prouinciā pro praetore anno proximo adminiſtraſſet. annus autē, qui Domitij & Claudij conſulatū proximus antecefſit, fuit is, quo conſules Pompeius & Craſſus fuerunt. quod ſi ſtatim poſt praeturam iuit Scaurus in

Landesbibliothek Oldenburg

Sardiniam: quod & verisimile est & a Pediano videtur indicari, cum ait, Ex praetura prouinciam Sardiniam obtinuit: necesse est praetorem fuisse Marcellino & Philippo cos. quo anno habita pro Sextio haec oratio est. hi enim ante Pompeium & Crassum consulatum gesserunt. tribus igitur cõtinentibus annis fuit Scaurus. primo praetor Marcelliuo & Philippo cos secundo Sardiniae rector, Pompeio & Crasso; tertio reus. Ahenobarbo & Pulchro In hac satis explorata ratione quiddam tamen est, quo valde conturbor. nã in hac ipsa oratione infra ludos a Scauro aedile datos Pisone & Gabinio cos Cicero significat. & ab aedilitate biennio praetura distat. quod cum ita sit: qui potest his consulibus praetor Scaurus esse. AD C. Marium] quem sextum consulatum gerentem hortatus est, vt contra Saturninum tribunum pl. & Glauciã praetorem libertatem legesq. manu defenderet: protinusq. arma sibi afferri iussit: quibus allatis, vltima senectute cõfectum corpus induit: spiculoq. innixus ante fores curiae constitit. Q METELLVS,] satis ostendunt ea, quae sequuntur, de Numidico dici. patruus autem fuit Scauri matris hoc modo: M Scaurus, ille senatus princeps, vxorem habuit Caeciliam Metellam: e qua Scaurum hunc, quem appellat Cicero, filium suscepit. patet hoc ex Plinij libro xxxvii. cap. 15. haec L. Metelli pontificis maximi, filia fuit, vt a Plutarcho in Sulla, & a Cicerone ipso in oratione pro hoc Scauro habita traditum est: quem Numidici Metelli fratrem fuisse, etiã si exemplis non probetur, hic tamen Ciceronis locus plane declarat post obitum Scauri, nupsisse eam L. Sullae, qui dictaturam armis cepit, & sponte deposuit, tum ij, quos nominaui, scriptum reliquere. tum etiam ex Pediano licet cognoscere. ait enim, Scauro, quem de repetundis accusatũ Cicero defendit, vitricum Sullam fuisse, Scauriq. fratrem ex eadem matre Faustum fuisse eum quem ciuili Caesaris, & Pompeij bello perijsset Suetonius tradit. geminos enim peperit Caecilia, Fastũ, de quo diximus, & Faustã quae Milonis vxor fuit. CENSOR notasset;] notatum tamen alter censor, Metelli collega, restituit: non enim senatu moueri passus est. testis Appianus lib. 1. collegã autẽ in censura Q Metelli Numidici opinor fuisse C. Metellum Caprariũ, Metelli Macedonici filiũ. hoc ex Velleij Paterculi verbis conijcio: ait enim duos Caepiones fratres germanos censuram simul gessisse, duos autẽ postea Metellos nõ germanos fratres, sed patrueles. porro Numidicũ, & Caprariũ, fratres patrueles fuisse, antiquarũ familiarũ, de quibus librum instituimus, obseruatio demonstrabit. de filijs autẽ Macedonici cur Caium potius, quam Quinctum, aut Luciũ, aut Marcum, (quattuor enim fuere) cum Numidico censorem fuisse existimem, ea ratio facit, quod Quinctus, & Lucius, ille cum Geta, hic cum Ahenobarbo ante Numidici censuram, censores fuere. Caium autem censoriũ fuisse ex duabus Ciceronis post reditũ orationibus plane cognoscitur. INSTITVVM Gracchum] C Quinctium Gracchum: qui se Ti. Gracchi filium simulabat esse. quo mendacio plebem vsque eo decepit, atque induxit, vt tribunus pl. designatus sit: cũ tamẽ e Firmo Piceno obscurissima stirpe, atque adeo seruili sanguine genitus esset. sic enim Cicero in ea pro C. Rabirio significat, cum ait: Armatus esset cum Saturnino C. Glaucia, C. Saufeius, etiam ille ex compedibus atque ergastulo Gracchus & Valerius Maximus monstrum appellat libro ix. cap. vltimo. praenomen Caij tribuit illi Florus, nomen Quinctij auctor de viris illustribus. *In eam legem,*] L. Saturnini tribuni pl. de qua supra meminit. Q CATVLVS] filius eius qui cum C. Mario consul fuit. NVPER] perijt enim post consulatum Ciceronis. post reditum in senatu. de hoc etiam Plutarchus, & alij. AVT *spe, ac meta,*] spe honorũ, metu periculorum: quod iam dixit, Neque periculi tempestas, neque honoris aura. PROPAGANTVR.] non breui temporis definiuntur spatio, sed ita producuntur, vt ad posteritatem perueniant.

ORATIO

Est labor, non nego: pericula magna, fateor;
Multae insidiae sunt bonis, verissime dictum est;
Sed te id quod multi inuideant, multiq. expetant,
Insciti a sit, inquit, postulare, si tu laborem summa cum cura efferas nullum. idem alio loco dixit, quod excipere nt improbi ciues, Oderint, dum metuant. praeclara enim illa praecepta dederat iuuentuti. sed tamen haec via, haec ratio reip. capessendae olim erat magis pertimescenda, cum multis in rebus multitudinis studium ad populi commodum ab vtilitate reip. discrepabat. tabellaria lex ab L. Cassio ferebatur: populus libertatem agi putabat suam: dissentiebant principes, & in salute optimatium temeritatem multitudinis, & tabellae licentiam pertimescebant. agrariam Ti. Gracchus legem ferebat: grata erat populo: fortunae constitui tenuiorum videbantur, nitebantur contra optimates, quod ea discordiam excitari videbant; &, cum locupletes possessionibus diuturnis mouerentur, spoliari remp. propugnatoribus arbitrabantur. frumentariam legem C. Gracchus ferebat: iucunda res plebi R. victus enim suppeditabatur large sine labore: repugnabant boni, quod & ab industria plebẽ ad desidiam auocari putabant, & aerarium exhauriri videbatur. multa etiam nostra memoria quae consulto praetereo, fuerunt in ea contentione, vt popularis cupiditas a consilio principum dissideret. nunc iam nihil est quod populus a delectis principibusq. dissentiat: nec flagitat rem vllam, neque nouarum rerum est cupidus: & ocio suo, & dignitate optimi cuiusque, & vniuersae reip. gloria delectatur. itaque hominces seditiosi ac turbulenti, quia nulla iam largitione populum R. concitare possunt, quod plebs perfuncta grauissimis seditionibus ac discordiis, ocium malle videatur, conductas habent conciones; neque id agunt, vt ea dicant, aut ferant, quae illi velint audire, qui in concione sunt: sed pretio ac mercede perficiunt, vt, quicquid dicant, id illi uelle audire uideantur.

EXPLA-

EXPLANATIO

MVLTAE *insidiae*] Iouis filium, Aeacũ fortasse Accius poeta induxit suis liberis haec praecipientem: quae Cicero & hic, & in oratione pro Plancio ad suam sententiã accommodat. Accij vero vt haec esse existimo, facit illud, quod sequitur, Oderint dũ metuant: quod Cicero eiusdẽ poetae dicit esse. porro id ex Accij tragoedia, Atreo, vt opinor, sumptũ esse, ostendit Anneius Seneca libro de clementia II quod officiorũ libro I, plane cognoscitur. vsurpantur & Philippica I. EXCIPERENT] improbi, cũ pro eorũ sensu ac voluntate scriptũ legunt, arripiunt, & memoria tenent, atque etiã imitatione vsuq; comprobant, itaque, quod Accius de Atreo dixerat, ab improbis hominibus aude est exceptũ. PRAECLARA] excusat poetam, qui dixerit Oderint, dũ metuant: quod est ad confirmandas improborũ ciuiũ mentes aptissimum dictũ. scripsit, inquit, hoc, quia scripserat iam illa, Multae insidiae sunt bonis, & quae sequuntur. non enim verebatur, vt in eo, quod Atreũ dicentẽ facit, iuuentuti noceret, quam vtilissimis ac saluberrimis illis praeceptis, ex Aeaci persona prolatis iã imbuerat. AD *populi commodum*] ad suum ipsius commodũ. Populũ enim hic vsurpat Cicero pro ea multitudine, quae senatui & optimatibus aduersatur. TABELLARIA *lex*] vt populus non, vt antea, voce, sed per tabellas de ciuibus sententiã ferret. quattuor leges tabellariae fuerunt, Gabinia Cassia, Papiria, Coelia libro III. de legibus. IN *salute optimatium*] cum aliquis de numero optimatiũ a populo iudicaretur, cũ de salute optimatiũ in iudicio ageretur. primus enim L. Cassius populo tabellã dedit in iudicio. dederat biennio ante Gabinius in creandis magistratibus. LICENTIAM] maior enim est licentia, vbi per tabellas sententiae feruntur. AGRARIAM] ne quis vltra quingẽta iugera possideret. quod aliquãdo lege Licinia cautũ erat. Plutarchus, Appianus, Velleius, epitome Liuij: in qua pro, quingẽta iugera mẽdose legitur, decẽ iugera. errato caussam praebuit antiquae notae Dignoratio. MOVERENTVR,] quas enim possessiones cõtra legẽ Liciniã, quae multis ante Tiberiũ annis quingẽtorum iugerum numerum definierat, occupletes homines tenebant, eas Tiberij lege tenuioribus tradere cogebãtur. FRVMENTARIAM] vt frumentũ semisse & triente populo daretur. epitome Liuiana, Velleius, Plutarchus. hanc legem mox & L. Saturninus & postea Ciceronis aetate P. Clodius tulit. supra. SINE *labore*] vt etiam si plebs inerti ocio tempus cõsumeret, ei tamẽ, vnde viueret, nõ deesset. AERARIVM *exhauriri*] cũ frumentũ publicũ, cuius venditione quotannis in aerariũ magnae pecuniae inferebantur, plebi gratis dari lex Gracchi iuberet. NOSTRA *memoria*,] Marij & Sullae tẽporibus. nã deinde plebs a partibus aut non dissensit, aut sine seditione dissensit. A *consilio principum*] a senatu ab optimatibus. A *delectis*,] a delectis in summum ordinem, a senatu, qui de vniuersa ciuitate pro cuiusque virtute ac meritis a censoribus legi solitus erat. CONDVCTAS] mercede coactas: quãdo sua ponte plebs ad eas cõciones, quae a turbulẽtis ac seditiosis tribunis pl. habẽtur, coire nõ vult.

ORATIO

NVm vos existimatis, Gracchos, aut Saturninum, aut quemquam illorum veterum, qui populares habebantur, vllum vnquam in concione habuisse conductum? nemo habuit. ipsa enim largitio, & spes commodi proposiri sine mercede vlla multitudinem concitabat. itaque temporibus illis, qui populares erant, offendebant illi quidẽ apud graues & honestos homines, sed populi iudicijs, atque omni significatione florebant. his in theatro plaudebatur: hi suffragijs, quod contenderant, consequebantur: horum homines nomen, orationem, vultum, incessum amabant. qui autem aduersabantur ei generi graues & magni homines habebantur, sed valebant in senatu multum, apud bonos viros plurimum; multitudini iucundi non erant; suffragijs offendebatur saepe eorum voluntas; plausum vero etiam si quis eorum aliquando acceperat, ne quid peccaret, pertimescebat. attamen si qua res erat maior, idem ille populus horum auctoritate maxime commouebatur. nunc, nisi me fallit, in eo statu ciuitas est, vt, si operas conductorum remoueris, omnes idem de rep. sensuri esse videantur. etenim tribus, locis significari maxime populi R. iudicium, ac voluntas potest, concione, comitiis, ludorum gladiatorumq. consessu. quae concio fuit per hos annos, quae quidem esset non conducta, sed vera, in qua populi R. consensus perspici posset? habitae sunt multae de me a gladiatore sceleratissimo: ad quas nemo adibat incorruptus, nemo integer: nemo illum foedum vultum aspicere, nemo furialem vocem bonus audire poterat. erant, erant illae conciones perditorum hominum necessario turbulentae.

EXPLANATIO

POPVLI *iudicijs*,] iudiciũ suũ in magistratu mãdando populus ostẽdit. SIGNIFICATIONE] cũ in theatrũ populares ciues ingrediebãtur, populus ad beneuolentiã significandã plausum dabat. quod autẽ Cicero dixit, Iudicijs atque omni significatione, proxime se ipse exponit; cũ infert, His in theatro plaudebatur: hi suffragijs, quod contenderant cõsequebantur. APVD *bonos viros*] distinguit a senatu bonos viros, vt ostendat, etiam in populo fuisse, qui recte de republica sentirent. EO-

RVM

RVM *uoluntas;*] cum aut ipsi, aut eorum propinqui, aut amici, magistratu petentes, repulsam ferebāt. NE *quid peccasset,*] solidam laetitiam ex eo plauiu non capiebant, sed tenuē & suspicione diminutā verebantur enim, ne qua re antea populi voluntatem offendissent. TRIBVS *locis*] in foro, in campo Martio, in theatro. in foro enim conciones habebantur, munus gladiatoriū dabatur, ludi interdum fiebant: in campo comitia, & conciones, in theatro ludi. GLADIATORE] P. Clodio. gladiatores enim homines audaces, & facinorosi: a quibus natura & factis Clodius minime differebat. NECESSARIO] quia conducta concio erat hominū perditorū: qui cum pretium ac mercedem accepissent, concionanti de me Clodio assentiri cogebantur. erant igitur eae cōciones necessario turbulentae.

ORATIO

HAbuit de eodem me P. Lentulus consul concionem: concursus est populi R. factus: omnes ordines, tota in illa concione Italia constitit: egit causam summa cum grauitate copiaq. dicendi, tanto silentio, tanta approbatione omnium, nihil vt vmquam videretur tā popularē ad populi R. aures accidisse. productus est ab eo Cn. Pompeius, qui se non solum auctorem meae salutis, sed etiam supplicem populo R exhibuit. huius oratio & pergrauis, & grata concioni fuit. sic contendo, numquam neque sententiam eius auctoritate, neque eloquentiam iucunditate fuisse maiorem. quo silentio sunt auditi de me ceteri principes ciuitatis? quos ideirco non appello hoc loco, ne mea oratio, si minus de aliquo dixero, ingrata; si satis de omnibus, infinita esse videatur. cedo nunc eiusdem illius inimici mei de me eodem ad verum populum in campo Martio concionem. quis non modo approbauit, sed non indignissimum facinus putauit, illum, non dicam loqui, sed viuere ac spirare? quis fuit, qui non eius voce maculari rempub. secum audiret, scelere astringi arbitraretur? Venio ad comitia, siue magistratuum placet. siue legum. leges videmus saepe ferri multas. omitto eas, quae feruntur ita, vix vt quini, & bi ex alia tribu, qui suffragium ferant, reperiantur. de me, quem tyrannum atque ereptorem libertatis esse dicebat. in illa ruina reip. dicit se legem tulisse. quis est, qui se, cum contra me ferebatur, iniisse suffragium cōfiteatur? cum autem de me eodem ex S.C. comitijs centuriatis ferebatur, quis est, qui non profiteatur se affuisse, & suffragium de salute mea tulisse?

EXPLANATIO

PRODVCTVS *est*] quia priuatus tunc erat Pompeius: neque concionem habere cuiquam priuato licebat, nisi a magistratu produceretur hoc in nostris antiquitatibus. QVIS *non modo approbauit,*] locutio Ciceroni vsitata, pro eo, quod est, Quis, non dico approbauit, &c. COMITIA,] comitia & de magistratibus, & de legibus dici, hic planum est. dicuntur & de iudicijs, vt in libro de comitijs demonstrauimus. VIX *vt quini,*] plurimus in hoc est Cicero, vt probet, id, quod dixit; in eo statu esse ciuitatem, vt si conductorum remoueantur operae, omnes idem de republica sentiant. probauit iam exemplo concionum. nunc idem & legibus nititur confirmare. Consideretur, inquit, ea lex, quae de meo reditu lata est. conferatur, non dico cum ijs legibus, quae cū feruntur, ita infrequens populus adest, vix vt quini in tribu suffragium ferant; sed cum ea, quam de mea pernicie Clodius tulit. quod autem adiungit, Et hi ex alia tribu, notat populi non modo infrequentiam, sed etiam confusionem. Ex. S. C. *comitijs cēturiatis,*] lex Clodij neque ex S. C. neque comitijs centuriatis lata erat, sed contra voluntatem senatus tributis comitijs, in foro: ea vero, quam de reducendo Cicerone P. Lentulus consul tulit, ex S.C. comitijs centuriatis in campo Martio quam dissuasisse. P. Clodiū opinor ex eo, quod dictum est proxime: Cedo nunc eiusdem illius inimici mei de me eodem ad verum populum in campo Martio concionem. suadere enim & dissuadere leges, antequam ferrentur, non modo magistratibus, verum etiam priuatis hominibus licebat. quod in libro de legibus copiose ostendimus.

ORATIO

VTra igitur causa popularis debet videri; in qua omnes aetates ciuitatis, omnes ordines vna consentiunt; an in qua furiae concitatae tamquam ad funus reip. conuolant? an, sicubi aderit Gellius, homo & fratre indignus, viro clarissimo, atque optimo, & ordine equestri, cuius ille ordinis nomen retinet, ornamenta confecit: id erit populare? est enim homo iste populo R. deditus, nihil vidi magis. qui, cum eius adolescentia in amplissimis honoribus summi viri L. Philippi vitrici florere potuisset, vsque eo non fuit popularis, vt bona solus comesset. deinde ex impuro adolescente & petulante, postea quam rem paternam ab idiotarum diuitijs ad philosophorum regulam perduxit, Graeculum se atque otiosum putari voluit, studio litterarum se subito dedit. nihil sane a te inuabatur. ne agnoscebat, libelli etiam pro vino saepe oppignerabantur: manebat insaturabile abeomen, copiae deficiebant: itaque semper versabatur in spe rerum nouarum, otio, & tranquillitate reip. consenescebat. et quae seditio vmquam fuit, in qua non ille princeps? et quis seditiosus, cui ille non familiaris? et quae turbulenta concio, cuius ille non concitator? cui bene dixit vmquam bono? bene dixit? immo, quem fortem & bonum ciuem non petulantissime est insectatus? qui vt credo non libidinis causa, sed vt Plebicola videretur, libertinam

libertinam duxit vxorem, is de me suffragium tulit: is affuit: is interfuit epulis & gratulationibus parricidarum. in quo tamen est me cultus, cum illo ore inimicos est meos suauiatus: qui quasi mea culpa bona perdiderit, ita ob eam ipsam causam est mihi inimicus, quia nihil habet.

EXPLANATIO

VTRA *igitur causa* interpretis officium est, si modo, quas suscepit partes, eas cū laude sustinere vult, tria considerare, verba, sententiam sententiae causam, hic, si verba tantum consideres; & quid singula significent, & quam sententiam efficiant, omnibus intelligere facile est. sin autem, quo sententia referatur, & quid Cicero spectauerit, indagamus: fortasse non eadem ratio est. nec similiter omnes intelligunt. quare pro eorum commodo, qui non admodum in litteris acute vident, visum est vt totam rem paullo latius explicarem. Ciuium duo genera Cicero iam dixit esse, optimates, & populares. de optimatium numero & erat ipse & haberi volebat: Clodius popularis putabatur. contendebat Clodius, se non esse minus optimatem, quam Ciceronem Cicero contra, se popularem magis esse, quam Clodium. argumento Clodius hoc vtebatur, quod Milo qui ei diē dixerat. accusationem persequi per senatus auctoritatem prohibitus erat. itaque dixerat accusator Sextij: Quae est ista vestra natio optimatium; cum senatus. in quo principes optimatium sunt, Clodio contra Milonē studuerit? Cicero nihil ad hoc respondit: quia neque id esse factum, negare poterat; neque, iniuria esse factum, dicere: quod in altero manifesta veritas obstabat; in altero senatū reprehendere nolebat. quoniam igitur primum est in contentionibus iudiciarijs, obiecta refellere; alterū, obijcere quod refelli ab aduersario nō possit: primū nō attingit, ob ea, quae iā dixi: obijcit autē Clodio, vt quasi parē gratiam referat, non esse populares eos, quos operae cōductorū sequantur, sed eos, quibus integer populus faueat. probat hoc quinque argumētis. primū sumit a concionibus, alterū a legibus, tertiū a magistratibus, quartū a ludis, quinctum a gladiatoribus. huius vniuersae argumentationis duas partes iam absoluit, eā, quae ad conciones, & eā, quae ad leges pertinet. ad singula argumenta conclusionem non apponit: quia non vbique necesse est: cū ex ijs, quae dicuntur, facile iudices, quae cōclusio sequatur, ipsi per se possint intelligere cōclusiones tamē, quia vim quādā addunt orationi, tribus argumentis apponit, post leges, post magistratus, post gladiatores; primā & secundā particulares, tertiam vniuersalē, quae ad argumenta omnia, quae quinque esse diximus, pariter spectet. verum, quia declarandae artis negocium suscepimus, non alienum est, in ipso cōclusionum vsu quae ratio seruetur, ostendere. nihil enim est ad eloquentiam vtilius, quam duorū perfectissimorum oratorum ingenia ex vtriusque scriptis considerare; eamq. putare esse rectissimam diserte ornateq. loquendi regulam, qua illi, siue naturae praecipuo quodam munere, siue diligentia studioq. adiuti, cū causas agerent, vsi sunt. Concludit igitur Cicero primū interrogādo, cū ait: Vtra igitur causa popularis debet videri; in qua omnes aetates ciuitatis, omnes ordines vna cōsentiunt; an in qua furiae cōcitatae tamquā ad funus reipublicae cōuolant? deinde affirmādo. his verbis: Videtis igitur populū ipsum, vt ita dicā, iā nō esse popularē; qui ita vehementer eos, qui populares habētur, respuat. eos autē, qui ei generi aduersantur, honore dignissimos iudicet. postremo interrogādo, hoc modo: Videtis ne igitur, quantū inter populū Romanū & concionē intersit? dominos concionū omni odio populi notari; quibus autē cōsistere in operarū concionibus nō liceat, eos, omni populi Romani significatione decorari? harū triū conclusionum primam video a sensu communi esse ductam. nam totum illud, Vtra igitur causa, & quae sequuntur, ita dictū videtur, quasi omnes homines popularē esse Ciceronis, non Clodi, causam iudicaturi sint. Alteram conclusionē, itemq. tertiam a persona iudicum sumptam esse constat. sed hoc inter eas differre iam ostendi, quod secūda per affirmationem, tertia per interrogationem fit. placet enim, vt in pictura, sic in oratione varietas. possumus igitur. si doctrinā ex obseruatione volumus efficere, conclusionem tamquam genus in tres partes diuidere, in vnam, quae est a sensu communi; alteram, a persona iudicum; tertiam, a persona nostra. primae duae Ciceronis exemplis, proxime recitatis, manifestae sunt. tertia testimonio non indiget. in eam enim vel sine artificio nostra sponte incidimus: vt si quis, diuitijs cum virtute comparatis, post argumenta in vtramque partem allata, ita concludat: est igitur diuitijs virtus anteponenda. sed siue a sensu communi, siue a persona iudicum, siue a nostra concludamus orationem aut affirmatione, aut interrogatione, aut negatione terminari necesse est: affirmatione sic: Videtis igitur Clodiū non esse popularem: interrogatione hoc modo, Videtis ne igitur Clodiū nō esse popularē? negatione sic: Non est igitur vt Clodium popularē esse possitis existimare. Pariterq. a sensu communi tribus modis concludemus: Facile igitur est omnibus intelligere, Clodium nō esse popularē: Quis igitur Clodiū esse popularem dixerit? Nemo igitur est, cui popularem esse Clodiū liceat existimare. Et a persona nostra eadem ratio est: Clodius igitur popularis non est: Clodiū igitur esse popularem putabo? Non igitur, popularem esse Clodium, existimabo. Atque haec de conclusione satis sint. TAMQVAM *ad funus reip.*] significat, Clodij conciones esse funera reipublicae: quod in ijs nihil, nisi de interitu reipublicae, agatur. & recte, furiae cōuolant: quod volare furias poetae dicunt. recte etiam, Concitate: nihil enim placidum aut temperatū in Furias cadit. rectissime vero, Furiae ad funus conuolant: quod nihil iucundum aut laetum furiae diligunt. operas igitur Clodianas, ad reipublicae perniciem libentissime coeuntes, vere & proprie furias appellauit. GELLIVS,] is, quem Cicero in oratione in Vatinium nutriculā seditiosorū nominat: quod seditiones libenter foueret,

atque

atque aleret. dixit & hic testimonium in Sextium. FRATRE] L. Gellio: qui cum Cn Lentulo consul, cum eodem censor fuit, & in censura C. Antonium, qui deinde consulatum cum Cicerone gessit, senatu mouit. Pedianus in commentario orationis contra competitores: pro Cluentio. Idem deberi Ciceroni ciuicam coronam in senatu dixit, quod eius opera Catilinae coniuratio patefacta esset, ac vindicata. in oratione in Pisonem, & Gell. lib. v, c. 3. OPTIMO *consule*] quem locum hic habet Consule, cum Gellius multis ante annis consul fuerit? equidem suspicor de medio, eo magis quod antiquus liber Caroli Sigonij, iuuenis eloquentiae doctrinaeq. laude praestantis, has duas dictiones non habet quae si retinendae sunt, alteram mutarem, & pro Consule, reponerem, Ciue: vt, Viro, ad res gestas; Ciue, ad voluntatem sensumq. de republica referatur. & fere virum & ciuem Cicero in laude coniungit. vt libro IV. ad Atticum, Quirum, o ciuem Memmium: post reditum in senatu, Quid ego de praestantissimo viro T. Annio dicam? aut quis de tali ciue satis digne vnquā loquatur: pro Plancio: Quid dicam? C. Virgilio, tali ciui, & viro, beneuolentiam in me, memoriā communium temporum pietatem, humanitatem, fidem defuisse? ORDINE *equestri*,] qui eques R. erat, is si nondū in senatū peruenerat, ordinis equestris dicebatur esse: si senator factus erat, senatorij. erant igitur duo fratres Gellij, alter ex ordine equestri, quia nondū ampliorē ordinem erat assecutus: alter, etsi equum publicū haberet, a nobiliori tamen ordine, quem adeptus erat, hoc est a senatorio, nominabatur. nō enim posterior ordo prioris auferebat insignia, sed ad equum publicū, & annulū, quae equestris ordinis erant, addebat latū clauum, hoc est tunicā purpureā, qua soli senatores vtebantur. itaque Claudium Neronē, & Liuiū Salinatorē, cū non modo senatores, verum etiam cēsores essent, vtrumque tamen habuisse publicum equum, eoq. alterum ab altero in censura esse priuatum, legimus apud Liuium lib. x. ORNAMENTA *confecit*:] quadringenta millia nummum. haec enim ad equestrem dignitatē ornandam necessaria erant. quod si cui minus esset, eques esse nō poterat. itaque Horatius:

Si quadringentis sex septem milia desunt,
Plebs eris.

& in epistola ad D. Brutum libro x. de equite Romano nescio quo: qui magna rei familiaris detrimenta passus, vix quadringēta milia possidebat: Equestrē, inquit, dignitatē vix sustinet. nec ad aliā sententiā, vt quidē ego existimo, spectat ille locus in oratione pro Plancio: Quidē equestrē splēdorē incolumēa calamitate iudicij retinere potuisset. significat enim, M. Seiū, iudicio damnatū nō existimationis modo iacturā fecisse, vel ū etiā ex ea multa, quā ei iudices dixerant, de illis fortunis tantū amisisse, vt infra censum quadringentorū millium redactus sit. Seiū, inquit, cui, praeter existimationē, equestis quoque ordinis dignitatem iudicij calamitas abstulit, populus tamen M. Pisoni, homini nobilissimo, innocentissimo, eloquentissimo, in honoris petitione praeposuit. Quaeritur autē hic, nec iniuria, qui potest Gellius equestris ordinis nomē retinere si ornamēta cōfecit: iā enim & ex Horatio, & ex ipso Cicerone probatū est, qui equestri censu nō esset, hoc est, qui quadringenta millia nō haberet, eū in equestri ordine locum nō habuisse. Ad hanc dubitationē suppeditat facile, quod respondeā, antiquitatis obseruatio. primū illud dicimus: equites equestri loco a censore motos esse, vel ob tenuitatē, vel ob culpā. Gellius ob tenuitatē mouendus erat. ideo tamē moueri nō potuerat, quia detrimentū illud rei familiaris post conditū lustrū fecerat. vt, etiā si quadringēta mil. ia possidere desijsset, in equestri tamē ordine eo vsque permanere posset, donec censores creati cuiusque rē aestimarent, eq. censu senatores, equites, iudices vel in ordine quemque suo ac loco retinerent, vel eijcerent. I*derit populare?*] an, inquit, quia legē ferēti, aut cōcionāti Clodio Gellius adest, propterea populare legē, aut cōcionē dicemus? POPVLO *R. dedisus.*] iocari videtur in Gellij cognomē: nā Poplicola vocabatur. Dio lib XXXVI. L. PHILIPPI] hominis eloquentissimi, de quo in libro de claris oratoribus, in tertio de oratore in oratione pro Quinctio. SOLVS *comesset.*] quo modo igitur popularis; cū hoc nomē in eos cōueniat qui benefici, ac liberales in populū sunt? LAPVRO, *& petulante,*] ob libidines, & impudentiā. laudatur enim maxime in adolescente castitas, & pudor. IDIOTARVM] hominū imperitorū, qui vulgarē quandā, sine modo, viuēdi rationē sequūtur. quibus Cicero philosophos hic opponit; quod hi, a doctrina instructi ac temperati exquisitū quoddā vitae genus accurate seruant. DIVITIIS] cū, diuitijs consumptis, regulā philosophorū imitari coepisset. miror autē, cur diuitias, & regulā quasi antitheta Cicero posuerit: quando & in diuitijs regula licet uti, nec alterum ab altero necessario seiungitur. praeterea, cur, A bidiotarū diuitijs: nō & sapientes multi, atque eruditi diuitijs abundant? mutationem in Gellio notat, & ait: vixit primū, vt idiotae solent, deinde, vt philosophi; hoc est, primū luxuriose, ac dissolute, deinde moderate, & parce. velim igitur, vt paria paribus respondeant, ita legi, sic tamē, si quid adiuuant veteres libri: Postea quā rē paternā ab idiotarū nequitijs ad philosophorū regulā perduxit. GRAECVLVM] graecarū litterarū studiosum, scientiae cupidū omnis enim tunc a graecis litteris doctrina petebatur: cum Latina lingua nondum exculta disciplinis esset. OCIOSVM] qui enim se ad literarum studia contulerunt, ocio delectantur. SVBITO] cū antea nihil eiusmodi cogitasset absumptis enim paternis bonis, a libidine, ac nequitia subito se ad litteras conuerit. A. TE *iuuabatur,*] Ate, sincerū nō est. Posset ita corrigi, Nihil sane adiuuabatur. Alij legunt, Attae iuuabant anagnostae: quā recte, ipsi videtint. Octauius meus reponendū putat, A re iuuabātur. veritas autē a libris antiquis petenda. nā nobis indicare corrupta loca satis est coniecturis neque plane confidimus, neque omnino tamē diffidimus. sunt enim non nullae ita non dubiae, vt, qui obtusa prorsus ingenij acie non sit, in iis primo ad spectu veritatem possit agnoscere. SPE *rerum nouarum,*] res nouas quaerunt, qui veterē male perdiderunt:

perdiderunt: vt quando de suo non habent, vnde viuant, de alieno rapiant. CONSENESCERAT.] mature cõsenescunt, quos animi curae sollicitudinesq; macerant. inde consenescere dicimur ex ijs rebus, quatũ molestissima cogitatio senilẽ nobis pallorẽ ac maciẽ quotidie magis inducit. NON *libidinis caussa*,] ironia: nam plane libidinis caussa libertinã ab eo vxorẽ esse ductã significat. PLEBICOLA] quasi nobiles mulieres contempserit, studio quodam in plebẽ. nã ex infima plebe libertini fuerunt, vtpote qui libertatẽ paullo ante essent adepti ideo in vrbanis tribubus, qui ignobiliores erãt, censebantur. *In quo tamen*] sua cuique tribuenda laus est. correxit hunc locũ ex ingenio, quo excellit, multis abhinc annis Octauius Pantagathus, homo eruditissimus, omniumq integerrimus quẽ ego nostrae aetatis Varronẽ soleo nominare: ita multas multarũ rerũ ac disciplinarũ notitias mente sciẽtiaq. comprehendit. is igitur ita correxit, nulla litterarũ mutatione, sẽtentia restituta. In quo tamẽ est me vltus, cũ illo ore inimicos est meos suauiatus. praeclare. nã in gratulationibus suauiari mos est, & Gellius nefandam libidinẽ ore exercere dicebatur: de quo est apud Catullũ hoc epigramma.

Quid dicam Gelli, quare rosea ista labella
Hiberna fiant candidiora niue;
Mane domo cum exis, & cum te octaua quiete
E molli longo suscitat hora die?
Nescio quid certe est an uere fama susurrat,
Grandia te medij tenta vorare viri:
Sic certe est clamant Virronis rupta misselli
Ilia, demulso labra notata sero.

dicit igitur, Illo ore, impurissimo, ac foedissimo, quo virorum obscaena membra concipere solitus.

ORATIO

VTrum, ego tibi patrimonium eripui, Gelli, an tu comedisti? quid? tu meo periculo, gurges, ac vorago patrimonii, beluabare; vt, si ego consul remp. contra te & gregales tuos defendissem, in ciuitate esse me nolles? te nemo tuorum videre vult: omnes aditum, sermonem, congressum tuum fugiunt: te sororis fidius Postumius, adolescens grauis, senili iudicio notauit, cum in magno numero tutorem liberis non instituit, sed elatu odio, & meo & reip. nomine; quorum ille vtri sit inimicior, nescio, plura dixi, quam dicendum fuit, in furiosissimum atque egentissimum ganeonem. Illuc reuertor: contra me tum sit actum, capta vrbe atque oppressa, Gellium, Firmidium, Titium eiusdem modi furias illis mercenariis gregibus duces & auctores fuisse; cum ipse lator nihil ab horum turpitudine, audacia, sordibus abhorreret. at cũ de dignitate mea ferebatur, nemo sibi nec valetudinis excusationem, nec senectutis satis iustam putauit: nemo fuit, qui se non remp. mecum simul reuocare in suas sedes arbitraretur. Videamus nunc comitia magistratuum. Fuit collegium nuper tribunicium, in quo tres minime, vehementer duo populares existimabantur. ex iis, qui populares non habebantur, quibus in illo genere conuictarum concionum consistendi potestas non erat, duo a populo R. praetores video esse factos: &, quantum sermonibus vulgi, & suffragiis intelligere potui, prae se populus R. ferebat, sibi illum in tribunatu Cn. Domitii animum constantem, & egregium, atque Q. Ancharii fidem, ac fortitudinem, etiam si nihil agere potuissent, tamen voluntate ipsa gratum fuisse.

EXPLANATIO

MEo *periculo beluabare*:] inde enim mihi factus es inimicus. damnum igitur mihi ex heluatione illa tua parabatur. SI EGO] haec est caussa, cur Gellius eum in ciuitate esse noluerit; quod rempublicã contra coniuratos defendisset. hoc enim nomine lege Clodia pullus est. GELLIVM, *Firmidium, Titium*,] de quibus pro Domo, & de Harusp. resp. IPSE *lator*] P. Clodius, qui legem tulit. NVPER] biennio ante, Caesare & Bibulo cos fuit enim tribunus pl. eo anno P. Vatinius: de quo hic significari, paullo post ostendimus. TRES] Cn. Domitius Q. Ancharius, C. Fannius: quos infra nominat. & Dio libro XXXIX cũ ait Bibulũ consulẽ in agraria Caesaris lege impedienda tribus tribunis pl. vsum esse, sine dubio Domitium, Ancharium, Fannium significat. de quibus ipsi & in oratione in Vatinium Cicero intelligit, cum ait: Collegas habuisti viros nouem: ex his tres erant, quos tu quoti die sciebas seruare de caelo. DVO] Vatinius & alter nescio quis. DVO] Domitiũ, & Ancharium. PRAETORES] praeturã hoc anno gerebant. nã in oratione in Vatiniũ, quae ijsdẽ consulibus, quibus haec pro Sextio habita est, cum ait, Duos praetextatos sedentes vides, Domitiũ & Ancariũ sine dubio significat. erat autem praetexta magistratuum toga. Et est animaduertendũ, licuisse praeturam petere, aedilitate omissa. nam Domitius & Ancharius, qui tribuni pl. fuerant Caesare & Bibulo consulibus, nõ video qui potuerint praeturã gerere cõsulibus Marcellino & Philippo si post tribunatũ aedilitatẽ gesserunt: cũ a Caesare & Bibulo ad Marcellinũ & Philippũ duo tantũ anni numerentur: quo spatio tria fieri non possunt, peti aedilitas geri, peti praetura. quae suum singula annũ requirũt: vt omittam quod inter aedilitatẽ & praeturã duo potius anni, quã vnus, videntur interfuisse. quod indicat epistola ad Furnium, fam. lib x. CN. *Domitii*] duobus tantum praenominibus. Cneo & Lu-

cio, Domitios esse vsos, apud Suetonium scriptum est. hunc opinor esse Cn. Domitium Caluinum, qui deinde cōsul fuit cū M. Valerio Messalla. etsi Caesarē in bellis ciuilibus secutus est. quod cū hoc loco pugnat. hic enim & in oratione in Vatinium eū contra Caesarem in tribunatu sensisse, manifestū est. Sed, vt tempora sic homines saepe mutantur. CONSTANTEM,] in tuenda contra Vatinium senatus caussa. ANCHARII] hic L. Pisoni in Macedoniam successit, praetorius consulari. in Pisonem. FIDEM, *ac fortitudinem*,] quia quod e republica duxit esse id & voluerit semper, & ausus sit. alterū enim sine altero infructuosum est. NIHIL *agere*,] quia, licet quotidie de caelo seruarent, vt Vatinio leges ferenti impedimento essent; ille tamē, auspicijs neglectis, & multas, & reipublicae exitiosas, pro Caesaris potentia, pertulit. GRATVM] an Domitij animū? non placet: quia nimis longe referetur, interposita Ancharij mentione. malo, Gratā: vt ad Ancharij fidē ac fortitudinē pertineat. Grata, sane magis probarē: vt ad animū Domitij, fidemq. ac fortitudinē Ancharij aeque spectaret: nisi me numerus impediret: in exametrū enim versū desineret oratio. quamquā alibi nō semel in Cicerone notauimus.

ORATIO

IAm de C. Fannio quae sit existimatio, videmus: quod iudicium populi R. in honoribus eius futurum sit. nemini dubium esse debet. quid populares illi duo, quid egerunt? alter, qui tamen se continuerat, tulerat nihil. senserat tantum de rep. aliud, atque homines exspectabant, vir, & bonus, & innocens, & bonis viris semper probatus, quod parum videlicet intellexit in tribunatu quid vero populo probaretur, & quod illum esse populum R. qui in concione erat, arbitrabatur, non tenuit eum locum, in quem, nisi popularis esse voluisset facillime peruenisset. alter, qui ita se in populari ratione iactarat, vt auspicia, legem Aeliam senatus auctoritatem, consulem, collegas, bonorum iudicium nihil putaret, aedilitatem petiuit cum bonis viris, & hominibus primis, sed non praestantissimis opibus, & gratia: tribum suam non tulit, Palatinam denique, per quam omnes illae pestes vexare populum R. dicebantur, perdidit, nec quidquam illis comitys, quod boni viri vellent, nisi repulsam, tulit. Videtis igitur populum ipsum, vt ita dicam, iam non esse popularem; qui ita uehementer eos, qui populares habentur, respuat; eos autem, qui ei generi aduersantur, honore dignissimos iudicet. Veniamus ad ludos: facit enim, iudices, uester iste in me animorum oculorumq. contuitus, vt mihi iam licere putem remissiore uti genere dicendi.

EXPLANATIO

QVAE *sit existimatio*,] quid homines opinentur. consularem auctoritatē eū esse consecutū. dicit in oratione in Vatinium. QVOD *iudicium*,] hoc dicit, non esse dubitandum, quin C. Fannio magistratus eos, quos petet, populus studiose daturus sit. TVLERAT *nihil*,] legē quidē promulgauit, sed nō tulit: quia seruantibus de caelo tribus tribunis pl. Domitio, Anchario, Fannio nemo ex toto collegio tribunicio, praeter vnū Vatinium, legē promulgatam ferre ausus est. quod in oratione in Vatinium plane constat. quis autē hic sit, quē Cicero popularem tribunū pl. fuisse dicit, nō satis liquet certe, amicū fuisse Ciceronis inde coniicio, quod, cū eius in tribunatu sententiā improbet, in eo tamē laudando & quasi excusando multus est. C. Cosconiū putarē: de quo sic in ea in Vatinium: Omnes tribuni pl. collegae tui habuerunt leges promulgata, in his multas meus necessarius, etiā de mea sententia, C. Cosconius iudex noster: quē, tu dirumperis, cū aedilicium vides. Sed rationes aduersantur duae, vna, quod, cū in Sextij caussa iudex fuerit, quod proxima, quae recitaui, verba declarāt, nō placet haec de iudice dici: nō enim aequo animo audisset illa verba, Non tenuit eum locū, in quē, nisi popularis esse voluisset, facillime peruenisset. altera vero ratio est, quod manifeste significat eū in honoris petitione repulsam tulisse, cū ait: Non tenuit eū locū. quod in Cosconiū cōuenire nō potest: quē hoc anno aedilē fuisse, ex oratione in Vatinium proxime demonstratū est. NON *tenuit eum locum*,] non obtinuit aedilitatē, aut praeturā. est enim hic tenere, obtinere: quod ex insequenti verbo, Peruenisset cōijcitur. AVSPICIA,] qui sunt in historia versati, Vatinium significari facile sentiunt. is enim, seruantibus de caelo tribus eius collegis, Domitio, Anchario, Fannio, de auspicijs nihil laborans, leges, quas voluit, pertulit. quod ipsius Ciceronis verbis, quae scripta sunt in oratione in Vatinium, ostēdemus Tribunus plebis, inquit, fuisti: collegas habuisti viros fortes nouam: ex his tres erant, quos tu quotidie sciebas de caelo seruare, quos irridebas, quos priuatos esse dicebas. & in eadē paullo post: Nū quē post vrbē conditā scias tribunū pl. egisse cū plebe, cū constaret seruatū esse de caelo? Et infra: Eā rempublicā, quae auspicijs inuentis constituta est, ijsdē auspicijs sublatis peruertere conatus es. eundē significat in epistolis ad Atticū libro II. cū ait: Orbis hic in rep. est conuersus, citius omnino, quam potuit: id culpa Catonis: sed rursus improbitate istorū, qui auspicia, qui Aeliā legem, qui Iuniam & Liciniam, qui Caeciliam, & Didiam neglexerunt. LEGEM *Aeliam*,] lex Aelia legem ferri, cum obnunciaretur, vetabat. Vatinius neglexit in oratione in ipsum bis. SENATVS *auctoritatem*,] qui, quid senatus vellet, nihil attendisti: leges tulisti, quas senatus improbabat. per populum enim, non per senatum. Caesar consul, & Vatinius tribunus pl. egerunt. CONSVLEM,] M. Bibulum: quem Vatinius in carcerem duci iussit. in oratione in ipsum. PRIMIS,] non gratia populari, sed familiae dignitate.

Landesbibliothek Oldenburg

dignitate.quo magis patuit,quã nõ carus populo Vatinius esset,is,qui in tribunatu popularis maxime putabat,cũ ab hominibus nõ magnopere gratiosis,tamen in aedilitatis petitione victus sit. TRIBVM *suam*] Vatinij tribus fuit Sergia.id ex oratione in ipsũ ex illis verb.s didici: Ob hasce omnes res scias te seueriſſimorũ hominũ Sabinorum,fortiſſimorum virorũ Marsorum,ac Pelignorum,tribulium tuorum,iudicio notatum,nec post Romã conditam,praeter te,tribulẽ quemquã tribũ Sergiã perdidisse.erat autẽ ignominiae maximae,si quis cãdidatus in honoris petitione suam tribũ non ferret ideo in ea de Haruspicũ responsis hoc ipsum eidem Vatinio,non nominatim quidẽ,sed ijs tamẽ verbis obiecit,vt illũ notari manifestũ sit.ait enim: Quos ad omnia progredientes quos munera gladiatoria parantes,quos apertiſſime largientes,non solũ alieni sed etiam sui vicini,tribules vrbani,rustici repulerunt.& in oratione in ipsum. OPIBVS.] de quo populus bene existimet,quẽ ciuitas diligit,cui fauet, is valere opibus recte & Latine dicitur. opes enim est id, quo possumus: siue bona fama sit,siue diuitiae,siue bellica copia siue quiduis aliud. PALATINAM]studiosam perditorum ciuiũ, vt hic apparet,maxime vero ex oratione pro domo sua:sic enim in ea scriptum est: Amici illi tui,te vno amico tecti & beati, qui se populo commiserant, ita repellebãtur, vt etiã Palatinam tuam perderent.Non enim,in hac tribu censum esse Clodium,etsi, Tuam, Cicero dicat, credibile videtur.tribum veterem Claudiam,gentis Claudiae propriam adoptatus a Fonteio mutauerit:concedam: tamen in aliqua potius rustica tribu,quam in Palatina,quae vrbana fuit,locum habuisset.nam cum, in vrbanis tribubus non nisi libertinos fuisse,aut homines a re domestica pessime constitutos, planum exploratumq.sit,qui potuerit in ea tribu censeri P.Clodius,qui neque libertinus erat,& vt Plutarchus in Cæsare testatur,diuitijs abundabat equidem non intelligo an a censoribus ob flagitium e rustica tribu in vrbanam reiectum dicemus? simile veri nõ est.nõ enim id Cicero tacuisset. obiecisset omnino, vt alia multa,in aliqua oratione:cum illi saepe, collectis omnibus criminibus, acerbissime male dicat.quod si census in Claudia non est:malim omnino in Arnienſi quã in Palatina: in qua & Claudium Neronem,qui cum Salinatore censuram gessit,esse censum,Liuius lib.1x.significat.Verum, qui translatus est a Claudia in Arnienſem Nero? forte censorum permissu, ex vetere Ap.Claudij censoris instituto:qui mutationẽ tribuum omnibus nõ modo in genuis,verũ libertinis quoque concessit,vt in qua quisque vellet tribu censeretur:quod in Diodoro Siculo legimus. puto etiam id ante Appiũ censorẽ licuisse,ex lege Ouinia,de qua meminit Festus.ILLAE *pestes*]homines nefarios multa,quae populũ Romanũ exercerent,valdeq.perturbarent, opera, ac studio Palatinae tribus in concione & comitijs peregisse significat. FACIT *enim,iudices,vester iste.&c.*] in digressionibus veniã petit a iudicibus,vt pro Archia: Quaeso a vobis,vt ĩ hac caussã mihi detis hanc veniã.&c.

ORATIO

COmitiorum *& concionum significationes interdum verae sunt, non numquam vitiatae, atque corruptae: theatrales gladiatoriq. conſeſſus dicuntur omnino ſolere, leuitate non nullorum, emptos plauſus & exiles & raros excitare: attamen facile eſt, cum id fit, quemadmodum, & a quibus fiat, & quid integra multitudo faciat, videre. quid ego nunc dicam, quibus viris:aut cui generi ciuium maxime applaudatur? nemi nem veſtrum fallit. ſit hoc ſane leue: quod non ita eſt; quoniam optimo cuique impertitur: ſed ſi eſt leue, homini graui leue eſt: ei vero, qui pendet a rebus leuiſſimis, qui rumore,&, vt ipſi loquuntur, fauore populi tenetur, & ducitur, plauſum immortalitatem, ſibilum mortem videri neceſſe eſt. Ex te igitur Scaure potiſſimum quaero qui ludos apparatiſſimos magnificentiſſimosq.feciſti,ecquis iſtorum populariũ tuos ludos adſpexerit? ecquis ſe theatro, populoq. R. commiſerit? ipſe ille maxime ludius, non ſolum ſpectator, ſed actor, & acroama, qui omnia ſororis embolia nouit, qui in caetum mulierum pro pſaltria adducitur, nec tuos ludos adſpexit in illo ardenti tribunatu ſuo, nec vllos alios, niſi eos, a quibus vix viuus effugit.ſemel,inquam,ſe ludis,homo popularis, commiſit omnino,cum in templo Virtutis honos habitus eſſet virtuti,C.q. Marij, conſeruatoris huius imperii, monumentum municipi eius & reip.defenſori ſedem ad ſalutem praebuiſſet.quo quidem tempore quid populus R. ſentire ſe oſtenderit, vtroque in genere declaratum eſt: primo, cum, audito S. C. ore ipſi atque abſenti ſenatui plauſus eſt ab uniuerſis datus:deinde, cum ſenatoribus ſingulis,ſpectatum e ſenatu redeuntibus.cum uero ipſe, qui ludos faciebat, conſul aßedit; ſtantes, & manibus paßis gratias agentes,& lacrumantes gaudio,ſuã erga me beneuolentiam ac miſericordiam declararunt.*

EXPLANATIO

COMITIORVM,*& concionum*]ex comitijs,inquit, & concionibus non ita cognoſcitur populi ſenſus,vt ex ludorum,gladiatorumq.conſeſſu. nam etſi non numquã empti plauſus in eo cõſeſſu excitãtur,tamẽ hi,quo minus populi ſenſus appareat,nõ efficiũt.exſules enim ſunt,& rari; &,a quib. dẽtur,quid. integra mulutudo faciat facile eſt videre.quare ex ludis,& gladiatorib.quid de Clodius populus Romanus ſentiat, optime cognoſcemus. VERAE *ſunt*,] a uero profecta e animi ſenſu. LEVITATE *nonnullorum*,] eorum, qui, pecunia accepta, plauſus excitant exiles,& raros. THEA-

TRALES, *gladiatorijq. confessus*] ex his verbis, ludos in theatro, gladiatores in foro datos esse satis patet. distinguuntur enim gladiatorij consessus a theatralibus. infra quoque, cū de Scauri ludis loquitur, Quis, inquit, se theatro commisit? Gladiatores autē in foro datos, tū in hac ipsa oratione infra manifestū est: tū Pedianus in commētario Diuinationis, vbi de Menia columna meminit, idē tradit. INTEGRA] nō corrupta. QVIBVS *viris*,] bonis, & publicā caussā studiose tuētibus applaudi maxime solebat: exēpla sunt in epistolis & orationibus nō pauca. MAXIME *applaudatur*?] nō exsuli, raroq. plausu. SIT *hoc sane leue*:] plausum dari sit plausus de minimis leuissimisq. rebus. HOMINI *graui*,] itaque Cicero cū in quadā epistola ad Atticū scripsisset, sibi theatrū ingrediēti plausum a populo magnū atque aequabilē esse datū subiunxit proxime: sed hoc ne curaris. ego, ineptus, qui scripserim. quasi, plausum curare, homini cōsulari turpe esset. QVI *pendet*,] qualis est Clodius. quā enim rē maximi aestimat, ex ea ipsa re hoc est ex populi plausu, argumento ducto, popularē nō esse cōfirmat. VT *ipsi loquuntur*,] fauor, & vrbanus, Ciceronis aetate noua fuisse, nec ante vsitata, asserit Quinctilianus libro VIII. cap. 3. itaque Cicero, vt nouā dictionē videatur agnoscere, quasi se excusans ait, Vt ipsi loquuntur, ij scilicet, qui a rebus leuissimis pēdent, qui populi gratiā quauis arte aucupātur. sic in epistola ad Ap. Pulchrū, vsurus noua dictione, Te, inquit, hominē, vt nunc loquuntur, vrbanū. Fauor autē cur Ciceronis aetate noua dictio visa sit, mirari aliquis possit, cū ea Lucretiū multis ante annis vsum esse constet. scripsit enim lib. VI. -obuia rursum Quae fuerant, sint placato cōuersa fauore. PLAVSVM *immortalitatem, sibilum mortem*] plausu populus amorē, sibilo odiū indicabat. itaque cū M. Roscius Otho tribunus pl. legē tulisset, vt equites seiuncti a plebe, in quattuordecim gradibus sedentes, ludos spectarēt; plebs irata, quod ignominiā quandā tulisse videretur, ingredientē eū in theatrū sibilis excepit, cōtra vero plausu equester ordo. Plutarchus. SCAVRE *potissimum*] qui praetor es. hoc enim supra in eo loco, Qualis pater tuus, M. Scaure fuit, probatū est. LVDOS *fecisti*,] in aedilitate. Plinius libro XXXVI. cap. 15. Pedianus, de officijs lib. 2. ECQVIS *istorum*] cū enim se populares haberi velint tamē populi sibila metuētes, ad ludos ire nō sunt ausi. IPSE *ille*] P. Clodius. LVDIVS,] ludios fuisse credo, vt ex oratione de Haruspicū responsis cōijcio, qui, dū agerentur ludi, in scena psallerent. ludiū hic appellat credo P. Clodiū, quod ludis magnopere delectari solitus esset: qui tamē Scauri ludos noluit adspicere, cū populi clamores, & sibila metueret. ACROAMA] recitator. Cicero in Verrē. Ne tamquā, inquit, festiuum acroama e cōuiuio sine corollario discederet: accedit Macrobius: cuius haec sunt lib. 2. Saturn. Delectatus inter cenā erat Augustus pueris symphoniacis Turonij Flacci mangonis, atque eos frumento donauerat, cū in alia acroamata fuisset liberalis nummis. Et Suetonius in Vespasiano: vetera acroamata reuocauit. Vt omittātur aliorū testimonia. Alibi, acroama etiā pro ipsa re, quae recitatur, vsurpari videmus: vt in orat. pro Archia: quae est iucunda narratio, & cantilena, & quidquid eos, qui audiunt, oblectat. Et Aristoteles Ethicorum lib x quae auditu & spectatu iucunda sunt, ἀκροαματικὰ ὁράματα vocat. Tribuit hic Cicero omnes partes Clodio, quae in fabulā cōueniunt: ludius, inquit, est, spectator, actor, recitator: nouit omnia sororis embolia: adducitur pro psaltria in caetū mulierū: tamen ludos tuos adspicere noluit. Sed quaeritur, agebatne Clodius, aut recitabat fabulas in scena? Non hoc vere sentit Cicero, sed iocatur in psaltriae vestē, quā Clodius induerat, vt vniuersam quasi fabulā perageret hoc est, Pompeia C. Caesaris vxore potiretur. SORORIS *embolia*] recōditas partes: cū sorore enim rē habuisse Clodius dicebatur. &, Embolia, dixit, ambigua significatione, vt & ingressum aditusq. ad sororē indicaret, (sicuti embolīū est ingressus argumētumq. scenicū) & in ludorū similitudine persisteret: quod mirū videri posset, Clodiū qui sororis embolia nosset, interesse ludicro spectaculo noluisse. PRO *psaltria*] horū verborū sententiā historia patefacit. scribit enim Plutarchus in vita Ciceronis, P. Clodiū psaltriae veste indutū, vt Pompeiae Caesaris vxori stuprū inferret, ingressum esse eo, vbi sacra Bonae deę mulieres faciebāt, spectauit igitur Cicero ad illud flagitiū: nec argute minus, quā cōtumelioſe, dixit: quasi mirū videretur eū, qui psaltriā simulare solitus esset, ludis abstinuisse, quibus fere psaltriae, precio cōductae, solerent interesse. eadē significatione dixit in ea de Haruspicū responsis: P. Clodius a coma, a mitra, a muliebribus soleis, purpureisq. fasciolis, a strophio, a psaltrio, a flagitio, a stupro est factus repente popularis. nisi eū mulieres exornatum ita deprehēdissent; nisi ex eo loco, quo eum adire fas nō fuerat, ancillarum beneficio emissus esset: populari homine populus Romanus, respublica ciue tali careret. ARDENTI *tribunatu*] fuit enim tamquā incēdium reipublicae: quādoquidē veteres leges, maiorumq. praeclara instituta cōsumpsit. VIX *viuus effugit*.] quo die de Ciceronis reditu in tēplo Virtutis senatusconsultum factum est, eo die ludi fuerunt. quo P. Clodius, dimisso senatu, cum veniisset; vix se populus Romanus tenuit; vix homines odium suum a corpore eius impuro, atque nefādo repressserunt. placet enim in re demonstrāda ipsius Ciceronis vsurpare verba. HONOS *habitus esset virtuti*,] quod in tēplo, in quo Virtus colebatur, de salute ciuis eius actum est qui remp. cōiuratorum scelere sua virtute vindicarat. affuit igitur, & opē tulit virtuti Virtus, infra, & in oratione pro Plācio, & de diuinatione libro I. & Valerius Maximus. Quinque autē S. C. de reditu Ciceronis esse facta, infra ostendemus. MARII *monumentum*] quod exstruxit de manubijs Cimbricis, & Teutonicis. inscriptio fuit haec in eius arcu. DE *manubijs Cimbricis Teutonicis aedem Honori & Virtuti victor veste triumphali calceis puniceis*. Alterum fuit Honoris & Virtutis templum, quod M. Marcellus, qui consul quinquies fuit non longe ab Appia via fecit. Pedianus, & alij. MVNICIPI *eius*] Ciceroni: cui eadem, quae C. Mario, patria fuit Arpinum. REIP. *defensori*] praesertim in consulatu: iungit autem

suam

suam laudem cum Marij laude. nam il um Romani imperij conseruatorem, se reipublicae defenso rem nominat. SEDEM *ad salutem praebuisset.*] cum excepit eos, qui de Ciceronis salute decreuerunt, pro Plancio: An, cum populus Romanus illo S.C. quod in monumento Marij factum est, quo mea salus omnibus est gentibus commendata, vni Cn. Plancio gratias egerit, ei ego a me referendā gratiam non putem? VTROQVE *in genere*,] amore erga senatum, odio in Clodium declarādo. ORE quis non videt corruptam esse dictionem? Consuli, cum sententia quadraret: nec a scripto nimium recedit: si quis antiquam scribendi rationem teneat. IPSI] qui retulerat ad senatum FACIEBAT,] extra ordinem, sumptu suo. ludos enim omnes sollemnes, publica impēsa, aediles curabant, praeter Apollinares, qui a praetore vrbano fiebant. CONSVL] P. Lentulus: nam huic potius quam Metello, gratias populum egisse, consentaneum est: quando is ad reducendum Ciceronem senatui dux & auctor fuerat. vtrum autem de ludis anniuersarijs, an ex consulis uoluntate factis intelligendum sit, non apparet. sed si anniuersarij: cur ab altero potius consule, quam ab vtroque dati? nisi si vel sorte, vel quod eius muneris cura ad eum consulem pertinebat, qui priore loco creatus erat. STANTES,] sedentes enim in theatri gradibus ludos spectabant. PASSIS.] apertis, diductis: a pando.

ORATIO

AT cum ille furibundus incitata illa sua vecordi mente venisset, vix se populus R. tenuit, vix homines odium suum a corpore eius impuro, atque infando represserunt; voces quidem, & palmarum intentus, & maledictorum clamorem omnes profuderūt, sed quid ego populi R. animum virtutemq. commemoro, libertatem iam ex diuturna seruitute respicientis, in eo homine, cui tum petenti iam aedilitatem ne histriones quidem coram sedenti pepercerunt? nam cum ageretur togata, simulans, vt opinor, caterua tota, clarissima concentione, in ore impuri hominis imminens concionata est,

Huic vitae tuae --- & post,

--- Principia atque exitus Vitiosae vitae. sedebat exanimatus; & is, qui antea cantorum conuicio conciones celebrae suas solebat, cantorum ipsorum vocibus ejiciebatur. Et quoniam facta mentio est ludorum ne illud quidem praetermittam, in magna varietate sententiarum numquam vllum fuisse locum, in quo aliquid a poeta dictum cadere in tempus nostrum videretur, quod aut populum vniuersum fugeret, aut nō exprimeret ipse actor. & quaeso hoc loco, iudices, ne qua me leuitate ductum ad insolitam genus dicendi labi putetis, si de poetis, de histrionibus, de ludis in iudicio loquar. non sum tam ignarus iudices causarum, non tam insolens in dicendo, vt omni ex genere orationem aucuper, & omnes vndique flosculos carpam, atque delibem. scio quid grauitas vestra, quid haec aduocatio, quid ille conuentus, quid dignitas P. Sextij, quid periculi magnitudo, quid aetas, quid bonos meus postulet. sed mihi sumpsi hoc loco doctrinam quandam iuuentuti, qui essent optimates. in ea explicanda demonstrandum est, nō esse populare omnes eos, qui putentur. id facillime consequar, si vniuersi populi iudicium uerum & incorruptum, & si intimos sensus ciuitatis expressero.

EXPLANATIO

VENISSET,] e senatu in theatrum. fuit enim senator P. Clodius, idq. non modo consulibus Lentulo & Metello, gesto iā tribunatu, verum etiā ante quā tribunatum gereret; atque adeo ante quā plebeius fieret. patet ex oratione pro domo sua, ī qua sunt haec: Quae maior calumnia est, quā venire imberbē adolescentulū, bene valentē, ac maritum; dicere filium senatorem populi Romani sibi velle adoptare? DIVTVRNA *seruitute*] quā per biennium pertulerat, consulibus Caesare & Bibulo, Pisone & Gabinio. TVM] eo die, quo, senatus cōsulto de me facto, in theatrum venit. PETENTI *iam*] particula, iam, non, ante legitimū tempus aedilitatē petijsse Clodium, significa: anno enim, qui tribunatum primus sequebatur, aedilitatem petere licebat: sed ei, etsi iā peteret aedilitatem, histriones tamen corā sedenti nō peperciſſe. TOGATA,] comoedia, quae Romanum habet argumentum, a togatis personis acta. SIMVLANS, togatae nomen. CONCENTIONE,] histrione olim, cum fabulas agerent, numeroso cantu recitasse, vel hic locus argumento esse potest. CONCIONATA] voce clarissima: qua is eorum solet esse, qui in populo concionantur. CANTORVM *conuicio*] etsi locus vacare mendo non videtur: tamen hoc opinor, Cicero significat: adhibere Clodius cantores ad suas conciones antea solebat, quo libentius populus audiret, eorum modulatis vocibus; quae concionantis vocem subsequebantur delenitus. tunc autem cantorum ipsorum vocibus, quibus alios congregarat, ipse ejiciebatur. haec nisi fallor, est horum verborum sententia. verum, quid sibi velit, dicto, conuicio, & quem hic locum habeat, non dispicio. nisi si, conuicio, pro multis vocibus a Cicerone dictum velis, quasi, conuocio. qua significatione accipitur & ab Vlpiano iurisconsulto. CELEBRARE] frequentare: cum ad eas frequens populus conueniret. sic per oppositionem dicimus, loco celebri, loco deserto. & infra de gladiatoribus, Id inquit, spectaculi genus omni frequentia, atque omni genere hominum celebratur. SENTENTIARVM] in togata. FVGERET,] quod populus uniuersus non intelligeret in meā fortunā conuenire. ACTOR.] is, qui primas in togata partes agebat: quem fuisse Aesopum, infra patet. is autem in agendis fabulis grauiter animo commouebatur: ut eius personae, quam agebat, ingenium plane referre uideretur. tradit Plutarchus; cum is Atreum repraesentaret, de Thyestis

ſtis ſupplicio deliberantem, ita eſſe rei argumento affectum, ut miniſtrum quendam, quia non ſatis mature aduenisſet, ſceptro percuſſum occiderit. ADVOCATIO,] ij, qui ſuam praeſentiam (vt Pediani verbis vtar) commodant reo. ILLE *conuentus*.] populus, qui ad iudicium conuenerat: quam in oratione pro Milone coronam vocat: quod populi circa ſtantis frequentia, quaſi corona quadam, iudicum ſubſellia cingerentur.

ORATIO

QVid fuit illud, quod, recenti nuncio de illo S. C. quod factum eſt in templo Virtutis, ad ludos ſcenamq. perlato, confeſſa maximo, ſummus artifex, & mehercule ſemper partium in rep. tamquam in ſcena, optimatium, flens, & recenti laetitia, & mixto dolore, ac deſiderio mei, egit aperte multo grauioribus verbis meam cauſſam, quam egomet de me agere potuiſſem? ſummi enim poetae ingenium non ſolum arte ſua, ſed etiam dolore exprimebat. Quam enim certo animo, qui remp. adiuuerit, Steterit cum Achiuis. vobiſcũ me ſtetiſſe dicebat, veſtros ordines demonſtrabat, reuocabatur ab vniuerſis. re dubia, Nec dubitarit vitam efferre, nec capiti pepercerit. haec quantis ab illo clamoribus agebantur? cum iam, omiſſo geſtu, verbis poetae, & ſtudio actoris, & exſpectationi noſtrae plauderetur.

Summum amicum ſummo in bello.

nam illud ipſe actor adiungebat amico animo: & fortaſſis homines propter aliquod deſiderium approbabant: ſummo ingenio praeditum. tum illa quanto cum gemitu populi R. ab eodem paullo poſt in eadem fabula ſunt acta? O pater.

EXPLANATIO

OPTIMATIVM,] optimarum, non dubito quin rectius ſit: vt cum rep. & cum ſcena pariter congruat partes, inquit, optimas, vt in ſcena, ſic in rep. tuetur. SVMMI *poetae*] qui fabulam, quae agebatur, compoſuerat. SED *etiam dolore*] cum enim poetae verſus meum caſum referentes pronunciaret, ad eorum ſententiam non modo corporis motum, & vocem, & vultum, verum etiã animum, intimoſq. ſenſus accommodabat. ſummo enim cum dolore, multiſq. cum lacrumis agebat. STETERIT *cum Achiuis*.] cum haec ab homine Graeco dici facile conijciam, qui poſt multa in Achiuos collata beneficia vitam in exſulio miſere ducat: fortaſſe, Telamonem hunc eſſe, Aiacis & Teucri patrem, non abſurde putabimus: de quo haec Cicero libro III. Tuſculanarum. Huius ne vitae propoſitio & cogitatio aut Thyeſtẽ leuare poterit, aut Aeetã, aut Telamonẽ pulsũ patria, exſulãtẽ atque egentẽ? ĩ quo haec admiratio fiebat: deinde ſubiunxit trochaicos quadratos catalecticos.

Hicine eſt Telamon ille modo quem gloria ad caelum extulit,
Quem adſpectabant, cuius ob os Graij ora obuertebant ſua? nec dubito, quin ij duo verſus ex eadem fabula ſint, ex qua hi, quos in oratione Cicero commemorat. etenim illud,

Exſulare ſinitis, ſiſtispelli, pulſum patimini, aptiſſime ad Telamonem referuntur. fabulam autem fuiſſe opinor Accij Andromacham. nam illa, quae ſequuntur,

O pater,
Haec omnia vidi inflammari; quae Cicero ex eadem fabula eſſe dicit; ex Accij Andromacha ſumpta eſſe, plane cõſtat in III. Tuſculana vtrumque autẽ in eadẽ fabula, Telamonẽ & Andromachã, ſuã miſeriam deplorantem eſſe inductum, primũ hic licet conijcere: deinde ex ea, de qua memini Tuſculana poſsũ ſuſpicari. nã ex vna parte Telamonẽ, ex altera Andromachã, ſuã calamitatẽ miſere cõquerẽtes videt Accius collocaſſe: cũ Cicero, tribus verſib. de Telamone recitatis

Pol mihi fortuna magis nunc defit, quàm genus:
Namque regnum ſuppetebat mihi: vt ſcias, quanto e loco,
Quantis opibus, quibus de rebus lapſa fortuna occidat: ſubiungat,
Ex opibus ſummis, opis egens Hector tuae;
Quid petam praeſidi, aut exſequar? quo ne nunc auxilio aut fuga,
Freta ſim? & quae ſequuntur: quae ſunt ex Andromachae, Hectoris vxoris, perſona.

VESTROS *ordines*] ſenatum, equites, plebem: quos a me ordines defenſos eſſe demonſtrabat. REVOCABATVR] cogebat populus hiſtriones, quae ſemel dicta placuerant, ſaepius eadem iterare. CLAMORIBVS] non actoris, ſed populi. OMISSO *geſtu*,] non iam populus geſtu, ſed plauſu ſignificabat, quid de poeta ſentiret, qui illa ſcripſerat; quid de actore, qui tantum ſtudium, animiq affectionem in agendo declarabat; quid de nobis, quorum reditus exſpectabatur. SVMMO *in bello*.] opinor, in priore bello Troiano; in quo ab Hercule & Telamone euerſa Troia eſt. ADIVNGEBAT] de ſuo, non a poeta ſcriptum. nam, Summo ingenio praeditum, non ita conueniebat in hominem mi litarem, de quo proxima ſuperiora dicta ſunt; vt in Ciceronem, qui inter omnes ciues ingenij laudeſcientiaq. eminebat. O PATER.] Andromachae verba apud Accium, ſuam fortunam, euerſa Troia, deplorantis. & eſt ad patrem Eetionem, quem Thebis in Aſia regnantem Achilles occiderat, miſerabilis innocatio. integer verſus eſt.

Opater, o patria, o Priami domus:

cuius & in III. libro Tuſculanarum, & in III. de oratore mentio fit.

ORATIO

ORATIO

ME, me ille absentem, ut patrem, deplorandum putabat, quem Q. Catulus, quem multi alij saepe in senatu patrem patriae nominarant. quanto cum fletu de illis nostris incendijs, ac ruinis? cum patrem pulsum, patriam afflictam deploraret, domum incensam euersamq. sic egit, vt, demonstrata pristina fortuna, cum se conuertisset,

Haec omnia vidi inflammari,

fletum etiam inimicis, atque inuidis excitaret. pro dii immortales, quid illa, quemadmodum dixit idem? quae mihi quidem ita & acta, & scripta videntur esse, vt vel a Catulo, si reuixisset, praeclare posse dici viderentur: (is enim libere reprehendere & accusare populi nonnũ quam temeritatem solebat, aut errorem senatus) O ingratifici Argiui, inanes Graii, immemores beneficii. non erat illud quidem verum: non enim ingrati, sed miseri, quibus reddere salutem, a quo acceperant, non liceret: nec vnus in quemquam vmquam gratior, quam in me vniuersi. sed tamen illud scripsit disertissimus poeta pro me, egit fortissimus actor, non solum optimus, de me. cum omnes ordines demonstraret, senatum, equites R. vniuersum populum R. accusaret, Exsulare sinitis, sistis pelli, pulsum patimini: quae tum significatio fuerit omnium, quae declaratio voluntatis ab vniuerso populo R. in caussa hominis popularis, equidem audiebamus: existimare facilius possunt, qui affuerunt. & quoniam hinc me prouexit oratio, histrio casum meum toties collacrumauit, cum ita dolenter ageret caussam meam, vt vox eius illa praeclara lacrumis impediretur. neque poetae, quorum ego semper ingenia dilexi, tempori meo defuerunt: eaq. populus R. non solum plausu, sed etiam gemitu suo comprobauit. vtrum igitur haec Aesopum potius pro me, aut Accium dicere oportuit, si populus R. liber esset, an principes ciuitatis? nominatim sum appellatus, in Bruto Tullius: Qui libertatem ciuibus stabiliuerat: millies reuocatum est. parum ne videbatur; populum R. iudicare id a me, & a senatu esse constitutum, quod perditi ciues sublatum per nos criminabantur?

EXPLANATIO

PATREM *pulsum,*] cum diceret histrio o pater, o patria, o Priami domus, me, patrem patriae pulsum, patriam afflictam, domum incensam & euersam, cum lacrumis significabat. PRISTINA *fortuna,*] cum enim actor illa pronunciasset,

O pater, o patria, o Priami domus,
Septum altisono cardine templum,
Vidi ego te, astante ope barbarica,
Tectis caelatis, laqueatis,
Auro, ebore instructam magnifice,

subiunxit ea, quae idem poeta proxime scripsit: quae in III. Tusculana notauimus:

Haec omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam euitari,
Iouis aram sanguine turpari.

de quibus versibus primum dumtaxat hic Cicero ponit; cum tamen omnes histrio in scena recitarit. primus enim ad repraesentanda aedium suarum incendia pertinebat: duo reliqui in fortunam illius non cadebant. FLETVM *etiam inimicis,*] hoc dixit, vel quia reuera factum erat; vel quod, graues calamitates cum significamus, miserabiles etiam inimicis appellare consueuimus. sic apud Sophoclem Tecmessa de Aiace, sua ipsius manu interfecto:

ὦ δύσμορος Αἴας, οἷος ὢν οἷως ἔχεις,
ὡς καὶ παρ' ἐχθροῖς ἄξιος θρήνων τυχεῖν.

& apud eundem nuncius in tyranno:

- δέδμαδ' εἰσιδεῖν τάχα
τοιοῦτον, οἷον, καὶ συγοῦντα ἐποικτίσαι.

Et Cicero ipse lib. III. de or. quo loco, quae sit actionis vis ostendere conatur, haec dicentẽ L. Crassũ inducit: Quid fuit in Graccho, quod me puero tantopere ferretur? Quo me, miser deferẽ? in Capitolĩ ne? at fratris sanguine redundat. an domũ? matrẽ ne vt miserã, lamẽtantemq. videã & abiectam? Quae sic ab illo acta esse constabat, oculis, voce, gestu, inimici vt lacrumas tenere nõ possent. A. CATVLO,] senatus principe. SI *reuixisset,*] perierat inter Ciceronis consulatum, & exsulium. NEC *vnus in quemquam vmquam gratior, quam in me vniuersi.*] simile illud Phil. III. Quis enim vnus fortior, quis amicior vmquam reip. fuit, quam legio Martia vniuersa? PRO *me,*] vt in me multis post annis conuenirent, vt in eum tempus cadere possent. quod non poetae consilio, sed casu ita factum est. FORTISSIMVS] quia libere egerit, suumq. mei desiderium, nullo metu perterritus, aperte demonstrarit. DE *me.*] sentiunt profecto nescio quid aures, quo iuuentur, cum duo proxima κῶλα iisdem audiunt syllabis terminari: vt hic: Scripsit disertissimus poeta pro me, egit fortissimus actor, non solum optimus, de me: ὁμοιοτέλευτον Graeci vocant. HOMINIS *non popularis,*] se ipsum intelligit: qui etsi nomine popularis non erat, summam tamen erga se populi voluntatem cognouisse dicit. EQVIDEM *audiebamus*] sic libro III. de finibus: Equidem, diligentius saepiusq. ista loquemur inter nos. & ad Atticum lib. III. Adhuc equidem valde me paeniter. TOTIES] in omnibus a me recitatis versibus.

Landesbibliothek Oldenburg

bus. IMPEDIRETVR.] debilitatur enim fletu vox. pro Caelio. & pro Milone. POETAE,] qui quasi diuinantes illa pro me scripserunt. AESOPVM] histrionem Ciceronis familiarem qui, vt Roscius in comoedijs, sic ipse primas in tragoedijs ferebat. epistola ad Marium, fam. libro VII. reliquit filium ditissimum, & nequissimum. Plinius IN. ERVTO] Accij tragoedia, de qua libro I. de diuinatione, & apud Varronem de lingua Latina lib. IV. mentio fit. TVLLIVS:] cum enim Brutum Aesopus nominare deberet, Tullium nominauit: quod vt Brutus, Tarquinio rege pulso, sic Cicero, coniuratione oppressa, libertatem ciuibus stabiliuerat. REVOCATVM *est.*] a populo. sic in epistola quadam ad Atticum lib. II. de Diphilo tragoedo: Millies coactus est dicere eadem. ID *a me constitutum*] libertatem. CRIMINABANTVR?] propterea Clodius ex euersa Ciceronis domo templum Libertatis ex ædificauit: quasi, eo pulso, qui tyrannidem in suo consulatu exercuisset, restituta libertas videretur.

ORATIO

MAximum vero populi R iudicium vniuerso consessu gladiatorio declaratum est: erat enim munus Scipionis, dignum, & eo ipso, & illo Q. Metello, cui dabatur. id autem spectaculi genus erat, quod omni frequentia atque omni genere hominum celebratur, quo multitudo maxime delectatur. in hunc consessum P. Sextius trib. pl. cum ageret nihil aliud in eo magistratu, nisi meam caussam, venit, & se populo dedit, non plausus cupiditate, sed vt ipsi inimici nostri voluntatem vniuersi populi viderent. venit, vt scitis, ad columnam Maeniam. tantus est ex omnibus spectaculis vsque a Capitolio, tantus ex fori cancellis plausus excitatus, vt numquam maior consensio, aut apertior populi R. vniuersi fuisse vlla in caussa diceretur, vbi erant tum illi concionum moderatores, legum domini, ciuium expulsores? alius ne est aliquis improbis ciuibus peculiaris populus, cui nos offensi inuisiq. fuerimus? equidem existimo, nullum tempus esse frequentioris populi, quam illud gladiatorium; neque concionis vllius, neque vero vllorum comitiorum. haec igitur innumerabilis hominum multitudo, haec populi R. tanta significatio sine vlla varietate vniuersi, cum illis ipsis diebus de me actum iri putaretur, quid declarauit, nisi optimorum ciuium salutem & dignitatem populo R. caram esse vniuerso?

EXPLANATIO

DECLARATVM *est:*] Lentulo, & Metello cos. vt infra. MVNVS] de gladiatoribus quidem, sed proprie de venationibus dicitur, vt indicat Lactantius lib. VI. Q. *Metello*] Pio, Numidici filio: cuius memoriae P. Scipio is, qui postea Pompeij Magni socer fuit, gladiatores dedit. erat enim, vt scripsit Dio, ab eo adoptatus: ideoq. & Metellum, & Scipionem appellari in epistolis Ciceronis, atque etiam in antiquis nummis, licet animaduertere. DABATVR.]non statim post obitum: nam aliquot ante annis Cicerone consule Metellum Pium vita excessisse Dio libro XXXVII. declarat. sic & Q. Gallium patri mortuo munus gladiatorium anno post dedisse, apud Pedianum obseruauimus. COLVMNAM *Maeniam*] e qua gladiatorum pugna in foro spectabatur. quod ex Pediano satis constat. Inde generale nomen Maeniana quorum mentio apud Vitruuium. Ex *fori cancellis*] ergo in foro gladiatores dabantur. quod & Pedianus ait, & Plutarchus in Gracchorum vita confirmat.

ORATIO

AT vero & ille tribunus pl. qui de me non patris, aui, proaui, maiorum denique suorum omnium, sed Graeculorum instituto concionem interrogare solebat, uellet ne me redire; &, cum erat reclamatum seruiuis mercenariorum uocibus, populum R. negare dicebat: is, cum quotidie gladiatores spectaret, numquam est conspectus, cum ueniret: emergebat subito, cum subtabulas subrepserat, vt,

Mater te appello,

dicturus videretur, itaque illa via latebrosa, qua spectatum ille veniebat, Appia iam vocabatur, qui tamen quo quo tempore conspectus erat, non modo gladiatores, sed equi ipsi gladiatorum repentinis sibilis extimescebant. Videtis ne igitur, quantum inter populum R. & concionem interfit? dominos concionum omni odio populi notari; quibus autem consistere in operarum concionibus non liceat, eos omni populi R. significatione decorari? Tu mihi etiam M. Atilium Regulum commemoras, qui redire ipse Carthaginem sua voluntate ad supplicium, quam sine ijs captiuis, a quibus ad senatum missus erat, Romae manere maluerit? & mihi negas optandum reditum fuisse per familias comparatas, & homines armatos? vim scilicet ego desideraui: qui, dum vis fuit, nihil egi; & quem, si vis non fuisset, nulla res labefactare potuisset. hunc ego reditum repudiarem? qui ita florens fuit, vt vereat, ne quis me studio gloriae putet idcirco exisse, vt ita redirem. quem enim vmquam senatus ciuem, nisi me, nationibus exteris commendauit? cuius vmquam propter salutem, nisi meam, senatus publice soleis populi R. gratias egit?

EXPLA-

EXPLANATIO

ET alter tribunus pl.] & alter tr. pl. Serranus. iam enim de Sextio trib pl. locutus erat. ex omnibus autem, qui Lentulo & Metello cos. tribuni pl. fuerunt, duos dumtaxat inimicos Ciceroni fuisse, Numerium Quinctium, & Sex. Atilium Serranum, supra cognouimus. sed acrior aduersarius Atilius: qui etiam, ne Kalēdis lan. res conficeretur, impedierit; idemq. post reditum Ciceronis, vt est libro IV. epist ad Atticum, senatus consulto, quod de restituenda Ciceronis domo in Marcellini consulis designati sententiam fiebat, intercesserit. quare hic eum potius intelligi, quam Numerium, eximium. PATRIS,] non significat patrem Atilij naturalem: nam is Gauius quidam fuit, homo ignobilis, a re domestica male paratus: cuius horreum Cicero desertum supra vocauit. significat igitur Atilium patrem adoptiuum: qui & ipse, & pater, & maiores clari viri fuerant, optimeq. de bonis ciuibus, deq. republica senserant, quorum dissimilis Gauianus Atilius, Ciceronem, bene de patria meritum, vehementer oppugnabat. GRAECVLORVM] qui se omnia scire profitentur. quorū nomina solet Cicero diminuere, vt indicet, non esse re vera tales, quales ipsi se esse praedicent. solebant enim ex Gorgiae Leontini vetere instituto multis astantibus interrogare, Num quis aliquid quaereret: & ad omnia quaesita respondebant. quorum inanem ostentationē & alibi Cicero deridet. eorū igitur consuetudinē Atilius videbatur imitari, cū interrogaret in cōcione, Vellent ne me redire. CVM *veniret:*] nō conspectus est, cū in forū ad spectandos gladiatores veniret: sub eas enim tabulas, quae spectaculi causa temporariae compinguntur, occulte subrepebat; cum populi sibila metueret. qui tamē, postea quam consederat, a populo cōspectus ita exsibilabatur, vt repentino sonitu nō modo gladiatores, sed ipsi gladiatorum equi perturbarentur. VT, *mater te appello,*] vt Memnoni Aurorae filio, similis videretur: cuius imago interfecti & insepulti per quietem matri apparens ita fatur:

Mater te appello, quae curam somno suspensam leuas,
Neque te mei miserет, surge, & sepeli natum.

sunt enim hi versus Tusculanarū quaestionum lib. I. quemadmodum igitur Memnonis vmbra de terra subito exsistit & ad matrē illa pronunciat. sic Atilius, cum sub tabulas subrepserat, emergebat subito, vt quasi Memnon, Mater te appello, dicturus videretur. LATEBROSA,] celebres enim vias fugiebat, vt occulte veniret. APPIA] nimirum coniectura fallit; Atilia, rectius legetur, quam Appia: vt ab Atilij tribuni pl. nomine via illa, qua spectatum veniebat, a ridiculis ac facetis hominibus Atilia diceretur. EQVI *gladiatorum*] ex equis gladiatores pugnasse, nisi me locus hic monuisset, non putasse. cetera exempla, quod memini, de peditibus aequo solo pugnantibus sunt. NOTARI;] Vatinium in comitijs, Clodium in ludis, Atilium in munere gladiatorio. DECORARI;] Lentulum in concionibus & ludis, Domitium & Antharium in comitijs, Sextium in gladiatorio consensu. TV *mihi etiam*] accusator Sextij M. Tullius Albinouanus obiecerat Ciceroni, quod per seruos & homines armatos in patriam inuertisset: exemplumq. Reguli protulerat; qui Carthaginē ad supplicium, vt reipublicae consuleret, quam Romae manere maluisset. nota historia est ex Polybio, Gellio, ipso Cicerone libro III. de officijs. NIHIL *egi;*] quid enim facerem, cum vis & arma intentarentur? discessi e patria, ne vi contra vim vterer. NVLLA *res*] nam neque leges, neque iudicia, neque omnino res vlla eam mihi calamitatem inuexisset, quā uis intulit. SOCIIS] qui eum, patria pulsum, comiter excepérant, benigneq. tractarant.

ORATIO

DE me vno patres conscripti decreuerunt, vt qui prouincias cum imperio obtinerent, qui quaestores legatiq. essent, salutem & vitam meam custodirent. in, mea vna causa post Romam conditam factum est, vt litteris consularibus ex S. C. cuncta ex Italia omnes, qui rempub. saluam vellent, conuocarentur. quod numquā senatus in vniuersae reip. periculo decreuit, id in vnius mea salute conseruanda decernendum putauit. quem curia magis requisiuit? quem forum luxit? quem aeque ipsa tribunalia desiderauerunt? omnia discessu meo deserta horrida, muta, plena luctus & maeroris fuerunt, quis est Italiae locus, in quo non fixum sit in publicis monimentis studium salutis meae; testimonium dignitatis? nam quid ego illa de me diuina S. C. commemorem? vel quod in templo Iouis optimi maximi factum est, cum uirtus, qui tripartitas orbis terrarum oras, atque regiones tribus triumphis adiunctas huic imperio notauit, de scripto sententia dicta, mihi vni testimonium patriae conseruatae dedit: cuius sententiam ita frequentissimus senatus secutus est, vt vnus dissentiret hostis, idq. ipsum tabulis publicis mandaretur ad memoriam posteri temporis sempiternam: vel quod est postridie decretum in curia, populi ipsius R. & eorum, qui ex municipijs conuenerant, admonitu; ne quis de caelo seruaret; ne quis moram vllam afferret. si quis aliter fecisset, eum plane euersorem reip. fore, idq. senatum grauissime laturum; & vt statim de eius facto referretur. qua grauitate sua cum frequens senatus nonnullorum scelus audaciamq. tardasset, tum illud addidit: nisi diebus quinque, quibus agi de me potuisset, esset actum, redirem in patriam dignitate omni recuperata. decreuit eodem tempore senatus, vt ijs, qui ex tota Italia salutis meae causa conuenerant, agerentur gratiae; atque vt ijdem ad res redeuntes, vt venirent, rogarentur.

Landesbibliothek Oldenburg

EXPLANATIO

CVM *imperio*] qui pro consules. & qui propraetores erant. nam quaestores, & legati imperium in prouincijs non habebant ideo eos seperatim Cicero nominat. CONSVLARI EVS] consulis vnius P. Lentuli in Pisonem. Ad meam inquit vnius salutem, senatus auxilium omnium ciuiũ cuncta ex Italia qui remp. saluã esse vellent, consulis voce & litteris implorandũ putauit. CVNCTA *ex Italia*] post legẽ Iuliam, socia i bello latam, de qua in libro nostro de legibus locuti sumus, vniuersa Italia municipiorum iura possidebat, & suffragium Romae ferebat, propterea senatus cunctam Italiã ad ferendum de Ciceronis reditu suffragiũ conuocauit. in oratione post reditum: quid praeclarius, inquit, mihi accidere potuit, quam quod illo petente vos decreuistis, vt cuncta ab Italia qui remp. saluã vellent, ad me vnum, hominẽ fractum, & prope dissipatũ, restituendũ, & defendendũ venirent: vt qũa voce ante semel post V. C cõsul vsus esset, pro vniuersa rep. apud eos solũ, qui eius vocẽ exaudire possent, eadẽ voce senatus omnibus agris, atque opidis ciuẽ, totamq. Italiã ad vnius salutẽ defẽdendã excitaret. NVMQVAM *senatus*] vere. numquã enim senatus decreuit vt Italia conuocaretur ad opẽ reip. ferendam: sed cõsul ea voce apud eos cantũ, qui eius vocẽ exaudire possent, vsus erat. is autẽ fuit P. Valerius Poplicola, vt alias ostendimus pluribus verbis. DIVINA. *S. C.*] quinquie de Ciceronis restituendo S. C. esse facta, & hic, & in ea post reditum in senatu planũ fit. vnũ. vt ab omni Italia, qui remp. saluam vellent, ad Ciceronẽ restituendum & defendendum Romam venirent: ciuius & hic & in ea post reditum in senatu fit mentio. alterum, quod vtroque consule referente, in Capitolio, Iouis in templo, de reuocando Cicerone factum est: quod & hic, & in eadem post reditũ, & pro domo nominatur: tertium, quod in curia; ne quis ad impediendã legem. de caelo seruaret; ne quis moram vllam afferret. de quo & hic, & in eadem post reditum: quartum, vt ijs, qui e municipijs venerant, agerentur gratiae, atque vt ijdem ad res redeuntes, vt venirent, rogarentur. de quo item hic & in eadem: quinctum supra demonstrauit in eo loco, Cum in templo Virtutis honos habitus esset Virtuti. de quo mẽtionem praetermitti in ea post reditum in senatu, cum cetera nominentur, valde miror. cum praesertim in eo de eius reditu decretum sit. postea. centuriatis comitijs, a P. Lentulo consule, magistratibusq. cunctis, praeter vnum praetorem, Ap. Claudium, P. Clodij fratrem, & duos tribunos pl. Sex. Atilium Serranum & Numerium Quinctium, pridie nonas Sext. lata lex est. VIR. IS, [Cn Pompeius; qui, victis in Africa Carbone, in Hispania Sertorio, in Asia Mithridate, de tribus orbis terrarum patribus triumphauit. ITA *frequentissimus senatus secutus est*;] ita secutus est; non, ita frequentissimus quod miror homini docto in mentẽ venisse, vsu repugnante Latinae linguae. VNVS *dissentiret hostis*] & vnus de plurimis, & hostis: nam ne vnus quidem, nisi hostis esset, dissensisset manifestum est, P. Clodium designari: de quo sic in ea post reditũ in senatu: Quo quidẽ die cũ. CCCCX. senatores essetis, magistratusq. omnes adessent; dissensit vnus, qui sua lege coniuratos etiam ab inferis excitandos putarat. Ibi enim Clodium significari, declarant in eadẽ oratione illa verba: Meus inimicus promulgauit, vt, si reuixissent ij, qui haec pacne deleruntũ ego redirem. & pro domo sua sic: Cum de mea dignitate in templo Iouis optimi maximi senatus frequentissimus, vno isto dissentiente, decreuisset. Et de Haruspicum resp. DE *caelo seruando*] cum lex de me ferretur. agere enim cum populo, cum de caelo seruaretur, non licebat. supra, & in Vatinium. miror autem, cur senatus ita decerni necessarium putarit: cum, ne seruari de caelo liceret, cum lex ferretur, lege P. Clodij sanciũ iam esset. non enim suspicari possumus eam legem, quae auspicia tollebat, ab insequentis anni tribunis pl. in consulatu Lentuli, & Metelli esse abrogatam. si quidẽ illa verba, quae sunt in oratione de prouincijs consularibus in extremo, eam adhuc valere significant, cũ essent consules Marcellinus & Philippus. Aut vobis inquit statuendum est legem Aeliã manere, legẽ Fufiã non esse abrogatã; non omnibus fastis legẽ ferri licere; cũ lex ferretur, de caelo seruari, obnunciari, intercedi solere. & quae sequuntur. quid igitur dicendũ est: an hoc: senatũ, etsi leges Clodij valere intelligeret, quia tamen improbas iudicaret, ita decreuisse, quasi eae in republica nõ essent. non enim aduersus Clodij legem faciebat senatus, sed cũ ea potius consentire videbatur cũ decernebat, ne quis de caelo seruaret cum de Ciceronis reditu lex ferretur. quod de omnibus legibus Clodij lege cautũ erat. REFERRETVR.] in senatu: vt, quid agendũ in illũ esset, decerneretur. de Serrani tribuni pl. intercessione relatum esse, legimus in epistolis ad Atticum. sic etiam de tribunorum pl. facto, qui senatus cõsulto de Gallijs intercesserant, relatum esse, Caesar his verbis libro I. de bello ciuili scriptum reliquit Refertur confestim de intercessione tribunorũ dicuntur sententiae graues, vt quisque acerbissime crudelissimeq. dixit, ita quã maxime ab inimicis Caesaris collaudatur. hac tota de re meminit Cicero & in ea post reditum in senatu. DIEBVS *quinque*,] comitialibus: quibus agi cum populo licebat. non enim dicit quinque cõtinentibus diebus, sed, quinque, quibus agi potuisset. Ex *tota Italia*] verius, ex omnibus Italiae municipijs: quod iam ostendi. AD *res*] ad sua negocia. in oratione post reditum in senatu. Quid? inquit, vt agerentur gratiae ijs, qui e municipijs venissent. quid? vt, a d illam diem res cum redisset, rogarentur vt pari studio conuenirent, dicit idem, quod in hac pro Sextio, sed ita corruptis verbis, vt, nisi locus loco illustraretur, facile sententia lateret in mendo. correctio desideratur huiusmodi fere: Quid? vt ijdem, ad res cum redissent, rogarentur vt pari studio conuenirent,

ORATIO

ORATIO

HAec erat studiorum in mea salute contentio, vt ij, quia senatu de me rogabantur, iidem senatui me supplicarent. atque ita in his rebus vnus est solus inuentus, qui ab hac tam impensa voluntate bonorum palam dissideret; vt etiam. Q. Metellus consul, qui mihi vel maxime ex magnis cõtentionibus reip. fuisset inimicus, de mea salute retulerit. qui excitatus summa cum auctoritate P. Seruilii, quadam grauitate dicendi, cum ille omnes prope ab inferis euocasset Metellos, & ad illius generis, quod sibi cum eo commune esset, dignitatẽ propinqui sui mentem a Clodianis latrociniis reflexisset; cumq. eum ad domestici exempli memoriam, & ad Numidici illius Metelli casum vel glorioſum, vel grauẽ cõuertisset: collacrumauit vir egregius, ac vere Metellus, totumq. se P. Seruilio dicenti etiam tum tradidit, nec illam diuinam grauitatem, plenam antiquitatis, diutius homo eiusdem sanguinis potuit sustinere, & mecum absens summo suo beneficio rediit in gratiam. quod certe, si est aliquis sensus in morte praeclarorum virorum, cũ omnibus Metellis, tum vero vni viro fortissimo, praestãtissimo ciui, gratissimum fratri suo fecit, socio laborum, periculorum, consiliorum meorum. Reditus vero meus qui fuerit, quis ignorat? quemadmodum mihi aduenienti tamquam totius Italiae, atque ipsius patriae dexterã porrexerint Brundusini; cum ipsis nonis Sext. idem dies aduentus mei fuisset, qui natalis idem carissimae filiae, quam ex grauissimo tum primum desiderio luctuq. conspexi; idem etiam ipsius coloniae Brundusinae; idem Salutis; cumq. me domus eadem optimorum & doctissimorum virorum, Lenii Flacci, & patris, & fratris eius, laetissima accepisset, quae proximo anno maerens receperat, & suo praesidio periculoq. defenderat; cumq. itinere toto vrbes Italiae festos dies agere aduentus mei videbantur, viae multitudine legatorum vndique missorum celebrabantur: ad vrbem accessus incredibili hominum multitudine, & gratulatione florebat: iter a porta, in Capitolium ascensus; domum reditus erat eiusmodi, vt summa in laetitia illud dolerem, ciuitatẽ tam gratam, tam miseram, atque oppressam fuisse.

EXPLANATIO

VNVS] P. Clodius sic post reditum in senatu: Dissensit vnus, is, qui sua lege coniuratos etiam ab inferis excitandos putarat. Idem pro domo sua. AVCTORITATE *P. Seruilij,*] Isaurici, viri consularis, triumphalis. Censorij. Isauros in Cilicia domuerat: in quo Isaurici cognomen accepit. epitome Liuij libro XCIII. Velleius lib. 2. Cicero lib. III. in Verrem. & Pedianus, & Florus in bello piratico. RETVLERIT. Jn eo S.C. quod in templo Iouis factum est. post reditum in senatu, de prouincijs cos. QVADAM *grauitate dicendi,*] non placet, ita dici. non enim, cum laudamus, ita loquimur, quaedam virtus, quaedam eloquentia, sed, summa quaedam virtus, eximia quaedam eloquentia. quare, cũ auctoritatem Seruilij summã dixerit; velim, vt ad eiusdẽ grauitatẽ dicendi adijciatur itẽ aliquid, quod augeat. praeterea particula, Cum, aliã particulã, quae respondeat, deesse demonstrat, nempe, tum. sic igitur legerẽ: Excitatus summa cum auctoritate P. Seruilij, tum incredibili quadã grauitate: vel, Tũ diuina quadã grauitate dicendi. vtrumque enim aeque probo; Incredibili, ex oratione de prouincijs consularibus, vbi hãc ipsam Metelli reconciliationẽ Cicero commemorans ita loquitur. Quid? Q. Metellus Nepos nõ ne cõsul in templo Iouis opt. max. permotus cũ auctoritate vestra tum illius P. Seruilij incredibili grauitate dicendi, absens mecũ summo suo beneficio redijt in gratiam? Placet etiã, Diuina quadã grauitate dicendi, ob exemplũ eiusdẽ rei in oratione post reditũ in senatu: quod est huiusmodi: Q. Metellus, & inimicus, & frater inimici, perspecta vestra voluntate, omnia priuata odia deposuit: quem P. Seruilius, vir cum clarissimus, tum vero optimus, mihiq. amicissimus, & auctoritatis, & orationis suae diuina quadam grauitate ad sui generis, communisq. sanguinis facta vir tutesq. reuocauit. Etiam in oratione de Haruspicum resp. P. Seruilij grauitatem in dicendo singularem, ac paene diuinam appellat. AB *inferis*] induxit enim viuentes, Metellumq. hortantes ad res praeclaras Metellos omnes, claros viros, qui iam obierant. προσωποποιία dicitur, oratoribus ad animos audientium commouendos familiaris. sic in ea post reditum in senatu: vt haberet in consilio & fratrem ab inferis, socium rerum mearum, & omnes Metellos, praestantissimos ciues, paene ex Acheronte excitatos. SIBI *cum eo commune*] quia Metellus hic & Seruilius a Metello Macedonico originem ducebant, Metellus ex patre, Seruilius ex matre. nam ex Macedonico Balearicus, ex Balearico Nepos, ex Nepote Nepos hic natus est, qui cum P. Lentulo consulatum gessit. hoc cũ alijs argumentis, tum Pediani verbis probare possum. is enim in commentario orationis pro Cornelio ita scriptum reliquit. Fuere tunc plures Q. Metelli: ex quibus duo consulares, Pius, & Creticus; duo adolescentes, Nepos, & Celer: ex quibus nunc Nepotem significat. eius enim patrẽ Q. Metellũ Nepotẽ, Balearici filiũ, Macedonici filiũ, qui cõsul fuit cũ T. Didio, Curio is de quo loquitur, accusauit. Ex his verbis plane constat, hunc Metellum Macedonici pronepotem fuisse. eiusdẽ autem Macedonici nepotem ex filia fuisse Isauricum Seruiliũ, Cicero demonstrat in ea pro domo sua. cũ ait: C. Atinius patrum memoria bona Q. Metelli, qui eum e senatu censor eiecerat aui tui Q. Metelle, & tui, P. Seruili, & proaui tui P. Scipio consecrauit. Loquitur enim in eo loco Cicero de Metello Macedonico: quod Liuiana epitome lib. LIX. & Plinius lib. VII. declarãt. sed ĩ Plinio mendose, Catinus pro C. Atinius legitur. AD *vnum dicto citius Metelli casum,* Optima est nõ modo interpretãdi ratio, ve-

Landesbibliothek Oldenburg

rum etiã corrigendi,cũ similia similibus cõferuntur.videbã in tribus illis dictionibus,Vnũ dicto citius latere mendũ:nec tamen aut ex scriptis libris,aut ex ingenio sincerã lectionẽ assequebar.recurri ad similẽ locum in oratione post reditũ in senatu.legi:cõtinuo veritas illuxit. intellexi enim, vbi nunc est in omnibus impressis libris,Ad vnũ dicto citius Metelli casum,reponendũ esse Ad Numidici illius Metelli casum.quod vt alijs quoque ita videatur,verba subscribam,quae sunt in oratione post reditũ. Vt haberet in cõsilio & fratrem ab inferis sociũ rerũ mearũ,& omnes Metellos,praestãtissimos ciues,ex Acheronte excitatos,in quibus Numidicũ illũ Metellũ,cuius quondã de patria discessus honestus ipsi,bonis omnibus luctuosus visus est.Solet autẽ Cicero,cũ de Numidico Metello mentionẽ facit,eũ hoc praenomine,ille,insignire.vt pote Metellorũ omniũ praestantissimũ.sic in oratione pro Archia:Erat tẽporibus illis iucundus Q.Metello illi Numidico,& eius Pio filio.VERE *Metellus*,]quia Metellorũ familia etsi plebeia,honoribus tamẽ,& dignitatibus erat nobilissima.& intra XII. ferme annos aut cõsules fuisse,aut censores,aut triumphasse amplius XII.Metellos,Velleius Paterculus memorię tradidit.vnde illud Naeuij,quod Cicero in orat. II. in Verrẽ significauit,

Fato Metelli Romae fiunt cõsules.

PLENAM *antiquitatis*,]erat enim Seruilius admodũ senex,vt qui consulatũ XXII.annis ante cũ Ap.Claudio,P.Clodij patre,gessisset.BENEFICIO]vel addendũ,vel subaudiendũ,suo:sed addi malim,quã subaudiri:vt hoc modo legatur: Mecum absens,suo beneficio,redijt in gratiã.nã & in ea de prouincijs cõsularibus,Metellus,inquit,Nepos,per motus cũ auctoritate vestra,tũ illius P.Seruilij incredibili grauitate dicẽdi,absens mecum,summo suo beneficio redijt in gratiam. beneficiũ autẽ in Ciceronẽ illud fuit, quod ad senatũ vna cũ Lentulo collega de reducendo Cicerone retulit quod in orationibus ad Quirites post reditũ,& in senatu,& pro domo.FRATRI *suo*]Q.Metello Celeri,Q.Metelli Celeris filio,qui tribunus pl fuit cũ Q.Vario,C.Curione,C.Carbone,Cn.Pompeio:vt est apud Ciceronẽ in Bruto. Hic cũ Nepotis frater fuerit;de Macedonici stirpe fluxerit,necesse est. nec tamẽ huius plane cognationis rationem inire adhuc potui. nisi si Celeris & Nepotis patres fratres fuere. quod vix videtur posse fieri: cum vterque Quincti praenomen habuerit.tametsi duos Ap Claudios nominat Pedianus in commentario orationis pro Milone rectẽ autẽ fortissimũ virũ Cicero cũ appellat.consul enim cũ esset,P.Clodiũ,fratrẽ suum.a patrib. ad plebẽ transire conãtẽ,sua se manu interfecturũ audiẽte senatu dixit. pro Coelio,& de Haruspicum resp.SOCIO]coniurationis tempore:fuit enim praetor Cicerone consule:officiumq. inter eos ita dispertitum fuisse legimus, vt Metellus Italiam ab armis & ab occulta coniuratione,Cicero vrbẽ a domesticis insidijs & ab intestino scelere defenderet.iccirco & in ea post reditum in senatu socium rerum suarum nominat.DEXTERAM *porrexerint*,]primi enim eũ aduenientem Brundusini exceperunt.TVM *primum*]Brundusium vsque patri redeunti Tulliola obuiam iuit. quod officium Torentia obire neglexit.Plutarchus. IPSIVS *coloniae*,]quae nonis Sext.quo ego die in Italiam appuli,Brũdusium. deducta fuerat.IDEM,*vt scitis*,]epistola prima libri IV.ad Atticum huius loci correctionem demonstrat.eadem enim ibi narrantur,quae hic, de nonis Sext. corrigendũ autẽ sic:Idẽ & Salutis:vt significetur,templũ Salutis,quod fuit in colle Quirinali,nonis Sext.esse dedicatũ.ET *patris,& fratris eius*,]duos fratres Lenios,& ĩ ea pro Plancio commemorat.PERICVLOQ.]propter legẽ Clodiã,quae poenã irrogabat ijs qui Ciceronẽ exsulem intra quadringenta millia passuum tecto excepissent. qua de re sic in oratione pro Plancio: In hortos me M. Lenij Flacci contuli.cui cum omnis metus,publicatio bonorum,exsuliũ,mors proponeretur;haec perpeti,si accideret,maluit,quam custodiã mei capitis dimittere.Etiam in epistolis, quae familiares vocantur, lib. XIV.de Leniorum hospitio,& de legis Clodiae poena meminit.IN *Capitolium*,]primũ enim ad agendas Ioui optimo maximo gratias iuit, quod se patriae compotem fecisset: deinde ad suos penates a Capitolio reuertit:ad Atticum lib.IV. DOMVM]non Palatinam;in qua euersa Clodius templum Libertatis exaedificauerat; sed eam, opinor, quam habebat in Ceramio: de qua lib. ad Atticum IV.

ORATIO

HAbes igitur, quod ex me quaesisti, qui essent optimates. non est natio, vt dixisti: quod ego verbum agnoui: est enim illius, a quo vno maxime P. Sextius se oppugnari videt, hominis eius, qui hanc nationẽ deleri & concidi cupiuit:qui C.Caesarem, mitem hominem & a caede abhorrentem,saepe increpuit, saepe accusauit, cum affirmaret illum numquam, dum haec natio viueret, sine cura futurum. nihil profecit de vniuersis: de me agere non destitit: me oppugnauit primum per indicem Vettium,quem in concione de me,& de clarissimis viris interrogauit:in quo tamen eos|ciues coniũxit eodem periculo & crimine, vt a me inierit gratiam, quod me cum amplissimis & fortissimis viris congregauit. sed postea mihi nullo meo merito, nisi quod bonis placere cupiebam, omnes est insidias sceleratissime machinatus. ille ad eos, a quibus audiebatur, quotidie aliquid defecti afferebat: ille hominem mihi amicissimum Cn. Pompeium monebat, vt meam domum metueret, atque a me ipso caueret, ille se sic cum inimico meo copularat, vt illum meae proscriptionis, quam adiumabat Sex. Clodius, homo ijs dignissimus, quibuscum viuit, tabulam esse,se scriptorem diceret:ille vnus ordinis nostri, discessu meo, luctu vestro palam exsultauit.

EXPLA-

EXPLANATIO

AGNOVI:] intellexi cuius sit, a quo vsurpaueris. est enim Vatinij, qui Sextiũ maxime oppugnat, in quem etiam testimoniũ dixit. vnde in illũ Ciceronis oratio quã appellat interrogationẽ in epistola, Periucundae, ad Lentulum: quia perpetua cũ interrogatione accusat. INCREPVIT,] cũ tribunus pl. ipse, cõsul Caesar esset. DE *vniuersis*:] non obtinuit a Caesare, vt in vniuersam optimatiũ nationẽ vi & armis irrueret. DE *me*] dixi iam, in hac oratione, atque omnino in omnibus orationibus, quas post exsulij sui calamitatẽ habuit, diligenter cauisse Ciceronẽ, ne C. Caesaris animũ offenderet: vel quod Pompeij socer esset, cuius maxime opera se esse restitutũ iutelligebat: vel quod, malo doctus, pugnare cũ potentibus deinde nollet; sibiq. nõ, vt antea dignitatis solũ, sed salutis cũ dignitate rationẽ esse habendã existimaret. quo cõsilio praeteritas in se Caesaris iniurias partim silet, partim excusat. Hic, cũ dixisset, Nihil profecit de vniuersis, locus postulabat, vt adiungeret de se ipso, quid apud Caesarem profecisset Vatinius, & traductionẽ illã Clodij ad plebẽ, cuius auctor atque actor in consulatu Caesar fuit, ex Vatinij sermone cõsilioq manasse criminaretur. verum, ne videatur ea meminisse, quae vt ex animo deleantur, gratiae reconciliatio requirit; odiosam commemorationẽ callide praetermittit, & orationem ad ea traducit quae propria Vatinij sunt, nõ cum Caesare communia. INDICEM *Vectium*,] indicauit L. Vectius, negociũ sibi a clarissimis viris esse demandatum, vt Cn. Pompeiũ occideret. id a Vatinio tribuno pl. & Caesare cõsule fictũ, suspicio fuit: quia, cũ indicis falsitas manifestis signis argueretur, Vectius in carcere occulte strangulatus est: de quo sic in oratione in Vatiniũ: Promulgaris ne, impurissime, & perditissime hostis, quaestionẽ de tot amplissimis & talibus viris, indici Vectio praemia amplissima? quibus rebus omniũ mortaliũ nõ voluntate, sed conuicio repudiatis, fregeris ne in carcere ceruices ipsi illi Vectio, ne quod indiciũ corrupti indicij exstaret eiusq. sceleris in te ipsum quaestio flagitaretur? Et Suetonius in Iulio, Vectiũ veneno sublatũ significat, auctore, vt creditũ est, Caesare; cuius cũ Vatinio communia cõsilia erant. DE *me*,] an ego Vectio auctor atque impulsor ad necẽ Pompeij fuissem. CLARISSIMIS *viris*] M. Bibulo, tũ consule; L. Lucullo consulari, & triumphali; C. Curione, consulari, & triumphali; L. Domitio Ahenobarbo, qui tum praeturã petebat; L. Lentulo, qui consulatũ petebat; L. Aemilio Paullo, qui tũ quaestor Macedoniã obtinebat; alijs priuatis, quos enumerat in epistola ad Atticum penultima libri II. & in Vatinium. ALIQVID *defecti*] non agnosco Latinã vocẽ. & apparet mendum. tribus modis corrigi potest. Aliquid ficti, Aliquid effecti, aliquid de me ficti. ex his correctionibus, quia nõ differunt in sententia, eã probari maxime velim, quã libri scripti comprobabunt, aut cum qua minimum dissentient. AFFEREBAT:] forte querellã attulit Ciceronis in iudicio C. Antonij. vide orationẽ pro domo sua. MONEBAT,] de Vatinio igitur supra intellexit, cũ dixit: Quẽ, domi meae, certi homines, ad eã rẽ compositi, monuerunt, vt esset cautior: eiusq. vitae a me insidias apud me domi positas esse dixerunt. & in Pisonẽ cum ait: Qui familiaritatis licentia, suorum improbissimorum sermonum domicilium in auribus eius impulsu vestro collocauerunt, Vatinium potuit significare. MEAE *proscriptionis*,] legẽ, qua pulsus est, proscriptionẽ appellat; quia, cum contra leges, moremq. maiorum esset rogata, lex esse, nõ posset. est autẽ proscriptionis odiosum nomẽ: quod eas facere consueuerunt ij; quorum potẽtia supra leges est, qualis L. Sulla fuerat. eadẽ sententia dixit supra, Cum proscriptio denunciaretur. & post, Cum de capite ciuis, & de bonis proscriptio ferretur. ADIVVABAT *Sex. Clodius*,] homo seditiosissimus; qui P. Clodij interfecti corpus in forum detulit, populoq. cõcitato cremauit. quo incendio & curiam, & basilicã Aemiã cõflagrasse eoq. deinde crimine Sex. Clodium esse damnatum, Pedianus in suis commentarijs tradidit: & M. Antonij consulis exstat epistola, Ciceronem rogãtis, vt Sex. Clodium restitui patiatur. hic leges Clodij sua scriptione adiuuabat. itaque in ea pro Milone, Exhibe quaeso inquit librarium illud legum vestrarum. in ea vero pro domo sua: Hanc tibi legẽ Clodius scripsit spurciorẽ lingua sua, vt interdictum sit, cui nõ sit interdictum? Sexte noster, bona venia dic. quoniã iam dialecticus es. & hoc quoque liguris: quod factum nõ est, vt sit factum, ferri ad populum, aut verbis vllis sanciri, aut suffragijs cõfirmari potest? hoc tu scriptore. hoc cõsilio, hoc ministro rempublicã perdidisti. Hic scriptorẽ eius legis Vatinium videtur agnoscere, scriptionis autẽ adiutorẽ & participẽ Sex. Clodium: oratorum more; qui res ad personas varie solent, vt caussa fert, accommodare. IIS *dignissimus*,] simile illud in Pisonẽ: Non modo facie, sed etiã oculo tuo dignissimum. Et in Verrem lib. IV. Hominem dignissimum tuis moribus. QVIBVSCVM *viuit*,] viuebat maxime cũ P. Clodio, cumq. nefarijs ac seditiosis hominibus: de quo sic in oratione pro Coelio: Quem vos per biennium aut ministrum seditionis, aut ducem vidistis, hominem sine re, sine fide, sine spe, sine fortunis, ore, lingua manu, vita omni inquinatum. ORDINIS *nostri*,] senatorij.

ORATIO

DE quo ego, cum quotidie rueret, verbum feci iudices numquam: neque putaui, cum omnibus machinis, ac tormentis, vi, exercitu, copiis oppugnarer, de vno sagittario me queri conuenire. Acta mea illi dispicere

cere, quis nescit? qui legem contemnat, quae dilucide vetat gladiatores biennio, quo quis petierit, aut petiturus sit, dare. in quo eius temeritatem satis mirari vidices non queo. facit apertissime contra legem: facit is, qui neque elabi ex iudicio iucunditate sua, neque emitti gratia potest, neque opibus, & potentia leges, ac iudicia perfringere. quae res hominem impellit, vt sit tam intemperans? ista nimia gloriae cupidit ate familiam gladiatoriam, credo, nactus est speciosam, nobilem, gloriosam: norat studia populi: videbat clamores & concursus futuros. hac exspectatione elatus homo flagrans cupiditate gloriae, tenere se non potuit quin hos gladiatores induceret, quorum esset ipse pulcherrimus. si ob eam causſam peccaret, pro recenti populi R. in se beneficio, populari studio elatus: tamen ignosceret nemo. cum vero ne de venalibus quidem homines electos, sed ex ergastulis emptos, nominibus gladiatorijs ornarit, & sortito alios Samnites, alios Prouocatores fecerit: tanta licentia, tanta legum contemptio ne non habitura sit exitum, pertimescit? sed habet defensiones duas: primum do, inquit, bestiarios: lex est scripta de gladiatoribus. Festiue. accipite aliquid etiam acutius. Dicit se non gladiatores, sed unum gladiatorem dare, & totam aedilitatem in munus hoc transtulisse. praeclara aedilitas, vnus leo, ducenti bestiarij.

EXPLANATIO

RVERET,] aliquid furiose faceret. feruntur enim homines improbi ad facinus eo impetu, vt rue re videãtur. VI, *exercitu copiis.*] vi Clodij, exercitu Caesaris, copijs improborum ciuium SAGITTARIO] Vatinio. pulcherrima concluditur hoc extremo verbo metaphora, a similitudine vrbis oppugnatae. ACTA *mea*] pro republica. LEGEM] a Cicerone consule rogatam. CONTEMNAT,] quia, cũ aedilitatem & petierit anno proximo, & hoc ipso anno praeturam petat, gladiatores tamen dare vult. in Vatinium. VETAT] recte: ne populus, aut praeteritae voluptatis memoria, aut futurae spe delenitus, indignis honores mandet. ELABI *ex iudicio*] si quia contra legem fecerit, accusabitur. IVCVNDITATE,] non est enim iucunditas in homine turpissimo. deformem autem Vatinium paullo post significat, cum ait, Hos gladiatores induxit, quorum esset ipse pulcherrimus. &, strumis affectum, notatumq. fuisse, patet infra, & in oratione in ipsum, & ad Atticum. GRATIA] quem sui tribules, nedum alij, respuunt vide supra, & in oratione in ipsum. OPIBVS, *& potentia*] de quo nemo bene existimat, cui ne Caesar quidẽ ipse fauet. in oratione in ipsum. PVLCHERRIMVS.] ergo turpissimi omnium gladiatores: siquidem Vatinius, deformitate insignis, prae ijs pulcherrimus videbatur. OB *eam causſam*] quod, familiam gladiatoriam speciosam, nobilem, gloriosam nactus, tenere se non potuerit homo flagrans cupiditate gloriae, quin eam induceret. BENEFICIO,] si populus R. aedilitatem Vatinio, quam denegauit dedisset. est in his verbis tacita repulsae significatio. quasi dicat: certe populari studio efferri non debuit, cũ populum sui minime studiosum in aedilitatis petitione cognouerit. SORTITO.] vt sors cuique obtigit, alios Samnites, alios Prouocatores fecit. SAMNITES,] plura gladiatorũ erant genera, Samnites, Prouocatores, Retiarij, Mirmillones. ex his oppositi in pugnis Samnites, & Prouocatores: quod hic Ciceronis locus ostendit: Retiarij, & Mirmillones, quod Valerius Maximus libro 1. Quinctilianus lib. VI. delarat. Samnites ad pugnandũ primo lenti: Prouocatores ex se nomẽ sumpserũt, quia certaminis initio prouocare aduersarios solerent. vnde Hor. ī epistola quadã,

Lento Samnites ad limina prima duello. Mirmillones & Secutores dicebantur: quod, si quis Festũ, Quinctilianum lib. VI. Suetonium in Caligula, Iuuenalẽ Sat. 8 legerit, facile poterit conijcere. de Secutoribus meminit & Cicero lib. VII. ad Atticũ, & Iuuenalis sat. 8. HABET *defensiones duas:*] totum hoc eo pertinet, vt ostẽdat Vatiniũ populo verba dare, qui bestiarios gladiatorum nomine sit inducturus. refert autẽ ad Vatinij defensionẽ, quia quod per irrisionẽ obiicitur aduersario, iucunditatẽ parit, neque tamẽ vim amittit. BESTIARIOS:] seruos, qui cũ bestijs pugnabant. VNVM *gladiatorem*,] significat ex ijs, quos Vatinius gladiatores nominabat, vnum re vera gladiatorẽ esse, reliquos omnes bestiarios. duplex igitur est defensio, a genere hominum & a numero nõ enim gladiatores, sed bestiarios; nõ plures, sed vnum modo gladiatorẽ dare se dicit. lex autẽ, cũ gladiatores, dari vetat; de gladiatoribus, nõ de bestiarijs intelligit; nec vnũ gladiatorẽ, sed plures dari vetat. TOTAM *aedilitatem*] aedilitatẽ gere Vatiniũ nõ existimabit qui meminerit illa, quae supra dicta sunt. Aedilitatẽ petiuit: tribũ suã nõ tulit: Platinam perdidit: nec quidquam illis comitijs, quod boni viri vellent, nisi repulsam tulit. & qui legerit illa, quae sunt in oratione in ipsum: de quibus duos praetextatos sedentes vides. te aedilicíam praetextam togam, quam confeceras, vendidisse. Fingit igitur Vatinium dicentem, se quos ludos, quae munera Vatinius, si aedilis creatus esset, populo daturus erat, id omne nunc dare. fingit autem propterea, vt significet, quam non magnifica, quam tenuis, ac sordida futura fuerit illius aedilitas, qui tantum vnũ leonẽ, ducẽtos bestiarios dare cogitabat. VNVS *leo*] quem conficerent ducenti bestiarij. esset autẽ praeclara aedilitas, & spectaculum iucundum, si, quot leones, tot bestiarij pugnarent. & videtur Vatinius eodẽ munere daturus, qui certarent tamquã gladiatores, etiã si nõ gladiatores, sed bestiarij essent; & qui cũ vno leone cõgrederentur. alterũ patet ex eo quod dixit: Cum ex ergastulis emptos nominibus gladiatorijs ornarit, & sortito alios Samnites, alios Prouocatores fecerit: alterum ex his verbis cognoscitur, Vnus leo, ducenti bestiarij.

Landesbibliothek Oldenburg

ORATIO

VErum utatur hac defensione: cupio eum suae caussae considere: solet enim tribunos pl. appellare, & vi iudicium disturbare, cum diffidit. quem non tam admiror, quod meam legem contemnat, hominis inimici, quam quod se statuit omnino consularē legem nullum putare. Aciliam, Didiam, Liciniam, Iuniam contē psit: etiam ne eius, quem sua lege, & suo beneficio ornatum, munitum, armatum solet gloriari, C. Caesaris legē de pecunijs repetundis non putat esse legem? & aiunt alius esse, qui acta Caesaris rescindant, cum haec optima lex & ab illo socero eius, & hoc assecla negligatur? & cohortari ausus est accusator in hac caussa vos iudices, vt aliquando essetis seueri? aliquando medicinam adhiberetis reip.? non est ea medicina, cum sanae parti corporis scalpellum adhibetur, atque integrae: carnificina est ista, & crudelitas. ij medentur reip. qui exsecant pestem aliquam, tamquam strumam, ciuitatis. Sed, vt extremum habeat aliquid oratio mea, & vt ego ante dicendi finem faciam, quam vos me tam attente audiendi; concludam illud de optimatibus, eorumque principibus, ac reip. defensoribus: vosque adolescentes, & qui nobiles estis, ad maiorum vestrorum imitationem excitabo, & qui ingenio, & virtute nobilitatem potestis consequi, ad eam rationem, in qua multi homines noui & honore, & gloria floruerunt, cohortabor.

EXPLANATIO

SOLET *enim tribunos pl. appellare,*] quid significet, apertū est in oratione in Vatinium. ait enim sic: Quaero etiā illud ex te, postulatus ne sis lege Licinia & Iunia? edixerit ne C. Memmius praetor ex ea lege, vt adesses die tricesimo? cum is dies venisset, feceris ne, quod in hac rep. non modo factū ante numquā est, sed in omni memoria sit inauditū? appellaris ne tribunos pl. ne caussam diceres? VI *iudicium disturbare.*] & hoc eiusdem Ciceronis verbis in eadē oratione exponam. Quæro, inquit, ex te Vatini, numquis in hac ciuitate post vrbē conditā tribunos pl. appellarit, ne caussam diceret? nū quis reus in tribunal sui quaestoris ascenderit, eumq; vi deturbarit? subsellia, vrnas deleuerit? eas denique omnes res in iudicio disturbando commiserit, quarū rerū caussa iudicia sunt constituta? QVOD *se statuit*] omnino praenomen, Se, Latinae linguæ ratio postulat vt ollatur: sed, nisi vetera cō sentiant exemplaria, mutandum nihil statuo. ACILIAM, *Didiam,*] malim Caeciliam, Didiā: quam cō sules tulerunt Q. Metellus T. Didius, anno ab vrbe condita DCLV. de qua libro ad Atticum II. & in Philippica v. vbi hanc legē cum Iunia, Liciniā video coniungi: quae trinundinū in lege seruari, iubebant: sed poenam grauiorem Iunia Licinia irrogabat. illa vero Caecilia Didia, de qua in oratione pro domo sua scriptum est, ab iisdem quidem consulibus alia tamen de re lata est, nempe de hac: ne vniam in legem diuersa capita inculcarentur, ne populo necesse esset, in coniunctis rebus compluribus aut id quod nollet, accipere, aut id quod vellet, repudiare. LICINIAM, *Iuniam*] nullam video caussam esse, cur duas esse leges existimem. sed quemadmodum vna lex est Caecilia Didia, de qua proxime dixit, a duobus consulibus lata: sic, vt vna sit Licinia Iunia, a duobus item consulibus lata, consentaneum videtur. mouet etiam me non nihil illa ratio, quod in oratione in Vatinium cum dixisset Cicero, Quaero etiam illud ex te, postulatus ne sis lege Licinia & Iunia? Subiunxit, edixerit ne C. Memmius praetor ex ea lege, vt adesses die tricesimo? Liciniam, & Iuniā cū nominasset, inturlit, ex ea lege. fecerat autē contra legē Liciniā & Iuniā Vatinius quia trinundinū in legibus ferendis non seruasset. quod ne fieret, lege Licinia cautū esse, aperte in oratione pro domo sua, & in v. in Antoniū Cicero docet. ea vero Licinia, qua de meminit in II. agraria, & pro domo sua, diuersa fuit ab hac, quae cū Caecilia Didia semper a Cicerone cōiungitur. haec enim, vt dixit, de spatio legis promulgatae fuit. ea vero de legū latoribus sanxit, vt, qui legē ferret, is nō modo sibi sed nec collegis, cognatis, affinibus potestatē vllā curationē ve mandaret. omitto, quod Iuniam Liciniā proximis annis latā videtur Cicero significare in v. in Antoniū his verbis: Vbi lex Caeclia & Didia? vbi promulgatio trinundinū? vbi poenae recenti lege Iunia Licinia? at vero alterā Liciniā nō recentē, sed veterem in II. agraria dicit fuisse: eamq; nō cum Iunia, sed cum Aebutia nominat. SOLET *gloriari,*] vere gloriabatur. nam ei Galliam cisalpinam cum Illyrio in quinquenniū lege lata dederat. Suetonius, Plutarchus, Paterculus, Dio. RESCINDANT,] quod de eo consule nihil saluis auspicijs actum esse dicant. supra, de prouincijs. in Pisonem, pro domo sua, Suetonius, alij. SOCERO] L. Pisone, Macedoniam obtinente. cuius filiam Calpurniam Caesar in consulatu duxit vxorem, suamq. filiam Iuliam Pompeio collocauit, vt suam potentiam nouis affinitatibus augeret. quod euenit. hac de lege a Pisone neglecta. quia de creditis pecunijs ius in liberos populos dixit, mētio fit in oratione de prouincijs, & in Pisonē, & pro domo sua. Hoc *assecla*] Vatinius enim in tribunatu pecunias iniquissime coegit contra legem de repetundis eo ipso anno a Caesare consule rogatā qua de re haec sunt verba in oratione in Vatinium: Quaero ex te, sis ne ex pauperrimo dives factus illo ipso anno, quo lex lata est de pecuniis repetundis acerrima? vt omnes intelligere possent, a te non modo nostra acta, quos tu tyrannos vocas, sed etiam amicissimi tui legē esse contemptam. SANAE *parti*] significat, vt in corpore sanam partem, sic P. Sextium, virum bonum, atque innocentem, esse conseruandum. TAMQVAM *strumam,*] Vatinium qui strumis laborabat, de republica tollendū, quasi pestem aliquā,

intelligit.

Landesbibliothek Oldenburg

intelligit. Plutarchus in Cicerone, & in Vatinium. & ad Atticum lib. 11. Vatinij strumam, inquit, διέφθω vestiant. VOSQVE *adolescentes,*] totum hoc, quod sequitur, vsque ad illud, sed me repente, de moribus oratio est: quam ἠθικὸν λόγον Graeci nominant: & maxime illam quidem in dialogo & epistola, sed in omni etiam sermone conuenire, Demetrius tradidit, oratoris enim imago quaedam & index animi est oratio.

ORATIO

HAec est vna via, mihi credite, & laudis, & dignitatis, & honoris, a bonis viris, sapientibus, & bene natura constitutis laudari, & diligi; nosse descriptionem ciuitatis a maioribus nostris sapientissime cõstitutam: qui cum regum potestatem non tulissent, ita magistratus annuos creauerunt, vt consilium senatus reip. praeponerent sempiternum, deligerentur autem in id cõsilium ab vniuerso populo, aditusq. in illum summum ordinem omnium ciuium industriae, ac virtuti pateret. senatum reip. custodem, praesidem, propugnatorem collocauerunt. huius ordinis auctoritate vti magistratus, & quasi ministros grauissimi consilij, esse: senatum autem ipsum proximorum ordinum splendore confirmari, plebis libertatem, & commoda tueri, atque augere voluerũt. haec qui pro virili parte defendunt, optimates sunt, cuiuscumque sint ordinis: qui autem praecipue suis ciuibus tanta munia, atque remp. sustinent: ij semper habiti sunt optimatium principes, auctores & conseruatores ciuitatis. huic hominum generi fateor, vt ante dixi, multos aduersarios, inimicos, inuidos esse, multa proponi pericula, multas inferri iniurias, magnos esse experiundos, & subeundos labores: sed mihi omnis ratio est cum virtute, non cum desidia; cum dignitate, nõ cum voluptate; cum ijs, qui se patriae, qui suis ciuibus, qui laudi, qui gloriae, non qui somno, & conuiuijs, & delectationi natos arbitrantur. nam si qui voluptatibus ducuntur, & se vitiorum illecebris, & cupiditatum lenociniis dediderunt: missos faciant honores; ne attingant remp. patiantur viros fortes, laborum patientes, frui. qui autem bonam famam bonorũ, quae sola vere gloria nominari potest, exspectunt; aliis ocium quaerere debent, & voluptates, non sibi. sudandum est his pro commodis, adeundae inimicitiae, subeundae saepe pro rep. tempestates, cum multis audacibus, improbis, nõnumquam etiam potentibus dimicandum.

EXPLANATIO

AB *vniuerso populo,*] ante creatos censores. nam deinde non a populo sed a censoribus senatores lecti sunt. a populo autem deligebantur consule nominante. PROXIMORVM *ordinum*] intelligit eos, qui senatoribus dignitate proximi sunt, vt equites & iudices. CVIVSCVMQVE *sint ordinis:*] siue senatores, siue equites, siue municipales, siue rustici, siue negocia gerentes siue etiam libertini. sic enim optimates definiuit. MIHI *omnis ratio*] non haec, inquit, propono ijs, qui desidia languent. sed ijs, quorum animos virtutis cupiditas excitat. ignauorum & inertium hominum in hac mea cohortatione rationem non habeo: strenuis, & fortibus, & virtutem diligentibus haec dico. LABORVM *patientes, frui.*] soleo mirari & hic & quibusdam in locis vnde factum sit, vt impressi libri, vt appellantur, a manuscriptis tam valde dissentiant. hic omnes impressi Laborum patientes frui. omnes antiqui, Laborum patientes frui. ego, cur ab vtrisque dissentiam habeo: quid ipse afferam de meo, non habeo. facilius enim possum, quid displiceat iudicare, quam inuenire quod placeat. non grauate relinquo, in quo aliorum exerceri possit industria.

ORATIO

HAec audiuimus de clarissimorum virorum consiliis, & factis. haec accepimus, haec legimus. neque eos in laude positos videmus, qui incitarunt aliquando populi animos ad seditionem, aut qui largitione caecarunt mentes imperiorum, aut qui fortes, & claros viros, & bene de rep. meritos in inuidiã aliquam vocauerũt: leues hos semper nostri homines, & audaces, & malos, & pernicioſos ciues putauerunt. at vero, qui horum impetus, & conatus repreſerunt, qui auctoritate, qui fide, qui constantia, qui magnitudine animi consiliis audaciã restiterunt; ii graues, ii principes, ii duces, it auctores huius dignitatis, atque imperii semper habiti sunt. Ac ne quis ex nostro, aut aliquorum praeterea casu hanc uitae uiam pertimescat: unus in hac ciuitate, quem quidẽ ego possim dicere, praeclare vir de rep. meritus, L. Opimius indignissime concidit. cuius monimentum celeberrimum in foro, sepulcrum desertissimum in littore Dyrrhachino relictum est. atque hunc tamen flagrantem inuidia propter interitum C. Gracchi semper ipse populus R. periculo liberauit. alia quaedam ciuem egregium iniqui iudicii procella peruertit. ceteri vero, aut repentina vi perculsi, ac tempestate populari, per populum tamen ipsum recreati sunt, atque reuocati; aut omnino inuulnerati, inuiolatiq. vixerunt. at vero ii, qui senatus consilium, qui auctoritatem bonorum, qui instituta maiorũ neglexerunt, & imperitae aut cõcitatae multitudini iucundi esse voluerunt, omnes fere reip. poenas aut praesenti morte, aut turpi exsulio pependerunt.

EXPLA-

EXPLANATIO

HAEC *audiuimus*] viros clarissimos fudasse pro cõmunibus commodis, a dijsse inimicitias, subijsse tempestates, cũ audacibus, improbis, potẽtibus dimicasse. &, Audiuimus, ab ijs, qui ipsi viderunt: Accepimus, ab ijs, qui ab alijs audierunt: Legimus in libris, antiqua referẽtibus. ascẽdit enim a propinquis rebus quasi per gradus ad ea, quae longe distant. CONSILIIS, *& factis*,] qui ea, quae proposui, & iudicarunt, & fecerunt, INCITARVNT] vt aliquid in republica nouarẽt. CAECARVNT] vt honores cõsequerentur IN *inuidiam aliquam uocauerunt*:] aliquo crimine accusarunt. LEVES, *& audaces, & malos, & perniciosos*] leues, & audaces eos intelligit, qui incitarunt aliquãdo populi animos ad seditionẽ. & alterũ ad voluntatẽ, alterũ ad actiones refertur. nã, mutationẽ in republica cogitare, leuitatis est: aggredi vero, & conari ea, vnde mutatio fit, audaciae. Malos vocat eos, qui ambitu sibi viã ad honores muniunt: pernicioſos, qui fortes & claros viros, & bene de republica meritos insectantur. quos grauiore quã alios, nomine appellat, partim quidẽ quod ita sentiret, (quid enim hoc ciuiũ genere detestabilius?) deinde etiã sua ipsius caussa, quod ab his indignissime pulsus erat. L. OPIMIVS] qui cõsul C. Gracchũ, & vna cũ eo circiter tria millia ciuium Romanorũ occidit. in Pisonẽ & alibi. MONIMENTVM] templũ Concordiae; quod ab eo factũ esse Plutarchus tradit: aut basilicã Opimiã; de qua meminit Varro lib. IV. de lingua Lat. & forte de basilica potius, quã de tẽplo, intelligẽdũ. nã cũ celeberrimũ, & desertissimũ, tamquã antitheta, Cicero posuerit, & in altero solitudinẽ, in altero frequẽtiam hominum significauerit: rectissime de basilica dictũ possumus cõijcere. vbi enim maior hominũ frequentia, quã in basilicis? in quibus iudicia fiebant, quod a Vitruuio didicimus. SEMPER *ipse populus R.*] apparet, nõ a populo Romano, sed a praetore & iudicibus Opimiũ esse damnatum. quod & Cicero in Bruto significat his verbis: Inuidiosa Manilia quaestione C. Galbam sacerdotem, & quattuor consulares, L. Bestiam, C. Catonem, Sp. Albinum, ciuemq. praestantissimum L. Opimium, Gracchi interfectorem, a populo absolutum, cum is contra populi studiũ stetisset, Gracchani iudices sustulerunt. Damnatus autem est Opimius, vt ait Plutarchus in vita Gracchorũ, quod legatus ad Iugurtham Numidiae regem missus, pecunias ab eo accepisset. Pedianus tamen in commentario orationis in Pisonem, in extremo, Opimium ob inuidiam, quae illum ex interitu M. Fulnij Flacci consularis, & L. Gracchi tribunicij secuta est, iudicio circumuentum, & in exsiliũ actũ esse narrat. sed Plutarchus, quasi Gracchorum studioſus, & Opimio, quod in consulatu primus dictatoris potestatem exercuisset, infensus affirmat, eum a Iugurtha esse corruptum. Pedianus insontem eo crimine significat, & ob ea damnatum, quae in cõsulatu fortiter egisset. idẽ Cicero declarat; quia, Ciuem egregiũ, ait, iniqui iudicij procella peruertit: quod & in oratione pro Plancio cõfirmat ergo, quod ad Opimij damnationem attinet, ita statuemus; vocatum esse in iudiciũ pecuniae nomine a Iugurtha contra leges acceptae, damnatũ nõ eo, quo accusabatur, crimine, quando quidẽ culpa vacabat; sed quod regia potestate in ciues Romanos vsus esset. LIBERAVIT.] in ijs iudicijs, in quibus ipse de Opimio iudicauit &, cum dicat Cicero, Semper liberauit; apparet, populum Romanum de Opimio, ob C. Gracchi aliorũq. necẽ accusato, nõ semel iudicẽ fuisse. ego tamen vnius tantũ accusationis mentionẽ inuenio, cũ P. Decius tribunus pl. Opimio, proximo post eius consulatũ anno, ad populũ diẽ dixit. quod in epitome Liuiana, in libello de viris illustribus, in Ciceronis partitionibus, in III. de oratore, in Bruto obseruauimus. PERCVLSI,] ab irato populo damnati. quos intelligat cognoscitur ex ea pro domo sua: in qua ita scriptum est. At vero, vt annales populi Romani, & monumenta vetustatis loquuntur, censor ille Quinctius, & M. Furius Camillus, & M. Seruilius, cum essent optime de republica meriti, tamen populi incitati vim iracundiamq. subierunt: damnatiq. comitijs centuriatis, cum in exsulium profugissent, rursus ab eodem populo placato sunt in suam pristinam dignitatem restituti quo in loco, vt aliud ex alio, duo menda, alterum manifeste video in dictione, Censor, alterum suspicor esse in prænomine Seruilij. Censorem quidem Quinctium esse dãnatum, nulli annales populi Romani, quos habeamus, loquuntur: cum tamen de homine notissimo significare Cicero videatur, praenomine vsus, ille: quod ad eximiae cuiusdã atque extraordinariae rei, aut excellentis & insignis maxime hominis significationem vsurpatur. Sequor igitur primum, vt soleo, cum aliquid corrigo, similitudinem litterarum, deinde historiae testimonium: & ex vtrisque, pro, Censor, repono Caeso: vt Kaeso ille Quinctius intelligatur quem saepe pro patribus cõtra plebem certasse, eoq. nomine accusatum, in exsulium, nõ exspectata iudicij die abijsse, T. Liuius historiarum suarum libro III. scriptum reliquit. quod & Dionysius Halicarnasseus libro X. tradidit. Alterũ esse mendum opinor in praenomine Seruilij. nemo enim de M. Seruilio scripsit, optime de republica merito a populo damnato. vtrumque autẽ video cõuenire in C. Seruiliũ Ahalã qui & Sp. Melium sua manu occidit, de tyrannide cogitantem; & praeclari facti poenas iniquissimo exsulio pependit. de Melio Liuius, Plutarchus, hic noster saepe memorant: de exsulio vnus, quod sciam, Valerius Maximus memoriae prodidit. INVVLNERATI,] vt, exempli caussa, Ap. Claudius Sabinus: qui cum senatus atque optimatium caussam constantissime tueretur, plebi vero acerrimus esset aduersarius, tranquillam tamen atque honoratam in patria vitã duxit, nec ab infenso populo iniuriã vllam tulit. P. RAESENTI *morte*,] vt Sp. Melius, M. Manlius Capitolinus, duo Gracchi, L. Appuleius Saturninus, P. Sulpicius. TVRPI *exsulio*] hos necesse est non a populo, vt Kaesonem Camil-

Landesbibliothek Oldenburg

lum Seruilium, sed a senatu esse damnatos. agitur enim hic de ijs, qui populares esse voluerunt. hi qui fuerint, in historijs, quae nunc exstant, non satis apparet. M. tamen Lepidi, eius qui cum Q. Catulo consul fuit, in epitome, Floro, & alijs mentio fit. is, quia Sullae acta rescindere conatus esset, hostis iudicatus, exsul in Sardinia decessit.

ORATIO

Quod si apud Athenienses, homines Graecos, longe a nostrorum hominũ grauitate disiunctos, non deerant, qui remp. contra populi temeritatem defenderent, cum omnes, qui ita fecerant e ciuitate eijcerentur; si Themistoclem illum, conseruatorem patriae, non deterruit a rep. defendenda nec Miltiadis calamitas, qui illam ciuitatem paullo ante seruarat, nec Aristidis fuga, qui vnus omnium iustissimus fuisse traditur; si postea summi eiusdem ciuitatis viri, quos nominatim appellari non est necesse, propositis tot exemplis iracundiae, leuitatisq. popularis, tamen suam remp. illam defenderunt: quid nos tandem facere debemus? primum in ea ciuitate nati, vnde orta mihi grauitas, & magnitudo animi videtur; tum in tanta gloria insistentes, vt omnia humana leuiora videri debeant; deinde ad eam remp. tuendam aggressi, quae tanta dignitate est, vt eam defendentem occidere non aliud sit, quam oppugnantem rerum potiri: homines Graeci, quos antea nominaui, inique a suis ciuibus damnati, atque expulsi, tamen, quia bene sunt de suis ciuitatibus meriti, tanta hodie gloria sunt non in Graecia solum, sed etiam apud nos, atque in ceteris terris, vt eos, a quibus illi oppressi sunt, nemo nominet, horum calamitatem dominationi illorum omnes anteponant. quis Carthaginiensium pluris fuit Annibale consilio, virtute, rebus gestis, qui vnus cum tot imperatoribus nostris per tot annos de imperio, & de gloria decertauit? hunc sui ciues e ciuitate eiecerunt: nos etiam hostem litteris nostris & memoria videmus esse celearatum.

EXPLANATIO

CONSERVATOREM *patriae*,] bello Xerxis Persarum regis. CALAMITAS,] accusatus enim proditionis, quod, cum Parum expugnare posset, a rege Persarum corruptus, infectis rebus a pugna discessisset, capitis quidem absolutus est, pecunia vero tanta multatus, quantam cum soluere non posset, in vincula publica coniectus, miserrima atque indignissima morte diem obijt. SERVARAT,] Marathonia pugna, caeso, & fugato Darij Persarũ regis, Xerxis patris, exercitu. FVGA,] res augetur nomine; vt Themistoclis animi magnitudo & constantia clarius indicetur. dicimus enim, Abijt in exsuliũ &, In exsulium profugit: cum vtrumque idem sit. pro discessu igitur Aristidis ab vrbe in exsulium proficiscentis, fugam Cicero dixit. damnatum opera Themistoclis, decem annorum exsulio, quasi nimiam in libera ciuitate potẽtiam haberet, Aemilius Probus, & Plutarchus tradiderunt. vterque tamen ab ipsa ciuitate reuocatum commemorat. VNVS *omnium*] vni enim contigit, vt iustus appellaretur. Aemilius Probus. TOT *exemplis*] nam quicumque vel generis nobilitate vel eloquentia, vel rerum gestarum gloria, vel omnino aliqua re ceteros anteiret hunc Athenienses, qui ciuium aequalitatem in republica vellent, testula damnatum eijciebant: vt etiam Damonem, Periclis praeceptorem, quod nimium sapere videretur, in exsulium miserint. TOT *imperatoribus*] P. Cornelio Scipione, Africani maioris patre, Ti. Sempronio Longo C. Flaminio, C. Centenio, C. Terentio Varrone, L. Aemilio Paullo, Q. Fabio Maximo, Ti. Sempronio Graccho, M. Claudio Marcello, P. Scipione, eius filio, quem primum apud Rhodanum iterum apud Padum, tertio apud Trebiam fugauerat. TOT *annos*] sexdecim. EIECERVNT:] non eiectum esse, sed ipsum profugisse, ne Romanis dederetur, Aemilius Probus in eius vita memoriae mandauit.

ORATIO

Quare imitemur nostros Brutos, Camillos, Ahalas, Decios, Curios, Fabricios, Maximos, Scipiones, Lentulos, Aemilios, innumerabiles alios, qui hanc remp. stabiliuerunt; quos equidem in deorum immortalium caetu, ac numero repono: amemus patriam; pareamus senatui; consulamus bonis; praesentes fructus negligamus; posteritati & gloriae seruiamus; id esse optimum putemus, quod erit rectissimum; speremus, quae volumus, sed, quod acciderit, feramus: cogitemus denique, corpus virorum fortium magnorũq. hominum esse mortale, animi vero motus & virtutis gloriam sempiternam; neque, hanc opinionem si in illo sanctissimo Hercule consecratã videmus, cuius corpore ambusto vitam eius, & virtutem immortalitas excepisse dicitur, minus existimemus eos, qui hanc tantã rempublicam suis consilijs, aut laboribus aut auxerint, aut defenderint, aut seruarint, esse immortalem gloriam consecuturos. Sed me repente iudices, de fortissimorum & clarissimorum ciuium dignitate, & gloria dicentem, & plura etiam dicere parantem, horum affectus in ipso cursu orationis repressit. video P. Sextium, meae salutis, vestrae auctoritatis, publicae caussae defensorem, propugnatorem, auctorem, reum; video hunc praetextatum eius filium oculis lacrumantibus me intuentem: video Milonem, vindicem uestrae libertatis, custodem salutis meae, subsidium afflictae rep. exstinctorem domestici latrocinij,

trocinii, repressorē caedis quotidianae, defensorem templorum atque tectorum, praesidium curiae, sordidatum & reum: uideo P. Lentulum, cuius ego patrem deum, ac parentem statuo fortunae, ac nominis mei, & fratris, rerumq. nostrarum, in hoc misero squalore & sordibus; cui superior annus idem & uirilē patris; & praetextā populi iudicio togam dederit, hunc hoc anno in hac toga rogationis iniustissimae subitam acerbitatem pro patre fortissimo, & clarissimo ciue deprecantem.

EXPLANATIO

BRVTOS,] L. Iunium Brutum qui Tarquinium regē eiecit. CAMILLOS,] M. Furium Camillum, qui Veios cepit, vrbē Romam a Gallis liberauit, alia pro patria praeclarissima gessit. AHALAS,] C. Seruilium Ahalā, qui Sp. Melium, male de patria cogitantē, magister equitū interemit. DECIOS,] patrem & filium qui se pro patria deuouerant. supra. CVRIOS,] M'. Curium, qui ter triumphauit, de Pyrrho Epirotarum rege, de Samnitibus, de Lucanis. FABRICIOS,] C. Fabricium Luscinum, qui cū Pyrrho rege pugnauit. MAXIMOS,] Q. Fabium Maximum, qui Annibalis victoris impetus arte, & patientia retardauit. SCIPIONES,] duos Africanos. LENTVLOS,] eum fortasse, qui senatus princeps fuit quem saepe Cicero commemorat. sed hic aetate post Aemilium fuit. vt fortasse, Catones, verius fuerit sed litteræ nimiū differunt. vide de nat. deo. lib. II. vbi nō Lentulū nominat, sed Catonē. AEMILIOS,] L. Aemilium Paullum, qui Macedoniae regnum, Perse rege capto, in populi Romani potestatem redegit. CONSECRATAM] Herculem dicit in deorum numerum relatum esse, quod ea fuerit opinione, quam praescripsit: vt consulatur bonis: praesentes fructus negligantur: & reliqua. CORPORE *ambusto*] in monte Oeta. Tusculana II. VESTRAE *auctoritatis*,] vestra enim voluntas & auctoritas in me restituendo Sextium adiutorem, defensoremq. habuit. PVBLICAE *causae*,] quod in mea republica res agebatur. bonis enim iacentibus, iacere simul ipsa respublica videtur. DEFENSOREM, *propugnatorem*, lociosa esse multa in Cicerone imperiti putant. nō ita est nam, quae superua canea videri possunt, ad augendum inducta sunt. sed homines inepti, vel quia Romanae linguae vim, & propriam significationem ignorant: vel quia diligenter singula non examinant, optima fastidiunt, ac respuunt. Defendere, & propugnare, idem sunt, aliquis dixerit idem, sed idem in genere, non idem omnino. est enim quiddam, quo alterum ab altero differat. defendere, nō plane est propugnare: at propugnare, est defendere. defendimus etiam leuiter: propugnamus acriter, & cū actione vehementi: vt quasi pugnā, vnde verbum propugnare deductum est, referrē videamur. quare nō solū defendisse Sextium publicā causam Cicero significat, sed ita defendisse, vt valde cōtenderit, quippe qui etiam vulnera ab ijs, qui eam oppugnabant. plurima grauissimaq. acceperit. augetur igitur res, & demonstratur maxime nominibus multiplicatis, idq. translatis potius, quam proprijs. nam propria non possunt esse vnius rei multa, sed vnum tantum cuiusque rei proprium est: translata vero eidem rei multa possunt inseruire, nec ex vno tantum, sed ex diuerso genere sumpta, modo sint e frequenti vsu ita nota, ac familiaria, vt cum proprijs, quasi peregrini cum ciuibus, facile consociētur, quod autem augeri rē, & demōstrari multiplicatis nominibus dixi idq. maximē translatis: vtrūque accipi & intelligi absolute nolo. Alterū enim semper fit, alterū nō illud quidē semper, sed plerūque tamen. semper translatione res demonstratur: quia semper a rebus notissimis translatio fit. plerumque res augetur: quia id, vnde transfertur, cū eo, quo transfertur, comparatum plerumque maius est. AVCTOREM,] defensorē, ac propugnatorē eiusmodi, vt praecipuas in eo munere partes sustineret. Auctor enim dicitur is, qui alios sua auctoritate, suo ve exēplo ad aliquā rē excitat. REVM;] quod in sententia magis valet ad mouendū, id oratores in extremo collocare cōsuerunt. quae enim ad animum extrema perueniunt, ea firmius, ac diutius inhaerent. quo cōsilio & illa in sequentibus periodis vltima Cicero constituit, Me intuentem, Sordidatum, & reum, in squalore, & sordibus, Pro patre deprecantem, Propter vnū me. VESTRAE *libertatis*,] quia P. Clodij furorē exsultantē repressit; ne ve ille, quod cogitabat, omnia vi teneret, effecit. LATROCINII,] Clodiani. TEMPLORVM, *atque tectorum*,] templa publica, quibus injicere flammam Clodius solitus erat: tecta Milonis quae idem Clodius oppugnauerat, intellige. vtrumque cognoscitur supra. SORDIDATVM] ad eliciendam misericordiam inculti & sordida veste induti ad iudicium rei veniebant. REVM:] de vi, accusante P. Clodio aedile. P. LENTVLVM,] cuius pater anno proximo consul Ciceronem ab exsulio restituerat. hic ob eam causam erat in squalore, & sordibus, quia C. Cato tribunus pl. legem promulgauerat, vt P. Lentulo eius patri, Ciliciam administranti, imperium abrogaretur. ex quo filius vestitum mutauit: quod in maximis calamitatibus factum esse notum est. de hac in Lentulum rogatione meminit Cicero epist. fam. lib. I. ad Q. fratrem lib. II. epistola 3. in qua ijsdem fere diebus & Milonem a Clodio, & Sextium a M. Tullio Albinouano esse accusatos & legem a Catone promulgatam, licet cognoscere. DEVM *ac parētem statuo fortunae ac nominis mei*, sic in ea post reditum in senatu: P. Lentulus Parens ac deus nostrae vitae, fortunae, memoriae, nominis & in ea post reditum ad Quirites, P. Lentulus consul, parens, Deus salutis nostrae, vitae, fortunae, memoriae, nominis SVPERIOR *annus*] anno superiore, & virilem togam sumpserat, a patre consule datam; & praetextam. (sic enim lego, nō vt antea, Praetextatam) augur creatus. nam de magistratu non est, vt existimemus: cum adolescentulus adhuc esset Lentulus, annum agens XVII. quo anno virilis toga sumebatur, vt Sueton. in Iulio, Seruius Honoratus, Cicero, alijq. declarant. de honore, hoc est de sacerdotio, possumus intelligere.

Landesbibliothek Oldenburg

nam Lentulū hunc patre consule, hoc est anno superiore in augurū collegiū esse cooptatū, in Dionis historia legimus, libro xxxi. Notandū, sacerdotia maturius dari solita quā magistratus. Quaestura enim, qui primus erat honor, post annum vigesimū sextū dari solitā, nec citius, omnes testātur. vide etiam Iulium Caesarē annos natum xvii. flaminē dialē, patre amisso, designatum. Suet. in principio. Dicit autē, populi iudicio: quia populus hoc tēpore sacerdotia mandabat ex lege, quā T. Atius Labienus tribunus pl. tulerat. qua de re scripsit idem Dio lib. xxxvii. ante Labieni legē sacerdotes a pontificū collegio creabantur. hoc ī libro de legibus copiose demonstrauimus. PRAETEXTAM] Praetexta quinque hominū genera vtebantur, pueri ad vsque tirocinij diē, hoc est ad ineuntē annū aetatis xvii. magistratus omnes, vel vrbani, vel qui erant in colonijs. & municipijs: praeterea magistri ludorū, qui ludos compitalicios faciebant; & senatores omnes, cū deorū festos celebrabant dies; & sacerdotes, atque augures, qui tamē inter sacerdotes erant. de pueris praetextatis ignorat fere nemo. de magistratibus, Liuius lib. xxxiv. de magistris ludorū, in oratione ī Pisonē: quo in loco sunt haec: Q. Metellus, designatus consul cū quidā tribunus pl. suo auxilio magistros ludorū ludos facere iussisset, priuatos fieri vetuit tu, cum in kalendas Ian. compitaliorū dies incidisset. Sex. Clodium, qui numquā antea praetextatus fuisset, ludos facere; & praetextatum volitare passus es. Quibus verbis Pedianus haec subiungit: Solebāt magistri collegiorum ludos facere, sicut magistri vicorum faciebant compitalicios praetextati. qui ludi, sublatis collegijs, discussi sunt. Erat autē satis turpe mendū in ijs Ciceronis verbis, Magistros ludorū ludes facere. nam est in omnibus, qui ad hanc diē impressi leguntur, libris, Magnos ludos facere: cū loquatur Cicero nō de Magnis ludis, qui fiebant ab aedilibus curulibus, sed de ludis ijs, qui fierent a collegiorū magistris. Vt omittā duo argumenta, vnum, quod illud, Facere iussisset, aliquid omnino desiderabat. quē enim tribunus ille ludos facere iussisset? alterū, quod Pedianus ita loquitur, vt significet Magistrorū in oratione fieri mentionē. Quā facile autem ex, Magistros, fieri potuerit. Magnos, litterarum declarat similitudo; praesertim si, Magistros, pauciorib⁹ litteris, apice superimposito, scribatur. De senatoribus autē ex ijs verbis, quae sunt oratione ii. in Antoniū, cōieci. Nescis. heri quartū in circo diē ludorū Romanorū fuisse? te autē ipsum ad populum tulisse, vt Quinctus praeterea dies Caesari tribueretur? Cur nō sumus praetextati? cur honorē Caesaris, tua lege datū, deseri patimur? De sacerdotū praetexta, Liuius aperte, lib. xxxiv. Augurū quoque praetextam hic Ciceronis locus indicat. idq. significare videtur Seruius, in eo Virgilij versū lib. vii. Succintus trabea. Accedit locus ille in ep. 9. lib. 2. ad Att. Vatinij strumā φιβάρω vestiant. loquitur enim de Vatinio, in locū Metelli Celeris, mortui augure subrogando: quod ex oratione contra ipsum habita cognoui. eodemq. spectat illud in epistola ad Coeliū lib. 2. fam. Curtius noster dibaphū cogitat. Dibaphus autē, quod nemo nescit, purpura bis tincta fuit, qua praetexebatur augurū toga: cū ad reliquas semel tincta adhiberetur. Praetextae ius magistris quoque vicorum tribuit Liuius lib. xxxiv. sed; cum ludorū magistros nominauerim, videor mihi magistros etiā vicorū, & collegiorū nominasse. nam, ludorū magistri, generale nomē est omniū, qui ludos curarent, siue magistri vicorū, siue collegiorū essent. alioqui Liuius, cū de purpura; multis communicata, solis mulieribus interdicta, oratorio more exaggeraret; numquam, facta mentione magistrorum vicorum, magistros omisisset collegiorum, & ludorum. quicumque enim ludis praeerant. ij ludorum vocabantur magistri. Praeerant autē compitalicijs magistri collegiorum, dum collegia manserē: sublatis lege collegijs, cōpitalicij facti non sunt. nec alia ludorum genera, quibus magistri vicorum praeessent defuere. quae verbis Asconij, cū Liuij testimonio cōgruentibus, probata iā sunt. Quod ad praetextae colorē attinet, dubitari potest, sit ne tota purpurea, an limbo tantum togā ambiente: vnde praetextae nomen. dubitationem videtur tollere Plinius lib. xxxiv. cap. 9. in eo loco: Cyprio aeri si addatur plumbū, colos fit purpurae in statuarū praetextis. Quibus verbis tota videtur indicari purpurea praetexta. Macrobius quoque, nisi fallor, idem significat, cum ait, lib. i. sat. Nonnulli pueris ingenuis togam praetextam additam credunt, vt ex purpurae rubore ingenuitatis pudore regerētur. Rursus dubitationem pariunt Polybij verbi lib. vi. .... οἱ μὲν προσαναλαμβάνουσιν ἐσθῆτας, ἐὰν μὲν ὕπατος ἢ στρατηγὸς ἢ γεγονὼς, περιπορφύρους, ἐὰν δὲ τιμητὴς, πορφυρᾶς· ἐὰν δὲ καὶ τεθριαμβευκὼς, ἢ τοιοῦτόν τι κατεργασμένος, διαχρύσους. id est: Hi assumunt vestes, si consul, praetor ve fuerit, praetextas; si vero censor, purpureas; sin autem triumphalis, qui ve tale aliquid egerit, auro intextas.

ORATIO

ATque hic tot & talium ciuium squalor, hic luctus, hae sordes susceptae sunt propter vnum me, quia me defenderunt; quia meum casum, luctumq. doluerunt; quia me lugenti patriae, flagitanti senatui, poscenti Italiae, vobis omnibus orantibus reddiderunt. Quod tantum est in me scelus? quid tantopere deliqui? illo, illo die, cum ad vos iudicia, litteras, confessiones communis exitij detuli? cum parui vobis? Ac, si sceleratum est amare patriam, pertuli poenarum satis: euersa domus est, fortunae vexatae, dissipati liberi, raptata coniux: frater optimus, incredibili pietate, amore inaudito, maximo in squalore volutatus est ad pedes inimicissimorum: ego pulsus aris, focis, diis penatibus, distractus a meis, carui patria, quam vti leuissime dicam: certe texeram: pertuli crudelitatem inimicorum, scelus infidelium, fraudem inuidorum. si hoc non est satis, quod haec omnia deleta videntur reditu meo: multo mihi, multo, inquam iudices praestat, in eandem illam recidere fortunam, quam tantam importare meis defensoribus, & conseruatoribus calamitatem. an ego in hac vrbe esse possum

sum his pulsis, qui me huius vrbis compotem fecerunt? non ero: non potero esse iudices: neque hic umquã puer, qui bis lacrumis qua sit pietate, declarat, amisso patre suo propter me, me ipsum incolumem videbit; nec, quotiescumque me viderit, ingemiscet, ac pestem suam, & patris sui sese dicet videre. ego vero vos in omni fortuna, quaecumque erit oblata, complectar; nec me ab ijs, quos meo nomine sordidatos videtis, vmquam vlla fortuna diuellet; neque eae nationes, quibus me senatus commendauit, quibus de me gratias egit: hunc exsulem propter me, sine me videbunt. sed hæc dij immortales, qui me suis templis aduenientem receperunt stipatum ab his viris, & P. Lentulus consul, atque ipsa resp. qua nihil est sanctius, vestrae potestati iudices commiserunt. vos hoc iudicio, omnium bonorum mentes confirmare, improborum reprimere potestis: vos his ciuibus vti optimis, vos me reficere, & renouare remp. potestis, quare vos obtestor atque obsecro, vt, si me saluum esse voluistis, eos conseructis, per quos me recuperauistis.

EXPLANATIO

QVOD *tantum est in me scelus?*] vbi aliquid exposuimus factum, statim, quasi nos commouerit indignitas rei, erumpimus vel in interrogationē, vel in ironiam, vel in exclamationem. interrogationis exemplum est hoc, & huic simillimum, ac paene idem, in orat. pro Milone: in qua sunt hęc in extremo: Quid respōdebo liberis meis, qui te parentē alterum putāt: quid tibi, Quincte frater, qui nunc abes, cōsorti mecum tēporum illorum? me non potuisse Milonis salutem tueri per eosdē, per quos nostram ille seruasset? at in qua caussa non potuisse? quę est grata gētibus, a quibus nō potuisse? ab ijs, qui maxime P. Clodij morte acquierunt. quo deprecante? me. quodnam concepi tantum scelus, aut quod in mę tantum facinus admisi iudices cum illa iudicia cōmunis exitij indagaui, parefeci, protuli, exstinxi? omnes in me meosq redundāt ex illo fonte dolores Ironia est illa in hac pro Sextio. En, cur ceteri reges stabilem esse suam fortunam arbitrentur. & illa apud Virgilium lib. IV.

Egregiam vero laudem, & spolia amplа refertis
Tuq. puerq. tuus; magnum & memorabile numen,
Vna dolo diuum si femina victa duorum est.

Exclamatio post iniustae rei mentionem est illa pro Balbo: Vtrum, inscientem vultis Cn. Pompeium contra fędera feciſſe, an scientem? si scientem, o nomen nostri imperij, o populi Romani excellens dignitas, o Cn. Pompeij sic late longeq. diffusa laus, vt eius glorię domicilium communis imperij finibus terminetur; o nationes, vrbes, populi, reges, tetrarchae, tyranni, testes Cn. Pompeij non solum virtutis in bello, sed etiam religionis in pace. COMMVNIS *exitii*.] de coniuratione dici, satis constat. PARVI *vobis?*] mihi enim S.C. mandatis, vt coniuratos carnifici necandos traderem. TEXERAM:] plus esset, Conseruaram: quod alibi dixit: sed Texeram, modestiae caussa maluit. CRVDELITATEM *inimicorum*,] apte nominibus Cicero nomina coniungit, ex eo, quod cuiusque natura fert. oritur enim ex inimicitijs crūdelitas, ex infidelitate scelus, ex inuidia fraus. sic in Diuinatione, Quas res, inquit, luxuries in flagitijs, crudelitas in supplicijs, auaritia in rapinis, superbia in contumelijs efficere potuisset, eas omnes sese hoc vno praetore per triennium pertuliſſe. Simile & illud est in oratione pro Coelio, Cum tristibus seuere, cum remissis iucunde, cum senibus grauiter, cum iuuentute comiter, cum facinorosis audacter, cū libidinosis luxuriose. DELETA] videntur haec non fuisse, quia rediui; & in me nouae calamitates, noua iniuriarum genera comparantur. EGO *vero vos*] & orationem, & vultum ad eos, qui sordidati aderant, conuertit. cum vero subiungit, Nec me ab ijs, quos nomine sordidatos videtis, vmquam vlla fortuna diuellet, a sordidatis ad iudices vultum, & actionem refert. RECEPERVNT,] cum enim ab exsilio redijt, a porta Capena in Capitolium ad agendas Ioui opt. max. gratias quod se patriae cō potem fecisset, recta profectus est. inde suos lares petijt. epistola I. libri IV. ad Atticum, & pro domo sua. AB *his viris*,] qui uunc in squalore, sordibusque sunt. P. LENTVLVS] qui cum me consul restituit, commisit haec vestrae potestati: vt possitis id, quod vobis hoc iudicio licet, vel me cum meis defensoribus & conseruatoribus perdere, vel mecum simul eos seruare, sine quibus in hac vrbe esse non possum. nam nisi ille me restituisset, non haec in vestra potestate nunc essent. HIS *ciuibus vti*] quos sordidatos videtis: quos si eijcietis, vti vobis eorum opera in tuenda republica non licebit. REFICERE,] tot malis afflictum.

IN. CI-



IN CICERONIS INTERROGATIONEM IN P. VATINIVM.

PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS

ARGVMENTVM

CVM in P. Sextium de vi reum P. Vatinius testimonium dixisset; Sextij patronus Cicero inuectus est in eum acerbissime: & maxime quidem totum eius tribunatum, in quo, Caesare consule, leges reip. exitiosas contra auspicia tulerat, sed quaesturam quoque & legationem exagitauit, non vt accusator, sed vt reprehensor. qua de re sic in ep. ad Lentulum: Tota interrogatio mea nihil habuit aliud, nisi reprehensionem illius tribunatus, in quo omnia dicta sunt libertate, animoq. maximo de vi, de auspicijs, de donatione regnorum. A veteribus etiam interrogationis nomine appellatur haec oratio. interrogatione enim vtitur ad singula, quae reprehendit. & accusatorem quidem Vatinij breui se futurum minatur: interim autē rogare ait tantum velle. Quaeri potest, vtrum, Sextio absoluto, an priusquam sententiae ferrentur, haec Cicero dixerit. mihi dubium non est, quin priusquam sententiae ferrentur. cur hoc existimem, adducor his verbis, quibus interrogationem orditur: fecissem id, quod his vehementer placebat. Quae videntur ad iudices potius, quam ad senatores, pertinere. Iam illa, quae sunt in extremo, certe de reo non dicuntur absoluto; Hoc quaero, num P. Sextium, qua lege accusandum fuisse negas, ea lege condemnari putes oportere? Nam si latae sententiae fuissent; abijssent statim iudices, re confecta, suo munere perfuncti, nec Ciceroni, absoluto iam reo Vatinium

Vatinium interroganti, aures dedissent. quorsum enim id temporis extra commissum lege iudicium consumerent? Et in epist. ad Q. fratrem, cum Sextium absolutum significasset, haec subiunxit: Vatinium, a quo palam oppugnabatur, arbitratu nostro concidimus, dijs, hominibusq. plaudentib. quin etiam Paullus noster, cum testis productus esset in Sextium, confirmauit, se nomen Vatinij delaturum, si Macer Licinius cunctaretur: & Macer a Sextij subsellijs surrexit, ac se illi non defuturum affirmauit. Haec, opinor, sufficiunt ad interrogationis tempus indicandum.

M. TVLLII CICERONIS
IN VATINIVM INTERROGATIO
ORATIO XXXIII.

SI, tua tantummodo, Vatini, quid indignitas postularet, spectare voluissem, feciſſem id, quod his vehementer placebat, vt te, cuius testimonium, propter turpitudinem vitae, sordesq. domesticas, nullius momenti putaretur, tacitus dimitterem: nemo enim horum aut ita te refutandum, vt grauem aduersarium, aut ita rogandum, vt religiosum testem, arbitrabatur. sed fui paullo in te intemperantior fortasse, quam debui. odio enim tui, in quo etsi omnes propter tuum in me scelus superare debeo, tamen ab omnibus paene vincor, sic sum incitatus, vt, cum te non minus contemnerem, quam odissem, tamen vexatum potius, quam despectum, vellem dimittere. quare, ne tibi hunc honorem a me haberi forte mirere, quod interrogem, quem nemo congressu, nemo aditu, nemo suffragio, nemo ciuitate, nemo luce dignum putet: nulla me ad id caussa impulisset, nisi vt ferocitatem tuam istam comprimerem, & audaciam frãgerem, & loquacitatem paucissimis interrogationibus irretitã retardarem. etenim debuisti, Vatini, etiam si falso venisses in suspicionem P. Sextio, tamen mihi ignoscere, si, in tanto hominis de me optimi meriti periculo, & tempori eius, & voluntati parere voluissem: sed hesterno pro testimonio esse mentitum, cum affirmares, nullum tibi omnino cum Albinouano sermonem non modo de Sextio accusando, sed nulla vmquam de re fuisse, paullo ante imprudens indicasti; qui & T. Clodium tecum communicasse, & a te consilium P. Sextij accusandi petisse, & Albinouanum, quem antea vix tibi notum esse dixisses, domum tuam venisse, multa tecum locutum, dixeris? denique conciones P. Sextij scriptas, quas neque noſset, neq. reperire posset, te Albinouano dedisse, eas q. in hoc iudicio esse recitatas. in quorum altero es confessus, a te accusatores esse instructos, & subornatos: in altero inconstantiam tuam cum leuitate, tum etiam periurio implicatam refellisti, cum, quem alienissimum a te esse dixisses, eum domi tuae fuisse, quem praeuaricatorem ab initio iudicaſses; ei te, quos rogasset, ad accusandum libros dixeris dedisse. nimium es vehemens, feroxq. natura: non putas fas esse, verbum ex ore exire cuiusquam, quod non iucundum, & honorificum ad aures tuas accidat. Venisti iratus omnibus: quod ego, simul ac te adspexi, prius quam loqui coepisti, cum ante Gellius, nutricula seditiosorum omnium, testimonium diceret, sensi, atque prouidi: repente enim te, tamquam serpens e latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, turgidis cerui cibus intulisti. vt mihi renouatus ille tuus in te veterem meum amicum. sed tamẽ tuum familiarem defenderim: cum in hac ciuitate oppugnatio soleat, qua tu nunc vteris, nonnunquam, defensio numquam vituperari. sed quero a te, cur C. Cornelium non defenderem? num legem aliquam Cornelius contra auspicia tulerit? num Aeliam, num Fufiam legem neglexerit? num consuli vim attulerit? num armatis hominibus templum tenuerit? num intercessorem vi deiecerit? num religiones polluerit? aerarium exhauserit? rempub. compilarit? tua sunt, tua sunt haec omnia. Cornelio eiusmodi nihil obiectum est. codicem legisse dicebatur: defendebatur testibus collegis suis, non recitandi caussa legisse, sed recognoscendi. constabat tamen Cornelium consilium illo die dimisisse, intercessioni paruisse. tu vero, cui Cornelij defensio displicet. quam caussam ad patronos tuos, aut quod os asseres? quibus iam praescribis, quanto illis probro futurum sit, si te defenderint; cum tu mihi Cornelij defensionem in maledictis obijciendam putaris. attamen hoc, Vatini, memento; paullo post illam defensionem meam, quam tu bonis viris displicuisse dicis, me cum vniuersi populi Ro. summa voluntate, tum optimi cuiusq. singulari studio magnificentissime post hominum memoriam consulem factum; omniaq. ea me pudenter viuendo consecutum esse, quae tu impudenter vaticinando sperare te saepe dixisti.

EXPLANATIO

SI, tua tantummodo, Vatini, quid indignitas postularet, spectare voluissem; feciſſem id, quod his vehementer placebat, vt te, cuius testimonium, propter turpitudinem vitae, sordesque domesticas, nullius momenti putaretur, tacitus dimitterem:] Principum, a contemptu personę sumptum, a laude iudicum, ab excusatione sua, quod odio Vatinij incitatus, contineri minime potuerit, quin acerbius in eum inueheretur, quẽ tamen admodũ contemneret. His] iudicibus. VEHEMENTER *placebat*,] quia Vatinij testimonium, propter turpitudinem vitae, sordesq. domesticas contemnerent. TVRPITVDINEM *vitae, sordesq. domesticas*,] quod in Bruto dixit: Ex summis & fortunae & vitae sordibus consul factus esset. Festiue de Vatinio Velleius ait lib. 2. Vatinij deformitas corporis cum turpitudine certabat ingenij. Iure autẽ contemni videtur eius testimonium, cuius ad improbitatem domesticæ sordes, ideſt domestica difficultas, & ea, quæ multos ad facinus impellit, egestas accedat. VT *grauem aduersarium*,] qui grauis esse non posset ob sordes domesticas. RELIGIOSVM *testem*,] cui religionis opinionem adimeret turpitudo vitae. SED *fui paullo intemperantior fortasse, quam debui.*] quia continere me non potui, quin te interrogarem de rebus ijs, quas in tuo tribunatu per vim & contra auspicia admini-

administrasti. TVVM *in me scelus*] cum P. Clodio, qui sua lege Ciceronem eiecit, consensisse Vatinium, infra ostenditur. VEXATVM] quod odij fuit. DESPECTVM,] quod indignitati tuae tribuendum esse videbatur. ETIAM *si falso venisses in suspicionem P. Sextio*] vt infirmaretur Vatinij testimonium, scire se dixerat Sextius, Vatinium iniuisse cum Albinouano consilia de se accusando qui autem alitini, vel si falsa illa Sextij suspicio fuisset, mihi tamen ignoscere, si eum, de me optime meritum, defendendum suscipierem: multo magis, cum illa suspicio falsa non fuerit: quod tu ipse imprudens inrat. TEMPORI *eius*,] cum de vi accusaretur. HESTERNO *pro testimonio*] tuo in Sextium. Pro, valet, In, vt alibi. Hinc apparet, haec a Cicerone i Vatinium esse dicta, posttridie quam in Sextium testimonia dicerentur: cum iudices de eo nondum sententias tulissent. CVM *Albinouano*] M. Tullio Albinouano, qui accusauit Sextium de vi: vt in ep. ad Q. fr. T. CLODIVM] qui Sextij nomen deferre cogitaret: quod consiliū videtur abiecisse, aut accusanti Albinouano subscripsisse. CONCIONES *P. Sextii*] habitas a Sextio tribuno pl. PERIVRIO] iurati enim testimonium dicebant. significatur quod supra dictum est, Hesterno pro testimoni esse mentitum. REFELLISTI;] patefecisti. ALIENISSIMVM *a te*] quod ostendisti, cum diceres, nullum tibi omnino cum Albinouano sermonem non modo de Sextio accusando, sed nulla vmquam de re fuisse. QVEM *praeuaricatorem ab initio iudicasses*,] qua suspicione nullum cum eo sermonem habueras de Sextio accusando. quod hesterno pro testimonio dixisti. LIBROS] conciones P. Sextij. DEDISSE.] vt inde sumeret accusandi materiam. VENISTI] in iudicium, testimonium dicturus in Sextium. GELLIVS,] P. Clodij familiaris, frater optimi viri L. Gellij consularis, & censorij. NVTRICVLA *seditiosorum omnium*,] non qui seditiosos omnes aleret, sed qui plebem infimam, improbosque omnes ad seditionem impelleret. vnde illa pro Sextio: Ecque seditio vmquam fuit, in qua non ille princeps? TESTIMONIVM *diceret*,] in Sextium. INFLATO *collo, tumidis ceruicibus*,] Vatinij notare videtur iracundiam: sed locatur in strumas, quibus laborabat, vnde strumae cognomen accepit. infra: Vt aliquādo ista, quae sunt inflata, rūpantur. Et aliquanto post: strumae denique ab ore improbo demigrarunt. Et pro Sextio. Ii medentur reip. qui exsecant pestem aliquam, tamquam strumam, cuitatis. VT *mihi renouatus*] in mendo videre tamen mihi sententiam videor: sed, quae sententiae respondeat, litterarum similitudinem non inuenio. Dicit hoc, vt opinor, Iratus mihi, quia C. Cornelium, veterem meum amicum, defenderim. De C. Cornelio tribuno pl. a Cicerone defenso, vide Pedianum. CONTRA *auspicia tulerit*?] quod tu feci- sti tribunus pl. Caesare consule, spretis Bibuli consulis, & collegarum tuarum auspicijs. infra. NVM *Aeliam, num Fusiam legem neglexerit*?] quas tu neglexisti. infra. CONSVLI *vim attulerit*?] quod tu cōmisisti, ducto in carcerem M. Bibulo. infra. TEMPLVM] Rostra, in quibus leges tulisti. infra satis aperte Rostra templum appellat. Indicem, inquit, in Rostris, in illo, inquam, augurato templo, ac loco collocaris. Pro Sextio: Q. Fabricius templum aliquanto ante lucem occupauit De Inu. lib. 2 Hunc pa- *polluerit*?] quod tu commisisti, violato Castoris templo. infra. AERARIVM *exhauserit*?] quod ex hauerat. sed cum eam legi vetaret intercessor codicem Cornelius ipse, lator legis, per vim legit: vnde accusatus de maiestate. Pedianus. TESTIBVS *collegis suis*,] eo tamē excepto, qui legi intercedebat. NON *recitandi causa*] nō vt eum populo recitaret, vt, cum audisset, suffragium ferret. RECOGNOSCENDI.] animaduertendi, si quid in scribendo peccatum esset. eodem sensu in ea pro Balbo: Nos Cn. Pōpeij decretum, iudicium de consilij sententia pronunciatum cognoscemus? INTERCESSIONI *paruisse*.] quia legem non tulit, dimissō concilio. QVAM *causam ad patronos tuos, aut quod os afferes*?] quid eis dicere audebis, vt defendere te iure posse videantur? PAVLLO *post illam defensionem meam*,] biennio post. defendit enim Cornelium Cotta & Torquato cos. VATICINANDO] cum, sperare te summos honores, saepe sis temere gloriatus. Infra. Cum hic nihil loqueretur nisi quod agebat; tu de altero consulatu gerendo te diceres cogitare.

ORATIO

NAM, *quod, mihi discessum obiecisti meum; & quod horum quibus ille dies acerbissimus fuit, qui idem tibi laetissimus, luctum, & gemitum renouare voluisti: tantum tibi respondebo, me, cum tu, ceteraeque reip. pestes armorum causam quaereretis, & cum per meum nomen fortunas locupletum diripere, sanguinem principum ciuitatis exsorbere, crudelitatem vestram, odiumq. diuturnum, quod in bonos iam inueteratum habebatis, saturare cuperetis, scelus, & furorem vestrum tedendo maluisse frangere, quam resistendo. quare peto a te, vt mihi ignoscas, Vatini, cum patriae pepercerim, quam seruaram: & si ego te perditorem, & vexatorem reip. fero, tu me conseruatorem, & custodem feras. deinde eius viri discessum increpas, quem vides omnium ciuium desiderio, ipsius denique reip. luctu esse reuocatū? At enim dixisti, non mea, sed reip. causa homines de meo reditu laborasse. Quasi vero quisquam vir excellenti animo in remp. ingressus optabilius quidquam arbitretur, quam se a suis ciuibus reip. causa diligi. scilicet aspera mea natura, difficilis aditus, grauis vultus, superba responsa, insolens vita; nemo humanitatem meam nemo consuetudinem, nemo consilium, nemo auxilium,*

L *requirebat,*

requirebat, cuius desiderio (vt haec minima dicam) forum maestum, muta curia, omnia denique bonarum artium studia siluerunt. sed nihil sit factum mea caussa: omnia illa S. C. populi iussa, Italiae totius, cunctarum societatum, collegiorum omnium decreta de me reip. caussa esse facta fateamur. quid ergo, homo imperitissime solidae laudis ac verae dignitatis, praestantius mihi potuit accidere, quid optabilius ad immortalitatem gloriae, atque ad memoriam mei nominis sempiternam, quam omnes hoc ciues meos iudicare, ciuitatis salutem cum mea vnius salute esse coniunctam? quod quidem ego tibi reddo tuum. nam, vt tu me carum esse dixisti senatui, populoq. R. non tam mea caussa, quam reip. sic ego te quamquam sis omni diritate, atque immanitate taeterrimus, tamen dico esse odio ciuitati non tam tuo, quam reip. nomine. atque, vt aliquando ad te veniam, de me hoc sit extremum: quid quisque nostrum de se ipse loquatur, non est sane requirendum: boni viri iudicent: id est maximi momenti, & ponderis. Duo sunt tempora, quibus nostrorũ ciuium spectentur iudicia de nobis, vnum honoris, alterum salutis. honos tali populi R. voluntate paucis est delatus, ac mihi; salus tanto studio ciuitatis nemini reddita. de te autem homines quid sentiant, in honore experti sumus, in salute exspectamus. &, vt me cum homine vno non solum impudentissimo, atque infimo conferam, de te ipso homine & arrogantissimo, & mihi inimicissimo, quaero, Vatini; vtrum tandem putes huic ciuitati, huic vrbi, his templis, aerario, curiae, viris his, quos vides, horum bonis, fortunis, liberis, ciuibus, ceteris denique deorum immortalium delubris, auspicijs, religionibus melius fuisse & praestabilius, me ciuem in hac ciuitate nasci, an te? cum mihi haec responderis, aut ita impudenter, vt manus a te homines vix abstinere possint; aut ita dolenter, vt aliquando ista, quae sunt inflata, rumpantur; tum memoriter respondeto ad ea, quae de te ipso rogaro. atque illud tenebricosissimum tempus ineuntis aetatis tuae patiar latere. licet impune per me parietes in adolescentia perfoderis, vicinos compilaris, matrem verberaris: habeat hoc praemium tua indignitas, vt adolescentiae turpitudo obscuritate, & sordibus tuis obtegatur.

EXPLANATIO

DISCESSVM] cum ab vrbe discessit, Clodia rogatione pulsus iniquissima. HORVM,] iudicum, bonorũ ciuium, tui dissimilium, qui dolerent id maxime, quo tu maxime laetabaris. ARMORVM *causßam quaereretis*,] vt ego rem in cõtentionem & certamen adducerem. quod vos fefellit. malui enim cedere, VT *mihi ignoscas*,] quia fecerim, quod tu nolebas. Dictum argute. REIP. *causßa*] ne dissensio, propter me excitata, reip. noceret. CVNCTARVM *societatum*,] publicanorum, qui erant equestris ordinis. COLLEGIORVM *omnium*] bene de rep. sentientium. nam quaedam postea P. Clodius ex faece vrbis ac seruitio constituit: vt in Pisonem. QVOD *quidem ego tibi reddo tuum.*] in quo quidem ego tibi par pari referam. HONOS] consulatus. SALVS] cum in patriam ipsa me resp. reuocauit. IN *honore*] in auguratu, & praetura: quos honores cum peteres, repulsam tulisti. Infra. IN *salute exspectamus.*] fore auguratur, vt in aliquam suis dignam sceleribus calamitatem Vatinius incidat. ATQVE *infimo*] cum dixerit, Non solum; quaero, quid respondeat, omnino enim secundo loco requirere sententiam videtur, Verum etiam. QVOS *vides*,] iudices in caussa Sextij. Et hic locus, adesse iudices, necdum sententias tulisse demonstrat. CIVIBVS,] supervacaneum verbum: cum dixerit iam, Huic ciuitati. ITA *impudenter*] te mihi anteponendo. ITA *dolenter*,] cum te inuictissimum fateri res ipsa coget, melius, ac praestabilius fuisse, me ciuem in hac ciuitate nasci, quam te. VT *aliquando ista, quae sunt inflata, rumpantur*:] propter vim doloris. Festiue strumas significat potius, quam nominat. ILLVD *tenebricosissimum tempus ineuntis aetatis tuae patiar latere.*] quae tamen latere non patitur: nam eius temporis nonnulla subiungit, breuiter percurrens, vt ad ea perueniat, quae Vatinius publice gessit. quae, quia nota quamplurimis fuerunt, ideo de illis, quae minus nota erant, Tenebricosissimum tempus dixit. OBSCVRITATE, *& sordibus tuis*] obscuro vitae genere, & egestate.

ORATIO

QVAESTVRAM *petisti cum P. Sextio, cum hic nihil loqueretur, nisi quod agebat; tu de altero consulatu gerendo te diceres cogitare. quaero abs te, teneas ne memoria, cum P. Sextius quaestor sit cunctis suffragijs factus, tunc te vix, inuitis omnibus, non populi beneficio, sed consulis, extremum adhaesisse? in eo magistratu, cum tibi magno clamore aquaria prouincia sorte obtigisset, missus ne sis a me consule Puteolos, vt inde aurum exportari, argentumque prohiberes? in eo negotio, cum te non custodem ad continendas, sed portitorem ad partiendas merces missum putares, cumq. omnium domos, apothecas, naues furacissime scrutarere, hominesq. negotia gerentes iudicijs iniquissimis irretires mercatores e naui egredientes terreres, conscendentes morarere, teneas ne memoria, tibi in conuentu Puteolis manus esse allatas? ad me consulem Puteolanorum querellas esse delatas? post quaesturam exieris ne legatus in vlteriorem Hispaniam C. Cosconio procos.? cum illud iter Hispaniense pedibus fere confici soleat, aut, si quis nauigare velit, certa sit ratio nauigandi; veneris ne in Sardiniam, atque inde in Africam? fueris ne, quod sine S. C. tibi facere non licuit, in regno Hiempsalis? fueris ne in regno Mastanesosi? veneris ne ad Fretũ per Mauritaniam? quem scias vmquã legatum Hispaniensem in illam prouinciam istis itineribus peruenisse? Factus es tribunus pl. quid enim te de Hispaniẽsibus flagitijs tuis sorde-*

sordidissimisq. furtis interrogem? quaero abs te primum, quod genus improbitatis, & sceleris in eo magistratu praetermiseris? ac tibi iam inde praescribo, ne tuas sordes cum clarissimorum virorum splendore permisceas. ego te, quaecumque rogabo, de te ipso rogabo; neque te ex amplissimi viri dignitate, sed ex tuis tenebris extraham; omniaq. mea tela sic in te conijcientur, vt nemo per tuum latus, quod soles dicere, saucietur, in tuis pulmonibus, ac visceribus haerebunt.

EXPLANATIO

CVM *P. Sextio,*] quaestor Sextius C. Antonij fuit collegae Ciceronis in consulatu: vt in oratione pro ipso. TV *de altero consulatu*] quod vno contentus nõ esse videreris. Huc pertinet, quod supra dictum est ea me, pudenter viuendo, consecutum esse, quae tu impudenter vaticinando, sperare te saepe dixisti. CONSVLIS,] pro eo rogantis, vel L. Caesaris, vel C. Figuli. hi enim ante Ciceronem, & Antonium consulatum gessere. quaestorem autem Cicerone consule Vatinium fuisse, indicant ea, quae sequuntur. EXTREMVM] extremo loco, post ceteros omnes, vltimum e quaestoribus designatum. erant autem lege Sullae quaestores viginti: cum octo antea fuissent. Tacitus lib. XI. MAGNO *clamore*] credo propter lucrum. quod ex ea prouincia maximum capiebatur. AQVARIA *prouincia*] Puteoli: vt praeesses ijs mercibus, quae Puteolos nauibus aduehuntur, aurum autem exportari, argentumq prohiberes. SORTE *obtigisset*,] quaestores designati, quid quisque vel in vrbe, vel extra in magistratu curaret, sortiebantur. PROHIBERES?] ne exhauriretur Italia, sed merces cum mercibus permutarentur. quod nunc Hispaniarum rex & in Hispania, & in regno Neapolitano seruari iubet. PORTITOREM] publicani, vel aratores, si agros conducebant, vel pecuarij, si pascua, vel portitores, si portuum vectigal, vocabantur. PARTIENDAS] vt partem tibi retineres: quod portitores faciunt vectigalis publici nomine. VLTERIOREM *Hispaniam*] quae Lusitania dicebatur. C. COS CONIO *proconsule?*] post praeturam, nam consul non fuit. Alter C. Cosconius infra nominatur, Vatinij collega in tribunatu, iudex in caussa Sextij. CERTA *ratione nauigandi*;] per loca certa, recto cursu. quam tu rationem non seruasti. IN *regno Hiempsalis?*] in Mauritania. Hiempsal Iubae pater fuit, qui ciuili bello contra Caesarem pugnauit. AD *fretum*] Gaditanum, vt inde in vlteriorem Hispaniam traijceres. CVM *clarissimorum virorum splendore*] C. Caesarem significat: quo consule tribunus pl. Vatinius fuit: &, vt sua flagitia sceleraq. excusaret, eo se auctore, quaecumque egerat, egisse uicebat. propterea cauet Cicero diligenter, & hic, & infra, vt ita Vatinium reprehendat, ne Caesarem, Pompeij optime de se meriti socerum. praeterea hoc tempore sibi amicissimum, offendat. EX *tuis tenebris extraham*;] patefaciam te, & ostendam qui sis hac mea interrogatione. Caesaris dignitatem non attingam, ex tuis tenebris extraham te, ne quis te ignoret. Tenebras appellat Vatinij, vt eas cum Caesaris dignitate quasi contrarium contrario conferat.

ORATIO

ET, *quoniam omnium rerum magnarum a dijs immortalibus principia ducuntur, volo vt mihi respondeas tu, qui te Pythagoreum soles dicere, & hominis doctissimi nomen tuis immanibus & barbaris moribus praetendere; quae te tanta prauitas mentis tenuerit, qui tantus furor, vt cum inaudita, ac nefaria sacra susceperis, cum inferorum animas elicere, cum puerorum exta deos manes mactare soleas, auspicia, quibus haec urbs condita est, quibus omnis resp. atque imperium tenetur, contempseris? initioq. tribunatus tui senatui denunciaris, tuis actionibus augurum responsa, atque eius collegij arrogantiam impedimento non futuram? secundum ea, quaero, seruaris ne in eo fidem? num quando tibi moram attulerit, quo minus concilium aduocares, legemq. ferres, quod eo die scires de caelo esse seruatum? & quoniam hic locus vnus est, quem tibi cum Caesare commu nem esse dicas: seiungam te ab illo, non solum reip. caussa, verum etiam Caesaris; ne qua ex tua summa indignitate labes illius dignitati adsperssa videatur. primũ quaero, num tu senatui caussam tuam permittas, quod facit Caesar? deinde, quae sit auctoritas eius, qui se alterius facto, non suo defendat? deinde (erumpet enim, aliquando ex me vera vox, & dicam sine cunctatione, quod sentio) si iam violentior aliqua in re C. Caesar fuisset; si eum magnitudo contentionis, studium gloriae, praestans animus, excellens nobilitas aliquo impulisset: quod in illo viro & tum ferendum esset, & maximis rebus, quas postea gessit, oblitterandum, id tu tibi furcifer sumes, & Vatinii, latronis, ac sacrilegi, vox audietur, hoc postulantis, vt idem sibi concedatur, quod Caesari? sic enim ex te quaero.*

EXPLANATIO

A DIIS *immortalibus principia ducuntur,*] a quibus ego qnoque, cum te de tuo tribunatu interrogabo, principium ducam. a te quaerens, cur auspicia & augures, diuinae voluntatis interpretes, contempseris. PRAETENDERES;] vt obtegantur. SACRA] tam quam Pythagorea. MACTARE] placare. quo tamen sensu nusquam praeterea memini me legisse. AVSPICIA,] vel augurum,

Landesbibliothek Oldenburg

vel magistratuũ. vtrique enim auspicia habebant, sed magistratus impediendi tantũ causſa, augures etiã comprobandi in quo illud est animaduertendũ, seruare de caelo, non de auguribus dici, sed de magistratibus. itaque quod sequitur, Quod eo die scires de caelo esse seruatũ, de Bibulo dicitur tamquã cõsule, nõ tãquam augure, eum porro seruasse de caelo vt Vatinij, Caesarisq legibus obsisteret, eiusq. auspicia cõtempta esse, docet Suetonius, & omnis historia. subiungitur & illud, tres tribunos pl. de caelo seruantes a Vatinio, tamquã priuatos homines, esse contemptos. CONCILIVM] populũ non vocat, sed conciliũ, quasi partem populi. patricios enim aduocandi ius non habet tribunus pl. populum autẽ aduocat, non conciliũ: quia licet ei pro summo imperio Quirites omnes aduocare. HIC *locus vnus est.*]ob inimicitias, quas in consulatu Caesar cum Bibulo collega maximis contentionibus exercuit. NE *qua ex tua summa indignitate labes illius dignitati adspersa videatur.*] dicit idem supra aliis verbis: Ne tuas sordes cum clarissimorum virorum splendore permisceas. QVOD *facit Caesar?*] non recusare se Caesar dixit, quo minus ea, quae gesserat in consulatu, quae scirent a nonnullis improbari, a senatu iudicarentur: cum & Pompeij generi, & L. Pisonis soceri, aliorumq. praeterea, quos liberalitate sua sibi deuinxerat opibus confideret. Suetonius. MAGNITVDO *contentionis,*] maximarum rerum vehemens quoddam studium. NOBILITAS] ipse in amitae suae Iuliae funebri laudatione originem suae gentis ad Venerem retulit. Suetonius. IN *illo viro*] si quid enim in consulatu Caesar gessit, id consecutae maximae res, ab eo gestae, delere ex animis hominum debent.

ORATIO

TRibunus pl. fuisti: sciunge tea consule: collegas habuisti viros fortes nouem: ex his tres erant, quos tu quotidie sciebas de caelo seruare, quos irridebas, quos priuatos esse dicebas: de quibus duos praetextatos sedentes vides, te aedilicium praetextam togam, quam frustra confeceras, vendidisse tertiũ scis ex illo obsesso, atque afflicto tribunatu consularem auctoritatem homi nem esse adolescentem consecutum. reliqui sex fuerunt: ex quibus partim plane tecum sentiebant, partim medium quendam cursum tenebant. omnes habuerunt leges promulgatas. in his multas meus necessarius, etiam de mea sententia, C. Cosconius, iudex noster: quem tu, disrumperis cum aedilicium vides. volo, uti mihi respondeas, num quis ex toto collegio legem sit ausus ferre, praeter vnum te? quae tanta in te fuit audacia, quae tanta uis, vt, cum tui nouem collegae sibi timendum esse duxerint id unus tu, emersus e caeno, omnium facile omnibus rebus infimus, contemnendum, despiciendum, irridendum putares? num quem post vrbe conditam scias tribunum pl. egisse cum plebe, cum constaret seruatum esse de caelo? Simul etiam illud, uolo, uti respondeas, cum te tribuno pl. esses etiam tum in rep. lex Aelia, & Fufia, quae leges saepenumero tribunicios furores debilitarunt, & represserunt, quas contra, praeter te, nemo umquã est facere conatus, quae quidem leges anno post, sedentibus in templo duobus non consulibus, sed proditoribus huius ciuitatis, ac pestibus, una cum auspiciis cum intercessionibus, cũ omni iure publico conflagrauerunt, et quando dubitaris contra eas leges cum plebe agere, & consilium conuocare? num quem ex omnibus tribunis pl. quicumque seditiosi fuerint, tam audacem audieris fuisse, vt vmquam contra legem Aeliam, aut Fufiam cõcilium conuocaret? quaero illud etiam ex te, conatus nesis, volueris ne, denique cogitaris, (est enim res eiusmodi, vt, si tibi modo in mentem venit, nemo sit qui te vllo cruciatu esse indignũ putet) cogitaris ne in illo tuo intolerabili, non regno, nam cupis id audire, sed latrocinio augur fieri in Q. Metelli locum, vt, quicumque te adspexisset, duplicem dolorem, gemitumq. susciperet, & ex desiderio clarissimi & fortissimi ciuis, & ex honore turpissimi, atque improbissimi? adeo ne non labefactatam rempe. tribuno, neque conquassatam ciuitatem, sed captam hanc vrbem, atque euersam putaris, vt augurem Vatinium ferre possemus? Hoc loco quaero, si, id quod concupieras, augur factus esses; in qua tua cogitatione nos, qui te oderamus, vix dolorem ferebamus; illi autem, quibus eras in deliciis, vix risum tenebant: sed quaero, si ad cetera vulnera, quibus putasti rempe. deleri, hanc quoque mortiferam plagam influxisses auguratus tui, vtrum decreturus fueris id, quod augures omnes vsque a Romulo decreuerunt, Ioue fulgente, cum populo agi ne fas esse; an, quia tu semper sic egisses, auspicia fueris augur dissoluturus?

EXPLANATIO

PRIVATOS] ita eos cõtemnebas, quasi de caelo seruarent non tribuni pl. sed priuati homines, quibus id non licet. PRAETEXTATOS] praetores, Cn. Domitium, & Q. Ancharium: vt in oratione pro Sextio. DVOS *praetextatos sedentes vides*] iudices in causſa Sextij quod sane miror, cum praeturam gerent, & praetores suo quisque muneri praeesset. Aut, Praetextatos sedentes vides, in senatu. PRETEXTAM *togam.*] Togam fortasse abundat. VENDIDISSE:] cum aedilitatem adipisci non potueris, qui tamen infra praeturam honor est. subaudiri videtur, scis. nam nec ad, Vides, referri potest, Vendidisse, nec ad, scis quod sequitur omnino disiunctum a superioribus. TERTIVM] tertium nominat C. Fannium in ea pro Sextio. OBSESSO,] cum erepta nouis collegis tuis libertas esset nemo legẽ ferre, aut ferenti tibi obsistere, aut denique pro suo sensu agere quidquã posset. infra. CONSVLARE M *auctoritatem*] quid hoc sit, nulla docet historia: suspicari tamen licet, Fannio commissum a senatu rei maximae, curã, quae committenda cõsulibus videretur. PARTIM *plane tecum sentiebant,*

tiebant] in ea pro Sextio populares tribunos pl. duos tantum ex eo collegio fuisse dicit: neutrũ nominat, sed Vatinium satis aperte describit itaque cum eo tantum vnus plane sensit: quamquam hic significari plures videantur. OMNES] omnes nouem collegae tui. sequitur enim: Num quis ex toto collegio legem sit ausus ferre. AEDILICIVM] aedilis fuerat anno superiore, Lentulo & Metello cos. nam si aedilitatem hoc anno gereret, aedilis, non aedilicius, ex Latini sermonis consuetudine vocaretur. LEGEM *sit ausus ferre*,] non ausi sunt, Vatinio de caelo seruante: cum ille tamen, ipsis de caelo seruantibus, quascumque voluit, leges contemptis auspicijs tulerit. ideo sequitur: Quae tanta in te fuit audacia. SERVATVM *esse de caelo?*] non a tribus modo tribunis pl. verum etiam a Bibulo consule quorum aeque omniũ auspicia contempsit Vatinius. LEX *Aelia, & Fufia*,] vna de seruandis auspicijs, altera de diebus comitialibus, idest, ne omnibus fastis diebus legem ferri liceret. PRAETER *te*] qui nec auspiciorum, nec dierum rationem vllam habuisti. SEDENTIBVS *in templo*] Castoris, in quo lege lata Clodius legem Aeliam Fufiamq. sustulit. vnde illa pro Sextio: Iisdem consulibus sedentibus, atque inspectantibus, lata lex est, ne auspicia valerent. Ibidem: Iisdem consulibus arma in templum Castoris comportabantur: gradus eiusdem templi tollebãtur. In ea vero post Red. in sen. Quo inspectante, ac sedente, legem tribunus pl. tulit, ne auspicijs obtemperaretur; ne obnunciare concilio, aut comitijs, ne legi intercedere liceret; vt lex Aelia & Fufia ne valerent. DVOBVS *non consulibus*,] Pisone, & Gabinio. CONFLAGRAVERVNT, sublatae sunt. lege lata a Clodio contra auspicia, & intercessiones. NEMO *sit, qui te vllo cruciatu esse dignum putet*.] indignum reposui, & ex sententia, & ex antiquis libris. REGNO,] tribunatu pl. NAM *cupis id audire*,] gloriae caussa, quasi regnaueris in tribunatu. QVI METELLI] Celeris, qui, Caesare & Bibulo cos. gerente tribunatum Vatinio, decessit. ep. 5. lib. 2 ad Att. QVIA *tu semper sic egisses*,] quia toto tribunatu tuo auspicia contempsisses

ORATIO

AC, *ne diutius loquar de auguratu tuo, quod inuitus facio, Vt recorder ruinas reip. neque enim tu vnquam, stante non modo maiestate horum, sed etiam vrbe, te augurem fore putasti: verumtamen, vt somnia tua relinquam, ad scelera veniam, volo vti mihi respondeas: cum M. Bibulum consulem, non dicam bene de rep. sentientem, ne tu mihi homo potens irascare, qui ab eo dissensisti; sed hominem certe nusquam progredientem, nihil in rep. molientem, tantũ animo ab actionibus tuis dissentientem, cum cum tu consulem in vincula duceres, & a tabula Valeria collegae tui mitti iuberent; feceris ne ante Rostra pontem continuatis tribunalibus, per quem consul populi R. moderatissimus, & constantissimus sublato auxilio, exclusis amicis, vi perditorum hominum incitata, turpissimo, miserrimoq spectaculo non in carcerem, sed ad supplicium, & ad necem duceretur? quaero, num quis ante te tam fuerit nefarius, qui id fecerit; vt sciamus, vtrum veterum facinorum sis imitator, an inuentor nouorum? Ideinq. tu, cum his atque huiusmodi consiliis ac facinoribus, nomine C. Caesaris, clementissimi, atque optimi viri, scelere vero, atque audacia tua, M. Bibulum foro, curia, templis, locis publicis omnibus expulisses, inclusum domi contineres; cumq. non maiestate imperij, non iure legum, sed ianuae praesidio, & parietum custodiis consulis vita tegeretur: miseris ne viatorem, qui M. Bibulum domo vi extraheret, vt, quod in priuatis semper est seruatum, id te tribuno pl. consuli domus exsulium esse non posset? Simulq. mihi respondete, tu, qui nos, qui de communi salute consentimus, tyrannos vocar, fueris ne non tribunus pl. sed intolerandus ex caeno nescio quo atque ex tenebris tyrannus? qui primum eam remp. quae auspiciis inuentis constituta est, iisdem auspiciis sublatis conarere peruertere; deinde sanctissimas leges, Aeliam & Fufiam dico, quae in Gracchorum ferocitate, & in audacia Saturnini & incolumione Drusi, & in contentione Sulpicii, & in cruore Cinnano, & inter Sullana arma vixerunt, solus conculcaris, ac pro nihilo putaris; qui consulem morti obieceris, inclusum obsederis, extrahere ex suis tectis conatus sis; qui in eo magistratu non modo emerseris ex mendicitate, sed etiam diutius nos iam tuis terreas: fueris ne tanta crudelitate, vt delectos viros, & principes ciuitatis tollere, & delere tua rogatione coneris? cum L. Vettium, qui in senatu cõstitisset cum telo fuisse, Cn. Pompeio, summo, & clarissimo ciui, suis manibus necem afferre voluisse, in concionem produxeris, indicem in Rostris, in illo, inquam, augurato templo, ac loco collocaris, quo auctoritatis exquirendae caussa ceteri tribuni pl. principes ciuitatis producere consueuerunt, ibi tu indicem Vettium linguam, & vocem suam sceleri, & menti tuae praebere voluisti, vt diceret L. Vettius in concione tua rogatus a te, se auctores, & impulsores, & socios habuisse sceleris illius eos viros, quibus e ciuitate sublatis, quod tu eo tempore moliebare, ciuitas stare non posset. M. Bibulum, cuius inclusione contentus non eras, interficere volueras, spoliaueras consulatu, patria priuare cupiebas; L. Lucullum, cuius tu rebus gestis, quod ipse ad imperatorias laudes a puero videlicet spectaras, vehementius inuidebas; C. Curionem, perpetuum hostem improborum omnium, auctorem publici consilii, libertate communi tuenda maxime liberum, cum filio, principe iuuentutis cum rep. coniunctiore etiam, quam ab illa aetate postulandum fuit, delere voluisti; L. Domitium, cuius dignitas, & splendor praestringebat, credo, oculos Vatinii, quem tu propter commune odium in bonos oderas, in posterum autem propter omnium spem, quae de illo est, atque erat, ante aliquanto timebas; L. Lentulum, hunc iudicem nostrum flaminem Martialem, quod erat eo tempore Gabinii tui competitor, eiusdem Vettii indicio opprimere voluisti. qui si tum illam labem, pestemq. vicisset, quod ei tuo scelere non licuit; resp. victa non esset. huius etiam filium eodem indicio, & crimine ad patris interitum aggregare voluisti. L. Paullum, qui tum quaestor Macedoniam obtinebat; at quem ciuem? quem virum? qui duos nefarios patriae proditores, domesticos hostes, legibus exterminarat, hominem ad con-*

seruandam

seruandam remp. natum, in idem Vettij iudicium, atque in eundem hunc numerum congregasti. Quid ego de me querar; qui etiam gratias tibi agere debeo, quod me ex fortissimorum ciuium numero seiungẽdum non putaris? Sed, qui fuit ille tantus furor tuus, vt, cum iam Vettius ad arbitrium tuum peroraſſet, & ciuitatis lumina notaſſet, deſcendiſſetq. de Roſtris, cum repente reuocares, colloquerere populo R. vidente, deinde interrogares, ecquosnam alios poſſet nominare? inculcaris ne, vt C. Piſonem, generum meum, nominaret? qui, in ſumma copia optimorum adoleſcentium, pari continentia, virtute, pietate reliquit neminem: item M. Laterenſem, hominem dies ac noctes de laude, & de rep. cogitantem? promulgaris ne impuriſſime, & perditiſſime hoſtis quaeſtionem de tot ampliſſimis & talibus uiris, iudici Vettio praemia ampliſſima? quibus rebus omnium mortalium non uoluntate, ſed conuicio repudiatis, fregeris ne in carcere ceruices ipſi illi Vettio, ne quod iudicium corrupti iudicii exſtaret, eiusq. ſceleris in te ipſum quaeſtio flagitaretur?

EXPLANATIO

NVSQVAM *progredientem,*] facete. nam cũ laudare videatur Bibuli modeſtiam, notat illud tẽpus, cũ per vim foro pulſus, armorum metu domi ſe tenuit. infra. ANIMO] nam contra vim agere nihil poterat. A TABVLA *Valeria*] locus in foro. SVBLATO *auxilio.*] quod ei tuliſſent reliqui tribuni pl. NOMINE *clementiſſimi atque optimi viri,*] tanti ſceleris culpam auertit a Caeſare, clementia e, ac bonitatis laude. SCELERE *uero, atque audacia tua.*] cum tamen C. Caeſaris nomine abutereris. Haec in vnum Vatinium Cicero, Caeſarem non attingens, confert: ſed ea Caeſari Suetonius tribuit his verbis: Lege agraria promulgata, obnunciantem collegam armis foro expulit in eamq coegit deſperationẽ, vt, quo ad poteſtate abiret, domo abditus, nihil aliud quam per edicta obnunciaret. IN *Gracchorum ferocitate, & in audacia Saturnini, & in colluuione Druſi,*] quales in rep. tribuni pl. fuerint, qui a Cicerone nominantur, quia ſatis plane vulgatae loquuntur hiſtoriae non conterã tempus in renota, tantum dicã, duos Druſos patrem, & filium, tribunos pl fuiſſe hic filiũ ſignificari, qui poſt Saturninum fuit: nam pater cum C. Gracchо tribunatum geſſit. Colluuione quia ciuitatẽ ſocijs & Latinis daturum ſe pollicitus eſt quae colluuio quaedã fuiſſet. id cum fruſtra conaretur domi ſuae a neſcio quo eſt interfectus. SVLPICII,] hic eſt, quem Cicero loquentem inducit in libro de oratore. Ciuili bello partes Marij ſecutus, cũ tribunus pl. de Mithridatico bello a Sulla cui mandatũ fuerat ad Marium transferendo legem tuliſſet, Sulla victore caeſus eſt CONSVLEM *morti obieceris,*] ſupra: Cum M. Bibulum conſulem non in carcerẽ ſed ad ſupplicium, & ad necẽ duceres. TVA *rogatione*] vt quaereretur in eos, qnos Vettius nominaſſet. quam rogationẽ promulgauit, non tulit, omniũ mortalium conuicio repudiatã. CVM *L. Vettium,*] Mula Vatinio cũ Caeſare communia fuerunt: ſed, vt dixi iam, in Vatiniũ Cicero, Caeſati parcens, omnia conijcit. Hic eſt ille L. Vettius, qui Caeſarẽ praetorem inter Catilinae ſocios nominauit Sed Caeſar, implorato Ciceronis teſtimonio, ad quẽ vltro quaedam de cõiuratione detulerat, indicio Vettij refutato, coniecit eum in carcerem Suetonius De hoc autem poſteriore indicio ſic ep. 24. lib. 2. ad Att. Vettius, ille, ille noſter index, Caeſari, vt perſpicimus, pollicitus eſt, ſeſe curaturũ, vt in aliquã ſuſpicionẽ facinoris Curio filius adduceretur. In eadẽ Poſtero die Caeſar, is qui olim, praetor cũ eſſet Q. Catulũ ex inferiore loco iuſſerat dicere Vettiũ in Roſtra produxit, eumq. in eo loco cõſtituit, quo Bibulo cõſuli adſpirare nõ liceret Hic ille omnia, quae voluit, dixit, vt qui illuc factus, inſtitutusq. veniſſet. Quib. verbis culpã Vettiani criminis Caeſari potius, quã Vatinio, hic tamen, temporis videlicet cauſſa, oratorio more, Vatinio, nõ Caeſari, adſcribit. AVCTORITATIS *exquirendae cauſſa*] ante quam lex ferretur, clari viri, a tribuno pl. qui rogationem laturus erat, in Roſtra producti, rogatiq vt dicerent, quid ſentirent, ſuadebant, diſſuadebantue legem. Cum igitur auctores populo eſſent, vt rogationẽ acciperet, vel antiquaret: recte Cicero dixit Auctoritatis exquirendae cauſſã. IN *concione tua*] ate vocata. SPOLIA VERAS *conſulatu,*] quia, foro pulſus, domi incluſus nihil agebat vt conſul, ſolus Caeſar omnia. vnde illi verſus apud Suetonium.

Non Bibulo quidquam nuper ſed Caeſare factum eſt.
Nam Bibulo fieri conſule nil memini.

DOMITIVM,] Ahenobarbum, qui praetor de Caeſaris actis retulit ad ſenatũ. Erant hi maxime quattuor hactenus nominati, Caeſaris inimici Bibulus, Lucullus, Curio Domitius. PRAESTRINGEBAT, *credo oculos Vatinii,*] ironia Non tu, inquit, ei propter dignitatem, & ſplendorem inuidebas ſed partim oderas propter commune odium in bonos, partim timebas propter ſpem, quae de illo eſt, atque erat. COMPETITOR,] in conſulatu. Caeſari enim, & Bibulo ſucceſſere conſules Gabinius, & Piſo Q*UI ſi tum illam labem peſtemq. uitaſſet,*] ſi Gabinio reiecto, conſul deſignatus eſſet. TVO *ſcelere*] quia tu Gabinium in conſularibus comitijs adiuuiſti. RESP. *victa non eſſet,*] Ego lege Clodia eiectus non eſſem, conſulibus Gabinio & Piſone Clodium adiuuantibus mecum autem ſimul victa reſp eſt. L PAVLIVM,] qui conſul fuit cum C. Marcello. QVI *tum quaeſtor Macedoniam obtinebat,*] quo mendacium Vetij qui de abſente tamquam praeſente locutus eſſet, patefactum eſt. ep. 24. lib. 2 ad Att. Maxime in eo Vettius eſt reprehenſus, quod dixerat adoleſcentum conſilium, vt in foro gladiatoribus Gabinij Pompeiũ adorirentur: in eo principẽ Paullum fuiſſe, quem conſtabat eo tempore in Macedonia fuiſſe. LEGIBVS *exterminarat,*] accuſauerat eos, & damnauerat. SEIVNGENDVM *non putaris?*] Ciceronem tamen Vettius non nominauit, ſed deſcripſit. ep. eadem: Me non nominauit, ſed dixit, conſularem diſertum, vicinum conſulis, ſibi

dixiſſe,

diuisse, Ahalam Seruilium aliquem opus esse reperiri. REVOCARES,] in eadem ep. sic est. Addidit ad extremū, cum, iā dimissa concione, reuocatus a Vatinio fuisset, se audisse a Curione, his de rebus conscium esse Pisonem, generum meum, & M. Laterensem. C. PISONEM] hic primus, Crassipes secundus, tertius Dolabella, qui diuortium fecit, Ciceronis gener fuit. PIETATE] erga suos, ipsumq. maxime Ciceronem, quo tempore exsulauit. RELIQVIT *neminem:*] perierat enim exsulante Cicerone. LATERENSEM,] Iuuentiae gentis, ciuem optimum, qui cum lex Caesaris agraria exsecrationem haberet in coitione candidatorum, si mentionem fecissent, quo aliter ager Campanus possideretur, atque vt ex legibus Iulijs; cumq. ceteri candidati iurare non desisterent; ipse tribunatum pl. petere destitit, ne iuraret. PROMVLGARIS *ne quaestionem*] legem ferre cogitans, vt in eos, quos Vettius nominauerat, quaereretur. IN. TE *ipsum*] qui quaestionem in alios promulgaueras.

ORATIO

ET, *quoniam crebro vsurpas, legem te de alternis consilijs reijciendis tuliſſe: vt omnes intelligant te ne recte quidem facere ſine ſcelere potuiſſe, quaero, cum lex eſſet aequa promulgata initio magiſtratus, multas etiam alias tuliſſes, exſpectaris ne dum C. Antonius reus fieret apud Cn. Lentulum & Q. Claudium? &, poſtquam ille eſt reus factus, ſtatim tuleris in eum, qui tuam poſt legem reus factus eſſet; vt homo conſularis, excluſus miſer puncto temporis, ſpoliaretur beneficio, aequitate legis tuae? Dices familiaritatem tibi fuiſſe cum Q. Maximo. praeclara defenſio facinoris tui. Nam Maximi quidem ſumma laus eſt, ſumptis inimicitiis, ſuſcepta cauſſa, quaeſitore, conſilio delecto, commodiorem inimico ſuo contentionem reiectionis dare noluiſſe: nihilq. Maximes fecit alienum aut ſua virtute, aut illis viris clariſſimis, Paullis, Maximis, Africanis; quorum gloriam huius virtute renouatam non modo ſperamus, verum etiam videmus. tua fraus, tuum maleficium, tuum ſcelus illud eſt, te id, quod promulgaſſes, miſericordiae nomine, ad crudelitatis tempus diſtuliſſe. ac nunc quidem C. Antonius hac vna re miſeriam ſuam conſolatur, quod imagines patris & fratris ſui, fratrisque filiam non in familia, ſed in carcere collocatas audire maluit, quam videre.*

EXPLANATIO

CREBRO *vſurpas,*] ad gloriam tuam. DE *alternis conſilijs reijciendis*] non, vt ſinguli quinos iudices reus, & accuſator reijceret: quod fieri ſolitum, docet Pedianus: ſed vt vel totum conſilium ideſt, omnes iudices vterque ſemel poſſet reijcere. quam legem vt aequam probat Cicero; quia ſubiūgit: VT omnes intelligant, te ne recte quidem facere ſine ſcelere potuiſſe. IN. EVM,] non in quemquā in nominatim, ſed in omnes, qui poſt legē rei facti eſſent. EXSPECTARIS *ne, dum C. Antonius reus fieret*] in lege ſcriptum erat. Quicumque poſthac reus fiet. reus igitur factus ante, quam lex ferretur, C. Antonius, caruit beneficio legis. ita, quā legē Vatinius pro reis maxime, miſericordiae nomine, promulgauerat, eā ad crudelitatis tēpus diſtulit. Hic eſt C. Antonius, qui cū Cicerone cōſul fuerat, poſt conſulatum aūt Macedoniae praefuit: ex qua de repetundis accuſatus eſt a Q. Maximo. C N. *Lentulum, & Q. Claudium?*] praetores: quorum alter de repetundis, alter de maieſtate quaerebat: quibus criminibus reus factus eſt C. Antonius, de maieſtate, tamquā cōſcius & particeps Catilinae fuiſſet, ac cuſanti M. Coelio: qđ, poſtēdūt illa verba in oratione pro. ipſo Coelio habita: Accuſauit C. Antoniū, collegā meū: cui miſero praeclari in remp: beneficij memoria nihil profuit, nocuit opinio maleficij cogitati. Et illa in eadē: Neque enim pōt, qui hominē conſularē, quod ab eo remp. violatā diceret, in iudiciū vocarit, ipſe eſſe in rep. ciuis turbulentus. Idemq. lib. XXXIIX. confirmat Dio. Eo crimine dānatum Antoniū, inde perſpicitur, quod ait Cicero: Nocuit opinio maleficij cogitati. Alter Antonij accuſator fuit. Q. Maximus: quod illa declarant: Dices familiaritatē tibi cū Q. Maximo fuiſſe. Ac cuſaſſe aūt de repetundis, ob pecunias contra leges captas in Macedonia, quā procōſul adminiſtrauit, ex ep. I. lib. I. ad Att. videor affirmare poſſe. haec enim in ea ſunt: De eo mihi Valerius interpres nunciat, eſſe hominē cū Antonio; Antoniū porro in cogēdis pecunijs dictitare, partē mihi quaeri, & a me cuſtodē cōmunis quaeſtus libertū eſſe miſſum. Et hoc crimine dānatū eſſe Antoniū, ſatis indicāt ea, quae ſequuntur. Hic eſt, vt opinor, Cn. Cornelius Lētulus Marcellinus: qui cū hoc anno cōſul fuerit, vt ex oratione pro Sextio, alij praeterea locis conſtat, praeturā geſſiſſe ante bienniū videtur, Vatinio tribuno pl. Caeſare, & Bibulo cos. bienniū aūt inter praeturā & cōſulatū legitimū fuiſſe interuallū ita ſaepe docuimus, vt vel pueri iā ſciāt. CVM *Q. Maximo.*] Q. Fabio Maximo, qui conſul poſtea fuit cū C. Trebonio. QVAESITORE,] altero eorū, qui ſupra nominati ſunt, vel Cn. Lentulo, vel Q. Claudio: qui cū eſſent praetores, de publicis criminibus quaerebant. COMODIOREM *inimico ſuo contentionem reiectionis dare noluiſſe:*] cum videret legē Vatinij pro reis eſſe, (promulgata enim ocu lis oīum patebat) exſpectare, dum ea ferretur, noluit: ſed ſtatim Antonium reum fecit. ita nō potuit Antonius in reijciendo conſilio vti beneficio legis, quae in eos erat, qui poſt eā latā eſſent accuſati. Contentionē: condicionē, eſſet apertius. aut, Contentionē, dic, quae erat inter accuſatorē, & reum de reijciendas iudicibus: cum ijdē vtrique nō placerēt. Prior autē reijciebat reus, deinde accuſator. propterea Vatinij lex miſericordiae cauſſa, p reis lata videbatur. in qua tñ miſericordia crudelis in

Antonium

Antonium Vatinius fuit. PAVLLIS, *Maximis, Africanis*:] a quibus originem ducit: a L. Aemilio Paullo, qui de Macedonia deuicta, Perseq. rege capto triumphauit; quia filium Q. Fabio Maximo, Verucosli filio, adoptandũ dedit: a quo Paulli filio prognatus est hic Antonij accusator. A Q. Fabio Maximo, qui & patris, & aui, & sua virtute insignis, adoptauit, vt dixi Paulli filiũ. Ab Africano minore, quia filius & ipse naturalis Paulli fuit, & ab Africani minoris est filio est adoptatus. MISERIAM *suam*] exsulij calamitatẽ. FRATRIS *filiam*] sororẽ, vt opinor M. Antonii, postea triumuiri, Vatinio nuptã significat. nã pater M. Antonij frater C. Antonij fuit, vterque M. Antonij oratoris filius. Opinionẽ nostrã confirmat illud infra: Cũ tu ei contumeliosissime toties male dicas, quoties illi affinem te esse dicis. Nã affinitatem inter Vatinium, & Caesarem ex eo contractã puto, quia M. Antonij mater erat Iulia, L. Caesaris soror. IN *carcere*] carcerẽ appellat Vatinij domũ, in quã Antoniorũ imagines, ducta Antonia Vatinius transtulit, ademptas fortasse C. Antonio post damnationem.

ORATIO

ET, *quoniam pecunias aliorum despicis, de tuis diuitiis intolerantissime gloriaris; volo vti mihi respondeas, feceris ne foedera tribunus pl. cum ciuitatibus, cũ regibus, cum tetrarchis? erogaris ne pecunias ex aerario tuis legibus? eripueris ne partes illo tempore carissimas partim a Caesare, partim o publicanis? quae cum ita sint quaero ex te, sis ne ex pauperrimo dives factus illo ipso anno, quo lex lata est de pecuniis repetundis acerrima? vt omnes intelligere possent, a te non modo nostra acta, quos tyrannos vocas, sed etiam amicissimi tui legem esse cõtemptam. apud quem tu etiam nos criminari soles, qui illi fuimus amicissimi; cum tu ei contumeliosissime toties male dicas, quoties illi affinem te esse dicis.*

EXPLANATIO

FECERIS *ne foedera*] vnde tibi tantas diuitias cõparasti. EROGARIS *ne pecunias ex aerario tuis legibus*?] vt ager Campanus publica pecunia emeretur. Infra. Eripueras senatui prouinciae decernendi potestatem, imperatoris deligendi iudicium, aerarij dispensationem. PARTES] munus, curationẽ, dispẽsationem aerarij, quae ad Caesarem consulem qui de diuidendo agro Campano lege tulerat, pertinebat. ILLO *tempore carissimas*,] erat enim tunc summa pecuniae difficultas. A. PVBLICANIS?] tota illa pecuniae publicae curatio agris emẽdis assignata, aut Caesaris esse debuit, qui legem agrariam tulit, aut publicanorum quos idem Caesar consul, petẽtes vt induceretur locatio, quia nimiũ magno conduxissent, tertia mercedum parte lege lata releuauerat. LATA *est*] a Caesare consule. DE *pecuniis repetundis acerrima*?] Caesar sua lege poenas grauissimas irrogabat ijs, qui pecunias iniuste cepissent: at tu illo ipso anno, vt eã cõtemni are legẽ ostenderes, ex pauperrimo dives factus es. NOSTRA *acta*,] Quem non tam admiror, quod meam legem contemnat, hominis inimici, quam quod statuit omnino legem consularem nullam putare. Aciliam, Didiã, Liciniam Iuniam contempsit: et ne eius, quem sua lege, & suo beneficio ornatũ, munitum, armatum solet gloriari, C. Caesaris legem de pecunijs repetundis non putat esse legem. Nostra acta: quae ego consul egi. QVOS *tyrannos vocas*,] ob ciues Romanos in carcere necatos. AFFINEM] affinitatis caussam supra ostendi.

ORATIO

ATQVE *illud etiam scire ex te cupio, quo consilio, aut qua mente feceris, vt in epulo Q. Arrii, familiaris mei, cum toga pulla accumberes? quem vnquã videris? quem audieris? quo exemplo, quo more feceris? Dices, supplicationes te illas non probasse. Optime. nullae fuerint supplicationes. vides ne te nihil de anni illius caussa, nihil de eo, quod tibi cum summis viris commune esse videatur, sed de tuis propriis sceleribus ex te quaerere? nulla supplicatio fuerit. cedo, quis vmquam cenauit atratus? ita enim illud epulum est funebre, vt munus sit funeris, epulae quidem ipsae dignitatis. sed omitto epulum, populi R. festum diem argento, veste, omni apparatu, ornatuq. visendo: quis vmquam in luctu domestico, quis funere familiari cenauit cum toga pulla? cui de balneis exeunti, praeter te, toga pulla vmquam data est? cum tot hominum millia accumberent; cum ipse epuli dominus Q. Arrius albatus esset; tu in templum Castoris te cum C. Figulo atrato, ceterisq. tuis furiis funestum intulisti. quis tum non ingemuit? quis non doluit reip. casum? quis sermo alius in illo epulo fuit, nisi hanc tantam, & tam grauem ciuitatem subiectam esse non modo furori, verum etiam irrisioni tuae? hunc tu morem ignorabas? numquam epulum videras? numquam puer, aut adolescens inter coaeuos fueras? Fausti, adolescentis nobilissimi, paullo ante ex epulo magnificentissimo famem illam veterem tuam non expleras? quem accumbere atratum videras? dominum cum toga pulla, & eius amicos ante conuiuium? quae te tanta tenuit amentia, vt tu, nisi id fecisses, quod fas non fuit, nisi violasses templum Castoris, nomen epuli, oculos ciuium, morem veterem, eius, qui te inuitaret, auctoritatem, parum putares testificatum esse, supplicationes te illas non putarae?*

EXPLA-

EXPLANATIO

IN. EPVLO *Q. Arrij.*] epulum populo dedit, ad honorem patris mortui, in templo Castoris: vt infra. CVM *toga pulla*] cum cereri accumberent albati. SVPPLICATIONES *te illas non probasse.*] quia decretæ essent a senatu referente, vt opinor, Bibulo consule. Epulum enim publicum sine sacrificio non dabatur, nec sine supplicatione sacrificium erat. festus autem & supplicationis, & epuli dies. atque ex hoc loco perspicuū fit, non solum pro re in bello prospere gesta, sed in honestandis etiā funeribus supplicationes a senatu decerni solitas, verū in re bellica plurium dierū, in funeribus vnius tātum diei, quo epulū daretur. Decretas autem a senatu quas Vatinius nō probabat, constat ex eo, q̄ sequitur: Vides ne me nihil de anni illius causſa, nihil de eo quod tibi cū ſummis viris cōmune esse videatur, sed de tuis proprijs sceleribus ex te quærere? CVM *summis viris*] cum Cæsare. DE *balneis excunti*] ergo a balneis ad cenam ibant. quod etiam cognoscitur ex ep. vlt. lib. XIII. ad Att. INTER *coaeuos fueras?*] rectius. Interfueras? vt est in quinque antiquis libris, vno Octauiani Ferrarij, altero Franciſci Ciceriní, tertio Cardinalis Borromæi, quarto Fuluij Vrſini, quinto Maſeiorum. nam Ciceroni propoſitum est. non vt Vatinium inter coaeuos fuiſſe, sed vt epulo interfuiſſe dicat. apteq. ac lepide coniunguntur. Nunquam epulum videras? numquam interfueras? IN *templum Castoris.*] opinor magiſtratus, & ſenatores, aut etiam equites Romanos in templo, reliquam plebem in foro cenaſſe. FAVSTI] L. Sullæ dictatoris filij. PAVLIO *ante*] anno proximo ſuperiore, ideſt, Celere, & Afranio cos. quo anno epulum populo, & munus gladiatorium Fauſtus dedit, ad memoriam patris mortui decorandam. Dio. lib. XXXVI. DOMINVM] aut ſubaudiendum, aut addendum, videras: vt ſit ordo: Videras ne dominum epuli, & eius amicos cum toga pulla ante conuiuium, ideſt, qui cum toga pulla accumberet ante oculos epulantis populi Romani?

ORATIO

QVæro illud etiam ex te, quod priuatus admiſiſti; in quo certe iam tibi dicere non licebit, cum clariſſimis viris cauſſam tuam esse coniunctam; poſtulatus ne ſis lege Licinia & Iunia? edixerit ne C. Memmius praetor ex ea lege, vt adeſſes die triceſimo? cum is dies veniſſet, feceris ne, quod in hac repub. non modo factum ante numquam eſt, ſed in omni memoria ſit inauditum? appellaris ne tribunos pleb. ne cauſſam diceres? leuius dixi: (quamquam id ipſum eſſet & nouum, & non ferendum) ſed appellaris ne nominatim peſtem illius anni, furiam patriae, tempeſtatem reip. Clodium? qui tamen cum iure, cum more, cum poteſtate iudicium impedire non poſſet. rediit ad illam vim, & furorem ſuum, ducemq. ſe militibus tuis praebuit. in quo ne quid a me dictum in te potius putes, quam abs te eſſe quaeſitum, nullum onus imponam mihi teſtimonij: quae mihi breui tempore ex eodem iſto loco video eſſe dicenda ſeruabo; teq. non arguam, ſed, vt in ceteris rebus feci, rogabo. Quaero ex te, Vatini, num quis in hac ciuitate poſt vrbem conditam tribunos pl. appellarit, ne cauſſam diceret? num quis reus in tribunal ſui quaeſtoris adſcenderit, eumq. vi deturbarit? ſubſellia diſſiparit? vrnas deleuerit? eas denique omnes res in iudicio diſturbando commiſerit, quarum rerum cauſſa iudicia ſunt conſtituta? ſcias ne tum fugiſſe Memmium? accuſatores eſſe tuos de tuis tuorumq. manibus ereptos? iudices quaeſtionum de proximis tribunalibus eſſe depulſos? in foro, in luce, inſpectante populo R. quaeſtionem magiſtratus, morem maiorum, leges, iudices, reum, poenam eſſe ſublatam? haec omnia ſcias ne, diligentia C. Memmij, publicis tabulis eſſe notata, atque teſtata? Atque illud etiam quaero, cum poſteaquam es poſtulatus, ex legatione redieris, ne quis te iudicia defugere arbitraretur; teque, cum tibi, vtrum velles liceret, dictitaris cauſſam dicere maluiſſe; qui conſentaneum fuerit, cum legationis perſugio vti noluiſſes, appellatione improbiſſima te ad auxilium nefarium confugiſſe?

EXPLANATIO

DICERE *non licebit.*] quia nunc illud ex te quæro, quod priuatus admiſiſti: tibi autem ſi qua fuit cū Cæſare coniunctio, in tuo tribunatu fuit. LEGE *Licinia, & Iunia?*] ſic enim lego, non Iulia. ſic etiā nominātur ep. 9. li. 2. & ep. 5. lib. IV. ad Att. Tulerūt has leges L. Licinius Murena, D. Iunius Silanus cos. graui pœna in eos irrogata, qui, nō ſeruato promulgationis legitimo tēpore, (id erat trinundinū) leges tuliſſent qua de re ſic in Antoniū Phil. v. Vbi promulgatio trinundinum? vbi poenæ recenti lege Iunia, & Licinia? Vatinius igitur, quia ſuas leges, nulla legitimi tēporis rōne habita, protulerat, ideo lege Licinia, & Iunia poſtulatus eſt. C. MEMMIVS *praetor*] Cęſaris inimicus, de cuius etiā actis retulit ad ſenatū. is poſtea cum peteret cōſulatū, de ambitu dānatus, Athenas exſulatū abijt. exſtant ad eum ſcriptæ epiſtolæ duæ primæ lib. XIII. fam. Alter fuit C. Memmius, qui Gabinium de repetundis, eōq. damnato C. Rabirium Poſtumum accuſauit: de quo diximus in ea, quæ exſtat, pro Poſtumo Ciceronis oratione. ABS *te eſſe quaeſitum,*] lepide, & argute. Nihil ego in te dicam, Vatini: abs te quæram. inde nomen interrogationis hæc oratio ſumpſit. NVLLVM *onus*] non in te lo-

quar vt testis, neque te te arguam, sed rogabo. Ex *eodem isto loco*] in iudicio. breui enim te accusabo: nunc te tantum interrogo. QVAESITORIS,] C. Memmij praetoris. SVBSELLIA] iudicum. VRNAS] quibus tabellae iudicum seruabantur. IVDICES *quaestionum*] qui iudicijs praeessent, vel praetores, vel priuatos. de quo diximus alio loco. Ex *legatione*] legatus cum Caesare in Galliam iuit: deinde, accusatus lege Licinia & Iunia, ne iudicium iure legationis defugisse videretur, in vrbem redijt. LICERET,] iure legationis. nam qui reip. caussa abesset, eum ne vocare in iudicium liceret, Memmia lege sancitum erat. Valerius Max. lib. III. cap. 7. APPELLATIONE] tribunorum pl. AVXILIVM *nefarium*] P. Clodij tribuni pl. qui iudicium sustulit, cum iure, more, potestate non posset. supra.

ORATIO

ET, *quoniam legationis tuae factamentio est, nolo etiam audire de te, quo tandem S.C. legatus sis? de gestu intelligo, quid respondes: tua lege, dicis. es ne igitur patriae certissimus parricida? speraras ne id, vt patres conscripti ex repub. funditus tollerentur? ne hoc quidem senatui relinquebas, quod nemo vnquam ademit, vt legati ex eius ordinis auctoritate legarentur? adeo ne tibi sordidum consilium publicum visum est, adeo afflictus senatus, adeo misera, & prostrata respub. vt non nuncios pacis, ac belli, non curatores, non interpretes, non bellici consilij auctores, non ministros muneris prouincialis senatus more maiorum deligere posset? eripueras senatui prouinciae decernendi potestatem, imperatoris deligendi iudicium, aerarij dispensationem: quae numquam sibi populus R. appetiuit, qui nunquam haec a summi consilij gubernatione auferre conatus est. age, factum est horum aliquid in alijs, raro, sed tamen factum est, vt populus deligeret imperatorem: quis legatos vnquam audiuit sine S.C.? ante te nemo: post continuo fecit idem in duobus prodigijs reip. Clodius. quo etiam maiore es malo mactandus, quod non solum facto tuo, sed etiam exemplo remp. vulneraßi; neque tantum es improbus ipse, sed etiam alios docere voluisti.*

EXPLANATIO

TVA *lege.*] inter leges Vatinij, quas tulit inuito senatu, ea fuit, vt legatos nõ senatus, vt antea, sed populus deligeret. PROVINCIAE *decernendi potestatem,*] quia Galliam Cisalpinam cum Illyrico tribusq. legionibus sua lege Cesari tradidit. Suetonius, Plutarchus, Dio. Prouinciae decernẽdi, pro, decernendae, antiquo more. Terentius: Nouarum spectandi. Et: Eius videndi: cũ de muliere loquatur. Donatus. IMPERATORIS *deligendi,*] qui legionibus praesset. delegit autem Caesarem eadem lege. AERARII *dispensationem:*] supra: Eripueris ne pecunias ex aerario tuis legibus? Eam pecuniã in emptionem agri Campani, lege Cesaris erogari oportebat. id pertinebat ad senatũ. sed Vatinius, nulla senatus ratione habita, eam ipse, ex aerario sumptã, arbitratu suo administrauit. VT *populus deligeret imperatorem:*] delegit populus Gabinia lege Pompeiũ imperatorem bello piratico. dissuadentibus optimatibus, vt ait Velleius. cum Trebellius quoque tribunus pl. intercedere conaretur: nã senatui promiserat, vt in Pediano legimus; moriturum se ante, quam lex illa perferretur. eũdem bello Mithridatico, Manilia lege, contra volũtatem optimatum populus delegit. Plutarchus, Appianus, Dio. QVIS *legatos vmquam audiuit sine S.C.*] qua lege Vatinius citeriorem Galliam Caesari, eadem ei legendorum legatorum potestatem dedit. CONTINVO] anno sequenti. IN *duobus prodigijs reip.*] in Pisone & Gabinio cos. quibus & prouincias, & legatos lege sua Clodius dedit.

ORATIO

AT que illud etiam audire a te cupio, quare, cum ego legem de ambitu ex S.C. tulerim, sine vi tulerim, saluis auspicijs tulerim, salua lege Aelia, & Fufia, tu eam esse legem non putes? praesertim cum ego legibus tuis, quoquo modo latae sint, paream. cum mea lex dilucide vetet, biennio, quo quis petat petiturus ve sit, gladiatores dare, nisi ex testamento praestituta die, quae tanta in te sit amentia, vt in ipsa petitione gladiatores audeas dare? num quem putes illius tui certissimi gladiatoris similem tribunum pl. posse reperiri, qui se interponat, quo minus reus mea lege fias? ob hasce omnes res scias te seueriss imorum hominum Sabinorum, fortissimorum virorum, Marsorum, & Pelignorum, tribulium tuorum, iudicio notatum; nec post Romam conditam, praeter te, tribulem quemquam tribum Sergiam perdidisse.

EXPLANATIO

LEGEM *de ambitu*] quae ad veterem poenam addebat decem annorum exsulium. Dio. SINE VI] cõmemorat ea, quae seruauit ipse in ferenda lege de ambitu, cui non parebat Vatinius: cum ipse pateret ijs legibus, quas Vatinius per vim, contra auspicia, contempta lege Aelia, & Fufia, tulerat.

rat. BIENNIO, *quo quis petat, petiturusue sit*] pro Sextio dicit haec in Vatinium: Acta mea illi displicere, quis nescit: qui legem contemnat, quae dilueide verat, gladiatores biennio, quo quis petat, petiturusue sit, dare. Id autem Cicero fecit eo consilio, quia gladiatores dabantur, vt eo munere populus delenitus, faueret iis, qui dedissent in petitione magistratuum. NISI *ex testamento*] nisi moriens aliquis testamento mandasset, vti certo quodam tempore gladiatores darentur. qua ratione haerere in eo culpa non poterat, qui petens, aut breui petiturus magistratum, eos ex testamento daret. PETITIONE] non aedilitatis, quam cum antea peteret, adeptus non erat, ideo supra dictum est, Te aediliciam praetextam, quam frustra confeceras, vendidisse) verum praeturae, quam petebat hoc anno, sed obtinuit anno sequenti, fauentibus ei consulibus ex interregno creatis Pompeio & Crasso. Plutarchus, Appianus, Dio. ILLIVS *tui*] Clodij tribuni pl. qui, Vatinio apud Memmium praetorem accusato, iudicium per vim sustulit. TRIBVM *Sergiam*] Vatinij tribum, in qua Marsi, & Peligni suffragium ferebant pro Sextio: Tribum suam non tulit, Palatinam denique perdidit.

ORATIO

AC si haec omnia contemnis, ac despicis, quod ita tibi persuaseris, vt palam dictitas, te, diis hominibusque inuitis, amore in te incredibili quodam C. Caesaris effici, quae velis, consecuturum: ecquid audieris, ecquisnam tibi dixerit, C. Caesarem nuper Aquileiae, cum de quibusdam esset mentio facta, dixisse, C. Alfium praeteritum permoleste tulisse, quod in homine summam fidem, probitatemq. cognosceret, grauiterq. etiam se ferre, praetorem aliquem esse factum, qui a suis rationibus dissensisset: tum quaesisse quendam, de Vatinio quemadmodum ferret: ipsum respondisse, Vatinium in tribunatu gratis nihil fecisse, qui omnia in petunia posuisset, honore animo aequo carere debere: quod si ipse, qui tr. suae dignitatis augendae causa, periculo tuo, nullo suo delicto, ferri praecipitem est facile passus: tamen te omni honore indignissimum iudicat; si te vicini, si affines, si tribules itaederint, vt repulsam tuam triumphum suum duxerint; si nemo adspicit, quin ingemiscat; nemo mentionem facit, quin exsecretur; si vitant, fugiunt, audire de te nolunt; cum viderunt, tamquam auspicium malum detestantur; si cognati respuunt: tribules exsecrantur; vicini metuunt, affines erubescunt, strumae denique ab ore improbo demigrarunt, & aliis iam se locis collocarunt; si es odium publicum populi, senatus, vniuersorum hominum: quid est, quamobrem praeturam potius exoptes, quam mortem? praesertim cum popularem te velis esse, neque vlla in re populo gratius facere possis. sed, vt aliquando audiamus, quam copiose ad interrogata respondeas; concludam iam interrogationem meam, teq. in extremo pauca de ipsa causa rogabo.

EXPLANATIO

C. ALFIVM *praeteritum*] is tamen praeturam postea gessit, Appio Pulchro, Domitio Ahenobarbo cos. vt ep. 1. lib. III. ad Q fr. STRVMAE] quibus Vatinius labore solitus erat. AB *ore improbo demigrarunt*] intelligitur, non laborare strumis Vatinium hoc tempore. vnde Cicero, in acerbissima reprehensione, iocandi locum cepit: quasi strumas ipsas puduerit in ore improbo amplius habitare. COLLOCARVNT;] discessisse quidem ab ore strumas dicit, sed in alia se corporis parte collocasse. GRATIVS *facere possis.*] quam mori. Ioci genus. Popularis esse vis: debes igitur exoptanti mortem tuam populo gratificari. DE *ipsa caussa*] P. Sextij, in qua testimonium Vatinius dixerat. nam etsi de Milone, non de Sextio, statim subiungitur: tamen id pertinet ad Sextium: vt in eo Vatinij leuitas & inconstantia pateat, qui Milonem laudet, Sextium oppugnet: cum in rep. administranda Miloni cum Sextio consiliorum omnium societas fuerit. huc spectat illa conclusio: Quaero, qui possis eos, quos crimine coniungis, testimouio disiungere? Quod autem Vatinius in testimonio, idem faciebat in accusatione Sextij Albinouanus. cui Cicero in oratione pro Sextio respondens, Quo modo, inquit, in hoc genere praesidij comparati accusas Sextium, cum idem laudes Milonem?

ORATIO

QVaero, quae tanta in te vanitas, tanta leuitas fuerit, vt in hoc iudicio T. Annium iisdem verbis laudares, quibus eum laudare & boni viri, & boni ciues consueuerunt, cum in eundem nuper, ab eadem illa taeterrima furia productus ad populum, cupidissime falsum testimonium dixeris? an erit haec optio, & potestas tua, vt cum Clodianas operas, & facinorosorum hominum, & perditorum manum, videris, Milonem dicas, id quod in concione dixisti, gladiatoribus & bestiariis obsedisse remp. cum autem ad tales viros venire, non audeas ciuem singulari virtute, fide, constantia vituperare? sed, cum T. Annium tantopere laudes, & clarissimo viro nonnullâ laudatione tua labeculam adspergas, (in illorum enim numero mauult T. Annius esse, qui a te uituperantur) uerum etiam quaero, cum in rep. administranda T. Annio cum P. Sextio consiliorũ omnium societas fuerit, (id quod non solum bonorum, uerum etiam improborum iudicio declaratum est: est enim reus uterque ob eandem caussã, & eodem crimine; alter die dicta ab eo, quem tu unum improbiorem esse, quam te, nonnumquam soles confiteri; alter tuis consiliis, illo tamen adiuuante) quaero, qui possis eos, quos crimine

mine coniungis, testimonio distungere? Extremum illud est, quod mihi abs te responderi velim; cum multa in Albinouanũ de praeuaricatione diceres, dixeris ne, nec tibi placuisse, nec oportuisse Sextium de ui reum fieri? quamuis lege, quouis crimine accusandum potius fuisse? etiam illud dixeris, caussam Milonis, fortissimi uiri, cõiunctam cum hoc existimari? quae pro me a Sextio facta sint, bonis esse grata? non coarguo inconstantiam orationis, ac testimonii tui: quas enim huius actiones probatas bonis esse dicis, in eas pluribus uerbis testimonium dixisti; qui cum autem eius caussam, periculumq. coniungis, eum summis laudibus extulisti: sed hoc quaero, num P. Sextium, qua lege accusandum omnino fuisse negas, ea lege condemnari putes oportere? aut, si te in testimonio consuli nolis, ne quid tibi auctoritatis a me tributum esse videatur, dixeris ne in eum testimonium de ui, quem negaris reum omnino de ui fieri debuisse?

deest aliquid.

EXPLANATIO

TAETERRIMA *furia*] P. Clodio, aedilitatem hoc anno gerente, & Milone ad populum de vi accusante, pro Sextio. Nam quid ego de aedili illo loquar? qui etiã diẽ dixit, & accusauit de vi Milonem. ep. 3. lib. 2. ad Q. fr. AD *tales uitas*] iudices in caussa Sextij. IMPROBORVM] Clodium & Albinouanum significat; quorum ille Milonem de vi, hic Sextium eodẽ crimine accusabat. ALTER] Milo. AB. EO,] a P. Clodio. QVEM *tu unum improbiorem esse, quam te, nonnumquam soles confiteri,*] similis argutia in orati. de Prou. Pro. Gloriatur se perfecisse, ne Gabinius, vnus omnium nequissimus existimaretur. Par concinnitas Phil. 2. in iis verbis: Quem, quia iure ei inimicus fui, doleo a te iam omnibus vitijs esse superatum. ALTER] Sextius. TVIS *consiliis*] tu enim Albinouanum ad accusandum impulisti. ILLO] Clodio. EOS,] Milonem & Sextium, cum Milonẽ laudes, in Sextium testimonium dicas. DE PRAEVARICATIONE] prima Vatinij inconstantia, qui reprehenderit Albinouanum vt praeuaricatorem, cum tamen Sextium diceret non oportuisse de vi reum fieri: secunda in eo caussam Milonis: tertia, Quae pro me a Sextio facta sint: quarta, Dixeris ne in eum testimonium de vi. A. SEXTIO] cum tribunus pl. de meo reditu omni ope contendit. NE *quid tibi auctoritatis*] nemo consulitur, nisi cui aliquid tribuatur: ei vero, qui testimonium dicat, cur quid quam tribuat defensor eius, in quem dicitur? Iocatur igitur Cicero, cum ait: si te in testimonio consuli nolis: cum ipse sit is, qui nolit eum consulere, ne quid auctoritatis ei tribuisse videatur. Aliquid omnino, quo concludatur interrogatio, videtur desiderari.

IN ORA-



IN ORATIONEM CICERONIS
PRO M. CEOLIO RVFO,
PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS

ARGVMENTVM

M. COELIVS Rufus, equitis Romani filius, cui exstat epistolarum liber ad Ciceronem, accusatus de vi a Sempronio Atratino, a Cicerone defenditur apud Cn. Domitium Calvinum praetorem, Marcellino & Philippo cos. Ipse quoque Coelius egit caussam suam, auctore Quinctiliano lib. 2. cap. 1. & Suetonio de claris rhet.

M. TVL.

M. TVLLII CICERONIS

PRO M. COELIO RVFO

ORATIO XXXIV.

Si quis, iudices, forte nunc adsit ignarus legum, iudiciorum, consuetudinis nostrae; miretur profecto, quae sit tanta atrocitas huiusce causae, quod diebus festis, ludisque publicis, omnibus negotijs forensibus intermissis, vnum hoc iudicium exerceatur; nec dubitet, quin tanti facinoris reus arguatur, vt, eo neglecto, ciuitas stare non possit. idem, cum audiat esse legem, quae de seditiosis conscelleratisque ciuibus, qui armati senatum obsederint, magistratibus vim attulerint, rempub. oppugnarint, quotidie quaeri iubeat: legem non improbet, crimen, quod versetur in iudicio, requirat. cum audiat nullum facinus, nullam audaciam, nullam vim in iudicium vocari, sed adolescentem illustri ingenio, industria, gratia, accusari ab eius filio, quem ipse in iudicium & vocet, & vocarit, oppugnari autem hunc opibus meretricijs: illius pietatem non reprehendat, muliebrem libidinem comprimendam putet, vos laboriosos existimet, quibus otiosis ne in communi quidem otio liceat esse. etenim, si attende diligenter, existimare vere de omni hac causa volueritis; sic constituetis, iudices, nec descensurum quemquam ad hanc accusationem fuisse, cui, vtrum vellet, liceret, nec, cum descendisset, quidquam habiturum spei fuisse, nisi alicuius intolerabili libidine, & nimis acerbo odio niteretur. sed ego Atratino, humanissimo, atque optimo adolescenti, meo necessario, ignosco, qui habet excusationem vel pietatis, vel necessitatis, vel aetatis. si voluit accusare, pietati tribuo: si iussus est, necessitati: si sperauit aliquid, pueritiae: ceteris non modo nihil ignoscendum, sed etiam acriter est resistendum. Ac mihi quidem videtur, iudices, hic introitus defensionis adolescentiae M. Coelij maxime conuenire, vt ad ea, quae accusatores, deformandi huius causa, detrahendae spoliandaeq. dignitatis gratia, dixerunt, primum respondeam.

EXPLANATIO

ESSE *legem,*] a Q. Lutatio Catulo de vi latam. QVOTIDIE *quaeri*] non modo quotidie, nulla festorum dierum, ludorumve publicorum ratione habita, sed etiam extra ordinē. i. ante alias causas. itaque Coelium accusauit Atratinus, vt patrē suū, qui a Coelio in iudicium vocabatur, periculo liberaret. sic accusasse M. Tucciū de vi Sempronius Rufus dicitur in ep. Coelij lib. I IX eo consilio, q̄ videbat, si extraordinarius nemo reus accessisset, sibi eo anno caussam esse dicendam. ILLVSTRI *ingenio,*] cuius cognita iam eloquentia erat ex accusatione, & condemnatione C. Antonij collegae Ciceronis in consulatu. INDVSTRIA.] sine qua non cognoscitur ingenium. ET *vocet, & vocarit.*] Atratini, accusatoris sui, patrem Coelius de ambitu accusauerat: absolutum iterū accusauit. infra: Nec, si sibi semel periculum ambitus subeundum putaret ipse alterum iterum ambitus crimine accerseret. Et post: Herennium dicere audistis, verbo se molestum non futurum fuisse Coelio, nisi iterum eadem de re suo familiari absoluto nomen hic detulisset. Et in oratione prope vltima: Nomē amici mei de ambitu detulit: quem absolutum insequitur, reuocat. Et paullo post: Non potest, qui ambitu ne absolutum quidem patitur esse absolutum, ipse impune vmquā esse largitor. OPIBVS *meretricijs:*] Clodiæ, Publij sororis, quæ impudicitiæ nomine pessime audiebat. propterea vocatur infra nō modo nobilis, sed etiam nota. DESCENSVRVM] de hoc verbo diximus in Diuin. in eo loco, Ad accusandum descenderim. LIBIDINE, *& odio*] in Clodiam. PIETATI *tribuo:*] qui voluerit accusare accusatorem patris sui. IVSSVS] a patre. SI *sperauit aliquid,*] si sperauit gloriam, more accusantium. lib. 2. off. PVERITIAE:] ex pueritia iam excesserat, cum in foro, sumpta virili toga, versaretur. Sed, Pueritiae, dixit Cicero, ad contemptum, pro, adolescentiae. DEFORMANDI *huius causſa,*] extra causſam: cuius generis multa ab accusatoribus saepe dicuntur.

ORATIO

OBiectus est pater varie, quod aut parum splendidus ipse, aut parum pie tractatus a filio diceretur. De dignitate Coelius notis ac maioribus natu, etiam sine mea oratione, tacitus facile ipse respondeat. quibus autem propter senectutem, quod iam diu minus in foro nobiscum versatur, non atque est cognitus, hi sic habeant; quaecumque in equite R. dignitas esse possit, quae certe potest esse maxima, eam semper in M. Coelio habitam esse summam, hodieq. haberi, non solum a suis, sed etiam ab omnibus, quibus potuerit aliqua de causſa esse notus. Equitis autem Ro. esse filium, criminis loco poni ab accusatoribus, neque his iudicantibus oportuit, neque defendentibus nobis. Nam, quod de pietate dixistis, est quidem ista nostra existimatio, sed iudicium certe parentis. quid nos opinemur, audietis ex iuratis: quid parentes sentiant, lacrumae matris, incredibilisq. maeror, squalor

squalor patris, & haec praesens maestitia, quam cernitis, luctusq. declarat. Nam, quod est obiectum, municipibus esse adolescentem nō probatum suis: nemini vnquam praesenti Puteolani maiores honores habuerunt, quam absenti M. Coelio: quem & absentem in amplissimum ordinem cooptauerunt, & ea non petenti detulerunt, quae multis petentibus denegarunt; ijdemq. nunc lectissimos viros & nostri ordinis, & equites R. cum legatione ad hoc iudicium, & cum grauissima atque ornatissima laudatione miserunt. Videor mihi iecisse fundamenta defensionis meae: quae firmissima sunt, si nitantur iudicio suorum. neque enim vobis satis commendata huius aetas esse posset, si non modo parenti, tali viro, verum etiam municipio tam illustri, ac tam graui displiceret. Equidem, ut ad me reuertar, ab his fontibus profluxi ad hominum famam; & meus hic forensis labor, vitaeq. ratio dimanauit ad existimationē hominum paullo latius, commendatione ac iudicio meorum.

EXPLANATIO

PARVM *splendidus*] proprie splendor est equestris ordinis, dignitas senatorij. ad equites tamen interdum dignitas trāsfertur. ideo sequitur hic, De dignitate Coelius ipse respondeat. & paullo post, Quaecumque in equite Romano dignitas esse possit. COELIVS] pater, qui aderat. NOTIS,] qui eum nouerunt: in vtraque enim significatione accipitur: vt ad Luccejum lib. v. Ignotis, pro; ijs, qui non nouerant. TACITVS *facile ipse respondeat.*] quo modo tacitus respondeat ipso notorum, ac maiorum natu testimonio. HIS *iudicantibus*] nam tertia pars iudicum ex equestri ordine Aurelia lege constabat. NOBIS.] ipse enim Cicero equitis Romani erat filius. DE *pietate*] parum pie tractatum esse a filio. IN *amplissimum ordinem*] in decuriones. NOSTRI *ordinis*] senatorij. multi enim senatores ex municipijs erant.

ORATIO

NAm, *quod obiectum est de pudicitia, quodq. omnium accusatorum non criminibus, sed uocibus maledictisq. celebratum est: id numquam tam acerbe ferret M. Coelius, ut eum paeniteat non deformem esse natum. sunt etenim ista maledicta perualgata in omnes, quorum in adolescentia forma & species fuit liberalis. sed aliud est maledicere, aliud accusare. accusatio crimē desiderat, rem ut definiat, nomine ut notet: argumento probet, teste cōfirmet. maledictio autem nihil habet propositi, praeter contumeliam: quae si petulantius iactatur, conuicium; si facetius, urbanitas nominatur. quam quidem partem accusationis admiratus sum: & molestiae tuli potissimum esse Atratino datam. neque enim decebat, neque aetas illa postulabat, neque id, quod animaduertere poteratis, pudor patiebatur optimi adolescentis, in tali illum oratione uersari. nellem aliquis ex uobis robustioribus hunc maledicendi locum suscepisset: aliquā toleberius, & fortius, & magis more nostro refutaremus istam maledicendi licentiam. tecum, Atratine, agam lenius; quod & pudor tuus moderatur orationi meae; & meum erga te, parentemq. tuum beneficium tueri debeo. illud tamen te esse admonitum uolo: primum, qualis es, talem te esse existimes; ut quantum a rerum turpitudine abes, tantum te a uerborum libertate seiungas: deinde, ut ea in alterum ne dicas, quae cum tibi falso responsa sint, erubescas. quis est enim, cui uita ista non pateat? qui isti aetati non possit quam uelit petulanter, etiam si sine ulla suspicione, at non sine argumento maledicere? sed istarum partium culpa est eorū, qui te agere noluerunt: laus pudoris tui, quod ea te inuitum dicere uidebamus; ingenij, quod ornate, politeq. dixisti. verum ad istam omnem orationem breuis est defensio. nam, quo ad aetas M. Coelij dare potuit isti suspicioni locum, fuit primum ipsius pudore, deinde etiam patris diligentia disciplinaq. munita. qui, ut huic uirilem togam dedit; nihil dicam hoc loco de me; tantum sit, quantum uos existimatis; hoc dicam, hunc a patre continuo ad me esse deductum. nemo hunc in illo aetatis flore uidit, nisi aut cum patre, aut mecū, aut in M. Crassi castissima domo, cum artibus honestissimis erudiretur.*

EXPLANATIO

VT. EVM *paeniteat non deformem esse natum.*] modeste, Non deformem, pro, formosum. laudat hunc locum Gellius lib. XVII. cap. I. NOMINE *ut notet,*] de Orat. lib. 2. Factum ne sit, quaeratur quale sit, quod nomen habeat. MEVM *erga te, parentemq. tuum beneficium*] Atratini patrem, vt arbitror, Cicero defenderat. TVERI] non debeo, quos beneficio affecerim, eosdem laedere. NON *sine argumento,*] deesse enim non potest, quod in eos dicatur, quorum species & forma liberalis est.

ORATIO

NAm, *quod Catilinae familiaritas obiecta Coelio est, longe ab ista suspicione abhorrere debet. hoc enim adolescente, scitis consulatum mecū petisse Catilinam. ad quem si accessit, aut si a me discessit umquam? quamquam multi boni adolescentes illi homini nequam atque improbo studuerunt; tum existimetur Coelius Catilinae*

tilinae, vnium familiaris fuisse. At enim postea scimus, & vidimus esse hunc in illius amicis. Quis negat? sed ego illud tempus aetatis, quod ipsum sua sponte infirmum, aliorum libidine infestum est, id hoc loco defendo. fuit assiduus mecum praetore me: non nouerat Catilinam: Africam tum praetor ille obtinebat, secutus est annus: causam de pecunijs repetundis Catilina dixit: mecum erat hic, illi ne aduocatus quidē venit vnquam. deinceps fuit annus, quo ego consulatum petiui. petebat Catilina mecum. numquam ad illum accessit, a me num quam recessit. tot igitur annos versatus in foro sine suspicione, sine infamia, studuit Catilinae iterum petenti. quem ergo ad finem putas custodiendam illam aetatem fuisse? nobis quidem olim annus erat vnus ad cohibendum brachium toga constitutus, & vt exercitatione ludoq. campestri tunicati vteremur. eademq. erat, si statum mereri stipendia coeperamus, castrensis ratio, ac militaris. qua in aetate, nisi qui se ipse sua grauitate, & castimonia, & cum disciplina domestica, tum etiam naturali quodam bono, defenderet; quoquo modo a suis custoditus esset, tamen infamiam veram effugere non poterat. sed, qui prima illa initia aetatis integra, atque inuiolata praestitisset; de eius fama, ac pudicitia, cum is iam se corroborauisset, ac vir inter viros esset, nemo loquebatur. Studuit Catilinae, cum iam aliquot annos esset in foro Coelius. & multi hoc idem ex omni ordine, atque ex omni aetate fecerunt. habuit enim ille, sicuti meminisse vos arbitror, permulta maximorum non expressa signa, sed adumbrata virtutum. vtebatur hominibus improbis multis; & quidem optimis se viris deditum esse simulabat exant. apud illum illecebrae libidinū multae erant etiam industriae quaedam stimuli, ac laboris. flagrabant vitia libidinis apud illum: vigebant etiam studia rei militaris. neque ego vnquam fuisse tale monstrum in terris vllum puto; tam ex contrarijs, diuersisque, interse pugnantibus naturae studijs, cupiditatibusq. conflatum. quis clarioribus viris quodam tempore iucundior? quis turpioribus coniunctior? quis ciuis meliorum partium aliquando? quis taetrior hostis huic ciuitati? quis in voluptatibus inquinatior? quis in laboribus patientior? quis in rapacitate auarior? quis in largitione effusior? illa vero, iudices, in illo homine mirabilia fuerunt, comprehendere multos amicitia, tueri obsequio, cum omnibus communicare quod habebat, seruire temporibus suorum omnium pecunia, gratia, labore corporis, scelere etiam, si opus esset, & audacia; versare suam naturam, & regere ad tempus, atque huc & illuc torquere, & flectere; cum tristibus seuere, cum remissis iucunde, cum senibus graviter, cum iuuentute comiter; cum facinorosis audacter, cum libidinosis luxuriose viuere. Hac ille tam varia multiplicique natura cum omnes omnibus ex terris homines improbos, audacesq. collegerat, tum etiam multos fortes viros, & bonos specie quadam virtutis assimulatae tenebat. neque vnquam ex illo delendi huius imperij tam sceleratus impetus exstitisset, nisi tot vitiorum tanta immanitas quibusdam facilitatis, & patientiae radicibus niteretur. Quare ista condicio iudices, respuatur, nec Catilinae familiaritatis crimen haereat: est enim commune cū multis, & cum quibusdam etiam bonis. me ipsum, me, inquam, quondam paene ille decepit; cum & ciuis mihi bonus, & optimi cuiusque cupidus, & firmus amicus, & fidelis videretur. cuius ego faciuora oculis prius, quam opinione, manibus ante, quam suspicione, deprehendi. cuius in magnis cateruis amicorū si fuit etiam Coelius, magis est, vt ipse moleste ferat errasse se, sicut & nonnumquam in eodem homine me quoque erroris mei paenitet, quam vt istius amicitiae crimen reformidet. itaque a maledictis pudicitiae ad coniurationis inuidiam oratio est vestra delapsa: posuistis enim, atque id tamen titubanter, & stricte, coniurationis hunc propter amicitiam Catilinae participem fuisse. in quo non modo crimen non haerebat, sed vix diserti adolescentis cohaerebat oratio. Qui enim tantus furor in Coelio? quod tantum aut in moribus, naturaq. vulnus, aut in re, atque fortuna? vbi denique in ista suspicione est Coelij nomen auditum? nimium multa de eo minime dubia loquor: hoc tamen dico; non modo si socius coniurationis, sed nisi inimicissimus istius sceleris fuisset; numquam coniurationis accusatione adolescētiam suam potissimum commendare voluisset. quod, haud scio, an de ambitu, & de criminibus istius sodalium, ac sequestrium, quoniam huc incidi, similiter respondendum putem. numquam enim tam Coelius amens fuisset, vt, si se isto infinito ambitu commaculasset, ambitus alterum accusaret. neque enim eius facti in altero suspicionem quaereret, cuius ipse sibi perpetuam licentiam optaret: nec, si sibi semel periculum ambitus subeundum putaret, ipse alterum iterum ambitus crimine accerseret. quod quamquam nec sapienter, & me inuito facit; tamen est eiusmodi cupidus, vt magis insectari alterius innocentiam, quam de se timide cogitare videatur.

EXPLANATIO

INFESTVM est.] passiue, pro infestatur: vt pro Amerino, filij vita infesta. Et de Prou Excursionibus barbarorum infesta via. CAVSSA de pecunijs repetundis] ad Att. lib. 1. Bis absolutū esse Catilinā. AD cohibendum brachium toga] brachium dextrum, sumpta virili toga: quod modestiae caussa fiebat. CAMPESTRI] non, ludo campestri, sed, campestri tunicati vteremur. & hoc modestiae caussa erat autem campestre vestitus hiemalis, supra tunicam. vnde Horatius de re absurda: Penula solstitio, cāpestre niualibus auris. & Asconius pro Scauro: Cato praetor iudicium, quia aestate agebatur, sine tunica exercuit, campestri sub toga cinctus. STATIM] sumpta virili toga. CASTRENSIS ratio,] vt summa diligentia suspicionem adolescentes impudicitiae vitarent. FACILITATIS,] in moribus in sermone, & cōsuetudine supra: Quis clarioribus viris quodā tempore iucundior? IAM se corroborauisset,] infra. Corroborata aetate, Firmata aetate, cum paullum roboris accessisset aetati: & pro Sextio, Cui se vox corroborauerit. In ep. ad M. Brutum lib XIII. Cum primum M. Terentius in forum venit, ad amicitiam se meam contulit: deinde, vt se corroborauit, duae caussae accesserunt, quae meam in illum benevolentiam augerent. PATIENTIA] supra: quis in laboribus patientior? VVLNVS] vitium.

uitium.sic Phil. XII. Nosse aliquod vulnus,quod nobis ignotum esset,videbantur. AVT *in re,atque fortuna?*] fieri enim non potest,vt de patriae quisquam exitio cogitet nisi vel moribus,natturaq; sit improbus,vel domesticis difficultatibus ad rerum nouitatem impellatur. CONIVRATIONIS *accusatione*] accusato C. Antonio,collega Ciceronis infra; DE *ambitu*] in oratione accusatorum adspersa de ambitu quaedam erant. ISTIVS] Coelii. SODALIVM; *ac sequestrium,*] in crimine ambitus. INFINITO] cuius plurimos esse testes necesse est. ALTERVM] Atratini accusatoris patrem. ITERVM] Atatrini patrem absolutum;iterum accusauit.supra; Adolescentem illustri ingenio, industria,gratia,accusatoris ab eius filio, quem ipse in iudicium & vocet,& vocarit. Infra: Nomen amici mei de ambitu detulit: quem absolutum insequitur,reuocat. NEC *sapienter,& me inuito*]infra:Nemini nostrum obtempera t:est violentior,quam vellem.sed ego non loquor de sapientiae,quae non cadit in hanc aetatem:de impetu animi loquor,de cupiditate vincendi,de ardore mentis ad gloriam. EST *eiusmodi cupidus,*]ita cupidus parum vsitate: sed alterum tamen lib. I. in Verr.reperimus exemplum. Quam tu viam,inquit,thesaurum,atque pompae eiusmodi exegisti,vt tu ipse illa ire non audeas. Vbi Asconius,Eiusmodi exegisti,interpretatur,sic exegisti.

ORATIO

NAM, *quod aes alienum obiectum est, sumptus reprehensi, tabulae flagitatae: videte,quam pauca respondeam.tabulas,qui in patris potestate est, nullus conficit: versuram numquam omnino fecit vllam. sumptus vnius generis obiectus est, habitationis: triginta millibus dixistis eum habitare.nunc demum intelligo P. Clodij insulam esse venalem,cuius hic in aedicu lis habitet,decem vt opinor,millibus. vos autem, dum illi placere vultis,ad tempus ei mendacium vestrum accommodauistis.*

EXPLANATIO

TRIGINTA *millibus*]annuis qui sunt scutati non genti. INSVLAM *esse venalem,*]nam si aedicularum Clodij locatio tanti aestimatur;in quo mendacium est;quia Coelius in ijs habitat non triginta millibus,sed decem millibus: quanti aestimabitur insula eiusdem Clodij? mendacium igitur hoc accommodatum est Clodio,insulam suam vendere cupienti.Insula duplex est,maior,& minor; maior,aedes aliquot iunctae,vijs vndique terminatae; qui & vicus dicitur:vnde Suetonius in Iulio:Cē sum vicatim per dominos insularum egit.Minor,vna domus est viarum ambitu finita.Eam domū, quod ex Plin. lib.XXXVI.cap. 15.licet intelligere,Clodius emit H-S centies quadragies septies, millibus,quae sunt scutatorum millia quadringenta eoq.amplius.

ORATIO

REPREHENDISTIS,*a patre quod semigrarit.quod quidem iam in hac aetate minime reprehendendum est.qui cum ex reip.causa esset mihi quidem molestam,sibi tamen gloriosam victoriam consecutus, & per aetatem magistratus petere posset; non modo permittente patre,sed etiam suadente,ab eo semigrauit: & cum domus patris a foro longe abesset; quo facilius, & nostras obire domos, & ipse a suis coli posset, conduxit in Palatio non magno domum.quo loco possum dicere id, quod vir clarissimus, M. Crassus, cum de aduentu regis Ptolomaei quereretur, paullo ante dixit,*

„ *Vtinam ne in nemore Pelio.*
Ac longius quidem mihi contexere hoc carmen liceret;
„ *Nam numquam hera errans hanc molestiam nobis exhiberet,*
„ *Medea animo aegra, amore saeuo saucia.*

sic enim,iudices,reperietis.quod,cum ad id loci venero, ostendam,hanc Palatinam Medea,migrationemq.huic adolescenti caussam siue malorum omnium, siue potius sermonum fuisse.quamobrem illa,quae ex accusatorum oratione praemuniri iam, & fingi intelligebam.fretus vestra prudentia,iudices.non pertimesco.

EXPLANATIO

EX REIP.*caussa*]accusauit C. Antonium de maiestate.infra:Neque enim potest,qui hominem cōsularem,quod ab eo remp.violatam diceret,in iudicium vocarit,ipse esse in rep. ciuis turbulentus. MIHI *quid molestam,*]condemnatus est C.Antonius Cicerone defendente.pro Domo. NONAGINTA] decem millibus,idest scutatis CCC.M. CRASSVS,] qui caussam hancante Ciceronē egerat. CVM *de aduentu regis Ptolemaei quereretur,*]pulsus a suis ciuibus Ptolemaeus,rex Alexandrinus, Romam se contulit,vt a senatu,populoq. Romano restitueretur.eodem tempore legati Alexandrini contra eū venerunt:quorum Ptolemaeus magnam partem per insidias sustulit,in ijs principē legationis Dionem Academicum.Obiecerat autem accusator,pulsatos esse a Coelio Puteolis Alexandrinos legatos.quam partē Crassus cū refelleret,questus est de aduētu Ptolemaei. nisi enim venisset Romā, le-

gati non veniſſent. ita pulſatio Puteolana non nominaretur. in quo vſurpauit illud Ennij. Vtinam ne in nemore Pelio; ita repetens longinquam cauſſam, vnde argumentū ſumpſerunt accuſatores de pulſatione Puteolana. vt repetierat poeta cauſſam eius amoris, qui Medeam perdidit. Hos verſus ex Medea, Ennij tragoedia, recitat ſcriptor Rhet. ad Herennium.

» Vtinam ne in nemore Pelio ſecuribus
» Caeſa caecidiſſet abiegna ad terram trabes:
» Ne ue inde nauis inchoandae exordium
» Coepiſſet, quæ nunc nominatur nomine
» Argo: qua vecti Argiui delecti viri
» Petebant illam pellem inauratam arietis
» Colchis, imperio regis Peliae, per dolum.
» Nam numquam hera errans mea domo efferret pedem
» Medea, animo aegro, amore ſaeuo ſaucia.

Primos duos verſus effert Cic. lib. 1. de Inuent. & in Topicis, & de Nat. de. lib. III & Priſcianus lib. VII. ex quo etiā illud intelligitur, legēdum, Caeſa cecidiſſet abiegna non, vt lib. 1. de Inuent. Caeſae cecidiſſent abiegnae. Initiū ab Euripide ſumpſit Ennius. Graece enim ſic. Εἰ δ' ὤφελ' ἀργὼς. &c. HERA *errans mea*] transfert haec verba a Medea ad Clodiam. PALATINAM *Medeam*,] Clodiam, in Palatio habitantem: quam feſtiue Cicero Palatinam Medeam vocat: quia Coelium Atratinus accuſator, vt in Fortunatiano legitur, pulchellum Iaſonem appellauerat. itaque ſtupri conſuetudo arguta ſimilitudine oſtenditur. MIGRATIONEM] quod in Palatium migrauerit conducta domo. inde enim vicinae Clodiae natus eſt amor, & poſt amorem illa mala, quamquam falſa. quae nunc Coelio accuſatores obijciunt. vt, quemadmodum poeta, longe petita malorum cauſſa, dixit, Vtinam ne in nemore Pelio; ſic ego poſſim dicere Vtinam ne in Palatium Coelius vmquam migraſſet.

ORATIO

AIEBANT *enim fore teſtem ſenatorem, qui ſe pontificijs comitiis pulſatum a Coelio diceret. n quo quaeram, ſi prodierit, primum, cur ſtatim nihil egerit; deinde ſi id quaeri, quam agere, maluerit: cur productus a vobis potius, quam ipſe per ſe; cur tanto poſt potius, quam continuo queri maluerit? ſi mihi ad haec acute arguteq. reſpōderit, tum quaeram denique, ex quo iſte fonte ſenator emanet. nam, ſi ipſe orietur, & naſcetur ex ſeſe; fortaſſe, vt ſolco, commouebor: ſin etiam vt riuulus acceſſus, & ductus ab ipſo capite accuſationis veſtrae; laetabor, cum tanta gratia, tantisq. opibus accuſatio veſtra nitatur, unum ſenatorem ſolum eſſe, qui vobis gratificari vellet inuentum. Nec tamen illud genus alterum nocturnorum teſtium pertimeſco. eſt enim dictū ab illis, fore, qui dicerent vxores ſuas a cena redeuntes attrectatas eſſe a Coelio. graues erunt homines, qui hoc iurati dicere audeant, cum ſit his confitendum, numquā ſe ne congreſſu quidem, & conſtituto coepiſſe de tantis iniuris experiri.*

EXPLANATIO

PONTIFICIIS *comitiis*] ſacerdotes lege Domitia creati ſunt a populo tributis comitijs, antea creabantur a collegij. Cicero, Aſconius. NIHIL *egerit*;] contra Coelium, cur de iniuria non accuſauerit. NASCETVR *ex ſeſe*] a vobis non inductus, verum vt iniuriam ſuam perſequatur. COMMOVEBOR:] agam iracunde cum ipſo. AB *ipſo capite*] a Clodia vel pretio, vel turpi conſuetudine corruptus. TANTA *gratia, tantiſq. opibus*] eiuſdem Clodiae, & propinquorum eius: vt infra. ſed verbum, Gratia, proprie pertinet ad Clodiam, cum ſummo eius probro: vt gratioſus quoque Verris filius puer cum vituperatione dicitur act. 1. in Verrem. NE *congreſſu quidem*,] non modo accuſatione, citato Coelio tamquam reo, ſed ne congreſſu quidem, ideſt ne ſi quidem caſu accidiſſet, vt cum Coelio congrederentur in iudicio. ET *conſtituto*] & ex conuentu, quod ita inter eos conueniſſet. COEPISSE] nedum vt perſecuti ſint iniurias ſuas vſque ad exitum iudicij.

ORATIO

SED *totum genus oppugnationis huius, iudices, & iam proſpicietis animis, & cum inferetur, propulſare debebitis. non enim ab iiſdem accuſatur M. Coelius a quibus oppugnatur: palam in eum tela iaciuntur, clam ſumminiſtrantur. neque id ego dico, vt inuidioſum ſit in eos, quibus glorioſum hoc etiam eſſe debet. funguntur officio: defendunt ſuos: faciunt, quod viri fortiſſimi ſolent, laeſi dolent, irati efferuntur, pugnant, laceſſiti. ſed veſtrae ſapientiae tamen eſt, iudices, non ſi cauſſa iuſta eſt viris fortibus oppugnandi M. Coeliū, ideo vobis quoque vos cauſſam putare eſſe iuſtam alieno doloris potius, quam veſtrae fidei, conſulendi. quae ſit multitudo in foro, quae genera, quae ſtudia, quae varietas hominum, videtis: ex hac copia quam multos eſſe arbitramini, qui hominibus potentibus, gratioſis, diſertis, cum aliquid eos velle arbitrentur, vltro ſe offerre ſoleant, operam nauare,*

uare, testimoniũ polliceri? Hoc ex genere si qui se in hoc iudicium forte proiecerint; ex cuditote eorum cupiditatem, iudices, sapientia vestra, vt eodem tempore huius saluti, & religioni vestrae, & contra periculosissimas hominum potentias cunditioni omnium ciuium prouidisse videamini. equidem vos abducam a testibus, neque huius iudicij veritatem, quae mutari nullo modo potest, in uolantate testium collocari sinam; quae facillime effingi, nullo negotio flecti, ac detorqueri potest: argumentis agemus: signis omni luce clarioribus crimina refellemus: res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione pugnabit, itaque illam partem causae facile patior grauiter, & ornatae a M. Crasso peroratam, de seditionibus Neapolitanis, de Alexandrinorum pulsatione Puteolana, & de bonis Pallae, vellem dictum esset ab eodem etiam de Dione, de quo ipso tamen, quid est, quod exspectetis, quod is, qui fecit, aut non timet, aut etiam fateatur? etenim reus, qui dictus est & adiutor fuisse, & conscius, P. Ascitius, is iudicio est liberatus. quod igitur est huiusmodi crimen, vt, qui commisit, non neget; qui non negauit, absolutus sit? id hic pertimescat, qui non modo a facto, verum etiam a conscientiae suspicione abfuit? &, si Ascitio causa plus profuit, quam nocuit inuidia: huic oberit tuum maledictum, qui istius facti nõ modo non suspicione, sed ne infamia quidem est adspersus? At praeuaricatione est Ascitius liberatus. Perfacile est isti loco respondere, mihi praesertim, a quo illa causa defensa est. sed Coelius optimam causam Ascitij esse arbitratur: cuiusmodi autem sit, a sua putat esse seiunctam: neque solum Coelius, sed etiam adolescentes humanissimi, & doctissimi, rectissimis studijs, atque optimis artibus praediti, Titus, Caiusq. Coponij, qui ex omnibus maxime Dionis mortem doluerunt, qui cum doctrinae studio, atque humanitatis, tum etiam hospitio Dionis tenebantur. habitabat is apud L. Lucceium; vt audistis: fuerat ei cognitus Alexandriae. quid aut hic, aut summo splẽdore praeditus frater eius de M. Coelio existimet, ex ipsis, si producti erunt, audietis. ergo haec renoueantur, vt aliquando, in quibus causa nititur, ad ea veniamus. Animaduerti enim, iudices, audiri a vobis, meum familiarem, L. Herennium peratiẽte, in quo etsi magna ex parte ingenio eius, & dicendi genere quodam tenebamini: tamen nonnumquam verebar, ne illa subtiliter ad criminãdum inducta oratio animos vestros sensim, ac leniter accenderet. dixit enim multa de luxuria, multa de libidine, multa de vitijs iuuentutis, multa de moribus: & qui in reliqua vita mitis esset, & in hac suauitate humanitatis, qua prope iam delectantur homines, versari periucundum soleret; fuit in hac causa pertristis quidam patruus, censor, magister: obiurgauit M. Coelium, sicut neminem vmquam parens: multa de incontinentia, intemperantiaq. disseruit. quid quaeritis, iudices? ignoscebam vobis attente audientibus, propterea quod egomet tam triste illud, & tam asperum genus orationis horrebam.

EXPLANATIO

CVM *inferetur,*] cum testimonium ij dicent, qui suas vxores a Coelio attrectatas queruntur. TELA *iaciuntur.*] ab accusatoribus. SVMMINISTANTVR.] a proquinquis Clodiae. sequitur enim, Defendunt suos. Et, Sumministrantur, ijs qui iaciunt, accusatoribus scilicet. LAESI *dolent,*] non ipsi laesi, sed qui se laesos putant in muliere propinqua. RELIGIONI *vestrae,* iurati enim sententiam dicetis. DE *seditionibus Naepolitanis,*] quas a Coelio commotas accusatores dixerunt. DE *Alexandrinorum pulsatione Puteolana,*] obiectum erat, Puteolis pulsatos esse a Coelio legatos Alexandrinos, qui contra regem Ptolemaeum Romam proficiscebantur. DE *bonis Pallae.*] a Coelio ereptis DIONE,] legationis Alexandrinae principe, qui Romae regis opera est interfectus. de quo nihil videtur esse dictum ab Atratino; cui nunc vni Cicero respondet: dixere autem reliqui accusatores, vt infra. CAVSSA *plus profuit,*] confessus est se fecisse, sed, iure fecisse, dixit. INVIDIA] caedis eius. CVIVSMODI *autem sit,*] cuiuscumque modi: quod etiam, cuicuimodi, veteres dicebant SEIVNCTAM: nam Ascitius fatetur, Coelius negat. DOCTRINAE *studio.*] philosophiae Academicae, qua Dio excellebat. ATQVE *humanitatis,*] elegantiores litterae humanitatis nominae significantur: quod earum studia feros, asperosque mores ad humanitatem, & mansuetudinem traducant. Gellius lib. XIII. cap. 15. L. LVCCEIVM,] ad quem Ciceronis exstant epistolae lib. v. idem hic infra magna cum laude nominatur. INGENIO *eius,*] cum nihil diceret, in quo pondus esset. PATRVVS.] acres & asperi sunt obiurgatores patrui. nam patris naturalis ille fallit amor, & ad mitiorem partem traducit. ad Att. lib. 2. Ei nos δεῖοι videmur. Horatius ode 12. lib. XII. Patruae metuentes verbera linguae: sat. 3. lib. 2. Ne sis patruus mihi.

ORATIO

AC *prima pars fuit illa, quae me minus mouebat: fuisse meo necessario Bestiae Coeliũ familiarẽ, cenasse apud eum, ventitasse domum, studuisse praeturae. Non me haec mouent, quae perspicue falsa sunt: etenim eos una cenasse dicit, qui aut absunt, aut quibus necesse est idem dicere. Neque vero illud me cõmouet, quod tibi in Lupercis sodalem esse Coelium dixit. fera quaedam sodalitas, & plane pastoricia, atque agrestis germanorum Lupercorum, quorum coitio illa siluestris ante est instituta, quam humanitas, atque leges: siquidem non modo nomina deferunt inter se sodales, sed etiam commemorant sodalitatẽ in accusando: vt, ne quis si id forte nesciat, timere videatur, sed haec omittam: ad illa, quae me magis mouerunt, respondebo. Deliciarum obiurgatio fuit longa, & ea lenior, plusq. disputationis habuit, quam atrocitatis, quo etiam audita est attentius.*

nam P. Clodius, amicus meus, cum se grauissime, vehementissimeq. iactaret, & omnia inflammatus ageret tristissimis verbis, voce maxima, tametsi probabam eius eloquentiam, tamen non pertimescebam: aliquot enim in caussis eum videram frustra litigantem. Tibi autem, Balbe, respondebo, primum precario, si licet, si fas est, defendi a me eum, qui nullum conuiuium reliquerit, qui vnguenta sumpserit, qui Baias viderit. equidem multos & vidi in hac ciuitate, & audiui, non modo qui primoribus labris gustassent genus hoc vitae, & extremis, vt dicitur, digitis attigissent, sed qui totam adolescentiam voluptatibus dedissent, emersisse aliquando, & se ad frugem bonam, vt dicitur, recepisse, grauesq. homines, atque illustres fuisse. datur enim concessu omnium huic aliquis ludus aetati; & ipsa natura profundit adolescentiae cupiditates: quae si ita erumpunt, vt nullius vitam labefactent; nullius domum euertant, faciles, & tolerabiles haberi solent. sed tu mihi videbare ex communi infamia iuuentutis aliquam inuidiam Coelio velle conflare: itaque omne illud silentium, quod est orationi tributum tuae, fuit ob eam caussam, quod, vno reo proposito, de multorum vitijs cogitabamus, facile est accusare luxuriem, dies iam me deficiet, si quae dici in eam sententiam possunt coner expromere. de corruptelis, de adulterijs, de proteruitate, de sumptibus immensa oratio est. vt tibi reum neminem, sed vitia proponas; res tamen ipsa & copiose, & grauiter accusari potest. Sed vestrae sapientiae est, iudices, non abduci ab reo nec, quos aculeos habeat seueritas, grauitasq. vestra, cum eos accusator erexerit in rem, in uitia, in mores, in tempora, emittere in hominem, & in reum; cum is non suo crimine, sed multorum uitio sit in quoddam odium iniustum uocatus. itaque seueritati tuae, ut oporteret, ita respondere non audeo. erat enim eum, deprecari uacationem adolescentiae, ueniamq. petere; non, inquam, audeo profugiis non utor aetatis: concessa omnibus iura dimitto: tantum peto, ut, si qua est inuidia communis huc tempore aeris alieni, petulantiae, libidinum iuuentutis, quam uideo esse magnam, ne huic aliena peccata, ne aetatis, ac temporum uitia noceant. atque ego idem, qui haec postulo, quin criminibus, quae in hunc proprie conferuntur, diligentissime respondeam, non recuso.

EXPLANATIO

BESTIAE] qui de ambitu damnatus erat id ex ijs verbis collego, studuisse praeturae. defensum a Cicerone, cognoscitur ex lib. 2. ad Q. fr. QVIEVS *necesse est idem dicere.*] quia sint ex amicis Clodiae. GERMANORVM] verorum: nam cum sint ab Euandro instituti multo ante Romam conditam, ideſt, ante humanitatem, atque leges, veri & germani sunt Luperci, plane humanitatis expertes, cū nomina sodales inter se deferūt. Sodalitates autem ad honorem alicuius dei institutae sunt, vt Lupercorum ad honorem Panos. In Catone. Sodalitates me quaestore institutae sunt. P. CLODIVS, *amicus meus,*] non is, qui Clodiae frater erat, Ciceronis inimicissimus. Hic tertius erat accusator, de numero subscriptorum, alter L. Herennius: Attratinus nomen detulerat, & primas partes agebat. TRISTISSIMIS] asperrimis. supra: Fuit in hac caussa pertristis quidam patruus. Et: Tā triste illud & tam asperum genus orationis horrebam. BALBE,] quartus accusator, Octauiae gentis, vel Attiae. nā Balbus ille, quē Cicero defendit, Corneliae gentis nomen sumpsit ab eo, cuius beneficio, Gaditanus cum esset, ciuis Romanus factus est. PRECARIO,] precari se per iocum fingit: quasi fatea tur, id quod infra negat. QVI *Baias uiderit.*] non qui saepe ad Baianas aquas voluptatis caussa iuerit, sed qui eas viderit modo. in quo tu crimen ponis. AD *frugem bonam*] explanatur sequentibus uerbis. Corrigere ad frugem, pro, ut frugi sit Plautus in Trin. dixit. DE *proteruitate,*] proterui sunt superbi, arrogantes, contumelioſi. EREXERIT *in rem,*] in uitia, non in quemquā proprie. Translata uerba, Erexerit, emittere ad mentionem aculeorum accommodata. DEPRECARI *uacationem adolescentiae,*] nō Coelio adolescenti proprie, sed generatim omnibus adolescentibus: ut uacent, solutiq. sint ijs legibus, quibus robustiorem teneri aetatem aequum est. OMNIBVS] adolescentibus. AETATIS] qua cum excusatione eratur. QVI *haec postulo,*] ne huic aliena peccata, ne aetatis, ac temporum uitia noceant. QVAE *in hunc proprie conferuntur,*] nam illa superiora non ad hunc proprie pertinet.

ORATIO

SVNT *autem duo crimina, auri, & ueneni: in quibus una atque eadem persona uersatur. aurum sumptum a Clodia, uenenum quaesitum, quod Clodiae daretur, dicitur. omnia sunt alia nō crimina, sed maledicta, iurgii petulantis magis, quam publicae quaestionis. adulter, impudicus, sequester, conuicium est, non accusatio. nullum est enim fundamentum horum criminum, nulla sedes. uoces sunt contumelioſae, temere ab irato accusatore nullo auctore emißae. horum duorum criminum uideo fontem, uideo auctorem, uideo certum nomen & caput. auro opus fuit: sumpsit a Clodia, sumpsit sine teste; habuit, quamdiu uoluit. maximum uideo signum cuiusdam egregiae familiaritatis. necare eādem uoluit, quae sitiuit uenenum, sollicitauit, quos potuit; paranit locum, constituit; attulit. magnum rursus odium uideo cum crudeliſſimo diſſidio exſtitiſſe. res est omnis in hac causſa nobis, iudices, cum Clodia, muliere non solum nobili, sed etiam nota de qua ego nihil dicam, nisi depellendi criminis causſa. sed intelligis pro tua praestanti prudentia, Cn. Domiti, cum hac sola rem esse nobis: quae si se aurū Coelio commodasse non dicit, si uenenum ab hoc sibi paratum esse non arguit; petulanter facimus, si matrem familias secus, quam matronarum sanctitas postulat, nominamus: sin, ista muliere remota, nec crimen ullum, nec opes ad oppugnandum Coelium illis relinquentur; quid est, aliud quod nos patroni facere debeamus, nisi ut*

eos, qui insectantur, repellamus? quod quidem facerem uehementius, nisi intercederent mihi inimicitiae cum istius mulieris viro: fratrem volui dicere: semper hic ero, nunc agam modice, nec longius progrediar, quam me mea fides, & causa ipsa coget. neq. enim muliebres vmquam inimicitias mihi gerendas putaui; praesertim cum ea, quam omnes semper amicam omnium potius, quam cuiusquam inimicam, putauerunt. sed tamen ex ipsa quaeram prius, vtrum me secum seuere, & grauiter, & prisce agere malit, an remisse, ac leniter, & vrbane. si illo austero more ac modo: aliquis mihi ab inferis excitandus est ex barbatis illis, non hac barbula, qua ista delectatur, sed illa horrida, quam in statuis antiquis, & imaginibus videmus; qui obiurget mulierem, & pro me loquatur; ne ista mihi forte succenseat. exsistat igitur ex hac ipsa familia aliquis, ac potissimum caecus ille. minimum enim dolorem capiet, qui istam non videbit. qui profecto si exstiterit, sic aget, & sic loquetur. Mulier, quid tibi cum Coelio? quid cum homine adolescentulo? quid cum alieno? cur aut tam familiaris huic fuisti, vt aurum commodares; aut tam inimica, vt venenum timeres? non patrem tuum videras? non patruum, non auum, proauum, atauum audieras consules fuisse? non denique modo te Q. Metelli matrimonium tenuisse scibas, clarissimi, & fortissimi viri, patriaeq. amantissimi? qui, simulac pedem limine extulerat, omnes prope ciues virtute, gloria, dignitate superabat. cui cum ex amplissimo genere in familiam clarissimam nupsisses, cur tibi Coelius tam coniunctus fuit? cognatus? affinis? viri tui familiaris? nihil horum. quid igitur fuit, nisi quaedam temeritas, ac libido? non ne te, si nostrae imagines viriles non commouebant, ne progenies quidem mea, Quinta illa Claudia, aemulam domesticae laudis in gloria muliebri esse admonebat? non uirgo illa Vestalis, Claudia, quae patrem complexa triumphantem, ab inimico tribuno pl. decurru detrahi passa non est? cur te fraterna vitia potius, quam bona paterna, & auita, & vsque a nobis cum in viris, tum etiam in feminis repetita, mouerunt? ideo ne ego pacem Pyrrhi diremi, vt tu amorum turpissimorum quotidie foedera ferires? ideo aquam adduxi, vt ea tu incesta vterere? ideo uiam muniui, vt eam tu alienis uiris comitata celebrares? Sed quid ego, iudices, ita grauem personam induxi, vt & uerear, ne se idem Appius repente conuertat, &, Coelium incipiat accusare illa sua grauitate censoria: sed uidero hoc posterius, atque ita, iudices, ut uel seueriissimis disceptatoribus M. Coelij uitam me probaturum esse confidam. Tu modo mulier, (iam enim ipse tecum, nulla persona introducta, loquor) si ea, quae facis, quae dicis, quae insimulas, quae moliris, quae arguis, probare cogitas, rationem tantae familiaritatis, tantae consuetudinis, tantae coniunctionis reddas, atque exponas necesse est. accusatores quidem libidines, amores, adulteria, Baijs acta conuiuia, comissationes, cantus, symphonias, nauigia iactant: ijdemq. significant, nihil se te inuita dicere. quae tu quoniam mente nescio qua efferata, atque praecipiti in forum deferri iudiciumq. uoluisti, aut diluas oportet, & falsa esse doceas; aut nihil neque crimini tuo, neque testimonio credendum esse, fateare. sin autem urbanius me agere mauis; sic agam tecum: remouebo illum senem durum, ac paene agrestem, ex hisq. tuis sumam aliquem ac potissimum minimum fratrem tuum, qui est in isto genere vrbanissimus, qui te amat plurimum, qui, propter nescio quam, credo, timiditatem, & nocturnos quosdam inanes metus tecum semper pusio cum maiore sorore cubitauit. eum putato tecum loqui: Quid tumultuaris, soror? quid insanis? quid, clamore exorsa, uerbis paruam rem magnam facis? uicinum adolescetulum adspexisti: candor huius te, & proceritas, uultus, oculiq. perpulerunt: saepius uidere uoluisti: nonnumquam in iisdem hortis uisa nobilis mulier: illum, filium familias, patre parco, ac tenaci, habere tuis copiis deuinctum non potes: calcitrat, respuit, non putat tua dona esse tanti. confer te alio. habes hortos ad Tiberim, ac diligenter eo loco praeparasti, quo omnis iuuentus natandi causa uenit. hinc, licet, condiciones quotidie legas. cur huic, qui te spernit, molesta es? redeo nunc ad te, Coeli, uicissim; ac mihi auctoritatem patriam, seueritatemq. suspicio: sed dubito, quem patrem potissimum sumam, Caecilianum ne aliquem, uehementem, atque durum:

„ Nunc enim demum mihi animus ardet, nunc meum
cor cumulatur ira: aut illum:
„ O infelix, o sceleste: ferrei sunt isti patres:
„ Ego ne quid dicam? ego ne quid uelim? quae tu omnia
„ Tuis foedis facti facis, ut ne quid quam uelim.

Vix ferenda diceret talis pater. Cur te in istam uicinitatem meretriciam contulisti? cur, illecebris cognitis, non refugisti? cur alienam ullam mulierem nosti? dede te, ac disjice: per me licebit. si egebis, tibi dolebit: mihi sat est, qui aetatis, quod reliquum est, oblectem meae. Huic tristi, ac decrepito seni responderet Coelius, se nullac upiditate inductum de uia decessisse. quid signi? nulli sumptus, nulla iactura, nulla uersura. at fuit fama. quotus quisque istam effugere potest in tam maledica ciuitate? uicinum eius mulieris miraris male audisse, cuius frater germanus sermones iniquorum effugere non potuit? Leni uero, & clementi patri, cuius modi ille est.

„ Fores effregit? restituentur. discidit
„ Vestem? resarcietur.

Coelii causa est expeditissima. quid enim esset, in quo se nō facile defenderet? nihil iam in istam mulierem dico. sed si esset aliqua dissimilis istius, quae se omnibus perulgaret, quae haberet palam decretū semper aliquem; cuius in hortos, domum, Baias iure suo libidines omnium commearent; quae etiam aleret adolescentes, & parcimoniam patruum suis sumptibus sustentaret; si uidua libere, proterua petulanter, dies effuse, libidinosa meretricio more uiueret; adulterum ego putarem, si quis hanc paullo liberius salutasset?

EXPLANATIO

SEQVESTER,] in crimine ambitus; quod in Coelium collatum esse, supra dictum est. NVLLO *auctore*] a nemine enim cognouit: iratus haec ipse fingit. VIDEO *auctorem*,] Clodiam scilicet. CERTVM *nomen*,] in auro sumpto sine teste, familitatem: in veneno quaesito, discidium. NON *solum nobili, sed etiam nota*.] accipe: Nota, in malam partem, ob impudicitiam scilicet; vt in

Verrem

Verrem act. 1. Qui non tã me impediunt, quod nobiles sunt, quã adiuuant quod noti sunt. Et pro Flacco: Homines apud nos noti, inter suos nobiles. CN. DOMITI,] miror hũc & praetorẽ hac in causa quaerere de vi, & eundem de ambitu eodem anno in caussa Bestiae, vt legitur ep. 3 ad Q fr. lib. 2. quod si quis licere putet: is si opinionem suã confirmabit exemplis, magnũ, opinor fecerit. nã mihi hoc probare facile est, sortitos esse praetores designatos, quae cuiusque cura, vel iuris dicendi, vel quaestionis exercendae, in magistratu futura esset. erant enim duo qui ius dicerent, vnus inter ciues alter inter peregrinos: ceteri sex quaerebãt vt quaesiuit Cicero praetor de repetundis, eius aũt collegae, Orchinius de peculatu, Voconius de veneficio. Aquillius de ambitu, inter sicarios duo Plaetorius, & Flaminius, qua similitudine suspicari fortasse licet, accidisse interdũ, vt de duobus crinibus praetor vnus eodẽ anno quaereret & pro caussarũ paucitate sufficeret. Nec vero dici potest, duos Cn. Domitios eodẽ anno praetores fuisse. alterũ enim ab altero vel in illa epistola, vel in hac oratione Cicero distinxisset addito Caluini cognomine. is enim, auctore Dione post biennĩ, legitimo interuallo, consul fuit: vt eius praetura in hunc annũ recidere videatur. Quod si M. Crassus hac in caussa Coelium defendit, vt oratio ipsa docet; fieri non potest quod acuti vir ingenij magnaeq. doctrinae recte animaduertit, quin Marcellino & Philippo cos. acta caussa sit; cum Crassũ anno sequenti ante exitũ consulatus, in prouinciã Syriã iuisse, historiae narrent. SEQVOR *nominamus.*] nã de matrona pudica; & proba diceret, Quam honoris caussa nomino: vt de Caecilia, in oratione pro Sex. Roscio. VIRO.] P. Clodio, qui cum ea rem habuisse dicebatur. in extrema oratione. Ne eadẽ mulier cum suo coniuge & fratre turpissimũ latronẽ eripuisse, & honestissimũ adolescentẽ oppressisse videatur. SEMPER *amicam omnium*] contumeliose dictũ de muliere, amica vnius, turpiter accipitur; amica oĩum, & semper, quanto agis? EX *barbatis illis,*] barbã alere prisci Romani solebãt. qua de re diximus alio loco. NON *hac barbula*] etsi raderentur Ciceronis aetate: adolescentuli tamẽ, praesertim lasciuiores, aliquandiu prima barbula delectabantur, nec statim eã deponebant. hinc illud ad Att. lib. 1. Concursabant barbatuli iuuenes, duce filiola Curionis. IMAGINIBVS. oĩs statua imago est, non contra. nã imago est etiam picta, est in gẽmis, est in annulis incisa. CAECVS *ille.*] Ap. Claudius Caecus, qui Pyrrhi pacẽ dissuasit. IS TAM *non videbit.*] iocatur, & mordet. quasi turpẽ eius vitã, propinquos, praesertim graues, ac seueros, pudeat inspicere. PATREM *tuum*] Ap. Claudiũ Pulchrum, qui cũ P. Seruilio Isaurico consulatũ gessit. PATRVVM.] C. Claudium Pulchrum, qui consul fuerat cũ M. Perperna. de quo dicit, Audieras quia maior natu quã Appius frater eius, Clodiae pater: nã consul ante multos annos fuit. vt patrẽ Clodia consulem videre potuerit, patruũ audire potius, quam videre AVVM,] C. Claudium Pulchrum Lentulũ qui consul fuit cum M. Perperna. PROAVVM,] C. Claudium Pulchrum, consulem cũm Ti. Sempronio Graccho. ATAVVM] proauo non atauum, sed abauũ subijcio: sic enim ordo postulat: idq. comprobat digesta veteribus fastis annorum ratio. is autẽ fuit Ap. Claudius, consul cum Q. Fuluio. Atauus vero P. Claudius Pulcher, consul cum L. Iunio. Tritauus Appiuus ipse Caecus, cuius persona ad obiurgandam Clodiam Cicero nũc vtitur. MODO] ante paucos annos. ante biennium enim perierat Metellus Celer Vatinio tribuno pl. ideſt Caesare & Bibulo cos. vt colligitur ex oratione in Vatinium. SIMVL *ac pedem limine extulerat,*] nam domesticis parietibus inclusa virtus languet. NOSTRAE *imagines viriles*] quae seruabantur in atrijs. QVINCTA *illa Claudia*] de cuius castitate sic in oratione de haruſp. resp. sacra ista maiores nostri adscita ex Phrygia, Romae collocauerunt: quae vir is accepit, qui est optimus a populo Romano iudicatus, P. Scipio, femina autem, quae matronarum castissima putabatur, Quincta Claudia. Liuius historiam narrat lib. XXIX. quam & Suetonius attingit in Tiberio. VIRGO *illa Vestalis,* de qua Valerius, Suetonius, alij. PATREM] Ap. Claudium Pulchrum. de Salassis triumphantem, anno vrbis DCX Epitome 53. FRATERNA] P. Clodij. AQVAM] Claudiam, a nomine. VIAM] Appiam, a praenomine. COMISSATIONES] post coenam. MINIMVM *fratrem tuum,*] P. Clodium. tres enim fratres fuere, maximus natu Appius, minimus, Publius, meditus inter hos Caius, quem Pedianus nominat pro Milone. VRBANISSIMVS,] tecum. turpes enim blanditiae significantur: vt e sequentibus patet. PVSIO] paruus puer: qua aetate soli dormire non audent. *maiore sorore*] duae igitur erant: vt Varro lib. III. r. r. testatur. Aut, Maiore, quam Clodius ipse erat. PARVAM *rem*] cum id, quod quaeris, & quod amissum doles, consequi alia ratione facile possis. VICINVM] Coelium, qui vicinis aedibus in Palatio habitabat. NOBILIS *mulier*] contumeliose dictum: quae cum infamiam timere pro sua nobilitate debuerit, vsque eo tamen adolescentis amore sit capta, vt cum eo vel in hortis palã esse non puduerit. CONDITIONES *quotidie legas.*] deligas eos, cum nudos videris, qui tibi ad explendam libidinem tuam probentur. Legere condiciones, & quaerere, quid sit, Phil. 2. ostendimus, in eo loco: Alia condicione quaesita, & ante perpecta. NVNC *enim demum*] si sic legitur, quae sit metri ratio, fateor me non intelligere. quo circa, vt senarius iambus sit prior versus posterior autem ijsdem pedibus ingrediatur. ita distinguerem; Nunc demum enim mihi animus ardet: nunc meũ cumulatur ira cor. AVT *illum:*] alterum patrem, vehementem, atque durum, non a Caecilio, sed ab alio poeta inductũ. FERREI *sunt isti patres.* Ciceronis verba, non poetae. EGO *ne quid velim?*] nisi deleatur, ne, senarij ratio constare non poterit. NEQVIDQVAM] frustra, nullo fructu. ALIENAM] non cognatam, non affinem. DEDE *te,*] meretricibus. Antiqui al. quot libri, Te, non habet: & abesse potest. DESICE:] rem familiarem. MIHI *fat est. qui*] Qui pro Quo, antique. Ennius in Hecuba: Date ferrum. qui me anima priuem. Poetae verba sunt a verbo, Dede, ad, Obiectem meae. Sed

uersuum distinctio satis obscura. dabo tamen operam, vt suam cuique mensuram, si licebit, restituã. tres senarios facio, primum mutilum, perfecta tamen sententia: alterum vltimo interciso verbo, quod vsitatum est comicis: tertium absolutum.

—— Dede, ac disijce: per me licebit. si egebis, tibi dolebit mihi sat est,
Qui, aetatis quod reliquum est, oblectem, meae. MIRARIS] pater. ILLE est:] Mitio apud Terentium in Ad. DECRETVM] statutum, certum. PARSIMONIAM *patrum suis sumptibus sustentaret*;] quae daret adolescentibus, quod eorum patres, parci, ac tenaces, negarent. PROTERVA *petulanter*,] superba impudenter. Clodiam describit: cum de alia tamen eius dissimili loqui se dixerit.

ORATIO

DICET aliquis; *haec igitur est tua disciplina? sic tu instituis adolescentes; ob hanc caussam tibi hunc puerum parens commendauit, & transdidit, vt in amore & voluptatibus adolescentiam suam collocaret, & hanc tu vitam, atque hac studia defenderes? Ego, si quis, iudices, hoc robore animi, atque hac indole virtutis, ac continentiae fuit, vt respueret omnes voluptates, omnemq. vitae suae cursum in labore corporis, atque in animi contentione conficeret; quem non quies, non remissio, non aequalium studia, non ludi, non conuiuia delectarent; nihil in vita expetendum putaret, nisi quod esset cum laude, & cum dignitate coniunctum; hunc mea sententia diuinis quibusdam bonis instructum, atque ornatum puto. ex hoc genere illos fuisse arbitror Camillos, Fabricios, Curios, omnes q. eos, qui haec ex minimis tanta fecerunt. verum haec genera virtutum non solum in moribus nostris, sed vix iam in libris reperiuntur. chartae quoque, quae illam pristinam seueritatem continebant, obsoleuerunt: neque solum apud nos, qui hanc sectam, rationemq. vitae re magis, quam verbis, secutisumus, sed etiam apud Graecos, doctissimos homines, quibus, cum facere non possent, loqui tamen, & scribere honeste, & magnifice licebat, alia quaedam, mutatis Graeciae temporibus praecepta exstiterunt. itaque aliis voluptatis caussa omnia sapientes facere dixerunt; neque ab hac orationis turpitudine eruditi homines refugerunt: alii cum voluptate dignitatem coniungendam putarunt, vt res maxime inter se repugnantes dicendi facultate coniungerent: illud vnum ad laudem cum labore directum iter qui probauerunt, prope iam soli in scholis sunt relicti. multa enim nobis blandimenta natura ipsa genuit quibus sopita virtus conniueret: & interdum multas uias adolescentiae lubricas ostendit, quibus illa insisteret, aut ingredi sine casu aliquo, aut prolapsione uix posset; & multarum rerum iucundissimarum uarietatem dedit, qua non modo haec aetas, sed etiam iam corroborata caperetur. quamobrem, si quem forte inueneritis, qui aspernetur oculis pulchritudinem rerum, non odore, ullo, non tactu, non sapore capiatur, excludat auribus omnem suauitatem; huic homini ego fortasse, & pauci deos propitios, plerique autem iratos putabunt. ergo haec deserta uia, & inculta, atque interclusa iam frondibus, & uirgultis, relinquatur: detur aliquid aetati: sit adolescentia liberior: non omnia uoluptatibus denegentur: non semper superet uera illa, & directa ratio: uincat aliquando cupiditas, uoluptasq. rationem, dummodo illa in hoc genere praescriptio, moderatioq. teneatur; parcat inuentus pudicitiae suae, ne poliet alienam, ne effundat patrimonium, ne fenore trucidetur, ne incurrat in alterius domum, atque famam, ne probrum castis, labem integris, infamiam bonis inferat, ne quem interimat, ne intersit insidiis scelere careat; postremo, cum paruerit voluptatibus, dederit aliquid temporis ad ludum aetatis, atque ad inanes hasce adolescentiae cupiditates, reuocet se aliquando ad curam rei domesticae, rei forensis, reip. vtea, quae ratione antea non perspexerat, satietate abiecisse, experiendo contẽpsisse videatur. Ac multi & nostra, & patrum, maiorumq. memoria, iudices, summi homines, & clarissimi ciues fuerunt, quorum cum adolescentiae cupiditates deferbuissent, eximiae virtutes firmata iam aetate exstiterunt. ex quibus neminem mihi necesse est nominare. vosmet vobiscum recordamini. nolo enim cuiusquam fortis, atque illustris viri ne minimum quidem erratum cum maxima laude coniungere. quod si facere vellem; multi a me summi, atque ornatissimi viri praedicarentur; quorum partim nimia libertas in adolescentia, partim profusa luxuries, magnitudo aeris alieni, sumptus, libidines nominarentur: quae multis postea virtutibus obtecta, adolescentiae, qui vellet, excusatione defenderet. At vero in M. Coelio (dicam enim iam confidentius de studiis eius honestis: quoniam audeo quaedam, fretus vestra sapientia, libere confiteri) nulla luxuries reperietur, nulli sumptus, nullum aes alienum, nulla conuiuiorum, ac lustrorum libido: quod quidem vitium ventris, & gutturis non modo non minuit aetas hominibus, sed etiam auget. amores autem, & hae deliciae, quae vocantur, quae firmiore animo praeditis diutius molestae non solent esse (mature enim, & celeriter defloresc unt) numquam hunc occupatum, impeditumque tenuerunt, audistis, cum prose diceret: audistis antea, cum accusaret. defendendi haec caussa, non gloriandi, loquor. genus orationis, facultatem, copiam sententiarum, atque verborum, quae vestra prudentia est, perspexistis. atque in eo non solum ingenium elucere eius videbatis; quod saepe, etiam si industria non alitur, ualet tamen ipsum suis uiribus: sed inerat, nisi me, propter beneuolentiam, forte fallebat, oratio & bonis artibus instituta, & cura & uigiliis elaborata. atque scitote, iudices, eas cupiditates, quae obiiciuntur Coelio, atque haec studia, de quibus disputo, non facile in eodem homine esse posse. fieri enim non potest, ut animus libidini deditus, amore, desiderio, cupiditate, saepe nimia copia, inopia etiam non numquam impeditus, hoc, quidquid est, quod nos facimus in dicendo, non modo agendo, uerum etiam cogitãdo possit sustinere. an uos aliam caussam esse ullam putatis, cur in tantis praemijs eloquentiae, tanta uoluptate dicendi, tanta laude, tanta gratia, tanto honore, tam*

sint

sint pauci, semperq. fuerint, qui in hoc labore versentur? omittendae sunt omnes voluptates: relinquenda studia delectationis: ludus, iocus, conuiuium, sermo etiam paene omnium familiarium deserendus. quae res in hoc genere homines a labore, studioq. dicendi deterret, non quo aut ingenia deficiant, aut doctrina puerilis. an hic, si sese isti vitae dedisset, consularem hominem admodũ adolescens in iudicium vocauisset? hic, si laborem fugeret, si obstrictus voluptatibus teneretur, in hac acie quotidie versaretur? appeteret inimicitias? in iudicium vocaret? subiret periculum capitis? ipso inspectante populo R. tot menses aut de salute, aut de gloria dimicaret? nihil igitur illa vicinitas redolet? nihil hominum fama? nihil Baiae denique ipsae loquuntur? illae vero non loquuntur solum, verum etiam personant, huc vnius mulieris libidinem esse prolapsam, vt ea non modo solitudinem, ac tenebras, atque haec flagitiorum integumenta non quaerat, sed in turpissimis rebus frequentissima celebritate, & clarissima luce laetetur. verum si quis est, qui etiam meretricijs amoribus interdictum iuuentuti putet, est ille quidem valde seuerus; negare non possum: sed abhorret non modo ab huius saeculi licentia, verùm etiam a maiorum consuetudine, atque conceptis. quando enim hoc non factum est? quando reprehensum? quando non permissum? quando denique fuit, vt quod licet, non liceret? Hic ego iam rem definiam: mulierem nullam nominabo; tantum in medio relinquam. si qua non nupta mulier domum suam patefecerit omnium cupiditati, palamq. sese in meretricia vita collocarit, virorum alicuius morum conuiuijs vti instituerit; si hoc in vrbe, si in hortis, si in Baiarum illa celebritate faciet; si denique ita sese geret non incessu solum, sed ornatu, atque comitatu; non flagrantia oculorum, nõ libertate sermonis, sed etiam complexu, osculatione, aquis, nauigatione, conuiuijs, vt non solum meretrix, sed etiam procax videatur: cum hac si quis adolescens forte fuerit, vtrum hic tibi, L. Herenni, adulter, an amator, expugnare pudicitiã, an explere libidinem voluisse videatur? Obliuiscor iam iniurias, Clodia: depono memoriam doloris mei: quae abs te crudeliter in meos, me absente, facta sunt, negligo: ne sint haec in te dicta, quae dixi: sed ex te ipsa requiro, quoniam & crimen accusatores abs te, & testem eius criminis te ipsam dicunt se habere: si qua mulier sit huiusmodi, qualem ego paullo ante descripsi, tui dissimilis vita, institutoq. meretricio; cum hac aliquid adolescentem hominem habuisse rationis, num tibi perturpe, aut per flagitiosum esse videatur? ea si tu non es, sicut ego malo: quid est, quod obijciant Coelio? sin eam te volunt esse: quid est, cur nos crimen hoc, si tu contemnis, pertimescamus? quare nobis da viam, rationemq. defensionis. nam aut pudor tuus defendet, nihil a M. Coelio petulantius esse factum: aut impudentia & huic, & ceteris magnam ad se defendendum facultatem dabit.

EXPLANATIO

INDOLE *virtutis,*] in pueris, aut adolescentibus laudatur, tamquam significatio futurae virtutis: hic tamen sumi videtur pro ipsa virtute, vt lib. III. in Verrẽ. Fac enim fuisse in isto C. Laelij M. Catonis materiem, atque indolem: quid ex eo boni sperari atque effici potest qui in patris luxurie sic vixerit, vt nullum vmquam pudicum, neque sobrium conuiuium viderit? CVM *facere non possent,*] cum facultas magnarum rerum gerendarum non eadem ijs esset. quae fuit ijs, qui haec ex minimis tanta fecerunt. VOLVPTATIS *caussa*] vt Aristippus primum, & Cyrenaici omnes, deinde Epicurus, qui tamen voluptatem ad animum quoque retulit, Aristippus ad corpus tantum. ERVDITI *homines*] nam, vt est lib. 2. de Fin. Multi postea defensores eius sententiae fuerũt. Laertius illustres Epicureos non paucos enumerat. CVM *voluptate dignitatem coniungendam*] vt Callipho lib. 2. de Fin. & in Lucullo QVI *probauerunt,*] vt Stoici, maximeq. princeps eorum Zeno. lib. 2. de Fin. Laertius. & alij. BLANDIMENTA] voluptatũ. OCVLIS] quinque sensus, homini a natura datos, enumerans, ab oculis initium sumit, vt omnium praestantissimo. EGO *furtasse,*] affirmare non audet: ne sibi tantã laudem arrogare videatur. NE *fenore trucidetur,*] conficiatur. saeuitia quaedã est in hoc verbo: quia feneratores nemini parcunt. GENVS *orationis, facultatem, copiam sententiarum atque verborum,*] de Coelio, sic in Bruto. Quam eius actionem multũ tamen & splendida, & grandis, & eadem in primis faceta, & perurbana commẽdabat oratio. NIMIA *copia,*] nimia fruendi potestate. INOPIA] cum potiriac frui non licet quo desiderio, ac dolore animus impeditus, ab honestis artibus auocatur. DOCTRINA *puerilis.*] institutio, disciplina quae ad eloquentiam iter ostendit, viamq. munit. CONSVLAREM *hominem* C. Antoniũ. IN *hac acie*] vel accusans, vel accusatus SVBIRET *periculum capitis?*] vt in hoc iudicio. IPSO *inspectante populo Romano*] nã publica iudicia in foro fiebant. DE SALVTE,] accusatus. DE GLORIA] alios accusans. ILLA *vicinitas*] habitante Coelio prope Clodiam REDOLET?] quasi odore quodam significat. BAIAE] vbi Clodia cum Coelio voluptatis caussã fuerat. MERETRICIIS *amoribus*] amore in Clodiam. NECARE *non possum:*] haec verba laudatum a se esse illum significãt, de quo dixit, Est ille quidem valde seuerus. Laude, inquit, dignus est: negare non possum. FLAGRANTIA *oculorum,*] & in oratione de Haruspicum resp. flagrantes appellat oculos Clodiae. quae flagrantia oculorũ in meretricibus cernitur. PROCAX] impudens, quasi viros appetens. L. HERENNI,] vnus erat ex quatuor Coelij accusatoribus, solus autem nominatur, quia solus de luxuria, de libidine, de vitijs iuuentutis multa dixerat. supra. ME *absente,*] cũ exsularet. PVDOR *tuus*] ne tu videaris esse, quam descripsi. PETVLANTIVS] ita, quae iactauit L. Herennius, inania prorsus esse, nec in Coelium conuenire videbuntur. CETERIS si qui accusabantur. MAGNAM *ad se defendendum facultatem,*] nam si te ostendes eam esse, quam descripsi: crimen in Coelio non haerebit, a meretrice obiectum.

ORATIO

ORATIO

SEd, quoniam emersisse iam e vadis, & scopulos praeteruecta videtur oratio mea, perfacilis mihi reliquus cursus ostenditur. Duo sunt enim crimina vna in muliere summorum facinorum; auri, quod sumptum a Clodia dicitur; & veneni, quod eiusdem Clodiae necandae caussa parasse Coelium criminantur. Aurum sumpsit, vt dicitis, quod L. Lucceij seruis daret, per quos Alexandrinus Dio, qui tum apud Lucceiũ habitabat, necaretur. magnum crimen, vel in legatis insidiandis, vel in seruis ad hospitem domi necandum sollicitandis: plenum sceleris consilium, plenum audaciae. Quo quidem in crimine primum illud requiram, dixerit ne Clodiae, quam ad rem aurum tum sumeret, an non dixerit? si non dixit, cur dedit? si dixit, eodem se conscientiae scelere deuinxit. tu ne aurum ex armario tuo promere ausa es? tu ne Venerem illam tuam, spoliatricem, spoliare ornamentis? ceterum cum scires, quantum ad facinus aurum hoc quaereretur, ad necem scilicet legati, ad L. Lucceij, sanctissimi hominis, atque integerrimi, labem sceleris sempiterni: huic facinori tanto tua mens liberalis conscia, tua domus popularis ministra, tua denique hospitalis illa Venus adiutrix esse non debuit. Vidit hoc Balbus: facinoris tantum celatam esse Clodiam dixit, atque ita Coelium ad illam attulisse, se ad ornatum ludorum aurum quaerere. Si tam familiaris erat Clodiae, quam tu esse vir, cum de libidine eius tam multa dicis? dixit profecto, quo vellet aurum. si tam familiaris non erat; non dedit. ita, si verum tibi Coelius dixit; o immoderata mulier, sciens tu aurum ad facinus dedisti? si non est ausus dicere; non dedisti. Quid ego nunc argumentis huic crimini, quae sunt innumerabilia, resistam? possum dicere, mores M. Coelij longissime a tanti sceleris atrocitate esse disiunctos: minime esse credendum, homini tam ingenioso, tamq. prudenti non venisse in mentem, rem tanti sceleris ignotis alienisq. seruis non esse credendam. possum etiam illa & ceterorum patronorum, & mea consuetudine ab accusatore perquirere, vbi sit congressus cum seruis Lucceij Coelius? qui ei fuerit aditus? si per se, qua temeritate? si per alium, per quem? possum omnes latebras suspicionum peragrare dicendo: nõ caussa, non locus, non facultas, non conscius, non perficiendi, non occultandi maleficij spes, non ratio vlla, non vestigium maximi facinoris reperietur. sed haec, quae sunt oratoris propria, quae mihi, nõ propter ingenium meũ, sed propter hanc exercitationem, vsumq. dicendi, fructum aliquem ferre potuissent, cum a me ipso laborata proferri viderentur, breuitatis caussa relinquo omnia: habeo enim, iudices, quem vos socium vestrae religionis, inrisq. iurãdi facile esse patiemini, L. Lucceium, sanctissimum hominem, & grauissimum, testem: qui tantum facinus in famam, atque fortunas suas neque non audisset illatum a Coelio, neque neglexisset, neque tulisset. an ille vir, illa humanitate praeditus, illis studijs, artibus, atque doctrina, illius ipsius periculum, quem propter haec ipsa studia diligebat, negligere potuisset? & quod facinus in alienum hominem illatum seuere acciperet, id omisisset curare in hospite? quod per ignotos actum cum comperisset, doleret, id a suis tentatum esse negligeret? quod in agris, locis ve publicis factum reprehenderet, id in vrbe, ac suae domi coeptum esse leuiter ferret? quod in alicuius agrestis periculo non praetermitteret, id homo eruditus in insidijs doctissimi hominis dissimulandũ putaret? sed, cur diutius vos, iudices, teneo? ipsius inrati religionem, auctoritatemq. percipite; atque omnia diligenter testimonij verba cognoscite. recita. testimonium. lucceii. Quid exspectatis amplius? an aliquam vocem putatis ipsam pro se caussam, & veritatem posse mittere? haec est innocentiae defensio, haec ipsius caussae, oratio haec vna vox veritatis. in crimine ipso nulla suspicio est, & in re nihil est argumenti: in negotio, quod actum esse dicitur, nullum vestigium sermonis, loci, temporis: nemo testis, nemo conscius nominatur: totum crimen profertur ex inimica, ex infami, ex crudeli, ex facinorosa, ex libidinosa domo: domus autem illa, quae tentata scelere isto nefario dicitur, plena est integritatis, officij, religionis: ex qua domo recitatur vobis iureiurando deuincta auctoritas: vtres, minime dubia, tamen in contentione ponatur, vtrum temeraria, procax, irata mulier finxisse crimen, an grauis sapiens, moderatusq. vir religiose testimonium dixisse videatur. Reliquum est igitur crimen de veneno; cuius ego neque principium inuenire, neque euoluere exitum possum. Quae fuit enim caussa, quamobrem isti mulieri venenũ vellet dare Coelius? ne aurum redderet? num petiit? ne crimen haereret? num quis obiecit? num quis denique fecisset mentionem, si hic nemini nomen detulisset? quin etiam Herennium dicere audistis, verbose molestum nõ futurum fuisse Coelio, nisi iterum eadem de re suo familiari absoluto nomen hic detulisset. Credibile est igitur, tantum facinus nullam ob caussam esse commissum? Et vos non videtis fingi sceleris maximi crimen, vt alterius caussa sceleris suscipiendi fuisse videatur? cui denique commisit? quo adiutore vsus est? quo socio? quo conscio? cui tantum facinus, cui se, cui salutem suam credidit? seruis ne mulieris? hoc enim obiectum est. & erat tum demens hic, cui vos ingenium certe tribuitis, etiam si cetera inimica oratione detrahitis; vt omnes suas fortunas alienis seruis committeret? at, quibus seruis? refert enim magnopere id ipsum, his ne, quos intelligebat non communi condicione seruitutis vti, sed licentius, liberius, familiarius cum domina viuere? quis enim hoc non videt, iudices, aut quis hoc ignorat, in eiusmodi domo, in qua mater familias meretricio more viuat; in qua nihil geratur, quod foras proferendum sit; in qua lustra, libidines, luxuries, omnia denique inaudita vitia, atque flagitia versentur; hic seruos non esse seruos, quibus omnia committantur; per quos gerantur, qui versentur ijsdem in voluptatibus, quibus occulta credantur, ad quos aliquantum etiam ex quotidianis sumptibus, ac luxuria redundet? id igitur Coelius non videbat? si enim tam familiaris erat mulieris, quam vos vultis: istos quoque seruos familiares esse dominae sciebat. sin ei tanta consuetudo, quanta a vobis inducitur, non erat: quae cum seruis potuit familiaritas esse tanta? Ipsius autem veneni quae ratio fingitur? vbi quaesitum est? quemadmodum paratum? quo pacto? cui, quo in loco translatum? habuisse aiunt domi, vimq. eius, esse expertum in seruo quodam ad rem ipsam parato, cuius perceleri interitu esse ab hoc comprobatum venenum.

Landesbibliothek Oldenburg

EXPLANATIO

VENEREM *illam tuam*,] simulacrum Veneris, auro exornatum, habere Clodia in sacrari, suo dicebatur. SPOLIATRICEM,] ad quam tuarum, amatoribus ademptum tuis, deferre soleres, vt mirari iure liceat, ab eadem Venere, ceterorū spoliatrice, abstulisse te aurū quod Coelio dares. LAPEM *sceleris sempiterni*] propter hospitis necē, veneno sublati. TVA *mens liberalis*] nisi fallor, haec oīa cum probro dicta, Tua mens liberalis, tua domus popularis, tua hospitalis illa Venus. nā in muliere, quā decet esse modestā & verecundā mens liberalis non laudatur: domus vero popularis apertū habet dedecus. vt quae nō vni, aut alteri, sed populo pateat: hospitalis Venus, benignitatē in accipiendis hominibus demonstrat. quod si viro tribuatur laudē affert: in muliere, ob impudicitiae suspicionē turpe est. ADIVTRIX *esse non debuit*.] tria animaduerte, cōscia mens, ministra domus, Venus adiutrix. AD *illam attulisse*,] caussam hanc illi dixisse, cur aurum quaereret. LVDORVM] quos fortasse tamquā Lupercus daret, aut magister ludorum: de quo honore vide in Pisonem. alioqui, quos ludos dare posset, cum nullum magistratum gereret, non video. ILLIS *studiis, artibus, atque doctrinae*] ex his quoque verbis, hunc esse L. Lucceium illum, a quo Cicero ornatissima epistola petit vt suas res memoriae litteris q. mandet, facile possumus intelligere. PROPTER *quem*] nam Dio Academica doctrina praestabat. NVM *petiuit*?] num Clodia petiuit aurum a Coelio? nam si petiuit, quo teste? si non petiuit, haec certe non videtur esse caussa, cur ei venenum Coelius dare voluerit. NE *crimen haereret*?] in Coelio quod autem crimen? auri a Clodia sumpti. NVM *quis obiecit*?] ei de auro, quod si nemo obiecit; quid erat, cur timeret ne crimen haereret? HIC] Coelius NEMINI *nomen detulisset*.] neminē in iudicium vocasset. ITERVM *eadem de re*] bis enim Coelius in iudicium de ambitu vocauit Atratini accusatoris patrem. supra: Accusari ab eius filio, quem ipse in iudicium & vocet; & vocarit. Infra: Nomen amici mei de ambitu detulit: quem absolutum insequitur, reuocat. SCELERIS *maximi*] veneni quaesiti, vt Clodiae daretur. ALTERIVS *sceleris*] ne aurum Clodiae redderetur. LICENTIVS,] vt propterea contra Coelium dicturi sint, quidquid illa velit.

ORATIO

PRo dij immortales, cur interdum in hominum sceleribus maximis aut conniuetis, aut praesentis fraudis poenas in diem reseruatis? vidi enim, vidi, & illum hausi dolorem vel acerbissimū in vita, cum Q. Metellus abstraheretur e sinu gremioq; patriae, cumq. ille vir, qui senatum huic imperio putauit, tertio die post, quam in curia, in Rostris, in rep. floruisset, integerrima aetate, optimo habitu, maximis, viribus eriperetur indignissime bonis omnibus, atque vniuersae ciuitati, quo quidem tempore ille moriens, cum iam ceteris ex partibus oppressa mens esset, extremū sensum ad memoriam rei p. reseruabat; cum me intuens flentem, significabat interruptis, atque morientibus vocibus, quanta impenderet procella vrbi, quanta tempestas ciuitati; & cum, parietem saepe feriens eum, qui cum Q. Catulo fuerat ei communis, crebro Catulum saepe me, saepissime rempublicam nominabat; vt vō tam se emori, quam spoliari suo praesidio, tum patriā, tum etiam me doleret. quem quidem virum si nulla vis repentini sceleris sustulisset; quonā modo ille furenti fratri suo patrueli consularis restitisset, qui consul incipientem furere, atque conantem sua se manu interfecturum audiente senatu dixerit? Ex hac igitur domo progressa ista mulier de veneni celeritate dicere audebit? nōne ipsam domum metuet, ne quam vocem eliciat? non parietes conscios, non noctem illam funestam, ac luctuosam perhorresceret? sed reuertar ad crimen. sed enim haec facta illius clarissimi ac fortissimi viri mentio & vocem meam fletu debilitauit, & mentem dolore impediuit.

EXPLANATIO

Q. METELLVS] Clodiae vir, supra nominatur. TERTIO *die*,] veneno sublatum ab vxore Clodia, tacite significat. vnde illud infra: Quem quidem virum si nulla vis repentini sceleris sustulisset. Et: Ex hac igitur domo progressa ista mulier, de veneni celeritate dicere audebit? QVANTA *impenderet procella vrbi*,] ex consulatu C. Caesaris, propter leges, quae ferebantur. obijsse Metellū Celerem Caesare & Bibulo cos supra iam diximus. FVERAT] nam Catulus iam perierat. TVM *etiam me*] quem ciuibus improbis odio sciebat esse. FVRENTI] P. Clodio tribuno pl. cum me patria expulit. FRATRI *suo patrueli*] non quod nati essent duobus fratribus, sed quod mater Clodii soror esset patris Metelli Celeris. INCIPIENTEM *furere*] ad plebem transire conantem, cum Herennius tribunus pl. legem de eo ad plebem traducendo promulgabat: in quo obstitit Celer consul. ad Att. lib. 1. & in orat. de Haruſp. resp. Ex *hac domo*] in qua triduo, integerrima aetate, optimo habitu, maximis viribus, Metellus exstinctus est. DE *veneni celeritate dicere audebit*?] quod accusatores dixerant, Coelium vim veneni expertum in seruo quodam ad rem ipsam parato, cuius perceleri interitu esse comprobatum; id Cicero Clodiae tribuit, vt pote quae totam accusationem instruxerit. ELICIAT?] educat ex ipsa domo, quae venenum a Clodia viro suo Metello datum significet.

ORATIO

ORATIO

SED tamen, venenum unde fuerit, quemadmodum paratum sit, non dicitur. datum esse hoc aiunt P. Licinio, pudenti adolescenti, & bono Coelij familiari: constitutum factum esse cum seruis, vt venirent ad balneas Xenias: eodem Licinium esse venturum, atque ijs veneni pyxidem transditurum. Hic primum illud requiro, quid attinuerit illud ferri in eum locum constitutum? cur illi serui non ad Coelium domum uenerint? si manebat tanta illa consuetudo Coelij cum Clodia, tantaq. familiaritas: quid suspicionis esset, si apud Coelium mulieris seruus visus esset? sin autem iam suberat simultas, exstincta erat consuetudo, dissidium exstiterat: hinc illae lacrumae nimirum, & haec causa est horum omnium scelerum, atque criminum. Immo, inquit, cum serui ad dominam rem istam, & maleficium Coelij detulissent: mulier ingeniosa praecepit suis, vt omnia Coelio polliceren tur: sed, vt venenum cum a Licinio transderetur, manifesto comprehendi posset, constitui locum iussit, balneas Xenias, vt eo mitteret amicos, qui delitescerent; deinde repente, cum venisset Licinius, venenum transderet, prosilirent, hominemq. comprehenderent. quae quidem omnia, iudices, perfacilem rationem habent reprehendi. Cur enim balneas publicas potissimum constituerat? in quibus, non invenio, quae latebra togatis hominibus esse possit. nam, si essent in vestibulo balnearum, non latent: sin se in intimum coniicere vellent, nec satis cõmode calceati & vestiti id facere possent; & fortasse nõ reciperentur: nisi forte mulier potens quadrantaria illa permutatione familiaris facta erat balneatori. Atque equidem vehementer exspectabã, quinam isti viri boni, testes huius manifesto deprehensi veneni dicerentur. nulli enim sunt adhuc nominati: sed non dubito, quin sint perqraues qui primum sint talis, feminae familiares, deinde eam prouinciam susceperint, vt balneas contruderentur: quod ille, nisi a viris honestissimis, ac plenissimis dignitatis, quam velit, sit potens, numquam impetrauisset. Sed, quid ego de dignitate istorum testium loquor? virtutem eorum, diligentiamq. cognoscite. in balneis delituerunt: testes egregios. deinde temere prosiluerunt: homines grauitatis deditos, sic enim fingunt, cum Licinius venisset, pyxidem teneret in manu, conaretur transdere, non dum transdidisset, tum repente euolasse istos praeclaros testes sine nomine; Licinium autem, cũ iam manum ad transdendum pyxidem porrexisset, retraxisse, atque illo repentino hominum impetu se in fugam coniecisse. o magna vis veritatis, quae contra hominum ingenia, calliditatem, sollertiam, contraq. fictas omnium insidias facile se per se ipsa defendat. verum haec tota fabella veteris & plurimarum fabularum poetriae quam est sine argumento? quam nullum inuenire exitum potest? quid enim? isti tot viri (nam necesse est fuisse non paucos, vt & cõprehendi Licinius facile posset, & res multorum oculi esset testatior) cur Licinium de manibus amiserunt? qui minus enim Licinius comprehendi potuit, cum se retraxit, ne pyxidem transderet, quam si non retraxisset? erant enim illi positi, vt comprehenderent Licinium, vt manifesto Licinius teneretur, aut cum retineret uenenum, aut cum transdidisset. hoc fuit totum consilium mulieris: haec istorum prouincia, qui rogati sunt: quos quidem tu quamobrem temere prosiluisse dicas, atque, ante tempus, non reperio. fuerant hoc rogati, fuerant ad hanc rem collocati, vt venenum, vt insidiae, facinus denique ipsum vt manifesto comprehenderetur. potuerunt ne meliori tempore prosilire, quam cum Licinus uenisset? cum in manu teneret veneni pyxidem? quae, si, cum iam erat transdita seruis, euasissent subito ex balneis mulieris amici, Licinium q. comprehendissent; imploraret, hominum fidem, atque a se illam pyxidem transditam pernegaret. quem quo modo illi reprehenderent? vidisse se dicerent? primum ad se reuocarent maximi facinoris crimen: deinde id se vidisse dicerent, quod, quo loco collocati fuissent, non potuissent videre. tempore igitur ipso se ostenderunt, cum Licinius venisset, pyxidem expediret, manum porrigeret, venenum transderet. mimi ergo est iam exitus, non fabulae: in quo cum clausula non inuenitur, fugit aliquis e manibus, deinde scabella concrepant, aulaeum tollitur. quaero enim, cur Licinium titubantem, haesitantem, cedentem, fugere conantem mulier aria manus ista de manibus emiserit? cur non comprehenderint? cur non ipsius confessionem multorum oculis, facinoris denique voce tanti sceleris crimen expresserint? an timebant, ne tot vnum, valentes imbecillum, alacres perterritum superare non possent? nullum argumentum in re, nulla suspicio in causa, nullus exitus criminis reperietur. itaque haec causa ab argumentis, a coniectura, ab iis signis, quibus veritas illustrari solet, ad testes tota transducta est. quos quidem ego testes, iudices, non modo sine vllo timore, sed etiam cum aliqua spe delectationis exspecto. praegestit animos iam videre, primum lautos iuuenes, mulieris beatae, ac nobilis familiares; deinde fortes viros, ab imperatrice in insidiis atque in praesidio balnearum locatos. ex quibus requiram, quonam modo latuerint, aut vbi? alueus ne ille, an Equus Troianus fuerit, qui tot inuictos viros, muliebre bellum gerentes, tulerit, ac texerit? illud vero respondere cogam, cur tot viri, ac tales hunc, & vnum, & tam imbecillum, quam videtis, non aut stantem comprehenderint, aut fugientem consecuti sint? qui se numquã profecto, si istum in locum processerint, explicabunt. quam volent, in conuiuiis facetti, aticaces, nonnumquam etiam ad vinum diserti sint: alia fori vis est, alia triclinij; alia subselliorum ratio, alia lectorum; non idem iudicum, comissatorumq. conspectus; lux denique longe alia est solis, & lychnorum. quamobrem excutiemus omnes istorum delicias, omnes ineptias si prodierint. sed si me audiant, nauent aliam operam, aliam ineant gratiam, in aliis se rebus ostentent, uigeant apud istam mulierem venustate, dominetur sumptibus, haereãt, iaceãt, deseruiant; capiti vero innocentis, & fortunis parcant. At sunt serui illi, de cognatorum sententia, nobilissimorum & clarissimorum hominum, manumissi. Tandem aliquid inueniemus, quod ista mulier de suorum propinquorum fortissimorum virorum, sententia, atque auctoritate feciße dicatur. sed scire cupio, quid habebat argumenti ista manumissio: in qua aut crimen est Coelio quaesitum, aut quaestio subleuata, aut multarum rerum conscius seruis cum causa praemium persolutum. at propinquis placuit. cur non placeret, cum rem tu te ad eos non

ab aliis tibi allatam, sed a te ipsa compertam deferre diceres? hic etiam miramur, si illam commenticiam pyxidem obscenissima sit fabula consecuta? nihil est, quod in eiusmodi mulierem non cadere videatur. audita, & pervulgata, & per celebrata sermonibus res est. percipitis animis, iudices, iamdudum quid uelim, uel potius, quid nolim dicere. quod etiam si est factum, certe a Coelio nō est facturo. quid enim attinebat? est enim ab aliquo fortasse adolescente non tam insulso, quam non verecundo. sin autem est fictum: non illud quidem modestum sed tamen non est infacetum mendacium. quod profecto numquam hominum sermo, atque opinio comprobasset, nisi omnia, quae cum turpitudine aliqua dicerentur, in istam quadrare apte viderentur.

EXPLANATIO

P. LICINIO] non arbitror hunc esse P. Licinium Crassum, Marci filium, Ciceronis propter elo-quētiā studiosissimū, maioribus enim vt opinor, laudibus vel ipsius, vel patris caussa, qui aderat, eum ornasset. AD *balneas Xenias*] Baiarum partem, sumpto nomine ab hospitibus accipiēdis. HINC *illae lacrumae*] hinc odium Clodiae, quod se cōtemni doleret, quod discidium ferre non posset. Verba Sosiae sunt apud Terentium in And. CALCEATI] calceis in publico, domi soleis vtebantur. RECIPERENTVR: ja balneatore. NISI *forte*,] Clodia, familiaris ei facta, id ab eo impetrasset. QVADRANTARIA *illa permutatione*] dicit, illa, tamquam de re nota fama enim peruulgata erat, quod ex Plutarcho liquet, adolescentem quendam in Clodiae loculos pro nummis argenteis quadrantes aereos immisisse. Cum hoc loco alterum cōiungit, balneatori Clodiam, facta sui copia, familiarem esse potuisse: vt stuprum quasi loco quadrantis esset, quem balneator ab ij, qui lauarent, mercedem suam accipere soleret. Et in hoc quoq; quadrantaria permutatio est. quadrante in stuprū permutato. Horatius sat. 3. lib. 1. Quadrante lauato. Seneca rem quadrantariam balneum vocat. ep. lib. XIII. Iuuenalis sat. 6. Caedere Siluano porcū, quadrante lauari. Quinctilianus lib. IIX. c. 6. Quadrantariā Clytemnestrā a Coelio dicit appellatā: quod vt Clytemnestra virum suum Agamemnonē, sic Metellū Clodia necasset. NISI *a viris honestissimis*.] mea sententia delendū est, Nisi negatur enim, Clodiā id impetrare potuisse, quamquam potens admodum esset, a viris honestissimis. ad negandum aūt sufficit, Numquam: si addatur, Nisi, ex negatione fiet affirmatio. HAEC *tota fabella*] figmentū esse dicit Clodiae, quae, tam quam vetus poetria, fabulā hanc finxerit: cum alias quoque plurimas ante finxisset. vt astutam & perita malarū artiū mulierē accusat. SINE *argumento*?] inanis, nulla subiectare: cū ceterae fabulae carere argumēto non soleant: AD *se reuocarent maximi facinoris crimen*] Inā si viderūt, ergo, conscij. non enim, illis videntibus, nisi consciis, pyxidem Licinius tradidisset. MIMI] qui differt a fabula, non modo quia caret clausula, sed etiam quia turpia liberius imitatur. Mimis excelluere eodē tempore Laberius, & Publius. vide Gellium, & Macrobium. LYCHNORVM.] ergo cenae illae in noctem productae, quod intemperantiae fuit. EXCVTIEMVS] detegemus: vt excussis hominibus, reperiuntur ea, quae latebant. MANVMISSI.] vt optime de domina meriti, ad quam tantum facinus detulissent. ALIQVID] quasi alia omnia pro sua libidine fecerit. CRIMEN *Coelio quaesitum*.] vt ideo manumissi viderentur, quia fideles in dominam fuissent, eiq. de veneno significassent. QVAESTIO *subleuata*.] quis non videt, sublata esse rectius. quaeri enim de seruis manumissis non licebat. CVM *caussa*] caussa videbatur haec, quia Coelianum facinus ad dominam detulissent: sed alia caussa erat, nempe, vt multarum rerum conscijs praemium persolueretur. Animaduertēdum loquendi genus, Cum caussa, pro, per speciem, per similitudinem. quod in orat. pro Domo dixit, Cum, tu, in annonae caritate, in consules, in senatum, in bona fortunasq. locupletum, per caussam inoptum, atque imperitorū, repētinos impetus comparares. Per caussam, ideſt cū caussa. quasi plebis infimae inopiā subleuare velles. Et huius lib. 2. Per caussam renouati ab Aequis bellis. Lib. IV. Vt per caussam aliquā in angustijs sustineret a tergo agmen. Suetonius in Othone. Per caussam legationis: in Vespasiano, Per caussam valetudinis. Tibullus el. 6 lib. 1. Saepe, velut gēmas eius, signumq. probarem, „ Per caussam memini me tetigisse manū Per speciē idē Liuius saepe dixit. NON *ab aliis tibi allatā*.] vt dubitari quidquā posse videretur. ILLAM *commenticiam pyxidem*] quae nulla fuit, sed a vobis reperta quo magis veneni crimen probaretur. OBSCENISSIMA *fabula*] fabula quidem, sed obscenissima, cum summo Clodiae dedecore. ea quae fuerit, non constat, ipso Cicerone verborum turpitudinem vitante: Venereamquidem rem significari, & in eum vsum quaesitam esse pyxidem a Clodia, licet intelligere, sequitur enim: Nihil est, quod in eiusmodi mulierem non cadere videatur. EST *enim*] fictum. NON *tam insulso*. non illum quidem insulsum dixerim, sed non verecundum, qui tam obscenam fabulam, si modo est fabula, sit commentus.

ORATIO

DICTA *est a me caussa, iudices, & perorata. Iam intelligitis, quantum iudicium sustineatis, quanta res sit commissa uobis. De ui quaeritis: quae lex ad imperium, ad maiestatem, ad statum patriae, ad salutem omnium pertinet: quam legem Q. Catulus, armata dissensione ciuium, reip. paene extremis temporibus, tulit: quaeq. lex, sedata illa flamma consulatus mei, fumantis reliquias coniurationis exstinxit, hac enim lege Coelii*

adolescentia

adoleſcentia non ad reip. paenas ſed ad mulieris, libidines, & delicias depoſcitur. atque hoc etiam loco M. Camurti, & Ceſerni damnatio praedicatur. o ſtultitiam, ſtultitiam ne dicam, an impudentiam ſingularem? audetis ne, cum ab ea muliere veniatis, facere iſtorum bonorum mentionem? audetis ne excitare tanti flagitij memoriam, non exſtinctam illam quidem, ſed repreſſam vetuſtate? quo enim illi crimine, peccatoq. perierunt? nempe quod eiuſdem mulieris dolorem, & iniuriam Vettiano nefario ſunt ſtupro perſecuti. ergo, vt audiretur Vetti nomen in cauſſa, vt illa vetus Afranij fabula reficaretur, iccirco Camurti, & Ceſerni cauſſa eſt renouata? qui quamquam lege de vi certe non tenebantur, eo maleficio tamen erant implicati, vt ex nullius legis laqueis emittendi viderentur. M. vero Coelius cur in hoc iudicium vocatur? cui neque proprium quaeſtionis crimen obijcitur, nec vere aliquid eiuſmodi, quod ſit a lege ſeiunctum, & cum veſtra ſeueritate coniunctum. cuius prima aetas dedita diſciplinis fuit, ijſq. artibus, quibus inſtruimur ad hunc vſum forenſem, ad capeſſendã remp. ad honorem, gloriam, dignitatem. iis autem fuit amicitiis maiorum natu, quorum imitari induſtriam, continentiamq. maxime velit; iis aequalium ſtudiis, vt eundem, quem optimi, ac nobiliſſimi, petere curſum laudis videretur. cum autem paullum iam roboris acceſſiſſet aetati, in Africam profectus eſt, Q. Pompeio proconſuli contubernalis, caſtiſſimo viro, atque omnis officii diligentiſſimo: in qua prouincia cum res erant, & poſſeſſiones paternae, tum etiam vſus quidam prouincialis, non ſine cauſſa a maioribus huic aetati tributus. diſceſſit illinc Pompeii iudicio probatiſſimus, vt ipſius teſtimonio cognoſcetis. Voluit vetere inſtituto. eorum adoleſcentium exemplo qui poſt in ciuitate ſummi viri, & clariſſimi ciues exſtiterunt, induſtriam ſuam a populo R. ex aliqua illuſtri accuſatione cognoſci. veliem alio potius eum cupiditas gloriae detuliſſet: ſed abiit huius tempus querellae. accuſauit C. Antonium collegam meum: cui miſero praeclari in remp. beneficii memoria nihil profuit, nocuit opinio maleficii cogitati. poſtea nemini conceſſit aequalium, plus vt in foro, plus vt in negotiis verſaretur, cauſſiq. amicorum; plus vt valeret inter ſuos gratia. quae, niſi vigilantes homines, niſi ſobrii, niſi induſtrii, conſequi non poſſunt omnia labore, & diligentia eſt conſecutus. in hoc flexu quaſi aetatis (nihil enim occultabo fretus humanitate, ac ſapientia veſtra) fama adoleſcentis paullum haeſit ad metas notitia noua mulieris, & infelici vicinitate, & inſolentia voluptatum. quae cum incluſae diutius, & prima aetate compreſſae, & conſtrictae fuerunt, ſubito ſe nonnumquam profundunt, atque eiiciunt vniuerſae, qua ex vita, vel dicam, quo ex ſermone: nequaquam enim tantum erat, quantum homines loquebantur: verum ex eo, quidquid erat, emerſit, totumq. ſe eiecit, atque exiulit: tantumq. abeſt ab illius familiaritatis infamia, vt eiuſdem nunc ab ſeſe inimicitias odiumq. propulſet. atque, vt iſte interpoſitus ſermo deliciarum, deſidiaeq. moreretur, (feci meher culc inuito, & multum repugnante me, ſed tamen feci) nomen amici mei de ambitu detulit: quem abſolutum inſequitur, reuocat, nemini noſtrum obtemperat: eſt violentior, quam vellem. ſed ego non loquor de ſapientia; quae non cadit in hanc aetatem: de impetu animi loquor, de cupiditate vicendi. de ardore mentis ad gloriam: quae ſtudia in his iam aetatibus noſtris contractiora eſſe debent: in adoleſcentia vero, tamquam in herbis, ſignificant, quae virtutis maturitas, & quantae fruges induſtriae ſint futurae. etenim ſemper magno ingenio adoleſcentes refrenandi potius a gloria, quam incitandi fuerunt: amputanda plura ſunt illi aetati, ſi quidem efflorеſcit ingenii laudibus, quam inſerenda. quare, ſi cui nimium efferbuiſſe videtur huius vel in ſuſtipiendo, vel in gerendis inimicitiis ſuis, ferocitas pertinacia; ſi quem etiam minimorum horum aliquid offendit, ſi purpurae genus, ſi amicorum cateruae, ſi ſplendor, ſi nitor: iam iſta deſeruerint; iam aetas omnia, iam dies mitigarit.

EXPLANATIO

Q. Catvlvs, [minor conſul, Armata *diſſenſione ciuium.*] bellum ciuile collega Lepido mouente. Sedata *illa flamma*] pulſo Catilina, ciuitate caedis, vrbe incendij periculo liberata. Fvmantis] poteſt accipi vel accuſandi, vel generandi caſu. &, Fumantis, quia dixerat, flamma: nam, ſedata flamma, fumus remanet. Reliqvias] qui in vrbe remanſerunt, poſt profectionem Catilinae: quos vt oſtendat iure caeſos, & ſe inuidia, culpaq liberet, exſtinctos eſſe dicit Lutatia lege de vi. M. camvrti, & *Ceſerni*] malim legere, & Camurtij, & C. Eſernij: vt ſuum vtrique praenomen ſit, & Camurtius, Eſernius nomina ſint familiarum. Perierunt?] damnati ſunt. Persecvti.] vlt. Vettiano autem ſtupro, a Vettio cum Clodia commiſſo. nam cum inter eos poſtea ortae eſſent inimicitiae; mulier ad vlciſcendum dolorem iniuriamq. ſuam opera Camurtij & Eſerniij vſa eſt: quid illi pro Clodia contra Vettium fecerint, obſcurum eſt: damnatos autem eſſe pro eo quod fecerãt, cognoſcitur. Afranii *fabula*] recitata ab accuſatoribus in illo iudicio Camurtij, & Eſernij. Certe *non tenebantur*] maleficium eorum vis non fuerat. de vi tamen damnati ſunt. Vt *ex nullius legis laqueis emittendi viderentur.*] quacunque lege eſſent accuſati, elabi nulla ratione potuiſſent. Haec verba Ciceronis hoc videntur indicare: praedicaſſe Coelij accuſatores damnationem Camurtij, & Eſernii, vt oſtenderent, ſi illi de vi dãnati eſſent, cũ tamẽ lege de vi non tenerentur, quãto magis Coeliũ, qui Clodiã veneno tollere voluerit, damnari oportere. Hic Cic primũ ſtultitiã atq. impudentiã accuſatorum reprehẽdit, qui de illa dãnatione loqui auderent, cuius culpã ipſa Clodia ſuſtineret: deinde, Quid ſimile? ait: illi iure damnati ſunt lege de vi, licet ea lege non tenerentur: & omnino maleficiũ eorũ erat eiuſmodi, vt dãnari eos neceſſe videretur, quacumq. lege eſſent accuſati. at Coelius cur de vi accuſatur? quae vis ei obijcitur? Illi, ẽt ſi lege de vi nõ tenerẽtur tamẽ aliquid, ab ea lege ſeiunctũ, cõmiſerant, quo puniri deberẽt. at Coelio neq. obiicitur crimẽ quaeſtionis huiuſce quae de

ui eſt,

ui est proprium: neque tamen quidquam, a quaestione & a lege seiunctum, in quo vestram seueritatem ostendere debeatis. AD *hunc vsum forensem*] vsum dicendi, eloquentiam. AD *capessendam remp.*] nam ad honores aditum patefaciebat eloquentia. Capessere, non est suscipere, sed administrare: vt exemplis intelligitur. AMICITIIS] de vita & moribus Coelij, ne quid ei seiunctum a lege obijci possit, argumenta sumit ex puerili disciplina ex amicitijs maiorum natu, ex aequalium studijs, ideest ex ijs studijs, quibus aequales eius verae laudis cupiditate incensi, tenerentur. NOBILISSIMI] cum ipse equestri loco esset: vt nobilitate inferior gloriae tamen studio non concederet. Q. POMPEIO] quamquā proconsul dicatur, Africā tamen post, praeturam rexit. eū adhuc viuere declarant illa verba, Vt ipsius testimonio cognoscetis. CONTVBERNALIS] vt vsu rerum peritior euaderet. optima tūc erat adolescentium disciplina, vt apud claros viros, magistratum gerentes, in contubernio viuerēt. sic L. Gellius C. Carbonis, eloquentissimi viri, contubernalis in consulatu fuit: vt in Bruto: sic L. Torquatus Ciceronis consulis: vt in orat. pro Sulla. Iā in ep. ad Rufum lib. v. Scito a me & tribunos mil. & praefectos, & cōtubernales duntaxat meos delatos esse. Cōtubernales & illi erant, de quibus ait Gracchus apud Gelliū lib. xv c. 12. Nulla apud me fuit popina: neque pueri eximia facie stabant: sed in conuiuio liberi vestri modestius erant, quā apud principem. CASTISSIMO] integerrimo. Pro Plancio: Fuit in Creta contubernalis Saturnini. ACCVSAVIT] de maiestate. PRAECLARI *in remp. beneficii*] caeso cum omnibus copijs Catilina. MALEFICII *cogitati.*] contra remp. conscius enim, & particeps coniurationis fuisse, creditum est. aliter Dio lib. XXXIX sed auctor Cic. grauior, & certior. infra. Qui hominem consularem, quod ab eo rem violatam diceret, in iudicium vocarit. HAESIT *ad metas*] offendit. translatio a quadrigis in Circo currentibus: quae si ad metas haerent, victoriae praemium amittunt. NOMEN *amici mei de ambitu detulit:*] patris Atratini: de quo supra. PVRPVRAE *genus,*] in tunica. nam etsi nondum erat senator, tunicam tamē purpureis distincta clauis vtebantur: quod equitibus Romanis licebat. sed in equestri tunica minores erant claui, quam in senatoria. vnde Veleius de Maecenate: Vixit angusto clauo contentus: ideest, equestri ordine. Hac igitur purpura delectabatur Coelius elegantiore, & splendidiore, quam fere adolescentes reliqui solerent.

ORATIO

CONSERVATE *igitur reip. iudices, ciuem bonarum partium, bonorum partium, bonorum virorum. promitto hoc vobis, & reip. spondeo; si modo nos ipsi reip. satisfecimus, numquam hunc a nostris rationibus seiunctum fore. quod cum fretus nostra familiaritate promitto, tum quod durissimis se ipse legibus iam obligarit. neque enim potest, qui hominem consularem, quod ab eo remp. violatam diceret, in iudicium vocarit, ipse esse in reip. ciuis turbulentus: non potest, qui ambitu non absolutum quidem patitur esse absolutum, ipse impune umquam esse largitor. habet a M. Coelio resp. iudices, duas accusationes, vel obsides periculi, vel pignora voluntatis. quare oro, obtestorq. vos, iudices, vt, qua in ciuitate paucis his diebus Sex. Clodius absolutus sit; quem vos per biennium aut ministerum seditionis, aut ducem vidistis, qui aedes sacras, qui censum populi R. qui memoriam publicam suis manibus incendit; hominem sine re, sine fide, sine spe, sine fortunis, ore, lingua, manu, vita omni inquinatum; qui Catuli monumentum afflixit, meam domum diruit, mei fratris incendit: qui in Palatio atque in vrbis oculis seruitia ad caedem, & inflammandam vrbem incitauit; in ea ciuitate ne patiamini illum absolutum muliebri gratia. M. Coelium libidini muliebri condonatum; ne eadem mulier cum suo coniuge & fratre turpissimum latronem eripuisse, & honestissimum adolescentem oppressisse videatur. quod cum huius vobis adolescentiam proposueritis, constituitote vobis ante oculos huius etiam miseri senectutem, qui hoc vnico filio nititur, in huius spe requieuit, huius vnius casum pertimescit; quem vos supplicem vestrae miseri-cordiae, seruum potestatis abiectum non tam ad pedes, quam ad mores sensusq. vestros, vel recordatione parentum vestrorum, vel liberorum iucunditate sustentate; vt in alterius dolore, vel pietati, vel indulgentiae vestrae seruiatis. nolite, iudices, aut hunc, iam natura ipsa occidentem, velle maturius exstingui vulnere vestro, quam suo fato; aut hunc, nunc primum florescentem firmata iam stirpe virtutis, tamquam turbine aliquo, aut subita tempestate peruertere. conseruate parenti filium, parentem filio; ne aut senectutem iam prope desperatam contempsisse, aut adolescentiam plenam spei maximae non modo non aluisse vos, sed etiam perculisse, atque afflixisse videamini. quem si vobis, si suis, si reip. conseruatis; addictum, deditum, obstrictum vobis, ac liberis vestris habebitis; omniumq. huius nerui, ac laborum vos portissimum, iudices, fructus vberes, diuturnosq. capietis.*

EXPLANATIO

A NOSTRIS *rationibus*] a nostris institutis, a communi bono. DVAS] vnam C. Antonij, alteram Atratini patris, illam de maiestate, hanc de ambitu. SEX. *Clodius*] P. Clodij satelles. ABSOLVTVS *sit,*] eiusdem gratia mulieris, quae nunc Coelium oppugnat. PER *biennium*] Pisone & Gabinio cos. quo anno P. Clodius tribunus pl. Ciceronem vrbe expulit: & Lentulo, Metello cos. quo Cicero restitutus est. AEDES *sacras*] aedem Nympharum: vt in orat. pro Milone, & in Paradoxis.

xis. CENSVM *populi Romani*] censorias tabulas. in eadem oratione. ORE, *lingua*,] fellator esse putabatur. vnde in orat. pro Domo: Hanc tibi legem Clodius scripsit, spurciorem lingua sua. Eribidem, ex interuallo: Quaere hoc ex Clodio, scriptore legum tuarum: iube adesse. Latitat omnino: sed, si requiri iusseris, inuenient hominem apud sororem tuam, occultantem se capite demisso. CATVLI *monumentum*] Catuli porticum in Palatio, exstructam de Cimbricis manubijs: quam simul Clodius cum Ciceronis domo, adiutore Sex. Clodio, ex quadam parte diruit. ep. 2. & 3. ad Att. lib. IV. ABSOLVTVM] ad Q. fr. lib. 2. Vnum accidit imprudentia Milonis incommode, de Sex. Clodio: quem neque hoc tempore, neque ab imbecillis accusatoribus mihi placuit aceusari. CVM *suo coniuge, & fratre*] P. Clodio. supra: Quod quidem facerem vehementius, nisi intercederent mihi inimicitiae cum huius mulieris viro. fratrem volui dicere: semper hic erro. QVOD *cum huius*] Quod, pro sed, vt in Verrem lib. 1. Quod vos oblitos esse non arbitror, quae multitudo, qui ordo ad Pisonis sellam isto praetore solitus sit conuenire. Lib. 2. Quod ego nisi meo aduentu illius conatus aliquantulum repressissem. In eodem lib. IV. Quod vbi intellexi, multum apud illum recentes nuncios, multum tabulas non commendaticias, sed tributarias valuisse. VEL *pietati, uel indulgentiae*] pietati, quae parentibus, indulgentiae, quae liberis debetur. VOS *potissimum iudices*,] a quibus illum conseruatum se esse, perpetuo meminerit.

IN. ORA-

IN ORATIONEM CICERONIS
PRO L. CORNELIO BALBO.
PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS

ARGVMENTVM

L. Gellius, Cn. Cornelius consules legem ex senatus sententia tulerunt, vti ciues Romani essent ij, quos Cn. Pompeius imperator, magnis in Hispania rebus gestis, de consilij sententia sigillatim ciuitate donasset. ex ea lege Pompeius L. Cornelium Balbum, cuius virtutem ac fidem in eo bello cognouerat, ciuitatis iure donauit. id accusator irritum esse dicebat: quoniam ex foederato populo nemo posset, nisi is populus fundus factus esset, in ciuitatem Romanam venire: Gaditanum populum, cum Balbus ciuitate donaretur, fundum factum non esse: ergo donationem illam ratam esse non posse. Tota caussa pendet a foedere, ideſt ab interpretatione eorum verborum, vt populus fundus fieret. aliter enim accusator, aliter ea Cicero interpretabatur: accusator sic, fundum fieri populum, cum auctor esset eius rei, quã alienaret: Cicero, cum acciperet vnam, pluresve leges Romae latas, vt ijs legib. in posterum, aeque ac populus Romanus, vteretur, & in populo fœderato, tamquam in aliquo fundo, leges eae residerent. quam sententiam Gellius lib. xvi. cap. 13. commotus, opinor, auctoritate Ciceronis comprobauit. quamquam idem lib. xix. cap. 8. a Cicerone & a seipso dissentiens, fundũ accipit pro eo, qui auctor est, & qui approbat. Haec ego, inquit, dixi, non vt huius sententiae, legisq. fundus subscriptorq. fierem; sed vt ne Caesaris, viri docti, opinionem ἀπαραμύθητον destituerem. Mihi omnino Festus Pompeius, & Plautus vertorem esse accusatoris interpretationem, Ciceronem autem, seruientem caussae, sensum peruertisse, facile persuadent. quid

enim

enim apertius ijs uerbis Festi? Fundus dicitur populus esse rei, quam alienat, hoc est auctor. Nec obscurum illud Plauti in Trin. Nunc mihi is propere conueniendus est; ut, quae cum eius, Filio egi, ei re fundus pater sit potior eo. Acta caussa est Marcellino & Philippo cos. ut ex ipsa colligitur oratione: quod suo loco ostendam. L. Cornelius Balbus appellatur, quia, licet a Pompeio sit ciuitate donatus, beneficium tamen illud L. Cornelij Lentuli gratia consecutus est: a quo & praenomen, & nomen de more sumpsit. atque is Lentulus uidetur esse, qui belli ciuilis anno primo consul fuit: quod quidem ex epistola Balbi licet intelligere, quae inter eas ad Attic. lib. IX. legitur. Idem Balbus, cum adoptatus esset a Theophane Mytilenaeo, Pompeij liberto, Theophanis cognomen accepit. id apud Capitolinum in Balbino scriptum est his verbis: Familiae vetustissimae, vt ipse dicebat, a Balbo Cornelio Theophane originem ducēs, qui per Cn. Pompeium ciuitatem meruerat, cum esset suae patriae nobilissimus, idemque historiae scriptor. Et in hac oratione: Adoptio Theophanis agitata est. Est autem hic Balbus maior, procurator Caesaris, qui apud eum gratia plurimum valuit, & consulatum Augusto imperante gessit. eius fratris filius, Balbus minor de Garamantibus triumphauit, auctore Plinio lib. v. cap. 5. lib. VII. cap. 37. Strabone lib. III. Solino cap. 42. cum quibus fasti Capitolini consentiunt.

M. TVLLII CICERONIS
PRO L. CORNELIO BALBO
ORATIO XXXV.

SI auctoritates patronorum in iudicijs valerent, ab amplissimis viris L. Cornelij causa defensa est; si usus, a peritissimis; si ingenia, ab eloquentissimus; si studia, ab amicissimis, & cum beneficijs cum L. Cornelio, tum maxima familiaritate coniunctis. quae sunt igitur meae partes? auctoritatis tantae, quantam vos in me esse voluistis; usus mediocris; ingenij minime voluntati paris. nam ceteris, a quibus est defensus, hunc debere plurimum video: ego, quantum ei debeam, alio loco ostendam. Principio orationis hoc oppono, me omnibus, qui amici fuerint saluti meae, & dignitati, si minus referenda gratia satisfacere potuerim, at praedicanda, & habenda certe satis esse facturum.

EXPLANATIO

AB. AMPLISSIMIS *uiris*] Cn. Pompeio, M. Crasso. QVI *amici fuerint saluti meae, & dignitati,*] in quibus potissimum Pompeius fuit.

ORATIO

QVae fuerit hesterno die Cn. Pompeij grauitas in dicendo, iudices, quae facultas, quae copia, non opinione tacita vestrorum animorum, sed perspicua admiratione declarari videbatur. nihil enim vmquam audiui, quod mihi de iure subtilius dici videretur; nihil de memoria, de more, de exemplis acutius; nihil peritius de foederibus; nihil illustriore auctoritate de bellis; nihil de rep. grauius; nihil de ipso modestius; nihil de causa, & crimine ornatius: vt mihi iam verum videatur illud esse, quod nonnulli litterati, ac studijs doctrinisq.editi quasi quiddã incredibile dicere putabantur; eum, qui omnes animo virtutes penitus comprehendisset, omnia, quae facere vellet, facillime tractare. Quæ enim in L. Crasso potuit, homine nato ad dicendi singularem quandã facultatem, si hanc causam ageret, maior esse vbertas, varietas, copia, quam fuit in eo, qui tantum potuit impertire huic studio temporis, quantum ipse a pueritia vsque ad hanc ætatem a continuis bellis & victorijs conquieuit? quo mihi difficilior est hic extremus perorandi locus. etenim ei succedo orationi, quae non praeterlecta sit aures vestras, sed in animis omniũ penitus insederit: vt plus voluptatis ex recordatione illius orationis, quam nõ modo ex mea, sed ex cuiusquam oratione capere possitis. sed mos est gerendus non modo Cornelio, cuius ego voluntati in eius periculis nullo modo deesse possum; sed etiam Cn. Pompeio, qui sui facti, sui iudicij, sui beneficij voluit me esse, vt apud cosdẽ vos iudices nuper in alia causa fuerim, & praedicatorem, & auctorem. Ac mihi quidem hoc dignum reo videtur, hoc deberi huius excellentis viri praestantissimae gloriæ, hoc proprium esse vestri officii, hoc satis esse causae, vt, quod feciße Cn. Pompeium constet, id omnes & licuisse concedant. nam verius nihil est, quam quod hesterno die dixit ipse, ita L. Cornelium de fortunis omnibus dimicare, vt nullius in delicti crimen vocaretur. non enim furatus esse ciuitatem, non genus suum ementitus, non aliquo impudenti mendacio delituisse, non irrepsisse in censum dicitur. vnum obiicitur, natum esse Gadibus: quod negat nemo. ceterum accusator fatetur, hunc in Hispania durissimo bello cum Q. Metello, cum M. Memmio & in classe, & in exercitu fuisse, &, vt Pompeius in Hispaniã venerit, Memmiumq. habere quaestorem coeperit, nũquam a Memmio discessisse; Carthaginem esse profectum; acerrimis illis proeliis, & maximis, Sucronensi, & Duriensi, interfuisse; cum Pompeio ad extremũ belli tẽpus fuisse. haec sunt proelia Cornelii, talis in remp. nostram labor, assiduitas, dimicatio, virtus digna summo imperatore, spes pro periculis praemiorum. præmia quidem ipsa non sunt in eius facto, qui adeptus est, sed in eius, qui dedit. donatus igitur est ob eas causas a Cn. Pompeio ciuitate. id accusator non negat, sed reprehendit; vt in Cornelio causa ipsius probetur, poena quaeratur; in Pompeio causa laedatur, poena sit nulla. sic famam, sic innocentissimi hominis fortunas, praestantissimi imperatoris factum condennari volunt. ergo in iudicium caput Cornelii, factum Pompeii uocatur. hunc enim in ea ciuitate, in qua sit natus, honestissimo loco natum esse concedis, & ab ineunte aetate, relictis reb. suis omnibus, in nostris bellis, nostris cum imperatoribus esse versatum, nullius laboris, nullius obsessionis, nullius proelii expertem fuisse. haec sunt omnia cum plena laudis, tum propria Cornelii: nec in his rebus crimen est vllum. ubi igitur est crimen? quod eum Pompeius ciuitate donauit. huiusce ne crimen? minime: nisi honos ignominia putanda est. cuius igitur? re vera nullius, actione accusatoris, eius vnius, qui donauit. qui si adductus gratia minus idoneum hominem praemio affecisset; qui etiam si uirum bonum, sed non ita meritum, si denique aliquid, quod non contra, ac liceret, factum diceretur, sed contra, atque oporteret: tamen esset omnis eiusmodi

mali

mali reprehensio a vobis iudices, repudianda, nunc vero quid dicitur? quod ait accusator fecisse Pompeium, quod ei facere non licuerit? quod grauius est, quam si id factum ab eo diceret, quod non oportuisset. est enim aliquid, quod non oporteat, etiam si licet: quidquid vero non licet, certe non oportet. hic ego nunc coner sic agere, iudices, non esse fas dubitari, quin, quod Cn Pompeium fecisse cōstet, id non solum decuisse, sed etiam debuisse fateatur? quid enim abest huic homini, quod si adesset, iure hoc tribui, & concedi putaremus? usus ne rerum? qui pueritiae tempus extremum principium habuit bellorum, atque imperiorum maximorum, cuius plerique aequales minus saepe castra viderunt, quam hic triumphauit: qui tot habet triumphos, quot orae sunt, partesq. terrarum; tot victorias bellicas, quot sunt in rerum natura genera bellorum. an ingenium? cum etiam ipse casus, euentusq. rerum non duces, sed comites eius consiliorū fuerint: in quo uno ita summa fortuna contra summa virtute certauit, vt omnium iudicio plus, quam possit, minus quam decet, tribueretur. an pudor, an integritas, an religio in eo, an diligentia vnquam requisita est? quem prouinciae nostrae, quem liberi populi, quem reges, quem exterae gentes castiorem, moderatiorem, sanctiorem, non modo viderunt, sed aut sperando vnquam, aut optando cogitauerunt? quid dicam de auctoritate? quae tanta est, quanta in his tantis virtutibus, ac laudibus esse debet, cui senatus populusq. R. amplissimae dignitatis praemia dedit non postulanti, imperia vero etiam recusanti, huius de facto, iudices, ita quaeri, vt id agatur, licuerit ne ei facere quod fecit, an vero, non dicam, non licuerit, sed nefas fuerit, (contra foedus enim, id est contra populi R. religionem, & fidem fecisse dicitur) non turpe populo R. non ne vobis? audiui hoc de parente meo puer, cum Q. Metellus L.F. caussam de pecunys repetundis diceret, ille, ille vir, cui patriae salus dulcior, quam conspectus, fuit, qui de ciuitate decedere, quam de sententia, maluit; hoc igitur caussam dicente, cum ipsius tabulae circumferrentur inspiciendi nominis caussa, fuisse iudicem ex illis equitibus R. grauissimis viris, neminem, quin remoueret oculos, & se totum auerteret; ne forte, quod ille in tabulas publicas retulisset, dubitasse quisquam, verum ne, an falsum esset, videretur. nos Cn. Pompeij decretum, iudicium de consilij sententia pronunciatum, recognoscemus? cum legibus conferemus? cum foederibus, quorum acerbissima diligentia est, pertendemus? Athenis aiunt, cum quidam apud eos, qui sancte grauiterq. vixisset, & testimonium publice dixisset, &, vt mos Graecorum est, iurandi caussa ad aras accederet, una voce omnes iudices, ne is iuraret, reclamasse. tum Graeci homines, spectati viri, noluerint religione videri potius, quam veritate, fidem esse constrictam: nos etiam in ipsa religione & legum & foederum conseruanda qualis fuerit Cn. Pompeius, dubitabimus? vtrum enim, inscientem vultis contra foedera fecisse, an scientem? si scientem; o nomen nostri imperij, o populi R. excellens dignitas, o Cn. Pompeij sic late longeq. diffusa laus, vt eius gloriae domicilium communis imperij finibus terminetur; o nationes, vrbes, populi, reges, tetrarchae, tyranni, testes Cn. Pompeij non solum virtutis in bello, sed etiam religionis in pace: vos denique mutae regiones imploro, & sola terrarum vltimarum, vos maria, portus, insulae, litoraque: quae est enim ora, quae sedes, qui locus, in quo non exstent huius cum fortitudinis, tum vero humanitatis, tum animi, tum consilij impressa vestigia? hunc quisquam, incredibili quadam, atque inaudita grauitate, virtute, constantia praeditum, foedera scientem neglexisse, violasse, rupisse, dicere audebit? Gratificatur mihi gestu accusator: inscientem Cn. Pompeium fecisse significat. Quasi vero leuius sit, cum in tanta rep. versere, & maximis negotijs praesis, facere aliquid quod scias non licere, an omnino nescire quid liceat. etenim, cum in Hispania bellum acerrimum, et maximum gesserat, quo iure Gaditana ciuitas esset, nesciebat? an cuius linguam populi non nosset, interpretationem foederis non tenebat? id igitur, quisquam, Cn. Pompeium ignorasse, dicere audebit, quod mediocres homines quod nullo usu, nullo studio militari praediti, quod librarioli denique scire profiteantur? equidem contra existimo, iudices, cum in omni genere, ac varietate artium, etiam illarum, quae sine summo otio non facile discuntur, Cn. Pompeius excellat, singularem quandam laudem eius & praestabilem esse scientiam in foederibus, pactionibus, condicionibus populorum, regum, exterarū nationum, in vniuerso denique belli iure, ac pacis, nisi forte, quae nos libri docent in vmbra, & otio, ea Cn. Pompeium neque, cum requiesceret, litterae, neque, cum rem gereret, res ipsae docere potuerunt.

EXPLANATIO

HESTERNO *die*] ante Pompeium igitur dixerat Crassus. DE. IVRE] ciuitatis. SVETILIVS] subtiliter, & acute, non idem sunt: quod hic locus ostendit. nam cum Pompeij diuersae virtutes commemorentur septem: de prima subtilius, de secunda dicitur acutius. est autem subtilitas orationis, quae singula persequitur, nihil vt res ea, quae agitur, desiderare possit. quae maxime virtus in disputādo requiritur. lib. 2. off. Alia est illa, cū veritas ipsa limatur in disputatione, subtilitas. Acad. 1. Zeno, cū Arcesilam anteiret, & per acute moueretur, corrigere conatus est disciplinā. DE *memoria*,] hoc si refertur ad memoriam antiquitatis, superuacaneum videtur, ob ea, quae sequuntur. & intergessas. GRAVIVS quod ipsa postulat reip. dignitas DE *caussa, & crimine*] criminis loco ponebat accusator, quod Balbus in ciuitatem contra foedus veniisset, in quo scriptum erat, nequis ciuis Romanus fieri posset, nisi populus eius fundus factus esset. NON *nulli literati* quinam praeter Stoicos? qui sapientē tenere virtutes omnes affirmabant: vt facile, cum vellet, omnia tractare posset. OMNES *animo virtutes*] morales significat, quae vel sine litterarū studio comprehendi oēs animo possunt quod ēt litterati homines nonnulli, qui contra potius videntur sentire debuisse, verū tamen esse existimarunt. OMNIA, *quae facere vellet, facillime tractare*. Ne videatur amicitiae caussa Pompeium laudasse

cui tribuit ea,quae litterarum scientiam requirerent,a qua ille longe aberat, qui totam aetatem in bellis consumpserat,excogitauit hanc sententiam,vt eum ornaret omnibus virtutibus, quae nullo doctrinae studio,comprehendi animo possent:vt,hoc posito, facilem esse Pompeio rerum omniũ tractationem ostenderet.HIC *extremus perorandi locus.*]in quo plurimum pollet oratio.ideo Ciceroni tribuebatur.quod ipse gloriatur in Bruto.SVI *facti.*]quod Balbũ ciuitate donauerit.APVD *eosdem vos, iudices.*]ergo in alia causa de iure ciuitatis.AVCTOREM.]approbatorem.nã auctor est, & qui futurum aliquid,& qui praeteritum probat.Hoc *dignum reo videtur*]hoc Balbo,pro suis erga me meritis proq. sua innocentia,concedendum.FVRATVS *esse ciuitatem.*]vt multi,tribus modis,vel quod genus mentirentur,seq. Romanae gentis esse dicerent,qui non essent:vel quod alio impudenti mẽdacio suam peregrinitatem obtegerent;vel quod,quamquam ciues Romani nõ essent, in censum tamen irrepsissent,vt in posterum ex ipso censũ ciues haberentur.DVRISSIMO *bello*]quod cum Sertorio,uaria fortuna gestum est Q METELLO,]Pio,Numidici filio.VT *Pompeius in Hispaniam venit,*]Sertorianum bellum gerebat Metellus: qui cum sufficere non videretur,Pompeius a Sulla missus est.MEMMIVMQ *habere quaestorem coeperit,*]qui Metelli quaestor fuerat ante aduẽtum Pompeij. QVAESTOREM.]quamquam eques Romanus adhuc Pompeius esset.verum quia cum imperio proconsulis ad id bellum missus est,ideo quaestorem habere potuit.CARTHAGINEM]Nouam:ut caperetur.SVCRONENSI,*& Durienſi.*]apud duo flumina Sucronem & Duriam.Plutarchus in Pompeio,& Sertorio qua de re haec apud Sallustium in epistola Pompei ad senatum. Castra hostiũ apud Sucronem capta,& proelijs apud flumen Duriam & dux hostium C. Herenius cum vrbe Valentia, & exercitus deleti satis clara vobis sunt.NON *sunt in eius facto,*] non sunt considerandatamquam factum Balbi, sed tamquam Pompeij qui dedit.AD *extremum belli tempus.*]anno demum decimo,duorum ducum virtute,sed praecipua Pompeij vigilantia,confectum illud bellum est, SVMMO *imperatore,*]Pompeio. SPES *praemiorum.*]ideo Romanae ciuitatis honorem consecutus est.CAVSSA *ipsius*] meritum.POENA]vt ei ciuitas adimatur. CAVSSA *laedatur,*]improbetur caussa. quasi enim facere non debuerit id quod fecit,ita factum illius damnatur;nõ vt in eum tamen poena recidat, sed vt in Balbum.CAPVT]quia ciuitatis ademptio,capitis imminutio est.ACTIONE *accusatoris,*]id enim agit, vt Pompeij factum rescindatur:non quasi Balbus peccauerit,cuius caussam probat,cum eum fatetur optime de rep. meritum;sed quasi Pompeij crimen sit,cum eum ciuitate donauit. QVOT *orae sunt parteſq. terrarum:*]triumphauit ex Africa primũ,Hiarba Numidiae rege victo; deinde ex Hispania,caeso Perperna,Sertoriani belli duce; postremo ex Asia,Mithridate, & Tigrane deuictis. ITA *summa fortuna cum summa virtute certauit,*] simille illud de Prouincijs: sic fortuna cum improbitate certauit,vt nemo posset,vtrum deterior,an infelicior esset iudicare.Et illud lib. IV. in Verr. Erat ea varietate operum vt ars certare videretur cũ copia.NON *postulanti:imperia vero etiam recusanti,*]ego sic,vel contra veteres omnes libros,sententiam secutus emendaui antea vero, Non postulanti imperia,verum etiam recusanti.de quo tamen liberum cuique iudicium relinquo,Q.METELLVS Numidicus L F addidit vt eum distingueret a Q Metello Balearico Q F.DE *pecuniis repetundis*]ex qua prouincia,mihi nondum cõstat:nisi forte ex Numidia;quam sortitus cum Iugurtha bellum gessit: CVI *patriae salus dulcior,quam conspectus,fuit.*]cum iurare nollet in legem Saturnini tribuni pl. quam iniquissimam iudicabat,in exsulium missus est.Val Max.lib.III.cap 8 Epitome lib.LXIX.Appianus EQVITIBVS *Romanis,*]qui soli tum iudicabant ex lege C. Gracchi.QVIN *remouerent oculos,*] scribit ad Att lib.I.tandem rem his verbis:Tabulas Metelli Numidici cum eae,vt mos est,circumferrentur, nostri iudices ad picere noluerunt.Et Valerius Max.lib.2.cap.10 DECRETVM, de Balbo ciuitate donando.IVDICIVM ipsius Pompeij de Balbo supra.Qui sui facti sui iudicij sui beneficij me voluit esse,ut apud uos iudices nuper in alia caussa fuerim & praedicatorem,& auctorem.DE *consilij sententia* lex a Gelio & Lentulo cos.Lata iubebat,vti ciues Romani essent ij,quos Cn.Pompeius de consilij sententia sigillatim ciuitate donasset.PRONVNCIATVM,]in cõcione.RECOGNOSCEMVS?]ut, recte ne factum sit,cõsideremus. Eodem sensu in Vatinium:Defendebatur testibus collegis suis,non recitandi caussa,legisse,sed recognoscendi,PERTENDEMVS?]pertẽdere,plus est,quam conferre.pertendit enim,qui rem cum re ex omni parte ita confert, ut in uitium diligentia delabatur. itaque Varro dictam ait a pertendendo pertinaciam.CVM *quidam apud eos.*]quem hic non nominat Xenocratem philosphum fuisse & ipse dicit lib I.ad Att & Valerius Max.lib.2.cap.2.& Laertius.VT *eius gloriae domicilium, omnis imperii finibus terminetur.*]ornat eadẽ laude Cęsarẽ in ea de Prouincijs Quoniam,inquit,C.Caesar abest longissime,atque in ijs est nunc locis quae regione orbẽ terrarũ,rebus illius gestis imperium populi Romani definiunt INTERPRETATIONEM.nã si Gaditana lingua scriptum foedus non intelligebat,poterat tamen Latinis explanatum litteris intelligere.

ORATIO

ATQVE, *vt ego sentio, iudices, caussa dicta est temporis magis.ego non huius inquam,generis iudicii plura dicam.est enim huius saeculi labes quaedam, & macula,virtuti inuidere,velle ipsum florem dignitatis infringere. etenim, si Cn. Pompeius adhinc annos quingentos fuisset, is vir, a quo senatus adolescentulo, atque equite R. saepe communis salutis auxilium expetisset; cuius res gestae omnes gentes cum clarissima victo-*

Landesbibliothek Oldenburg

via terra mariq. peragrassent; cuius tres triumphi testes essent, totum orbem terrarum nostro imperio teneri; quē populus Rom. singularibus honoribus decoraßet: si nunc apud vos id, quod is fecisset, contra foedus factum diceretur, quis audiret? nemo profecto: mors enim cum extinxisset inuidiam, res eius gestae sempiterni nominis gloria niterentur. cuius igitur audita virtus dubitationi locum non daret, huius praesens, experta, atque perspecta, obtrectatorum voce laedetur? omittam igitur Pompeium iam oratione mea reliqua: sed vos, iudices, animis ac memoria tenetote. de lege, de foedere, de exemplis, de perpetua consuetudine ciuitatis nostrae renouabo ea, quae dicta sunt. nihil enim mihi noui, nihil integre neque M. Crassus, qui totam causßam & pro facultate, & pro fide sua diligentissime nobis explicauit; neque Cn. Pompeius, cuius oratio omnibus ornamentis abundauit, ad dicendum reliquit. sed, quoniam, me recusante, placuit ambobus adhiberi hunc a me quasi perpoliendi quēdam operis extremum laborem; peto a vobis, vt me officij potius, quam dicendi, studio hanc suscepisse operam, ac munus putetis. ac, prius, quam aggrediar ad ius, causßamq. Cornelij, quiddam de communi condicione omnium nostrum, deprecandae maleuolentiae causßa, breuiter commemorandum videtur. Si, quo quisque loco nostrum est, iudices, natus, aut si, in qua fortuna est nascendi initio constitutus, hunc vitae statum vsque ad senectutem obtinere debet; & si omnes, quos aut fortuna extulit, aut ipsorum illustrauit labor, & industria, poena sunt afficiēdi: non grauior L. Cornelio, quam multis viris bonis, atque fortibus, constitui lex vitae, & condicio videtur. sin autem multorum virtus, ingenium, humanitas ex infimo genere, & fortunae gradu non modo amicitias, & rei familiaris copias consecuta est, sed summam laudem, honores, gloriam, dignitatem: non intelligo, cur potius inuidia violatura virtutem L. Cornelij, quam aequitas vestra pudorem eius adiuuta uideatur. itaque, quod maxime petendum est, a vobis iccirco non peto, iudices, ne de vestra sapientia, atque de vestra humanitate dubitare videar. est autem petendum, ne oderitis ingenium, ne inimici sitis industriae, ne humanitatem opprimendam, ne virtutem puniendam putetis. illud peto, vt, si causßam ipsam per se firmam esse & stabilem videritis, hominis ipsius ornamenta adiumento causßae potius, quam impedimento, esse malitis.

EXPLANATIO

CAVSSA *dicta est*] hactenus & mendo verba vacant, nec in sententia vitij quidquam est. ea, quae sequuntur, valde perturbata. sensus hic fortasse fuit: se locutū esse de Pompeio potius, quam de caussa: nunc ea dicturum, quae ad legem, ad foedus, ad exempla, moremq. ciuitatis pertinent: de quibus iudicium est. paulo post: Omittam igitur Pompeium in oratione mea reliqua: de lege, de foedere, de exemplis, de perpetua consuetudine ciuitatis nostrae renouabo ea, quae dicta sunt.

ORATIO

NASCITVR, *iudices, caussa Cornelij ex ea lege, quam L. Gellius, Cn. Cornelius, ex senatus sententia tulerunt: qua lege videmus satis esse sancti, vti ciues R. sint ij, quos Cn. Pompeius de consilij sententia sigillatim ciuitate donauerit. donatum esse L. Cornelium, praesens Pompeius dicit, indicant publicae tabulae. accusator fatetur, sed negat ex foederato populo quemquā potuisse, nisi is populus fundus factus esset, in hanc ciuitatem venire. o praeclarum interpretem iuris, auctorem antiquitatis, correctorem, atque emendatorem nostrae ciuitatis, qui hanc poenam foederibus adscribat, vt omnium praemiorum, beneficiorumque nostrorum expertes faciat foederatos. quid enim potuit diei imperitius, quam foederatos populos fieri fundos oportere? nam id non magis est proprium foederatorum, quam omnium liberorum. sed totum hoc, iudices, in ea fuit posita semper ratione, atque sententia, vt, cum iussisset populus R. aliquid, si id adsciuissent socij populi ac Latini, & si ea lex, quam nos haberemus, eadem in populo aliquo tamquam in fundo, resedisset, vt tum lege eadem is populus teneretur: non vt de nostro iure aliquid minueretur; sed vt illi populi aut iure eo, quod a nobis esset constitutum, aut aliquo commodo, aut beneficio vterentur. tulit apud maiores nostros legem C. Furius de testamentis, tulit Q. Voconius de mulierum haereditatibus innumerabiles aliae leges de ciuili iure sunt latae: quas Latini voluerunt, adsciuerunt: ipsa denique Iulia, qua lege ciuitas est socijs & Latinis data, qui fundi populi facti non essent, ciuitatem non haberent. in quo magna contentio Heraclienſium, & Neapolitanorum fuit; cum magna pars in ijs ciuitatibus iuris sui libertatem ciuitati anteferret. postremo haec vis est istius & iuris, & verbi, vt fundi populi beneficio nostro, non suo iure fiant; cum aliquid populus R. iussit, id si est eiusmodi, vt quibusdam populis siue foederatis, siue liberis permittendum esse videatur, vt statuant ipsi, non de nostris, sed de suis rebus, quo iure vti velint: tum, vtrum fundi facti sunt, an non, quaerendum esse videatur: de nostra vero rep. de nostro imperio, de nostris bellis, de victoria, de salute fundos populos fieri noluerunt. atqui, si imperatoribus nostris, si senatui si populo R. non licebit, propositis praemijs, elicere ex ciuitatibus sociorum, atque amicorum fortissimum atque optimum quemque ad subeunda pro salute nostra pericula: summa vtilitate, ac maximo saepe praesidio in periculis, atque asperis temporibus carendum erit. sed, per deos immortales quae est ista societas, quae amicitia, quod foedus, vt aut nostra ciuitas careat in suis periculis Massiliēsi propugnatore, careat Gaditano, careat Saguntino; aut, si quis ex illis populis sit exortus, qui nostros duces auxilio, labore, commeatu, periculo suo iuuerit, qui cum hoste nostro comminus in acie saepe pugnarit, qui se saepe telis hostium, qui dimicationi capitis, qui morti obiecerit, nulla condicione huius ciuitatis praemijs offici possit? etenim in populum R. graue est, non posse vti socijs excellēti virtute praeditis, qui velint cum periculis nostris sua communicare: in socios vero ipsos,*

& in

Landesbibliothek Oldenburg

& in eos, de quibus agimus, foederatos iniuriosum, & contumeliosum est, ijs praemijs, & ijs honoribus exclusos esse fidelissimos, & coniunctissimos socios, quae pateant stipendiarijs, pateant hostibus, pateant saepe seruis. nam & stipendiarios ex Africa, Sicilia, Sardinia, ceteris prouincijs multos ciuitate donatos videmus; & qui hostes ad nostros imperatores perfugissent, et magno usui reip. nostrae fuissent, scimus ciuitate esse donatos. seruos denique, quorum ius & fortunae condicio infima est, bene de rep. meritos persaepe libertate, id est ciuitate, publice donari videbamus.

EXPLANATIO

SATIS *esse sancti,*]sancitum, rectius. SIGILLIATIM] quia alij antea multos simul ciuitate donauerant. infra. VT *tum*]animaduerte, Vt, iteratum sine caussa: quod alibi quoque obseruauimus. C. FVRIVS] Fusiam legem appellat lib. III. in Verrem: & ita legendum vbique arbitror. VOCONIVS] huius legis mentio fit lib. III. in Verrem, in Catone, lib 2 de fin IVLIA] a L. Iulio Caesare consule, lata anno primo socialis belli. QVI *fundi populi facti non essent.*]qui populi leges eas non adsciuissent, & quibus in populis leges eae, tamquam in fundo non resedissent. sic enim Cicero verba foederis interpretatur malitiose, vt arbitror: de quo dixi iam in argumento IVRIS *sui libertatem*]ergo municipia quaedam legibus suis viuebant, ea scilicet, quae ciuitatem habebant sine suffragio: de quibus loquitur Gellius lib. XVI. cap. 13. & Liuius lib. IX. adducto trium Hernicorum populorum exemplo. BENEFICIO *nostro*]cum eis leges nostras communicamus. NON *suo iure*] non vt impedire possint, quo minus quos velimus, ciuitate donemus. QVO *iure vti velint:*]velint ne nostris potius, quam suis, vti legibus. QVAERENDVM *esse*]non in fortibus viris ciuitate donatis: quod nunc accusator quaerit. STIPENDIARIIS,]qui sunt deteriore condicione, quam foederati. de quo diximus in Diuin. PVBLICE *donari videbamus.*]malim, Videmus: cum supra dixerit, Videmus, Scimus.

ORATIO

HANC *tu igitur, patrone foederum, ac foederatorum, conditionem statuis Gaditanis, tuis ciuibus, vt, quod ijs, quos Gaditanis adiutoribus armis subegimus, atque in ditionem nostram redegimus, liceat, si populus R. permiserit, vt ab senatu, ab imperatoribus nostris ciuitate donentur, id ne liceat ipsis? qui si suis decretis, legibus ve sanxissent, ne quis suorum ciuium castra imperatorum populi R. inirent, ne quis se pro nostro imperio in periculum capitis, atque in vitae discrimẽ inferret; Gaditanorum auxilijs, cum vellemus, vti nobis non liceret; priuatim vero ne quis vir & animo, & virtute praecellens pro nostro imperio, periculo suo, dimicaret: grauiter id iure ferremus, minui auxilia populi Romani debilitari animos fortissimorum virorum, alienigenarum nos hominum studijs, atque externa virtute priuari. Atqui nihil interest, iudices, vtrum haec foederati iura constituant, vt ne cui liceat ex his ciuitatibus ad nostrorum bellorum pericula accedere; an, quae nos eorum ciuibus virtutis caussa tribuerimus, ea rata esse non possint. nihil enim magis vteremur his adiutoribus, sublatis praemijs virtutis, quam si omnino bis versari in nostris bellis non liceret. etenim, cum pro sua patria pauci post genus hominum natum reperti sint, qui, nullis praemijs propositis, vitam suam hostium telis obiecerint: pro aliena rep. quemquam fore putatis, qui se opponat periculis, non modo nullo proposito praemio, sed etiam interdicto? Sed cum est illud impertitissime dictum de populis, fundis, quod commune liberorum est populorum, non proprium foederatorum; ex quo intelligi necesse est, aut ex socijs ciuem fieri posse, aut etiam posse ex foederatis: tum vero ius omne nostri esse magistri mutandae ciuitatis ignorat: quod est, iudices, non solum in legibus publicis positum, sed etiam in priuatorum voluntate. iure enim nostro neque mutare ciuitatem quisquam inuitus potest, neque, si velit, mutare non potest, modo adsciscatur ab ea ciuitate, cuius esse se ciuitatis velit: vt, si Gaditani scinerint nominatim de aliquo ciue R. vt sit is ciuis Gaditanus magna potestas sit nostro ciui mutandae ciuitatis, nec foedere impediatur, quo minus ex ciue R. ciuis Gaditanus possit esse. duarum ciuitatum ciuis esse nostro iure ciuili nemo potest: non esse huius ciuitatis ciuis, qui se alij ciuitati dicarit, potest. neque solum dicatione, quod in calamitate clarissimis viris Q. Maximo, P. Laenati, Q. Philippo Nuceriae, C. Catoni Tarracone, Q. Caepioni, P. Rutilio Smirnae vidimus accidisse, vt earum ciuitatum fierent ciues; hanc ante amittere non potuissent, quam huius solum ciuitatis mutatione vertissent: sed etiam postliminio potest ciuitatis fieri mutatio. neque enim sine caussa de Cn. Publicio Menandro, libertino homine, quem apud maiores legati nostri in Graeciam proficiscentes interpretem secum habere voluerunt, ad populum latum, vt is Publicius, si domum reuenisset, & inde Romam redisset, ne minus ciuis esset. multi etiam superiore memoria ciues R. sua voluntate, indemnati, & incolumes, bis rebus relictis, alias se in ciuitates contulerunt. quod si ciui R. licet esse Gaditanum sine exsulio, siue postliminio, siue reiectione huius ciuitatis, (vt iam ad foedus veniam, quod ad caussam nihil pertinet: de ciuitatis enim iure, non de foederibus, disceptamus) quid est, quamobrem ciui Gaditano in hac ciuitatem venire non liceat? equidem longe secus sentio. nam, cum ex omnibus ciuitatibus via sit in nostram; cumq. nostris ciuibus pateat iter ad ceteras ciuitates: tum vero, vt quaeque nobiscum maxime societate, amicitia, sponsione, pactione, foedere coniuncta est, ita mihi maxime communionem beneficiorum, praemiorum ciuitatis continere videtur. atqui ceterae ciuitates non dubitarent nostros omnes recipere in suas ciuitates, si idem*

nos iuris haberemus, quod ceteri: sed nos non possumus & huius esse ciuitatis, & cuiusuis praeterea: ceteris concessum est: itaque in Graecis ciuitatibus videmus, Athenis Rhodios, Lacedaemonios, ceteros undique adscribi, multarumq. esse eosdem homines ciuitatum. quo errore ductos vidi egomet nonnullos imperitos homines, nostros ciues, Athenis in numero iudicum, atque Areopagitarum, certa tribu, certo numero; cum ignorarent, si illam ciuitatem essent adepti, hanc se perdidisse, nisi postliminio recuperassent. peritus vero nostri iuris, ac moris nemo umquam, qui hanc ciuitatem retinere vellet, in aliam ciuitatem se dicauit. Sed hic totus locus disputationis, atque orationis meae, iudices, pertinet ad commune ius mutandarum ciuitatum; nihil habet, quod sit proprium religionis, ac foederum. defendo enim rem vniuersam, nullam esse gentem ex omni regione terrarū neque tam dissidentem a populo R. odio quodam, atque dissidio, neque tam fide, beneuolentiaq. coniunctam, ex qua nobis inter dictum sit, vt ne adsciscere ciuem, aut ciuitate donare possimus.

EXPLANATIO

TVIS *ciuibus,*] erat igitur Gaditanus accusator, sed ciuis Romanus. AVT *etiam posse ex foederatis:*] quod si ex foederatis posse negas, idem negas ex omnibus populis liberis: quando quidem ille ex populis liberis multi donati ciuitate sunt; nec quaesitum est, quod tu nunc in Balbo quaeris, vtrū ij populi fundi facti essent, an non. DICATIONE] cum se ciues nostri sua sponte alijs ciuitatibus dicarunt. *In calamitate*] cum a iudicibus condemnati essent. QMAXIMO,] ignota mihi historia. P. LAENATI,] P. Popillio, consulari viro C. Gracchi lege pulso, postea restituto: vt in orat. Post Red. in sen. QPHILIPPO,] neque de hoc quidquam legi. NVCERIAE,] in opido libero. C. CATONE] de repetundis damnat, propter XIIX millia H-S non amplius, agentibus Mamertinis. in Verrem lib. VI. QCAEPIONI,] damnato de repetundis ex Gallia, post consulatum, quem cum C. Atilio Serrano gessit. Gellius, Strabo, alij. P. RVTILIO] damnato ab equitibus Romanis, quod in Asia quaestor Scaeuolae prouinciales ab eorū iniurijs defendisset. Cicero, Asconius, alij. POSTLIMINIO] si quis, aliqua ciuitate donatus, & inde priorem in patriā reuertisset, eam ciuitatem, qua donatus erat, postliminio amittere dicebatur. LIBERTINO *homine,*] cognomen ipsum libertinum hominem indicat. Is *Publicius,*] glossema fortasse, Publicius. DOMVM,] veterem patriam. REIECTIONE *huius ciuitati:*] malim, Relictione: cum duxerit. His rebus relictis. SPONSIONE,] cum duae ciuitates vicissim spondent, aliquid se esse facturas. RECVPERASSENT.] lata lege ad populum, ne ciuitatem Romanam amitterent: vt latum est de Publicio, Menandro.

ORATIO

O *iura praeclara, atque diuinitus iam inde a principio Romani nominis a maioribus nostris cōparata; ne quis nostrū plus quam vnius ciuitatis esse possit; (dissimilitudo enim ciuitatum varietatem iuris habeat, necesse est) ne quis inuitus ciuitate mutetur; ne ve in ciuitate maneat inuitus. haec sunt enim fundamenta firmissima nostrae libertatis: sui quemque iuris et retinendi, & dimittendi esse dominum. Illud vero sine vlla dubitatione maxime nostrum fundauit imperium, & populi R. nomen auxit, quod princeps ille, creator huius vrbis, Romulus foedere Sabino docuit, etiam hostibus recipiendis augeri hanc ciuitatem oportere, cuius auctoritate, & exemplo numquam est intermissa a maioribus nostris largitio, & communicatio ciuitatis. itaque & ex Latio multi, & Tusculani, & Lanuuini, & ex ceteris generibus gentes vniuersae in ciuitatem sunt receptae, vt Sabinorum, Volscorum, Hernicorum: quibus ex ciuitatibus nec coacti essent ciuitatem mutare, si qui voluissent; nec, si qui essent ciuitatem nostram beneficio populi R. consecuti, violatum foedus eorum videretur. At enim quaedam foedera exstant, vt Germanorum, Insubrium, Heluetiorum, Iapidum, nonnullorum item ex Gallia barbarorum: quorum in foederibus exceptum est ne quis eorum a nobis ciuis recipiatur. quod, si exceptio facit, ne liceat: ibi necesse est licere, vbi non est exceptū. vbi est igitur exceptum foedere Gaditano, vt ne quē populus R. Gaditanum recipiat ciuitate? nusquam. ac si cubi esset, lex id Gellia & Cornelia, quae definite potestatem Pompeio ciuitatem donandi dederat, sustulisset. exceptum est, inquit: foedus si quidem sacrosanctum est. ignosco tibi, si neque Poenorum iura calles: reliqueras enim ciuitatem tuam: neque nostros potuisti leges inspicere: ipsae enim te a cognitione sua iudicio publico repulerunt. quid fuit in rogatione ea, quae de Pompeio a Gellio & a Lentulo cos. lata est. in qua aliquid sacrosanctū videretur? primum enim sacrosanctum esse nihil potest, nisi quod populus plebs ve sanxisset: deinde sanctiones sacrandae sunt aut genere ipso aut obtestatione & cōsecratione legis, aut poenae, cum caput eius, qui contra facit, consecratur. quid habes igitur dicere de Gaditano foedere eiusmodi? vtrum, a capitis consecratione, an obtestatione legis sacrosanctum esse confirmas? nihil omnino umquam de isto foedere ad populum, nihil ad plebē, neque legem, neque poenam, latum esse dico. de quibus etiam si latum esset, ne quem ciuem reciperemus, tamen id esset, quod populus postea iussisset, ratum: neque quid quam illis verbis, sit. quid. sacrosanctum est, esse exceptum videretur. de his cum populus R. nihil umquam iusserit, quid quam audes dicere sacrosanctum fuisse?*

EXPLA-

EXPLANATIO

NE QVIS *nostrum plus, quam unius ciuitatis esse possit;*] rectius videtur, Vnius ciuitatis ciuis esse. VARIETATEM *iuris*] neminem autem decet vario iure viuere. MVTARETVR;] Mutetur, malim: vt cõgruat cum, Possit, Maneat. NE *quis inuitus ciuitate mutetur;*] ne populi quidem iussu. quo pertinent illa pro Domo: Ius a maioribus nostris ita comparatum est, vt ciuis Romanus libertatem nemo posset inuitus amittere. ciuitatem vero nemo vmquam vllo populi iussu amittet inuitus. Populus Romanus, L Sulla dictatore ferente comitijs centuriatis, municipijs ciuitatem ademit, ademit ijsdem agros. de agris ratum est: fuit enim populi potestas: de ciuitate ne tam diu quidem valuit, quamdiu illa Sullani temporis arma valuerunt. VIOLATVM *foedus eorum uideretur.*] vt violatum in Balbo foedus Gaditanum accusator dicit. EXCEPTVM *est, inquit.*] in foedere Gaditano: si quidem sacro sancta sunt foedere. Argumentum accusatoris. Quod sacro sanctum est, violari non licet. foedera sacrosancta sunt ergo nullam foederati populi partem, nisi populus ipse consentiat, licet attingere. Non consensit populus Gaditanus in Balbo: ciuitatem igitur Balbus mutare non potuit. quamquam in ipso foedere disertis verbis non sit exceptum, ne quem populus Romanus Gaditanum recipiat ciuitate. Argumentum Cicero refellit earum rerum definitione, quae sacrosanctae sunt. POENORVM *iura*] Gaditanorum nam & Gaditanum accusatorem fuisse, supra dictum est: & Gades Poenorum colonia fuit. RELIQVERAS] aliquo crimine. nam in verbo, Reliqueras, hoc tacite significatur. IVDICIO *publico*] quo damnatus es. REPVLERVNT.] damnatio legum cognitione priuat: quia damnati, praesertim iudicio publico, non praeficiuntur publicis muneribus. ita leges inspicere, & cognoscere nõ possunt. IN *qua aliquid sacro sanctum uideretur?*] lego cum duobus antiquis libris, vno Fuluij Vrsini, altero Mafaeiano: In qua aliquid sacrosanctum exceptum videretur? hoc sensu. scriptum est in Gellia & Cornelia lege, vt excipiatur si quid sacrosanctum est: (hoc enim infra patet) ipsa tamē lex proprie nihil nominat, quod vt sacrosanctum excipiat. At excipit, si quid sacrosanctum est Quid tum? non ideo excipit foedus Gaditanum: quod sacrosanctum non est; cum de eo populus nihil iusserit SANCTIONES] ea, quae populus, plebsue sancit. SACRANDAE *sunt*] rectius, opinor, Sacrosanctae sunt. GENERE *ipso.*] verbis ipsis, quibus obtestatur lex, ne quis contra faciat. AVT *obtestatione & consecratione legis;*] perspicue mendosus locus: quem ex ijs, quae sequuntur, ita restituo: Vt obtestatione legis haec enim interpretatio est ad illud, Genere ipso. quod vero delemus, Et consecratione; id ea ratione facimus, quia de consecratione; subiungitur, Aut poena, cum caput eius, qui contra facit, consecratur: vt idem bis dici non oporteat. duobus enim modis sanctiones sacrosanctae sunt, aut obtestatione legis, aut poena. atque haec distinctio perspicue cognoscitur infra, cum ait: Vtrum a capitis consecratione, an obtestatione legis sacrosanctum esse confirmas? Totum igitur locum, sublatis mendis sententiam obscurantibus, ita legendum existimo. Sanctiones sacrosanctae sunt aut genere ipso, vt obtestatione legis, aut poena, cum caput eius qui contra facit, consecratur. NIHIL *omnino umquam de isto foedere ad populum, nihil ad plebem.*] tertia ratio cur sacrosanctum non possit esse foedus Gaditanum. dixerat enim iam: Sacrosanctum esse nihil potest, nisi quod populus, plebsue sanxisset. NEQVE *legem, neque poenam;*] glossema hoc puto. nam, vt ostendatur, sacrosanctum foedus esse non posse, satis est dicere, nihil de eo neque ad populum, neque ad plebem latum esse: quod referetur ad illud supra dictum: Sacrosanctum esse nihil potest, nisi quod populus, plebsue sanxisset. nam si populus, plebsue non sancit: lex non fertur. & cum lex non feratur, quid sacrosanctum esse potest? absunt enim & consecratio capitis, & obtestatio legis. DE *quibus*] de Gaditanis. ETIAM *si latum esset.*] in foedere, de quo populus, plebsue sanxisset. QVOD *populus postea iussisset.*] iussit aut postea populus, legem ferentibus Gellio & Lentulo cos. vti ciues Romani essent ij, quos Cn. Pompeius de consilij sententia figillatim ciuitate donasset. ILLIS *uerbis,*] quae sunt in lege Gellia, & Cornelia: quae non impediunt, quo minus id, quod populus postea iussit, ratum sit.

ORATIO

NEc uero haec oratio mea ad infirmandum foedus Gaditanorum, iudices, pertinet. neque enim est meum, contra ius optime meritae ciuitatis, contra opinionem uetustatis, contra auctoritatem senatus dicere. duris enim quondam temporibus reip. nostrae, cum praepotens terra mariq. Carthago, nixa duabus Hispanijs, huic imperio immineret; & cum duo fulmina nostri imperij subito in Hispania Cn. & P. Scipiones exstincti occidissent: L. Marcius primipili centurio cum Gaditanis foedus iciisse dicitur. quod cum magis fide illius populi, iustitia uestra, uetustate denique ipsa, quam aliquo publico uinculo religionis, tenerentur, sapientes homines, & publici iuris periti, Gaditani, M. Lepido, Q. Catulo cos. a senatu de foedere postulauerunt. tum est cum Gaditanis foedus uel renouatum, uel ictum. de quo foedere populus R. sententiam non tulit, qui initio suo nullo pacto potest religione obligari. ita Gaditana ciuitas, quod beneficiis suis erga remp. nostram consequi potuit, quod imperatorum testimoniis, quod uetustate, quod Q. Catuli, summi uiri, auctoritate, quod iudicio senatus, quod foedere, cõsecuta est: quod publica religione sanciri potuit, id abest: populus enim se nusquam obligauit. neque ideo est Gaditanorum causa deterior: grauissimis enim & plurimis rebus est fulta. sed isti disputationi

certe

certe nihil est loci: sacrosanctum enim nihil potest esse, nisi quod per populum, plebem ve sancitum est. quod si hoc foedus, quod populus R. auctore senatu, commendatione, & iudicio vetustatis, voluntate, & sententijs suis comprobat, idem suffragiis comprobasset: quid erat, cure x ipso foedere Gaditanum in ciuitatem nostram recipi nō liceret? nihil est enim aliud in foedere, nisi vt pia, & aeterna pax sit, quid id ad ciuitatem? adiunctum illud etiam est, quod non est in omnibus foederibus; Maiestatem populi R. comiter conseruent. id habet hanc vim, vt sit ille in foedere inferior. primum, verbi genus hoc Conseruandi, quo magis in legibus, quam in foederibus, vti solemus, imperantis est, non precantis: deinde, cum alterius populi maiestas conseruari iubetur, de altero siletur; certe ille populus in superiori conditione, causaque ponitur, cuius maiestas foederis sanctione defenditur. in quo erat accusatoris interpretatio indigna responsione; qui ita dicebat, Comiter esse communiter quasi vero priscum aliquod, aut insolitum verbum interpretaretur, comes, benigni, faciles, suaues homines esse dicuntur, qui erranti comiter monstrant viam, benigne, non grauate: communiter quidem certe non conuenit. & simul absurda res est, caueri foedere, vt maiestatem populi R. communiter conseruent; idest, vt populus R. suam maiestatem esse saluam velit. quod si iam ita esset, vt esse non potest: tamen de nostra maiestate, nihil de illorum, caueretur. potest ne igitur nostra maiestas a Gaditanis benigne conseruari, si ad eam retinendam Gaditanos praemiis elicere non possumus? potest esse vlla denique maiestas si impedimur quo minus per populum R. beneficiorum virtutis causa tribuendorum potestatem imperatoribus nostris deferamus?

EXPLANATIO

CN. ET P. *Scipiones*] Cnaeus pater eius, qui vir optimus a populo Romano iudicatus, Idaeā matrem aduectam e Phrygia, sui manibus accepit. Publius Africani maioris. OCCIDISSENT: Joplib. XXV. PRIMI *pili centurio*,] summus ordo inter pedites legionarios. nam in legione tria peditum genera erāt, hastati, principes, triarij, & in singulis deni cēturiones, his nominibus, primus hastatus, secundus hastatus, tertius, vsque ad decimū: primus princeps, secundus, & similiter. in triarijs, omniū fortissimis, alia ratio. non enim dicebāt, primus triarius, sed, primipilus, aut primipili cēturio. priscis aūt temporibus primus cēturio, auctore Liuio qui lib. VII. ita scripsit: Alternis prope annis & tribunus mil. & primus cēturio erat, quē nunc primipilum appellāt Cic. ad Att. lib. VI. Cohortē primā totā perdidit, centurionemq. primipili Asinū Dentonē. Caesar lib 2. bel Gal. Primipilo P. Sextio Baculo. Liuius lib. XLIV. Placere, rribunum mil. primipilo legionis secretum edere imperium. Idē Caesar lib. v. & Liuius lib. VII. primipilum ducere, Plinius aūt lib. XXII. cap 6. primumpilum capessere, pro administrare, dixit. Hic igitur inter centuriones triariorum honore primus erat, ideſt primus in sua legione, post tribunū mil. qui parebat legato, sicuti legatus consuli, Aquilae, signo legionis praeerat & cum non posset nobiliorē inter cēturiones locum obtinere, a primo pilo ad tribunatum mil. ascēdebat: interdūq. rursus primūpilū capessere nō recusabat. propterea dixit Liuius; Alternis prope annis & tribunus mil. & primus cēturio erat, quē nunc primipilum appellāt. Hic venit in mentē quaeri posse, quo nomine primipilus a reliquis triariorum centurionibus distingueretur. Opinor, vt secundus hastatus, tertius hastatus, secundus princeps, tertius princeps, & deinceps, itidē, ecūdus triarius, tertius, quartus vsque ad decimum, dictum esse. distinctio enim necessaria est, quae aūt verisimilior, quā quae sequitur exemplum? ALIQVO *publico vinculo religionis*,] aliquo populi Romani iussu, quo populus vterque religione obligaretur; vt deinde sacrosanctū foedus illud esset: propterea dicit infra Veterē illā speciē foederis Marciani: pro, imaginē quādā foederis. non vere foedus, de quo populus nihil sanxisset. Atque haec verba tantum ad populū spectant. nā de senatu nō dicitur, publ. religio, sed de populo, de quo paulo post; Quod publica religione sanciri potuit, id abest. PVBLICI *iuris periti*,] veriti, ne foedus illud Marcianum, quod neque senatus, neque populus comprobasset, ratum non esset. A. SENATV *de foedere postulauerunt*.] Senatus decreuit, populus sentētiam non tulit ideo foedus quidem est, non tamen sacrosanctum. FOEDERE,] Catuli. NIHIL *est enim aliud in foedere*.] vnde igitur sumebat accusator illa verba, fundum populum fieri oportere? ex alijs fortasse foederibus. QVI *erranti comiter monstrant viam*.] trāstulit huc Ennij versum: Vt homo, qui erranti comiter monstrat viam: ex off. lib. I.

ORATIO

SED, *quid ego disputo, quae mihi tum, si Gaditani contra me dicerent, vere posse dici viderentur? illis enim repetentibus L. Cornelium, respondere, legem populum R. iussisse de ciuitate tribuenda, hoc genere legum fundos populos fieri non solere, Cn. Pompeium de consilii sententia ciuitatem huic dedisse, nullum populi nostri iussum Gaditanos habere; itaque nihil esse sacrosanctum, quod lege exceptum videretur; si esset, tamen in foedere nihil esse cautum, praeter pacem, additum etiam esse aliud, vt maiestatem illi nostram conseruare deberent: quae certe minueretur, si aut adiutoribus illorum ciuibus vti in bellis nobis non liceret, aut praemii tribuendi potestatem nullam haberemus. nunc vero quid ego contra Gaditanos loquar, cum id, quod defendo, voluntate eorum, auctoritate, legatione ipsa comprobetur? qui a principio sui generis, ac reip. ab omni studio, sensuq. Poe-*

Landesbibliothek Oldenburg

norum mentes suas ad nostrum imperium, nomenq. flexerunt: quos, cum maxima bella nobis inferrentur, moenibus excluserunt classibus insecuti sunt, corporibus, copiis, opibus depulerunt: qui & veterem illam speciem foederis Marciani semper omni sanctiorē Marte duxerunt; & hoc foedere Catuli, senatusq. auctoritate se nobiscum coniunctissimos esse arbitrati sunt: quorum moenia, delubra, agros, ut ipse Hercules itinerum, ac laborum suorum, sic maiores nostri imperii, ac nominis populi R. terminos esse voluerunt. testantur & mortuos vestros imperatores, quorum viuit immortalis memoria, & gloria, Scipiones, Brutos, Horatios, Crassos, Metellos; & hunc praesentem Cn. Pompeium, quem procul ab eorum moenibus acre & magnum bellum gerentem, commeatu, pecuniaq. iuuerunt; & hoc tempore ipso populum R. quem in caritate annonae, vt saepe ante fecerant, frumento suppeditato leuauerunt; se hoc ius esse vellе, vt sibi, & liberis, si qui eximia virtute fuerint, sit in nostris castris, sit in imperatorum praetoriis, sit denique inter signa atque in acie locus, sit his gradibus adscensus etiam ad ciuitatem. quod si Afris, si Sardis, si Hispanis, agris stipendioq. multatis, virtute adipisci licet ciuitatem; Gaditanis autem, officiis, vetustate fide, periculis, foedere coniunctis hoc idem non licebit: non foedus sibi nobiscum, sed iniquissimas leges impositas a nobis esse arbitrabuntur.

EXPLANATIO

LEGEM *populum Romanū iussisse de ciuitate tribuenda,*] latam a Gellio, & Lentulo: vt Pompeius, cui vellet, ciuitatem dare posset. Hoc *genere legum fundos populos fieri non solere*:] non enim huiusmodi leges a populis accipiuntur, sed eae, quibus in publicarum rerū administratione, aut in iure ciuili vtantur. Fūdos populos, hic accipiendū e sententia Ciceronis, in quibus leges a populo Romano latae tamquā in fundo residerent. quod Cicero temporis caussā sensit, accusatore aliter, & vt arbitror, recte interpretante. DE *consilii sententia*] non temere, vel gratiae caussā, sed de consilij sentētia, approbātibus ijs, quos in castris magnarū rerū consiliarios habebat. supra: Nos Cn. Pompeij decretū, iudicium de consilij sententia prouinciatū recognoscemus? NVLLVN *populi nostri iussum Gaditanos habere*;] quod aūt populus non iussit id sacrosanctum esse non posse. foedus igitur eorū sacrosanctum non est: nō enim de eo populus sententiam tulit NIHIL *esse sacrosanctum, quod legere exceptum uideretur*;] nihil sacrosanctum lex excipit, potius, sacrosanctum si quid esset id sustulit, cū definite Pōpeio donandae ciuitatis potestatē dedit sed concedatur, lege exceptum esse, si quid esset sacrosanctum: Quid obest hoc Balbo? in foedere Gaditano ciuitatis nulla mentio. de pace tantū cautū est. LEGATIONE *ipsa*] legatos populus Gaditanus Romā miserat, testē suae voluntatis erga Balbū. SPECIEM] nō proprie foedus, sed speciē foederis: quia nullo publico religionis vinculo teneretur: ideo q. Gaditani post multos annos renouandū curarunt, Lepido & Catulo cos. vt paullo ante dictū est. MARCIANI] icti a L. Marcio. MARTE] iocatur in similitudine nominū, Marciani, Marte: tametsi diuerse scribantur: sed diuersitatē pronunciatio non sentit. Hoc *foedere Catuli*. Catulus consul, Lepido collega, studente nouis rebus, a rep. remoto, cum Gaditanis foedus renouauit. NOSTROS *imperatores*,] qui vel in Hispania, vel in Africa contra Carthaginienses bellum gesserunt. SCIPIONES,] P. & Cn. fratres, qui in Hispania sunt interfecti. BRVTOS] D. Iunium Brutum, qui de Gallaecis triumphauit. HORATIOS,] deprauatum nomen, aut superuacaneum. nam Horatium, qui bellum gesserit vel in Hispania, vel in Africa nullum inuenio. CRASSOS,] P. Crassum, qui consul cū Cn. Lentulo fuit, & de Lusitanis triumphauit; pater M. Crassi aequalis Cn. Pompeii. METELLOS,] Q. Metellum Pium, qui contra Sertorium cum Pompeio pugnauit.

ORATIO

ATQVE *hanc, iudices, non a me singi orationem, sed me dicere, quae Gaditani iudicarint, res ipsa declarat. Hospitium multis annis ante hoc tempus cum L. Cornelio Gaditanos fecisse publice, dico. proferam testes: proferam legatos: excitabo laudatores, quos ad hoc iudicium, summos homines, ac nobilissimos, deprecatores huius periculi missos videtis. re denique multo ante Gadibus iā audita, fore huic vt ab isto periculum crearetur, grauissima tum in istum ciuem sum Gaditani S.C. fecerunt. potuit magis fundus populus Gaditanus fieri, (quoniam hoc magnopere delectare verbo) si tum fit fundus, cum scita, ac iussa nostra sua sententia comprobat, quam cum hospitium fecit, vt & ciuitate illum mutatum esse fateretur, & ius ciuitatis honorem dignissimum iudicaret? potuit certius interponere iudicium voluntatis suae, quam cum etiam accusatorem huius multa & poena multauit? potuit magis de re iudicare, quam cum ad vestrū iudicium ciues amplissimos legauit, testes luius iuris, vitae laudatores, periculi deprecatores? etenim quis est tam demens, quin sentiat ius hoc Gaditanis esse retinendum, ne intersaeptum sit iis iter perpetuo ad hoc amplissimum praemium ciuitatis; & magnopere iis esse laetandum, huius L. Cornelii beneuolentiam erga suos remanere Gadibus gratiam, & facultatem commendandi in hac ciuitate uersari? quis enim nostrum est, cui non illa ciuitas sit huius studio, cura, diligentia commendatior? omitto, quantis ornamentis populum istum C. Caesar, cū esset in Hispania praetor, affecerit, cōtrouersias sedarit, iura ipsorum permissu statuerit, inueteratam quandam barbariam ex Gaditanorum moribus, disciplinaq. delerit, summa in eam ciuitatem huius rogatu studia, beneficia contulerit. multa praetereo, quae quotidie labore huius, & studio aut omnino, aut certe facilius consequantur. itaque & ad sunt principes ciuitatis, & defen-*

& defendunt, amore, vt suum ciuem, testimonio, vt nostrum, officio, vt nobilissimum & sanctissimum hospitē Rudio, vt diligentissimum defensorem commodorum suorum. Ac, ne ipsi Gaditani arbitrentur, quamquam nullo incommodo efficiantur, si liceat eorum ciues virtutis caussa in nostram ciuitatem venire, tamen hoc ipso inferius esse suum foedus, quam ceterorum: consolabor & hos praesentes, viros optimos, & illam fidelissimam, atque amicissimam nobis ciuitatem: simul & vos non ignorantes, iudices, admonebo, quo de iure hoc iudicium constitutum sit, de eo nunquam omnino esse dubitatum. Quos igitur prudentissimos interpretes foederum, quos peritissimos bellici iuris, quos diligentissimos in exquirendis condicionibus ciuitatum, atque caussis esse arbitramur? eos profecto, qui iam imperia, ac bella gesserunt. etenim, si Q. Scaeuola, ille augur, cum de iure praediatorio consuleretur, homo iuris peritissimus, consultores suos nonnumquam ad Furium, & Cascelium praediatores reiiciebat, si nos de aqua nostra Tusculana M. Tugionem potius, quam C. Aquillium, consulebamus; quod assiduus vsus vni rei deditus & ingenium, & artem saepe vincit: quis dubitet de foederibus, & de toto iure pacis & belli omnibus iuris peritissimis imperatores nostros anteferre? possumus ne igitur tibi probare auctorem exempli, atque facti illius, quod a te reprehenditur, C. Marium? quaeris aliquem grauiorem? constantiorem? praestantiorem virtute, prudentia, religione, aequitate? is igitur M. Annium Appium, fortissimum virum, virtute praeditum, ciuitate donauit, cum Camertinum foedus sanctissimum, atque aequissimum sciret esse. potest igitur, iudices, L. Cornelius condemnari, vt non C. Marij factum condemnetur?

EXPLANATIO

Ille *augur,*] fuit enim eodem tempore alter Q. Scaeuola, pont. max de Crabra. in ep. ad Tironem lib. xvi. in agraria 3. apud Frontinum de Aquae duct. M. Annivm *Appium,*] Appium, praenomen esse, nemo ignorat: itaque vel, Apulum, vel Papum, legendum puto. quamquam, cum hunc Appium fuisse Camertem constet, rectius puto, Papum, aut aliquid simile. Auctor est Valerius Max. lib. v. cap. 2. non hunc vnum, sed duas Camertium cohortes a Mario ciuitate donatas. confirmat Plutarchus, qui mille Camertes nominat, quo simul intelligitur, quingentos in cohorte milites fuisse. Camertinvm *foedus*] Camertinum deducitur a Camers; Camers autem a Camerino, vrbe Vmbriae: Camerinus a Camerio, quod in Latio deletum a Romulo est: Camarinensis a Camarina, Siciliae opido. Quorum deductionem nominum docte, ac diligenter obseruauit familiaris meus Ioannes Maria Iouius, non vulgari vir ingenio atque doctrina: eoq. in libro adnotauit, in quo Camertium antiquitates prosequitur.

ORATIO

Existat ergo ille vir parumper cogitatione vestra, quoniam re non potest, vt conspiciatis eum meminibus, quem oculis non potestis: dicat se non imperitum foederis, non rudem exemplorum, non ignarum belli fuisse, se P. Africani discipulum, ac militem, se stipendiis, se legationibus bellicis eruditū, se, si tanta bella legisset, quanta gessit, & confecit, si tot consulibus meruisset, quoties ipse consul fuisset, omnia iura belli perdiscere ac nosse potuisse: sibi non fuisse dubium, quin nullo foedere a rep. bene gerenda impediretur: a se ex cōiunctissima, atque amicissima ciuitate fortissimū quemque esse delectum: neque Fulginatium, neque Camertiū foedere esse exceptum, quo minus eorum ciuibus apopulo R. praemia virtutis tribuerentur. itaque, cum paucis annis post hanc ciuitatis donationem acerrima de ciuitate quaestio Licina & Mucia lege venisset: num quis eorum, qui de foederatis ciuitatibus esset ciuitate donatus, in iudicium est vocatus? nam Spoletinus T. Matrinius, tum ex ijs, quos C. Marius ciuitate donasset, dixit caussam ex colonia Latina in primis firma, & illustri quem cum discertus homo, L. Antistius accusaret, Spoletinus dixit, fundum populum Spoletinum non esse factum; videbat enim populos de suo iure, non de nostro, fundos fieri solere: sed cum lege Appuleia coloniae non essent deductae, qua lege Saturninus C. Mario tulerat, vt in singulas colonias ternos ciues R. facere posset, negabat hoc beneficium, re ipsa sublata, ualere debere. Nihil habet similitudinis ista accusatio: sed tamen tanta auctoritas in C. Mario fuit, vt non per L. Crassum, affinem suum, hominē incredibili eloquentia, sed paucis ipse verbis caussam illam grauitate sua defenderit, & probarit. quis enim esset, iudices, qui imperatoribus nostris in bello, in acie, in exercitu delectū uirtutis, qui socijs, qui foederatis in defendenda rep. nostra spem praemiorum eripi uellet? quod si uultus C. Marii, si uox, si ille imperatorius ardor oculorū si recentes triūphi, si praesens ualitudo adspectus: ualeat auctoritas, ualeant res gestae, ualeat memoria, ualeat fortissimi & clarissimi uiri nomen aeternum: sit hoc discrimen inter gratiosos ciues, atque fortes, vt illi uiui fruantur opibus suis, horum etiam mortuorum (si quisquam huius imperii defensor mori potest) uiuat auctoritas immortalis.

Landesbibliothek Oldenburg

EXPLANATIO

DISCIPVLVM] ad Numantiam. Velleius, Plutarchus. LICINIA, *& Mucia lege*] quam cõsules L. Licinus Crassus orator, Q. Mucius Scaeuola pont. max. tulerunt, vt socij vrbe egressi in suas ciuitates redirent. vnde bellum sociale natum videtur. pro Sextio, lib. 2. de orat. Haec autem lex post bellum Cimbricum lata quo bello duas Camertes chortes, vt proxime docui, C. Marius ciuitate donauerat. rursus post eã legem, Cn. Pompeius, Magni pater, sociali bello duabus item ex eodem populo cohortibus ciuitatem dedit: vt infra. sunt enim distinguenda tempora: nequis erret in duabus Camertium cohortibus. EX *Colonia Latina*] nam si fuisset ex Romana, ciuis Romanus fuisset. aliud enim est, habere ius Latij: aliud, Romanae ciuitatis. L. ANTISTIVS] Antistius vnus in ea pro Sex. Roscio, vt orator, nominatur, alter in Bruto, sed Publij prenomine. SPOLETINVS *dixit*,] examinata sententia mendum ostendit. nam pro, Spoletinus, omnino, quae neget, vox aliqua requiritur. Non, inquit, hoc dixit, Antistius contra Matrinium, quod tu dicis in caussa Balbi, fundum populum Spoletinum non esse factum. LEGE *Appuleia*] L. Appuleij Saturnini tribuni pl. RE *ipsa sublata*,] colonijs non deductis. ARDOR *oculorum*] quo Gallum deterruit, qui Minturnis ad eum in carcere occidendum missus erat. Velleius, Plutarchus.

ORATIO

QVid? Cn. Pompeius pater, rebus Italico bello maximis gestis, P. Caesium, equitem R. uirum bonum, qui uixit Rauennae, foederato ex populo non ne ciuitate donauit? quid cohortes duas uniuersas Camertium? quid? Heraclienſium legionem P. Crassus, uir amplissimus, ex ea ciuitate, qua cum prope singulare foedus Pyrrhi temporibus C. Fabricio consule ictum putatur? quid? Massilienſem Aristonem Sulla? quid? quoniam de Gaditais agimus, idem heros LX Gaditanos? quid? uir sanctissimus, & summa religione, ac modestia Q. Metellus Pius Q. Fabium Saguntinum? quid? hic, qui adest, a quo haec, quae ego nunc percurro, subtilissime sunt omnia perpolita, M. Crassus, non Aletrinenſem foederatum ciuitate donauit, homo tum grauitate & prudentia praestans, tum uel nimium parcus in largienda ciuitate?

EXPLANATIO

QVID? *cohortes duas uniuersas Camertium?*] dixi iam. hoc ad Cn. Pompeium pertinere. alij referunt ad P. Crassum sed diuersa res. Crassus enim Heraclienſium legionem, non cohortes Camertium, ciuitate donauit. itaque factum eius in donanda ciuitate distinguitur ab alijs, vt praecipue animaduertendum, in iis verbis, Ex ea ciuitate, qua cum prope singulare foedus Pyrrhi temporibus C. Fabritio consule ictum putatur. P. CRASSVS,] idem, vt arbitror, quem supra nominauimus pater M. Crassi qui se Marianis bellis, ne in manus inimicorum incideret, interemit. Asconius QVONIAM *de Gaditanis agimus*,] de Balbo Gadibus nato.

ORATIO

HIctu Cn. Pompeii beneficium, uel potius iudicium, & factum infirmare conaris? qui fecit, quod C. Marium feciſſe audierat; fecit, quod P. Crassum, quod L. Sullam, quod Q. Metellum, quod denique, domesticum auctorem, patrem suum facere uiderat; neque uero in uno Cornelio id fecit: nam & Gaditauum Hasdrubalem ex bello illo Africano, & Mamertinos obuios, & quosdam Vticenses, & Saguntinos fabros ciuitate donauit, etenim, cum ceteris praemiis digni sunt, qui suo labore, & periculo nostram remp. defendunt: tum certe dignissimi sunt, qui ciuitate ea donentur, pro qua pericula, ac tela subierunt, atque urinam, qui ubique sunt propugnatores huius imperii, possent in hanc ciuitatem uenire; & contra, oppugnatores reip. de ciuitate exterminari. neque enim ille summus poeta noster Hannibalis illam magis cohortationem, quam communem imperatorum uoluit esse,

,, Hostem qui feriet, mihi erit Carthaginiensis,
,, Quisquis erit. ciuitatis fiet, id habent omnes leue, & semper habuerunt. itaque & ciues fortissimos, undique fortes uiros adsciuerunt, & hominum ignobiliuna uirtutem persaepe nobilitatis inertiae] praetulerunt.

EXPLANATIO

BELLO *illo Africano*,] quod cum Cn. Domitio & Hiarba gessit: Balbum autem ex bello Sertoriano. OBVIOS,] quid hoc sit, non satis assequor. hoc tamen existimo, proficiscenti ad Africanum bellum Pompeio obuiã iuisse Mamertinos, operamq. suam detulisse. quod officiũ tanti eũ fecisse,

ciſſe, vt praemii loco ciuitatem donauerit. QVOSDAM *Vticenſes,*] municipes poſtea fuere Vticenſes, deinde imperatorum aetate, in colonias mutari voluerunt. Gellios lib. XVI. cap. 13. SVMMVS *poeta noſter*] Q. Ennius, qui Latinis verſibus annales compoſuit de bello Punico ſecundo. HOSTEM *qui ferret,*] ad hunc verſum reſpexit lib. v. in Verrem. Iſte, inquit, Hannibal, qui in ſuis caſtris virtute putaret oportere, non genere certari. CVIATIS] pro, cuias, vt primatis, optimatis, Arpinatis. Priſcianus lib. IV. SIET,] Siet, plenum eſſet; ſit, imminutum; dixit in Oratore.

ORATIO

HAbetis imperatorum ſummorum, & ſapientiſſimorum hominum, clariſſimorum virorum, interpretationem iuris, ac foederum. dabo etiam iudicum, qui huic quaeſtioni praefuerunt; dabo vniuerſi populi R. dabo ſanctiſſimum etiam iudicium ſenatus. Iudices cum praeſeferrent, palamq. loquerentur, quid eſſent lege Papia de M. Craſſo, mamertinis repetentibus, iudicaturi; Mamertini publice ſuſcepta cauſſa deſtiterunt. multi in ciuitatem recepti ex liberis, foederatisq. populis; nemo vnquam eſt de ciuitate accuſatus, quod aut populus fundus factus non eſſet, aut quod foedere ciuitatis mutandae ius impediretur. audebo etiam hoc contendere, numquam eſſe condemnatum, quem conſtaret ab imperatore noſtro ciuitate donatum.

EXPLANATIO

LEGE *Papia*] duae leges Papiae diuerſis temporibus de ciuitate latae ſunt: de quibus diximus in oratione pro Archia. hic vtraque ſignificari poteſt. nam vtraque peregrinos iure priuabat Romanae ciuitatis poſterior autem Italos excipiebat. cum igitur Mamertini, Siciliae populi, ciuem ſuum M. Craſſum lege Papia, peregrinos Romana ciuitate excludente, repeterent; iudicium tamen cognita voluntate, diffidentes legi, publice ſuſcepta cauſſa deſtiterunt. M. CRASSO] qui cum Mamertinus fuiſſet, ciuis Romanus factus eſt, & Romana nomina de more ſumpſit. DESTITERVNT.] cum exitum iudicij viderent.

ORATIO

COgnoſcite nunc populi R. iudicium multis rebus interpoſitum, atque in maximis cauſſis re ipſa, atque vſu comprobatum. Cum Latinis omnibus foedus ictum Sp. Caſſio, Poſtumo Cominio cos. quis ignorat? quod quidem nuper in columna aenea meminimus poſt Roſtra inciſum, & perſcriptum fuiſſe. quo modo igitur L. Caſſinius Tiburs, pater huius equitis R. optimi atque ornatiſſimi viri, damnato Coelio; quo modo ex eadem ciuitate T. Coponius, ciuis item ſumma virtute, et dignitate, (nepotes T. Et C. Coponios noſtis) damnato C. Maſſone] ciuis R. eſt factus? an lingua, & ingenio patefieri aditus ad ciuitatem potuit, manu, & virtute non potuit? an de nobis trahere ſpolia foederatis licebit, de hoſtibus non licebit? an, quod adipiſci poterunt dicendo id eis aſſequi pugnando non licebit? an accuſatori maiores noſtri maiora praemia, quam bellatori, eſſe voluerũt? quod ſi acerbiſſima lege Seruilia principes viri, ac grauiſſimi & ſapientiſſimi ciues hanc Latinis, ideſt foederatis, viam ad ciuitatem populi iuſſu patere paſſi ſunt; neque in his eſt hoc reprehenſũ Licinia & Mucia lege, cum praeſertim genus ipſum accuſationis, & nomen, & eiuſmodi praemiũ, quod nemo aſſequi poſſit niſi ex ſenatoris calamitate, neque ſenatori, neque bono cuiquam nimis iucundum eſſe poſſet: dubitandum fuit, quin quo in genere iudicum praemia rata eſſent, in eodẽ iudicia imperatorum valerent? num fundos igitur factos populos Latinos arbitramus aut Seruilia lege, aut ceteris, quibus Latinis hominibus erat propoſitum aliqua ex re praemium ciuitatis?

EXPLANATIO

QVO. MODO] non vis Balbum eſſe ciuem Romanum, quia fundus populus Gaditanus factus nõ ſit: at L. Caſſinius Tiburs, & ex eadem ciuitate T. Coponius, ciuitatem Romanam adepti ſunt, licet populus Tiburtinus fundus factus non eſſet. DAMNATO *Coelio*;] accuſauit Caſſinius Coelio ſenatorem, & damnauit. eius accuſationis ex lege Serullia praemiũ tulit ciuitatem Romanã. Cẽlio libenter adderẽ praenomẽ, vt infra additur Maſſoni, ipſi quoque damnato: nec magna mutatio eſſet, C. Aelio, aut C. Coelio MASSONE] cognomen Papiriae gentis patriciae: vt in ep. ad Paetum lib. IX. neque tamen aliarum quoque gentium cognomen eſſe poſſe negauerim: ſicuti pluribus cognominibus viam quoque gentem viam eſſe animaduertimus. LINGVA, *& ingenio*] lege Seruilia ſanciũ erat, vt ciuis Romanus eſſet, ſi quis ex populo foederato ſenatorẽ accuſaſſet & damnaſſet. DE *nobis trahere ſpolia*] nobis damnatis tamquam ſpolium habere ciuitatẽ. DE *hoſtibus*] an, ſi quis ex foederato populo ſenatorẽ accuſauerit, & damnauerit, ciuis Romanus erit ſi quis pro rep. cõtra hoſtes pugnauerit, non erit? ſpolium igitur habebit de nolis, de hoſtibus non habebit? PRINCIPES *viri*] ſenatores:

Landesbibliothek Oldenburg

tores; quorum damnatione ciuitatem Latinis dari Seruilia lex iubebat. LICINIA & *Mucia lege*] quae de remittendis in suas ciuitates socijs lata est, renouata lege Claudia, de qua Liuius lib. XLI. & XLII. GENVS *ipsum*] diuersum a ceteris generibus. NOMEN,] opinor, de repetundis

ORATIO

COgnoscite nunc iudicium senatus, quod semper est iudicio populi comprobatum. Sacra Cereris, iudices, summa maiores nostri religione confici, caerimoniaq. voluerunt quae cum essent assumpta de Graecia, & per Graecas semper curata sunt sacerdotes, & Graeca omnia nominata. sed, cum illam, quae Graecum illud sacrum monstraret, & faceret, ex Graecia delegerent, tamen sacra pro ciuibus ciuem facere voluerunt, vt deos immortales scientia peregrina, & externa, mente domestica, & ciuili precarētur. has sacerdotes video fere aut Neapolitanas, aut Velienses fuisse foederatarum sine dubio ciuitatum: (mitto vetera: proxima dico) ante ciuitatem Veliensibus datam, de senatus sententia C. Valerium Flaccum, praetorem vrbanū, nominatim ad populum de Calliphana Veliense, vt ea ciuis R. esset, tulisse. num igitur aut fundos factos Velienses, aut sacerdotem illa ciuem R. factam non esse, aut foedus & a senatu, & a populo R. violatum arbitrabimur? Intelligo, iudices, in caussa aperta, minime q. dubia multo & plura & a pluribus peritissimis esse dicta, quā res postularet: sed id factum est, non vt vobis rem tam perspicuam dicendo probaremus, verum vt omnium maleuolorum, iniquorum, inuidorum animos frangeremus: quos vt accusator incenderet, vt aliqui sermones hominum alienis bonis maerentium etiam ad uestras aures permanerent, et in iudicio ipso redundarent, iccirco illa in omni parte orationis suae arte adspergi videbatis: tū pecuniam L. Cornelij, quae neque inuidiosa est, &, quantacumque est, eiusmodi est, vt conseruata magis, quam corrupta esse uideatur: tum luxuriam, quae non crimine aliquo libidinis, sed communi maledicto notabatur: tum Tusculanum quod Q. Metelli fuisse meminerat, & L. Crassi, Crassum emisse de libertino homines Soterico Martio, ad Metellum peruenisse de Vennonij Vindicis bonis non tenebat: simul illud nesciebat, praediorum nullam esse gentem, emptionibus ea solere saepe ad alienos homines, saepe infimos, non legibus, tamquam tutelas, peruenire.

EXPLANATIO

QVAE *neque inuidiosa est,*] non tanta, vt inuidiam parere debeat. CORRVPTA] malis artibus quaesita. LVXVRIAM] sumptus immoderatos. MEMINERAT,] hoc meminerat, illud non tenebat quod eum tenere oportuit, praedia non eiusdem semper gentis esse. METELLI] Pij. NON *legibus tamquam tutelas,*] legibus tutelae non ad alienos, verum ad propinquos perueniunt.

ORATIO

OBiectum est etiam, quod in tribum Crustuminam peruenerit: quod hic assecutus est legis de ambitu praemio, minus inuidioso, quam qui legum praemijs praetoriam sententiam, & praetextam togam consequuntur. Et adeptio Theophanis agitate est, per quam Cornelius nihil est, praeterquam propinquorum suorum hereditates, assecutus. quamquam istorum animos, qui ipsi Cornelio inuident, non est difficillimum mitigare: (more hominum inuidentium conuiuijs rodunt: in circulis vellicant, nō illo inimico, sed hoc maledicto dente carpunt) qui amicis L. Cornelij aut inimici sunt, aut inuident, hi sunt huic multo vehementius pertimescendi. nam huic quidem ipsi quis est vmquam inuentus inimicus? aut quis iure esse potuit? quem bonum non coluit? cuius fortunae, dignitatiq. non concessit? versatus in intima familiaritate hominis potentissimi, in maximis nostris malis, vestrisq. discordijs neminem vmquam alterius rationis, ac partis, non re, non verbo, non vultu denique offendit. fuit hoc siue meum, siue reip. fatum, vt in me omnis illa inclinatio communium temporum incumberet. non modo non exsultauit in ruinis nostris, vestrisq. discordijs Cornelius, sed omni officio, lacrumis, opera, cō solatione omnes me absente meos sublenauit. quorum ego testimonio ac precibus munus hoc meritum huic, & vt a principio dixi, iustam, & debitam gratiam refero: spero que, iudices vt, eos, qui principes fuerunt conseruanda e salutis, aut dignitatis meae, diligitis, & caros habetis, sic, quae ab hoc, pro facultate eius, pro loco, facta sunt & grata esse vobis, & probata.

EXPLANATIO

IN TRIBVM *Crustuminam*] rusticam, eamq. nobiliorem ea, in qua Balbus antea suffragium tulerat. nō enim tulerat, vt arbitror, in vrbana quod ignominiosum fuisse, ait Plinius. hac de re diximus in Quinctiana. LEGIS *de ambitu praemio,*] si quis aliquem de ambitu accusasset, & damnasset, praemium hoc ferebat, vt in eius tribu, si modo nobilior ei quam sua, videretur, censeretur, & suffragium ferret. PRAETORIAM *sententiam,*] vt praetorio loco sententiam diceret in senatu, si praetorium senatorem,

natorem, accusatum, & damnatum eo loco deiecisset. PRAETEXTAN *togam*] magistratum eum, quē suffragijs populi adeptus asset is, qui postea dānatus esset: vt, P. Sulla, P. Autronio cos. des. deambitu dānatis, accusatores eorum L. Cotta, L. Torquatus in eorū locū legis praemio successerunt. Similiter cum C. Curio Seruiū tribunum pl. designatū accusasset, & dānasset, eius locum obtinuit: vt est in ep. Coelij lib. VIII. propterea scripsit ad eum Cic. lib. 3. Cum te tribunum pl. isto anno fore nō putarem. ADOPTIO *Theophanis agitata est*] vt ex opibus inuidia concitaretur. Hic Theophanes Mytilenaeus fuit, libertus Pompeij Magni, apud quem gratia plurimum valuit. adoptauit Balbū, heredemq. fecit. ideo Cornelius Balbus Theophanes appellatus est, auctore Capitolino in Balbino. PRO PINQVORVM *suorum*] subobscura sententia: sed hoc dici puto, Balbum, quae ex ea adoptione ad eū pervenerāt, ea, cum ipse non egeret, propinquis suis distribuisse: vt non suā, sed propinquorum suorum haereditates assecutus esse videretur. ita quod accusator ad contumeliā dixerat, ad laudē conuertit. Filios autem Balbo non fuisse, satis liquet. nā qui Balbus minor vocatur, qui ciuili bello Leutulū cō sulem ad defectionem sollicitauit, is fratris filius fuit. AMICIS *L. Cornelii*] Caesari in primis. & Pōpeio. HOMINIS *potentissimi, C. Caesaris.* IN *maximis nostris malis*] temporibus Clodianis cum eiectus patria sum. VTRISQ *discordiis*] cum ab vna parte vterque consul, Piso, & Gabinius. P. Clodius tribunus pl. & omnes improbi, nouarum rerum cupidi, ab altera optimates. & qui remp. saluam vellent, pro Ciceronis salute starent. COMMVNIVM *temporum*] communium malorum: in summis ciuium discordiis vnus ego calamitatem subij. PRO *loco*] pro suo statu, suaq. conditione.

ORATIO

NON *igitur a suis, quos nullos habet, sed a suorum, qui & multi, & potentes sunt, urgetur inimicis: quos quidem hesterno die Cn. Pompeius copiosa oratione & graui secum, si uellent, contendere iubebat, ab hoc improbo certamine, atque iniusta contentione auocabat. & erat aequa lex, & nobis, iudices, atque omnibus, qui nostris familiaritatibus implicantur, uehementer utilis, ut nostras inimicitias ipsi inter nos geramus, amicis nostrorum inimicorum temperemus. ac, si mea auctoritas satis apud illos in hac re ponderis haberet, cum me praesertim rerum uarietate, atque usu ipso iam perdoctum uiderent; etiam ab illis eos maioribus discordiis auocarē. id enim contendere mihi uidetur e rep. cum id defendas, quod esse optimum sentias; & id fortium uirorum, & magnorum hominum semper putaui; neque huic umquam labori, officio, muneri defui; sed contentio tum sapiens est, quamdiu aut proficit aliquid, aut, si non proficit, non obest ciuitati. uoluimus quaedam, contendimus, experti sumus: obtenta non sunt; dolorem alit, nos luctum: maeroremq. suscepimus: cur ea, quae mutare non possumus, conuellere malumus, quam tueri? C. Caesarem senatus & genere supplicationum amplissimo ornauit, & numero dierum nouo. idem in angustiis aerarii victore exercitum stipendio affecit, imperatori decem legatos decreuit, lege Sempronia succedendum non censuit. harum ego sententiarum & princeps & auctor fui; neque me dissensioni meae pristinae putaui potius assentiri, quam praesentibus reip. temporibus, & concordiae, conuenire. non idem aliis uidetur, sunt fortasse in sententia firmiores: reprehendo neminem: sed assentior non omnibus: neque esse inconstantis puto, sententiam aliquam, tamquam aliquod nauigium, atque cursum, ex reip. tempestate moderari. sed, si qui sunt, quibus infinitum sit odium, in quos semel susceptum sit, quos uideo esse nonnullos; cum ducibus ipsis, non cum comitatu, adfectatoribusq. confligant. illam enim fortasse pertinaciam nonnulli, uirtutem alii putabunt: hanc uero iniquitatem omnes tum aliqua crudelitate coniunctam.*

EXPLANATIO

VOLVIMVS *quaedam,*] tacite significat optimatum, & popularium ciuium dissensionem. popularium autem principem Caesarem designat. Nos ego, qui ex illa dissensione solus exsulij calamitatē pertuli. GENERE *supplicationum amplissimo,*] verbis honorificentissimis: quod explanat in ea de Prou. C. Caesari supplicationes decreuistis, numero vt nemini vllo ex bello, honore, vt omnino nemini. NVMERO *dierum nouo.*] quindecim dierum, Marcellino & Philippo cos. quibus haec habita oratio est. Caesar lib. III. bel. Gall. LEGE *Sempronia*] quae consulares prouincias per senatum quotannis decerni iubebat. pro Domo, & ad Lentulum. PRINCEPS *& auctor*] idem in ea de Prou. DISSENTIONI *meae pristinae*] cum a Caesare dissensi. reip. caussa. PRAESENTIBVS *reip. temporibus,*] meritis Caesaris in remp. CONCORDIAE,] ne vir potentissimus, maximis rebus gestis, a reip. alienaretur. IN *sententia firmiores:*] adhuc a Caesare dissentiunt, non, vt ego, presentibus reip. temporibus, & cōcordiae assentientes. SENTENTIAM *aliquam, tamquam aliquod nauigium, atque cursum, ex reip. tempestate moderari,*] eadem sententia in ep. ad Lentulum. Vt in nauigando, tempestati obsequi, artis est, etiam si portum tenere non queas; cum vero id possis, mutata velificatione, assequi, stultum est eum tenere cum periculo cursum, quem ceperis, potius quam eo comutato, quo velis tamen peruenire: sic, cum omnibus nobis in administrāda rep. propositum esse debeat, id quod a me saepissime dictum est, cum dignitate otium; non idem semper dicere, sed semper spectare debemus. IN *quos*] contra quē Caesarē, significari constat, cum quo perpetuas inimicitias exercebant Bibulus, Domitius Ahenobarbus.

nobarbus. NON *cum comitatu.*] non cum Balbo, Caesaris comite, & assectatore. ILLAM] perpetuam cum aliquo dissensionem. HANC] vt etiam cum inimicorum suorum comitatu, assectatoribusque confligant.

ORATIO

SED, si eorum hominum mentes nulla ratione placare possumus, iudices, vestros quidem animos certe confidimus non oratione nostra, sed humanitate vestra esse placatos. quid enim est, cur non potius ad summam laudem huic, quam ad minimam fraudem, Caesaris familiaritas valere debeat? cognouit adolescens: placuit homini prudentissimo: in summa amicorum copia cum familiarissimis eius est adaequatus: in praetura, in consulatu praefectum fabrum detulit: consilium hominis probauit: fidem est complexus: officia, obseruantiamq. dilexit. fuit hic multorum illi laborum socius aliquando: est fortasse nunc nonnullorum particeps commodorum quae quidem si huic obfuerint apud vos; non intelligo, quod bonum cuiquam sit apud tales viros profuturum. Sed, quoniam C. Caesar abest longissime, atque in ijs est nunc locis, quae regione orbem terrarum, rebus illius gestis imperium populi R. definiunt: nolite, per deos immortales, iudices hunc illi acerbum nuncium vel le deferri, vt suum praefectum fabrum, vt hominem sibi carissimum, & familiarissimum, non ob ipsius aliquod delictum, se ob suam familiaritatem vestris oppressum sententijs audiat. miseremini eius, qui non de suo peccato, sed de huius summi, & clarissimi viri facto, non de aliquo crimine, sed periculo suo de publico iure disceptet: quod ius si Cn. Pompeius ignorauit, si M. Crassus, si Q. Metellus, si Cn. Pompeius pater, si L. Sulla, si L. Crassus, si C. Marius, si senatus, si populus R. si qui de re simili iudicarunt, si foederati populi, si socij, si illi antiqui Latini; videte, ne vtilius vobis, & honestius sit, illis ducibus errare, quam hoc magistro erudiri. sed, si de certo, de perspicuo, de vtili, de probato, de iudicato, vobis iure esse constituendum videtis: nolite committere, vt in re tam inueterata quidquam noui sentiatis. simul & illa, iudices, omnia ante oculos vestros proponite: primum esse omnes etiam post mortem reos clarissimos illos viros, qui foederatos ciuitate donarunt; deinde senatum, qui persaepe hoc iudicauit; populum, qui iussit; iudices, qui approbarunt. tum etiam illud cogitatote, sic viuere, ac vixisse Cornelium, vt, cum omnium peccatorum quaestiones sint, non de vitiorum suorum poena, sed de virtutis praemio in iudicium vocetur. accedat etiam illud, vt statuatis hoc iudicio, vtrum posthac amicitias clarorum virorum calamitati hominibus, an ornamento esse malitis, postremo illud, iudices, fixum in animis vestris tenetote, vos in hac causa non de maleficio L. Cornelij, sed de beneficio Cn. Pompeij iudicaturos.

EXPLANATIO

AD *minimam fraudem,*] ad minimum damnum. ADOLESCENS] Caesar. PLACVIT] Balbus. HOMINI *prudentissimo:*] Caesari, corroborata iam aetate. vix enim, vt arbitror, de adolescente diceret, Homini prudentissimo. IN *praetura,*] ex praetura in Hispaniam vlteriorem, ex consulatu in Galliã Caesar est profectus. in vtraque prouincia praefectum fabrũ sibi esse Balbum voluit. PRAEFECTVM *fabrum detulit:*] malim omnino, Praefecturam fabrum. & si scio deferri solitos in beneficijs ad aerarium eos, qui bene de rep. in prouincia meriti essent, vt praefectos, tribunos mil. & contubernales, vt in ep. ad Mescinium lib. v. sed ij deferebantur a proconsulibus ex prouincia reuersis: Caesar aũt adhuc in Gallia bellium gerebat. vtra tamen opinio doctis & ingeniosis hominibus magis probetur, valde non laboro. venit enim in mentem, cum Caesar Balbi opera in vrbe multis in rebus egeret, dimisisse eum, & publicis ad senatum populumq. Romanum litteris testimonium eius & virtutis, & fidei dedisse. EIVS,] Balb. HVIVS] Pompeii, qui eum, confecto Hispaniensi bello, ciuitate donauerat. IVRE] huc illa omnia referuntur, Certo, perspicuo, vtili, probato, iudicato. REOS] simul cum Balbo: vt cum eo vel damnari oẽs, vel absolui sententijs vestris necesse sit. AMICITIAS *clarorum virorum*] & hic significat item vt supra, ab inimicis Caesaris, & Pompeij Balbum oppugnari. FIXVM *in animis vestris tenetote,*] diuersis modis, hanc sententiam extulit: primum: Illa iudices omnia ante oculos vestros proponite: deinde: Tum etiam illud cogitatote: tum: Accedat etiam illud, vt statuatis hoc iudicio: denique: Postremo illud, iudices, fixum in animis vestris tenetote.

IN ORA-

Landesbibliothek Oldenburg



IN · ORATIONEM · CICERONIS
DE . PROVINCIIS . CONS.
PAVLLI · MANVTII
COMMENTARIVS

ARGVMENTVM

C. *Sempronius Gracchus, Tiberij frater, in tribunatu legem tulit, vt prouinciae consulares a senatu quotannis decernerentur, & annua tantum esset earum administratio. ex ea lege Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus, L. Philippus Marcius, consules, retulerunt ad senatum de prouincijs consularibus decernendis. eae tum quattuor erant, de quibus variae sententiae dictae sunt, Macedonia, cui L. Piso, Syria, cui A. Gabinius, Galliae duae, quibus uno imperio coniunctis praerat C. Caesar. Qui ante Ciceronẽ sententiam dixere, id omnes, excepto P. Seruilio, spectabant, vt Caesari, quem peßime oderant, vel omnino totum auferretur imperium, adempta vtraq. Gallia, vel certe, vlteriore, aut citeriore detracta, minueretur. Contradixit Cicero, sententiam rogatus: de Caesare, magnas res gerente, proposita reip. vtilitate, nihil mutandum censuit, Pisonem autem, & Gabinium, quandoquidem non modo laude dignum nihil gererent, sed etiam prouincias auare, crudeliter, superbe administrarent, esse reuocandos. Itum est in eius, & P. Seruilij sententiam: reuocati Piso, & Gabinius, rediere in vrbem, ille Pompeio, & Crasso, hic, quia longinquior erat, L. Domitio, & Ap. Pulchro cos.*

Landesbibliothek Oldenburg

M. TVLLII CICERONIS
DE PROVINCIIS CONS.

ORATIO XXXVI.

SI quis vestrum, P.C. exspectat, quas sim prouincias decreturus; consideret ipse secum, qui mihi homines ex prouinciis potissimum detrahendi sint: non dubitabit, quid me sentire conueniat, cum, quid mihi sentire necesse sit, cogitarit. ac, si princeps eam sententiam dicerem, laudaretis profecto; si solus, certe ignosceretis; etiam si paullo minus vtilis uobis sententia uideretur, ueniam tamen aliquam dolori meo tribueretis, nunc uero, P.C. non parua afficior uoluptate, uel quod hoc maxime reipub. conducit, Syriam Macedoniamq. decerni, ut dolor meus nihil a communi utilitate dißentiat; uel quod habeo auctorem P. Seruilium, qui ante me sententiam dixit, uirum clarissimum, & cum in uniuersam remp. tum etiam erga meam salutem fide, ac beneuolentia singulari, quod si ille & paullo ante, & quotiescumque ei locus dicendi, ac potestas fuit, Gabinium & Pisonem, duo reipub. portenta, ac paene funera, cum propter alias causßas, tum maxime propter illud insigne scelus eorum, & importunam in me crudelitatem, non solum sententia sua, sed etiam uerborum grauitate esse notandos putauit: quonam me animo in eos ßse oportet, cuius illi salutem pro pignore transdiderunt ad explendas suas cupiditates? sed ego in hac sententia dicenda non parebo dolori meo, nec iracundiae seruiam. quo animo unusquisque uestrum debet esse in illos, hoc ero; praecipuum illum, & proprium sensum doloris mei, quem tamen uos communem semper uobis mecum ßse duxistis, a sententia dicenda amouebo, ad ulciscendi tempora reseruabo.

EXPLANATIO

SI. QVIS *uestrum,*] in ipso exordio mouet odium in Pisonem & Gabinium, quorum ille Macedoniam, hic Syriam regebat, auare nimium, & crudeliter vterque. itaque vtitur aspero verbo, Detrahendi, non quod erat lenius, reuocandi & infra, enumeratis vtriusque sceleribus, ita concludit: Hos vos de prouincijs, si non aliquando deducendi essent, deripiendos non putaretis? NECESSE *sit,*] reip. causßa. Hoc dicit, ne videatur ita sentire, adductus odio, propter eius temporis memoriam, cum oppugnatus a Clodio tribuno pl. non modo defensus a consulibus non est qui eum tueri ac seruare debebant, verum etiam nefarie proditus. Hanc, inquit, a me sententiam non iniuriarum memoria, sed reip. dignitas, & prouinciarum incolumitas exprimit. AC. SI *princeps*] tria complectitur in hoc ambitu, nec se primum eam sentētiam dicere, nec solum, nec minima reip. vtilitate. LAVDARETIS] vt auctorem vtilissimae sententiae. IGNOSCERETIS;] quid enim peccarem, si vel solus egregie de rep. sentirem? DOLORI *meo*] hominis & grauiter, & iniuste laesi. VEL *quod habeo auctorem*] cum tria proposuerit, duo tantum subiungit, nec tamen quidquam omittit. nam hoc vno, Vel quod habeo auctorem, ad illa duo respondet, si princeps, si solus. vnus enim Seruilius effecit, vt neque princeps, neque solus eam sententiam Cicero diceret. P. SERVILIVM] Isauricum, non modo consularem, sed consularium quoque omnium vetustissimum. ideo sententiam dixit ante Ciceronem. nam filius eius non nisi post aliquot annos consul fuit. IN. ME] quem innocentem, optimeq. de rep. meritum, P. Clodio tribuno pl. iniquissimam rogationem ferente, crudeliter oppugnarunt. PRO *pignore tradiderunt*] vendiderunt Clodio tradita tamquam pignore salute mea. AD *ulciscendi tempora*] cum eos de criminibus ab vtroque commissis accusabo.

ORATIO

QVattuor sunt prouinciae, P.C. de quibus adhuc intelligo sententias esse dictas; Galliae duae, quas hoc tempore uno imperio uidemus esse coniunctas: & Syria, & Macedonia, quas, uobis inuitis, & oppressis, pestiferi illi consules pro euersae reipub. praemiis occupauerunt. decernendae nobis sunt lege Sempronia duae. quid est, quod possimus de Syria, Macedoniaque dubitare? mitto, quod eas ita partas habent ii, qui nunc obtinent, ut non ante attigerint, quam hunc ordinem condemnarint, quam auctoritatem uestram e ciuitate exterminarint, quam fidem publicam, quam perpetuam populi Rom. salutem, quam me, ac meos omnes foedissime, crudelissimeq. uexarint. omnia illa domestica, atque urbana mitto: quae tanta sunt, ut numquam Hannibal huic urbi tantum mali optarit, quantum illi effecerint ad ipsas uenio prouincias. Quarum Macedonia, quae erat antea munita plurimorum imperatorum non turribus, sed trophaeis, quae multis uictoriis erat iam diu triumphisq. pacata, sic a barbaris, quibus est propter auaritiam pax erepta, uexatur, ut Thessalonicenses, positi in gremio imperii nostri, relinquere opidū, & arcem munire cogantur; ut uia illa nostra, quae per

Mace-

Landesbibliothek Oldenburg

Macedoniam eſt vſque ad Helleſpontum militaris, nō ſolum excurſionibus barbarorum ſit infeſta, ſed etiam caſtris Thraciis diſtincta, ac notata: ita gentes eae, quae, ut pace uterentur, vim argenti dederant praeclaro imperatori noſtro; ut exhauſtas domos replere poſſent, pro empta pace bellum nobis prope iuſtum intulerunt. Iam vero exercitus ille noſter, ſuperbiſſimo delectu, & duriſſima conquiſitione collectus, omnis interiit. magno hoc dico cum dolore: miſerandum in modum milites populi R. capti, necati, deſerti, diſſipati ſunt; incuria, fame, morbo, vaſtitate conſumpti: vt, quod eſt digniſſimum ſcelus, is imperator in poenam exercitus expetitus eſſe videatur. atque hanc Macedoniam, domitis iam gentibus finitimis, barbariaq. compreſſa, pacatam ipſam per ſe, & quietam, tenui praeſidio, atque exigua manu, etiam ſine imperio, per legatos, nome ipſo populi R. tuebamur: quae nunc, conſulari imperio, atque exercitu ita vexata eſt, vix vt ſe poſſit diuturna pace recreare: cum interea quis veſtrum hoc non audiuit, quis ignorat, Achaeos ingentem pecuniam pendere L. Piſoni quotannis? vectigal, ac portorium Dyrrhachinorum totum in huius vnius quaeſtum eſſe conuerſum: vrbem Byzantiorum, vobis, atque huic imperio fideliſſimam, hoſtilem in modum eſſe vexatam? quod ille, poſtquam nihil exprimere ab egentibus, nihil vlla vi a miſeris extorquere potuit, cohortes in hiberna miſit: his praepoſuit, quos putauit fore diligentiſsimos ſatellites ſceleru, miniſtros cupiditatum ſuarum. Omitto iuriſdictionem in libera ciuitate contra leges, ſenatusq. conſulta: caedes relinquo: libidines praetereo; quarum acerbiſsimum exſtat indiciū, & ad inſignem memoriā turpitudinis, & paene ad iuſtum imperii noſtri odium; quod conſtat nobiliſsimas virgines ſe in puteos abieciſſe, & morte voluntaria nefariam turpitudinem depuliſſe. nec haec iccirco omitto, quod non grauiſsima ſint; ſed quia nunc ſine teſte dico.

EXPLANATIO

VNo *imperio*] C. Caeſaris. quarum citeriorem, Illyrico adiecto, Vatinius lege ſua dedit, vlteriorē poſtea ſenatus, veritus, ne, ſi ipſe negaſſet, populus & hāc daret. HVNC *ordinem condemnarint*,] ſenatus enim, M. Catonis ſententiā ſecutus, coniuratos in carcere necari iuſſit. conſules igitur Piſo, & Gabinius, cum Ciceronem, accuſatum a Clodio propter ciues Romanos indicta cauſſa necatos, prodiderunt, eijciendumque curarunt, non tam illum, qui ſenatui paruerat, quā ſenatū ipſum condemnaſſe, eiuſque auctoritatem e ciuitate ſimul cum ipſo Cicerone exterminaſſe, videri poſſunt. FIDEM *publicam*,] quā ego ſecutus in ciues nefarios animaduerti. PERPETVAM *populi Romani ſalutē*,] in eo poſitā, ſi de domeſticis patriae hoſtibus extrema ſupplicia ſumantur. ARCEM *munire*] in orat. in Piſonē: An munitio Theſſalonicae? Et infra: Theſſalonicenſes, cum opido deſperaſſent, arcē munire coegerūt. MILITARIS,] ergo latior, quā ceterae. In Piſonem: An obſeſſio militaris viae? SIT *infeſta*,] pro, infeſtetur, vſitate: vt pro Amerino: Filij vita infeſta, ſaepe ferro atque inſidijs appetita, Pro Coelio: Ego illud tempus aetatis, quod ipſum ſua ſponte infirmum, aliorum libidine infeſtum eſt, id hoc loco defendo. GENTES *eae*] Thraces, & Dardani, Macedoniae finitimi. VIM *argenti dederant*] non, pecuniā, ſimpliciter, ſed maximā pecuniam. pro Sextio, cum Gabinium exagitaſſet, ſubiūxit de Piſone: Alterum Thracibus, ac Dardanis primum pacem maxima pecunia vēdidiſſe, deinde, vt illi pecuniā conficere poſſent, vexandā ijs Macedoniā & ſpoliandā & tradidiſſe. SVPERBISSIMO *delectu*,] cum omnes, ſed fortiſſimi tantum deligerentur hoc ſenſu iudicium aurium ſuperbiſſimum vocat in Oratore, quia vel minimis offenderentur vitijs, perfecta tantum vellent. DVRISSIMA] ea diligentia, quae ferri vix poſſet. Quod dolendū magis eſt, eiuſmodi milites interiiſſe. ACHAEOS] & de Achaeis, & de Dyrrachinis, in eadem pro Sextio attingitur his verbis: Cogere pecunias maximas a Dyrrachinis, ſpoliare Theſſalos, certam Achaeis in annos ſingulos pecuniam imperauiſſe.

ORATIO

IPSAM *vero vrbem Byzantiorum fuiſſe refertiſsimā, atque ornatiſsimam ſignis, qui ignorat? quae illi, exhauſti ſumptibus bellorum maximis, cū Mithridaticos impetus, totumq. Pontum armatum, efferueſcentem in Aſiam, atque erumpentem, aegre repulſum, & ceruicibus intercluſum ſuis, ſuſtinerent; tum, inquam Byzantii, & poſtea ſigna illa, & reliqua vrbis ornamenta ſanctiſsime cuſtodita, tenuerunt. te imperatore infeliciſſimo, & taeterrimo, Caeſonine Caluenti, ciuitas liber a, & proximis ſuis beneficiis a ſenatu, & populo R. liberata, ſic ſpoliata, atque nudata eſt, vt niſi C. Virginius, legatus, vir fortis, & innocens, interueniſſet, vnum ſignum Byzantii ex maximo numero nullum haberent. Quod ſanum eſt in Achaia, qui locus, aut lucus in Graecia tota tam ſanctus fuit, in quo vllum ſimulacrum, vllum ornamentum reliquum ſit? Emiſti a foediſſimo tribuno pl. tum in illo naufragio huius vrbis, cum tu idē qui gubernare debueras, euerteres, tum, inquam, emiſti, grandi pecunia, ut tibi de pecuniis creditis ius in liberos populos contra S.C. & contra legem generi tui dicere liceret. id emptum ita vendidiſti, vt aut ius non diceres, aut bonis ciues R. euerteres. Quorum ego nihil dico nunc, P. C. hominem ipſum relinquo: de prouincia diſputo. itaque omnia illa, quae & ſaepe audiſtis, & tenetis animis, etiam ſi non audiatis, praetermitto: nihil de hac eius vrbana, quam ille praeſens in oculis veſtris mē tibusq. defixit, audacia loquor; nihil de ſuperbia, nihil de contumacia, nihil de crudelitate diſputo: lateant libidines eius illae tenebricoſae, quas fronte, & ſupercilio, non pudore, & temperantia contegebat: de prouincia, quod agitur, id diſputo.*

Landesbibliothek Oldenburg

EXPLANATIO

VREEM *Byzantiorum*,] liberam, suisq. legibus vtentem. IN *libera ciuitate*] Byzantij. CAESONINE *Caluenti*,] sic appellat Pisonem, quia Caesonius Calpurniorum Pisonum, ante quam Frugi dicerentur, cognomen fuit, vt fasti Capitolini anno V.C. DCV. docent. Caluentius autem maternus auus fuit, vt ait Pedianus. GRECIA *tota*] ergo Clodius Graeciam totam lege sua cum imperio Macedoniae. Pisoni gratificans, coniunxerat. NAVFRAGIO] translatio tribus verbis, naufragio, gubernare, euerteres. CONTRA *legem generi tui*] C. Caesaris. in Pisonem: Obtinuisti prouinciam consularem finibus ijs, quos lex cupiditatis tuae, non quos lex generi tui pepigerat. nam lege Caesaris iustissima, atque optima, populi liberi plane & vere erant liberi: lege autem ea, quam nemo legem praeterte, & collegam tuum, putauit, omnis erat tibi Achaia, Thessalia, Athenae, cuncta Graecia addicta. TENEBRICOSAE,] non apertae, sed occultae. vnde in oratione Post Red. in senatu. Idem domi quã libidinosus, quam impurus, quam intemperans, non ianua receptis, sed pseudotyro intromissis voluptatibus? FRONTE, *& supercilio*,] quibus abhorrere videbatur ab omni libidine. In ipsum: Oculi, supercilia, frons, vultus denique totus, qui sermo quidam tacitus mentis est, hic in fraudem homines impulit. Et infra: Is cum istum adolescentem cum hac dijs irata fronte vidisset, non fastidiuit eius amicitiam. Et paullo post: Deuenit, aut potius incidit in istum, eodem deceptus supercilio Graecus, atque aduena, quo tam sapiens, & tanta ciuitas.

ORATIO

HVIC *vos non summittetis? hunc diutius manere patiemini? cuius, vt prouinciam tetigit, sic fortuna cum improbitate certauit, vt nemo posset, vtrum deterior, an infelicior esset, iudicare. An vero in Syria diutius est Semiramis illa retinenda? cuius iter in prouinciam fuit eiusmodi, vt rex Ariobarzanes consulem vestrum ad caedem faciẽdam, tamquam aliquem Thracem, conduceret. deinde aduentus in Syriam primus, equitatus habuit interitum: post. concisae sunt optime cohortes. igitur in Syria, imperatore illo, nihil aliud actum est, nisi pactiones pecuniarum cum tyrannis, decisiones, direptiones, latrocinia, caedes, cum palam populi R. imperator instructo exercitu, dexteram tendens, non ad laudem milites hortaretur, sed omnia sibi & empta, & emenda esse clamaret. Iam vero, publicanos miseros (me etiam miserum illorum ita de me meritorum miserijs, ac dolore) transdidit in seruitutem Iudaeis, & Syris, nationibus natis seruituti. Statuit ab initio, & in eo perseuerauit, ius publicano non dicere: pactiones, fine vlla iniuria factas rescidit: custodias sustulit, vectigales multos, ac stipendiarios liberauit: quo in opido ipse esset, aut quo veniret, ibi publicanum, aut publicani seruum esse vetuit. quid multa? crudelis haberetur, si in hostem animo fuisset eo, quo fuit in cives R. eius ordinis praesertim, qui est semper dignitate sua, benignitate magistratus substentatus. itaque videtis, P. C. non temeritate redemptionis, aut negotij gerendi inscitia, sed auaritia, superbia, crudelitate Gabinij paene afflictos iam, atque euersos publicanos: quibus quidem vos, in his angustijs aerarij, tamen subueniatis, necesse est: etsi iam multis non potestis, qui, propter illum hostem senatus, inimicissimum ordinis equestris, bonorumq. omnium, non solum bona, sed etiam honestatem miseri de perdiderunt: quos non parcimonia, non continentia, non virtus, non labor, non splendor tueri potuit contra illius beluonis, & praedonis audaciam. quid? qui se etiam nunc subsidijs patrimonij, aut amicorum liberalitate sustentant, hos perire patiemini? an, si qui frui publico non potuit per hostem, hic tegitur ipsa lege censoria; quẽ is frui non sinit, qui est, etiam si non appellatur, hostis, huic ferri auxilium non oportet? Retinete igitur in prouincia diutius eum, qui de socijs cum hostibus, de ciuibus cum sociis faciat pactiones: qui hoc etiam se pluris esse, quam collegam, putet, quod ille vos tristitia, vultuq. deceperit, ipse numquam se minus, quam erat, nequam esse simularit. Piso autem, alio quodam modo, gloriatur, se breui tempore perfecisse, ne Gabinius vnus omnium nequissimus existimaretur.*

EXPLANATIO

SIC *fortuna cum improbitate certauit*,] hic vituperat, alibi laudat simili sententia. nam de Cn. Pompeio sic in ea pro Balbo: In quo vno ita summa fortuna cum summa virtute certauit, vt omnium iudicio plus, quam posset, minus, quam decet, tribueretur. SEMIRAMIS *illa*] Semiramis in Syria regnauit. eius nomine, Syrię procõsul, homo effeminatus, ac mollis, lepide Gabinius appellatur. ARIOBARZANES] Cappadociae rex, amicus, & socius populi Romani. EQVITATVS *habuit interitum*: qua pugna, non dicit: sed infra, pugnasse eum ostendit cum maximis Syriae gentibus, & cum tyrannis. ITA *de me meritorum*] in consulatu primum Catilinae temporibus, deinde, cum, lege in eum a Clodio promulgata, vniuersus equester ordo vestem mutauit. erant aũt publicani omnes equites Romani TRADIDIT *in seruitutem Iudaeis, & Syris*,] quia, cum ab ijs publicani pecunias vectigales exigere vellent, ius eis dicere Gabinius noluit. sponte autem Iudaei, & Syri soluere noluerunt. ita Iudaeis, & Syris publicani seruire videbãtur, cũ eos in iudiciũ vocare nõ possent, sed, quod ij vellent, in vectigali

gali pecunia facere cogerentur. STATVIT *ab initio,*] odio in equeſtrem ordinem, vt pote qui conſul dixerit equites Romanos daturos illius diei poenas, quo, Cicerone conſule, cum gladijs in cliuo Capitolino fuiſſent: L. vero Lamiam, principem equeſtris ordinis, in concione vltra ducenta millia paſſuũ relegarit, quod auſus eſſet pro Cicerone deprecari. Pro Sextio, Poſt Red. in ſen. & alibi. CVSTODIAS] carceres. veruit quẽquã eorũ, qui publicanis deberẽt, in carcerẽ duci. STIPENDIARIOS] & vectigalia, & ſtipendia, quae ſocij pendebant, publicani conduxerant. LIBERAVIT:] ne quid penderent. MAGISTRATVS] qui prouinciae vectigali praeerat. NON *temeritate redemptionis,*] non quia, proplaſi cupiditate, nimis magno publica redemerint. quod cum antea feciſſent, releuauit eos Caeſar conſul tertia mercedum parte. Suetonius. IN *his anguſtiis aerarii,*] de tribus aerarijs ſupra diximus hoc illud eſt, quo vectigales pecuniae conferebantur, & vnde legionum ſtipendia promebantur. nã in oratione pro Balbo: In anguſtijs aerarij victorem exercitum ſtipendio affecit. SVBVENIATIS] aliqua mercedum parte releuetis. quod Caeſar quoque fecerat. GLORIATVR, *ſe breui tempore perfeciſſe, ne Gabinius vnus omnium nequiſſimus exiſtimaretur.*] Eiuſdem leporis illud in Vatinium: Die dicta ab eo, quem tu vnum improbiorem eſſe, quam te, nonnumquam ſoles confiteri.

ORATIO

HOs *vos de prouinciis, ſi non aliquando deducendi eſſent, deripiendos non putaretis? & has publicas peſtes ſociorum, militum clades, publicanorum ruinas, prouinciarum vaſtitates, imperii maculas teneretis? at iidem vos anno ſuperiore hos eoſdem reuocabatis, cum in prouincias iam peruenißent, quo tempore ſi liberum veſtrum iudicium fuiſſet, nec toties dilata res, nec ad extremum e manibus erepta eßet: reſtituiſſetis, id quod cupiebatis. veſtram auctoritatem, iis, per quos erat amiſſa, reuocatis, & iis ipſis praemiis extortis, quae erant pro ſcelere, atque euerſione patria, conſecuti. quam poenam ſi tum aliorum opibus, non ſuis, inuitiſſimis vobis euolarunt; at aliam multo maiorem, grauioremq. ſubierunt. quae enim homini, in quo aliquis ſi non fame pudor, at ſupplicii timor eſt, grauior poena accidere potuit, quam non credi litteris iis, quae rem bene geſtam in bello nunciarent? hoc ſtatuit ſenatus, cum frequens ſupplicationem Gabinio denegauit; primum, homini ſceleribus, flagitijs contaminatiſſimo nihil eſſe credendum; deinde, a proditore, atque eo, quem praeſentem hoſtem reip. cognoſſet, bene rem geri non potuiſſe; poſtremo, ne deos quidem immortales velle aperiri ſua templa, & ſibi ſupplicari, hominis impuriſſimi, & ſceleratiſſimi nomine. itaque ille alter aut ipſe eſt homo doctus, & a ſuis Graecis ſubtilius eruditus, quibuſcum iam in orcheſtra heluatur, antea poſt ſi parium ſolebat: aut amicos habet prudentiores, quam Gabinius, cuius nullae litterae perferuntur. Hoſce igitur imperatores habebimus? quorum alter non audet nos certiores facere, ne imperator appelletur: alterum, ſi tabellarii non ceſſarint, neceße eſt, paucis diebus paeniteat audere. cuius amici, ſi qui ſunt, aut ſi belluae tam immani, tamq. taetrae poſſunt vlli eſſe amici, hac conſolatione vtuntur, etiam T. Albutio ſupplicationem hũc ordinem denegaſſe. quod eſt primum diſſimile; res in Sardinia cum maſtrucatis latruncul is a propraetore vna cohorte auxiliaria geſta; & bellum cum maximis Syriae gentibus, tyrannis, conſulari exercitu impericq. confectum: deinde Albutius, quod a ſenatu petebat, ipſe ſibi in Sardinia ante decreuerat. conſtabat enim, Graecum hominem, ac leuem, in ipſa prouincia quaſi triumphaſſe. itaque hanc eius temeritatem ſenatus, ſupplicatione denegata, notauit. ſed fruatur ſane hoc ſolatio, atque hanc inſignem ignominiam, quoniam vni praeter ſe inuſta eſt, putet eſſe leuiorem; dummodo cuius exemplo ſe conſolatur, eius exitum exſpectet; praeſertim cum in Albutio nec Piſonis libidines, nec audacia Gabinii fuerit; hac tamen vna plaga conciderit, ignominia ſenatus.*

EXPLANATIO

MILITVM *clades,*] de Piſone iam dixit: Exercitus ille noſter, ſuperbiſſimo delectu, & duriſſima conquiſitione collectus, omnis interijt: de Gabinio: Aduentus in Syriam primus, equitatus habuit interitus: poſt conciſae ſunt optimae cohortes. ANNO *ſuperiore*] Lentulo, & Metello cos. nec dubitandũ quin Lentulus potius, Ciceronis amãtiſſimus, quã Metellus, de Piſone, & Gabinio reuocã dis ad ſenatũ retulerit. SI *liberum veſtrum iudicium fuiſſet,*] liberũ ſenatus iudiciũ non fuit per aliquem tribunum pl. intercedentẽ. NON *credi litteris iis, quae rem bene geſtam nunciarent?*] ſcripſerat Gabinius de rea ſe bene geſta contra Ariſtobolũ in Palaeſtina, Ariſtoboliq filiũ Alexandrũ SVPPLICATIONEM *Gabinio denegauit.*] in ep ad Q fr. Idibus Maij ſenatus frequens diuinus fuit in ſupplicatione Gabinio deneganda. Idem in oratione in Piſonem. A. SVIS *Graecis*] quorum conſuetudine vtebatur: vt oratio in ipſum demonſtrat. IN *orcheſtra*] ſpatium in theatro fuit, vbi ſedentes ſenatores, magiſtratus, & legati gentium exterarum, diſiuncti ab equeſtri ordine, & a plebe, fabulas ſpectabãt orcheſtae vero Graecorũ cũ ſcena coniungebãtur: & artifices in ea ſaltabant: vnde nomẽ accepit. HELVATVR,] vt Epicureus, voluptati, gulaeq. deditus. quod illi Cicero in oratione obijcit. POST *ſiparium*] pudentius, quam in orcheſtra. eſt enim ſiparium velum ſcenicum. QVORVM *alter*] Piſo. NON *audet*] conſcientia ſcelerum oppreſſus. CERTIORES *facere,*] de re geſta: cum tamen imperator ſit in prouincia appellatus. nam in oratione contra ipſum, Appellatus, inquit, eſt hic vulturius illius prouinciae, ſi dijs placet, imperator. Ne tum quidem, Paulle noſter, tabulas Romam mittere audebas? NE *imperator*

perator appelletur:]bis igitur imperatores appellabantur, primum ab exercitu, deinde, litteris publice missis, a senatu. Hoc dicit, quasi Piso timeat imperator appellari: quia scelerum suorum sibi sit conscius. S I *tabellarii non cessarint*,]qui litteras ad eum ferũt de supplicatione denegata. T. ALBVTIO]qui Sardiniae praefuit. Idem in oratione in Pisonem. MASTRVCATIS] mastruca Sardorum vestis. pro Scauro, & Quinctilianus lib. 1. cap. 9. CVM *maximis Syriae gentibus*,] cum quibus prospere se pugnasse Gabinius ad senatum scripserat. quod senatus, audita iam equitatus, & cohortium caede, credendũ non censuit. GRAECVM *hominem*. Graecis litteris deditum. nam homo vere Graecus in Sardiniam pro praetor missus non esset. Irrisit eum satyricus poeta Lucilius, Latinis verbis Graeca miscentem. Graecum te Albuti, quam Romanum, atque Sabinum. & quae praeterea lib. 1. de Fin. a Cicerone recitantur de eodem in Bruto. QVAS I *triumphasse*. In orat. Pisonem: Albutius, cum in Sardinia triũphasset, Romae damnatus est. EXITVM]damnationem, & exsulium. Tusc. 5. IGNOMINIA *senatus*.] quia senatum contempserat.

ORATIO

AT, *qui duas Gallias decernit consulibus duobus, hos retinet ambos: qui autem alteram Galliam, & aut Syriam, aut Macedoniam, tamen alterum retinet, & in vtriusque pari scelere disparem conditionem facit. Faciam, inquit illas praetorias; vt Pisoni, & Gabinio succedatur statim. si hic sinat: tum enim tribunus intercedere poterit; nunc non potest. itaque ego idem, qui nunc consulibus iis, qui designati erunt, Syriã, Macedoniamque decerno, decernam easdem praetorias; vt & praetores annuas prouincias habeant, & eos quamprimum videamus, quos animo aequo videre non possumus. sed, mihi credite, numquam succedetur illis, nisi cum ea lege referetur, qua intercedi de prouinciis non licebit: itaque, hoc tempore amisso, annus est integer vobis exspectandus: quo interiecto, ciuium calamitas, sociorum aerumna, sceleratissimorum hominum impunitas propagatur. quod si essent illi optimi viri, tamen ego mea sententia C. Caesari succedendum nondum putarẽ. qua de re dicam, P. C. quod sentio; atque illam interpellationem mei familiarissimi, qua paullo ante interrupta est oratio mea, non pertimescam.*

EXPLANATIO

CONSVLIBVS *duobus*]non qui nunc sunt, sed qui designabuntur. Paullo post apertius. ILLAS] Macedoniam, & Syriam. PRAETORIAS;] duae Galliae consulibus decernentur. ita fiet. quod Sempronia lex iubet. Piso tamen & Gabinius, praetorijs factis eorum prouincijs, reuocabũtur. nam si consulares, vti nunc sunt, ita manerent eorum prouinciae: sequeretur, vt vel solos eos, vel solum Caesarem reuocari necesse esset: cum de duabus tantum consularibus prouincijs, in quas duo consules erãt, non de quattuor, lex Sempronia loquatur. SI *hic sinat*:]fore significat, vt tribunus pl. impediat, ne praetoriae fiant. TVM]cum agetur de praetorijs faciendis Macedonia, & Syria. NVNC *non potest*]non enim licet intercedere, cum de prouincijs consularibus decernendis lege Sempronia refertur. Infra. Mihi credite, numquam succedetur illis nisi cum ea lege referetur, qua intercedi de prouincijs non licebit. QVI *designati erunt*,]designati non sunt, sed ex interregno creati Pompeius, & Crassus. DECERNAM *easdem praetorias*;]sed nihil agam. intercedet enim tribunus pl. ANNVS *est integer exspectandus*]nam, hoc tribuno pl. Pisonis, & Gabinij studiosissimo, de quo dixit, si hic sinat, numquam illis succedetur. intercedet enim S. C. qui, si lege Sempronia prouinciae nunc decernantur, intercedere non potest.

ORATIO

NEGAT *me vir optimus inimiciorem Gabinio debere esse, quam Caesari: omnem enim illam tempestatem, cui cesserim, Caesare impulsore, atque adiutore esse citatam. cui si primum sic respondeam, me communis vtilitatis habere rationem, non doloris mei, possim ne probare, cum id me facere dicam, quod exemplo fortissimorum & clarissimorum ciuiũ facere possim? an Ti. Gracchus (patrem dico, cuius vtinam filii non degenerassent a grauitate paterna) tantam laudem est adeptus, quod tribunus pl. solus ex toto illo collegio L. Scipionẽ auxilio fuit, inimicissimus & ipsius, & fratris eius Africani; iurauitq; in concione se in gratiã non rediisse, sed alienum sibi videri dignitate imperii, quo duces essent hostium Scipione triumphante ducti, eodem ipsum duci, qui triumphaßet? quis plenior inimicorum fuit C. Mario? L. Craßus, M. Scaurus, alii ne inimici? omnes Metelli: at hi non modo illum inimicũ ex Gallia sententiis suis non detrahebant, sed &, propter rationem Gallici belli prouinciam extra ordinem decernebãt. Bellum in Gallia maximum gestum est: domitae sunt a Caesare maximae nationes, sed nondum legibus, nondum iure certo, nondum satis firma pace deuinctae. bellum affectum videmus, &, vere vt dicam, paene confectum; sed ita, vt, si idem extrema persequitur, qui inchoauit, iam omnia perfecta videamus; si succeditur, periculum sit, ne instauratas maximi belli reliquias, ac renouatas audiamus. ergo ego senator, inimicus, si ita vultis, homini; amicus esse, sicut semper fui, reip. debeo. Quid, si ipsa*

Landesbibliothek Oldenburg

sas inimicitias depono reip. caussa, quis me tandem iure reprehendat? praesertim cum ego omnium meorum consiliorum, atque factorum exempla semper ex summorũ hominum factis mihi censuerim petenda. An non M. ille Lepidus, qui bis consul, & pontifex maximus fuit, nõ solum memoria, & testimonio, sed etiam annalium literis, & summi poetae voce laudatus est, quod cum M. Fuluio collega, quo die censor est factus, homine inimicissimo, in campo statim rediit in gratiam, vt commune officium censurae communi animo, ac voluntate defenderent? Atque, vt vetera, quae sunt innumerabilia, mittam; tuus pater, Philippe, non ne vno tempore cum suis inimicissimis in gratiam rediit? quibuscum omnibus eadem resp. recõciliauit, quae alienarat. Multa praetereo, quod intueor coram haec lumina, atque ornamenta reip. P. Seruilium, & M. Lucullum: vtinam etiam L. Lucullus ille viueret. quae fuerunt inimicitiae graviores in ciuitate, quam Luculliorum, atque Seruiliorum? quas in viris fortissimis non solum exstinxit reip. dignitas, & ipsorum, sed etiam ad amicitiam, consuetudinemq. transduxit. Quid? Q. Metellus Nepos non ne consul in templo Iouis optimi maximi, permotus cum auctoritate vestra, tum illius P. Seruilij incredibili grauitate dicendi, absens mecum summo suo beneficio rediit in gratiam? An ego possum huic esse inimicus, cuius litteris, fama, nuncys celebrantur aures quotidie meae nouis nominibus gẽtium, nationum, locorum?

EXPLANATIO

SCIPIONI] cui cognomen Asiatico fuit, ab Antiocho Asiae rege deuicto. OMNES *Metelli*:] propter Numidicũ, cui gloriã confecti Iugurthini belli legatus imperatori suo Marius ademit. GALLICI *belli*] Cimbrici. Plutarchus & Orosius lib. v. cap. 16. EXTRA *ordinem*] vt ei vltra annum in Gallia esset imperium. BELLVM *affectum*] profligatum quidem, non tamen absolutum. Tuscul. 5. Profligata iam haec, & paene ad exitum adducta quaestio est. Infra Ipse Caesar, quid est, cur in prouincia commorari velit, nisi vt ea, quae per eũ affecta sunt, perfecta reip. tradãtur? Et post: Vos tamen oporteret ab eodẽ illa omnia, a quo profligata sunt, confici velle. PERICVLVM *sit*,] ne instauratas maximi belli reliquias, ac renouatas audiamus. Infra, idem alijs verbis: Impolitae vero res, & acerbae, si erunt relictae, quamquã sunt absciſſae, tamen efferent se aliquando, & ad renouandũ bellũ reuirescent. SVMMI *poetae*] Q. Ennij: qui M. Fuluium, Lepidi collegam in censura, ab bellum Aetolicum secutus est. Pro Archia. QVAE *fuerunt inimicitiae graviores*] Seruilium augurem, (sic enim appellat Plutarchus) duo Luculli fratres, Lucius, & Marcus, patris eorũ accusatorẽ, accusarunt. Academicorũ libro, qui inscribitur Lucullus. P. SERVILII *incredibili grauitate dicendi*,] eadẽ res narratur in ea Post Red. in sen

ORATIO

ARDEO, *mihi credite, P. C. id quod vosmet de me existimatis, & facitis ipsi, incredibili quodã amore patriae: qui me amor & subuenire olim impendentibus periculis maximis cum dimicatione capitis, & rursum, cum omnia tela vndique esse intenta in patriã viderem, subire coegit, atque excipere vnum pro vniuersis. hic me meus in remp. animus pristinus, ac perennis cum C. Caesare reducit, reconciliat, restituit in gratiam. quod volent, denique homines existiment: nemini ego esse possum bene de rep. merenti non amicus. etenim, si ijs, qui haec omnia flamma, ac ferro delere voluerunt, non inimicitias solum, sed etiam bellum indixi, atque intuli; cum partim mihi illorum familiares, partim etiam me defendente capitis iudicys essent liberati: cur eadem resp. quae me in amicos inflammare potuit, inimicis placare non possit? quod mihi odium cum P. Clodio fuit, nisi quod pernicioſum patriae ciuem fore putabam, qui turpissima libidine incẽsus, duas res sanctissimas, religionem & pudicitiam, vno scelere violasset? nom est igitur dubium ex his rebus, quas is egit, agitq. quotidie, quin ego in illo oppugnando reip. plus, quam otio meo, nonnulli in eodem defendendo suo plus otio, quam communi, prospexerint? Ego me a C. Caesar in rep. dissensisse fateor, & sensisse vobiscum: sed nunc ijsdem vobis assentior, cum quibus antea sentiebam. vos enim, ad quos litteras L. Piso de suis rebus non audet mittere, qui Gabinij litteras insigni quadam nota, atque ignominia noua condemnastis, C. Caesari supplicationes decreuistis; numero, vt nemini vllo ex bello; honore, vt omnino nemini. cur igitur exspectem hominem aliquem, qui me cum illo in gratiã reducat? reduxit ordo amplissimus, & ordo, is, qui est & publici consilii, & meorum omnium consiliorum auctor, & princeps. vos sequor, P. C. vobis obtempero, vobis assentior: qui quamdiu C. Caesaris consilia in rep. non maxime diligebatis, me quoque cum illo minus coniunctum videbatis: posteaquam rebus gestis mentes vestras, voluntatemq. mutastis, me non solum comitem esse sententiae vestrae, sed etiam laudatorem vidistis.*

EXPLANATIO

OLIM] Catilinae temporibus. ET *rursum*] P. Clodio tribuno pl. SVBIRE *coegit*.] sponte enim, furente Clodio, caedisq ciuium causſam quaerente, cessi: ne, mea causſa, patria periclitaretur. In epist. ad Lentulum: Qui meos ciues, & a me seruatos, & me seruare cupientes, seruis armatis obiici noluerim. Id saepe etiam gloriatur in orationibus. RELIGIONEM, & *pudicitiam*] cum in templum Bonae deae, muliebri vestitu, libidinis causſa penetrauit. nota satis historia est. NON *nulli*] Caesaris inimici,

inimici, vt M. Cato, qui Clodij tribuni pl. leges defendebat, ne, si leges eae tollerentur, irrita essent, quae ipse in Cypro, Clodij lege missus, egerat. in quo maiorem otij sui, quam publici, rationem habebat. NVMERO] dierum quindecim, his consulibus, quibus haec habita oratio est. Caesar ipse lib. III. bell. Gal. in extremo ita scripsit: Ob eas res ex litteris Caesaris dies quindecim supplicatio decreta est. quod ante id tempus contigerat nulli. Biennio autem post, rebus alijs additis, ijsq. maximis, decreta ei supplicatio est dierum viginti, L. Domitio Ap. Claudio cos. HONORE,] verborum. De honore, & numero sic in ea pro Balbo: C. Caesarem senatus & genere supplicationum amplissimo ornauit, & numero dierum nouo: Et hic paullo post: Dignitas verborum.

ORATIO

SEd, quid est, quod in hac caussa maxime homines admirentur, & reprehendant meum consilium; cum ego idem antea multa decreuerim, quae magis ad hominis dignitatem, quam ad reip. necessitatem, pertinerent? Supplicationem quindecim dierum decreui sententia mea reip. satis erat tot dierum, quot C. Mario: diis immortalibus non erat exigua eadem gratulatio, quae ex maximis bellis. ergo ille cumulus dierum hominis est dignitati tributus. in quo ego, quo consule referente primum decem dierum supplicatio decreta Cn. Pompeio, Mithridate interfecto, cōfectoq. Mithridatico bello, & cuius sententia primum duplicata est supplicatio consularis; (mihi enim est is assensi, cum, eiusdem Pompeii literis recitatis, cōfectis omnibus maritimis terrestribusq. bellis, supplicationem dierum duodecim decreuissiis) sum Cn. Pompeii virtutem, & animi magnitudinem admiratus, quod, cum ipse ceteris omnibus esset omni honore antelatus. ampliorem honorē alteri tribuebat, quam ipse erat consecutus. ergo in illa supplicatione, quam ego decreui, res ipsa tributa est diis immortalibus, & maiorum institutis, & vtilitati reip. sed dignitas verborum, honos, & nouitas, & numerus dierum Caesaris ipsius laudi, & gloriae concessus est. Relatum est ad nos nuper de stipendio exercitus: non decreui solum, sed etiam, vt uos decerneretis, laboraui: multa dissentientibus respondi: scribendo affui. tum quoque homini plus tribui, quam nescio cui necessitati. illum enim arbitrabar etiā sine hoc subsidio pecuniae retinere exercitum praeda ante parta, & bellum conficere posse: sed decus illud, & ornamentum triumphi minuendum nostra parcimonia nō putaui. Actum est de decem legatis: quos alii omnino non dabant; alii exempla quaerebant; alii tempus differebant: alii sine vllis verborum ornamentis dabant. in ea quoque re sic sum locutus, vt omnes intelligerent, me id, quod reip. caussa sentirem, facere; uerius propter ipsius Caesaris dignitatem. at ego idē nunc in prouinciis decernendis, qui illas omnes res egi silentio, interpellor; cum superioribus caussis hominis ornamenta fuerint, in hac me nihil aliud, nisi ratio belli, nisi summa vtilitas reip. moueat.

EXPLANATIO

EGO *idem*] qui Caesari succedendum non puto. QVOT *C. Mario*:] ex bello Cimbrico, septē dierū, aut saltē sex: nā ordinaria dierū erant quinque. cū enim supplicatione decē dierū Pompeio decreta, duplicatā esse cōsularē supplicationē, Cicero subiungat: nimirū quinque dierū decerni solitā, perspicue demonstrat. EADEM] quinque dierū, vt ostēdi. DECRETA] ex sententia Ciceronis, vt infra. CONFECTOQ. *Mithridatico bello*:] abundare arbitror Mithridatico. SVPPLICATIONEM *dicerum duodecim decreuissiis*.] aut hic, decem, non duodecim, aut supra, duodecim, nō decē, legendū est. verū vtrobique malim, decē. nā cū dixerit, in Pompeio duplicatam esse supplicationē consularē; facile suspicor, supplicationē consularē quinque dierum non sex, antea fuisse. quod exemplo supplicationis Paullo Aemilio decretae Liuius lib. XLV. docet, quamquam C. Mario dies vnus, vel plures etiā additi sunt, vt numero dierū nouo cohonestaretur: sed id extra ordinē: Cicero autē de ordinaria, & vsitata consulari supplicatione loquitur, cū ait in Pompeio duplicatā supplicationē consularē. praeterea, cū C. Caesari ob res in Gallia gestas decretā primū quindecim, deinde viginti dierum supplicationem videam, adducor vt existimem, tot dierū accessionē factā esse in supplicatione Caesaris, quot facta fuerat in supplicatione Pompeij, quin is vtrique diebus extra ordinem honoris caussa concessis. DIGNITAS *verborum*] cum Caesaris res gestae verbis honorificentissimis exponerentur. HONOS] haec simul iunguntur, honos, nouitas, numerus dierum, hac sententia: supplicatio maior, quam ceteris, Caesari decreta: in quo fuit honor. non enim hic simpliciter de supplicatione loquitur Cicero, de qua iam dixerat, Res ipsa tributa est dijs immortalibus, & maiorum institutis, & vtilitati reip. sed de ea supplicatione, quae nouitate & numero dierum ceteris omnibus praestitit. NVPER] ijsdē consulibus. DE *stipendio exercitus*:] quem Caesar nouis legionibus auxerat. propterea nouo etiam stipendio opus erat. SCRIBENDO *affui*.] cum S C. scriberetur. Quattuor modis erga Caesarem studium suum declarat; quod de stipendio decreuerit; quod, vt alij decernerēt, laborauerit; quod multa dissentientibus respōderit; quod scribendo affuerit. Maximū autē, si quis scribendo adesset, amorem in eum cuius de honore agebatur, praeferebat. itaque in ep. ad Catonem, Res, inquit, ipsa declarat, tibi illum honorem nostrum supplicationis fuisse iucundū, quod scribendo affuisti. haec enim S. C. non ignoro. ab amicissimis eius, cuius de honore agitur, scribi solere. Quod ad loquendi genus attinet, satis multa diximus in comm. ep. fam. DE. STIPENDIO] pro Balbo. Idem in angu

stijs

stijs aerarij victorem exercitum stipendio affecit: imperatori decem legatos decreuit: lege Sempronia succedendum non censuit. harum ego sententiarum princeps, & auctor fui. NON *decreui solum,*] in ep. ad Lentulum, non se decreuisse, sed decrerum esse, dissimulans scribit: ne, restitutus in patriam, a pristina sententia, idest ab optimatum caussa desciuisse videretur. Quod scribis, inquit, te vel Je scire, qui sit reip. status: summa dissensio est, sed contentio dispar. nam qui plus opibus, armis, potentia valent, profecisse tantum mihi videntur stultitia, & inconstantia aduersariorum, vt iam etiam auctoritate plus valerent. itaque, perpaucis aduersantibus, omnia quae ne per populum quidem sine seditione se assequi posse arbitrabantur, per senatum consecuti sunt. nam & stipendium Caesari decretum est, & decem legati: &, ne lege Sempronia succederetur, facile perfectum est. Quae tamē omnia ipse sua sententia decreuerat: vt ex hac oratione satis cōstat. PRAEDA *ante parta*] quae reseruabatur ad ornamentū triūphi. praeda enī ex hostibus parta gestari solebat in triumpho.

ORATIO

NAm ipse Caesar, quid est, cur in prouincia commorari velit, nisi, vt ea, quae per eum affecta sunt, perfecta reip. transdantur? amoenitas eum, credo, locorum, vrbium pulchritudo, hominum, nationumq. illarum humanitas, & lepos, victoriae cupiditas, finium imperij nostri propagtio retinet. quid illis terris asperius? quid incultius opidis? quid nationibus immanius? quid porro tot victoriis praestabilius? quid Oceano longius inueniri potest? An reditus in patriam habet aliquam offensionem? vtrum apud populum, a quo missus est, an apud senatum, a quo ornatus est? An dies auget eius desiderium, an magis obliuionem, ac laurea illa, magnis periculis parta, amittit longo interuallo viriditatem? quare, si qui hominem non diligunt; nihil est, quod eum de prouincia deuocent: ad gloriam deuocant, ad triumphum, ad gratulationem, ad summum honorem senatus, equestris ordinis gratiam, populi caritatem. sed, si ille hac tam eximia fortuna propter vtilitatem reip. frui non properat, vt omnia illa conficiat: quid ego senator facere debeo, quem, etiā si ille aliud vellet, reip. consulere oporteret? Ego vero sic intelligo, P.C. nos hoc tempore in prouinciis decernendis perpetuae pacis habere oportere rationem. nam quis hoc tempore non sentit, omnia alia esse nobis vacua ab omni periculo, atque etiam ab omni suspicione belli? iam diu mare uidemus illud immensum, cuius feruore non solū maritimi cursus, sed vrbes etiam, & viae militares iam tenebantur, virtute Cn. Pompeii sic a populo R. ab Oceano vsque ad vltimum Pontum, tamquam vnum aliquem portum, tutum, & elausum teneri; nationes eas, quae numero hominum, ac multitudine ipsa poterant in prouincias nostras redundare, ita ab eodem esse partim recisas, partim repressas, vt Asia, quae imperium antea nostrum terminabat, nunc tribus nouis prouinciis ipsa cingatur possum de omni regione, de omni hostium genere dicere. nulla gens est, quae non aut ita subacta sit, vt vix exsistet; aut ita domita, vt quiescat; aut ita pacata, vt victoria nostra, imperioq. laetetur.

EXPLANATIO

AFFECTA] non confecta. de hoc verbo iam diximus. AN. DIES *auget eius desiderium,*] quasi dicat: Obliuionem potius, quā desiderium, tempus auget: triumphusq. si differatur, qui differetur, si remanet in Gallijs Caesar; splendor eius minuetur potius interuallo temporis, quā augebitur. quare, quod ad ipsum attinet, caussam habet, cur decedere, nō cur in Galliarū imperio diutius commorari velit sed, belli perficiendi caussa, ne decedat, nos curare debemus: siquidem de rep. potius, quam de homine, laboramus. CVIVS *feruore*] non loquitur de fluctibus, sed de piratarum quasi efferuescentium, infinita multitudine supra: Mithridaticos impetus, totumq. Pontum armatum, efferuescentem in Asiam, atque erumpentem. ASIA] quam Attalus rex populo Romano legauerat. TRIBVS *nouis prouinciis*] Mithridatico bello Pompeij virtute partis, Bithynia, Ponto, Syria.

ORATIO

BEllum Gallicum, P.C.C. Caesare imperatore gestum est, antea tantummodo repulsum semper illas nationes nostri imperatores refutandas potius bello, quam lacessendas, putauerunt. ipse ille C. Marius, cuius diuina, atque eximia virtus magnis populi R. luctibus funeribusq. subuenit, influentes in Italiam Gallorum maximas copias repressit, non ipse ad eorum vrbes, sedesq. penetrauit. modo ille meorum laborum, periculorum, consiliorum socius, C. Pontinius, fortissimus vir, ortum repente bellum Allobrogum, atque hac scelerata coniuratione excitatum, proeliis fregit; eosq. domuit, qui lacessierant; & ea victoria contentus, rep. metu liberata, quieuit. C. Caesaris longe aliam video fuisse rationem. non enim sibi solum cum iis, quos iam armatos contra populum R. videbat, bellandum esse duxit, sed totam Galliam in nostram ditionem esse redigendam: itaque cum acerrimis nationibus, & maximis, Germanorum, & Heluetiorum, proeliis felicissime decertauit; ceteras contriuit, compulit, domuit, imperio populi R. parere assuefecit; &, quas regiones, quasq. gentes nullae nobis antea litterae, nulla vox, nulla fama notas fecerat, has noster imperator, nosterq. exercitus, & populi R. arma peragrarunt. semitam tantum Galliae tenebamus antea, P.C. ceterae partes a gentibus aut inimicis

Landesbibliothek Oldenburg

huic imperio, aut infidis, aut in cognitis aut certe immanibus, & barbaris, & bellicosis tenebantur. quas nationes, nemo vmquam fuit, qui non frangi, domariq. cuperet: nemo sapienter de rep. nostra cogitauit iam inde a principio huius imperij, quin Galliam maxime timendam huic imperio putaret: sed propter vim, ac multitudinem gentium illarum numquam est antea cum omnibus dimicatum. restitimus semper lacessiti: nunc denique est perfectum, vt imperij nostri, terrarumq. illarum idem esset extremum. Alpibus Italiam munierat antea natura, non sine aliquo diuino numine. nam, si ille aditus Gallorum immanitati, multitudiniq. patuisset; numquam haec vbs summo imperio domicilium, ac sedem praebuisset, quae iam, licet, confidant. nihil est enim vltra illam altitudinem montium vsque ad Oceanum, quod sit Italiae pertimescendum. sed tamen vna, aut altera aestas, vel metu, vel spe, vel poena, vel praemijs, vel armis, vel legibus, potest totam Galliã sempiternis vinculis adstringere. impolitae vero res, & acerbae, si erunt relictae, quamquam sunt abscissae, tamen efferent se aliquando, & ad renouandum bellum reuirescent. Quae sit in eius tutela Gallia, cuius virtuti, fidei, felicitati commendata est. etenim, si Fortunae muneribus amplissimis ornatus, saepius eius deae periculum facere nolleit; si in patriam, si ad deos penates, si ad eam dignitatem, quam in ciuitate sibi propositam videt, si ad iucundissimos liberos, si ad clarissimum generum redire properaret; si in Capitolium inuehi victor cum illa insigni laurea gestiret; si denique timeret casum aliquem, qui illi tantum addere iam non potest, quantum auferre: vos tamen oporteret ab eodem illa omnia, quo profligata sunt, confici velle. cum vero ille suae gloriae iampridem, reip. nondum satisfecerit; & malit tamen tardius ad suorum laborum fructus peruenire, quam non explere susceptum reip. munus: nec imperatorem incensum ad remp. bene gerendam reuocare, nec totam Gallici belli rationem, prope iam explicatam, perturbare, atque impedire debemus.

EXPLANATIO

SOCIVS] in opprimenda Catilinae coniuratione. fuit enim praetor Cicerone cõsule. post praetu ram in Galliã vlteriorẽ iuit: rebellantesq. Allobroges repressit. Dio lib. xxxvi. epitome lib. ciii. HAC *scelerata coniuratione excitatum.*] Sallustius & or. 3 in Catil. QVIEVIT.] ad eorum sedes non penetrauit biennio tamen post, L. Domitio, Ap. Pulchro cos. triumphauit. Dio, & in ep. ad Att. ad Q fr. CONTRIVIT,] non placet, Contriuit, compulit: vt minor significatio sit in secundo verbo, quã in primo, contra Ciceronis consuetudinem: conterruit, pro contriuit, ex auctoritate veterum librorum libenter lego. IMPOLITAE *res, & acerbae, si erunt relictae, quamquam sunt abscissae, tamen efferent se aliquando, & ad renouandum bellum reuirescent.*] abscindi dicuntur ea, quae coniuncta disrumpuntur: quod hic non quadrat: itaque malim, accisae, quam abscissae, & apud Virgiliũ lib. vii. eo versu.

„ Non licet amborum populos excindere regum,

scriptũ esse, excidere. in Mediceo libro ait Pierius Valerianus, vir de litteris optime meritus. nam excindo vnde deducatur, nõ video. LIBEROS] vnam tamen habuit Iuliam, vxorem hoc tempore Pompeij Magni. Sed hic est Ciceronis mos, vt de vno filio, liberos dicat. qua de re pro lege Manilia. *Vos tamen oporteret ab eodem illa omnia, a quo profligata sunt, confici velle*] profligare plus est, quam incipere, minus quam cõficere. itaque dixit paullo ante: Quid est, cur in prouincia commorari Caesar velit, nisi vt ea, quae per eum affecta sunt, perfecta reip. tradantur? vide locum in epistola sexta lib. xix. PROFLIGATA] affecta. quo verbo supra bis vsus est.

ORATIO

NAm illae sententiae virorum clarissimorum mihi me probandae sunt: quorum alter vlteriorem Galliam decernit cum Syria, alter citeriorem. qui vlteriorem, omnia illa, de quibus disserui paullo ante, perturbat: simul ostendit, eam se scisscere legem, quam esse legem neget; & quae pars prouinciae sit, cui non possit intercedi, hanc se auellere; quae defensorem habeat, non tangere. simul & illud facit, vt, quod illi a populo datum sit, id non violet; quod senatus dederit, id senator properet auferre. Alter belli Gallici rationem habet: fungitur officio boni senatoris: legem, quam non putat, eam quoque seruat; praefinit enim successori diem. qui mihi nihil videtur minus a dignitate, disciplinaq. maiorum dissidere. quam vt, qui consul Kal. Ian. habere prouinciam debet, is vt eam desponsam, non decretam, habere videatur; fuerit toto in consulatu sine prouincia, cui fuerit, antequam designatus esset, prouincia decreta. sortietur, an non? nam & non sortiri absurdum est, & quod sortitus sis, non habere. proficiscetur paludatus? quo? quo peruenire ante certam diem non licebit. Ianuario, Februario prouinciam non habebit: Kal. ei denique Martijs nascetur repente prouincia. attamen his sententijs Piso in prouincia permanebit. quae tũ grania sunt, tum nihil giauius illo, quod multari imperatorem deminutione prouinciae contumeliosum est: neque solum, summo in viro, sed etiam in mediocri homine ne accidat prouidendum.

EXPLANATIO

VIRORVM *clarissimorum*] consularium: cum ante Ciceronem sententiam dixerint. DE. QVIEVS *disserui paullo ante*;] illa significat, quae a Caesare profligata, confici ab eodẽ, si maneret in impe-

rio,

rio,vna,aut altera aestate poterant. EAM *se scisscere legem.*] Vatiniam,quae Caesari citeriorem Galliam cum Illyrico dederat. Qui citeriorem,inquit,Galliam Caesari non adimit,ostendit probari a se Vatiniam legem,quam tamen,vt contra auspicia latam esse legem neget. Vlteriorem aūt senatus dederat,non populus:auctore Suetonio. Hanc sententiam opinor a M. Bibulo esse dictā.is enim & consularis,& Caesaris inimicissimus.nam M.Cato ne praetorius quidem adhuc erat.neminē autē vt iam dixi,nisi consularē,rogatum esse sententiam ante Ciceronem,verisimile videtur. CVI *non possit intercedi.*] non poterat intercedi vlteriori Galliae,quia senatus illud,nō populi beneficium fuerat. itaque non ad tribunos pl. sed ad senatum,vt conseruaret beneficium suum,pertinebat illa defensio. peccabat igitur senator ille qui beneficium senatus auferebat a Cesare, populi relinquebat.populus enim citeriorē Galliā dederat. QVAE *defensorem habeat,* nā si citerior adimeretur,intercederent tribuni plius & potestatē populi tuentes. BELLI *Gallici rationem habet:*] vlteriorē non attingit:vult enim ea cōfici,quae profligata sunt in quo fungitur officio boni senatoris.citeriorē decernit, cum hoc tamen, ne successor eat in prouinciam,nisi gesto consulatu Kalendis Martijs. LEGEM] Vatiniam. SERVAT;] quia, cum lex Vatinij citeriorē Galliā in quinquennium Caesari dedisset hic senator non ante quinctum annum ei succedi vult,quo tēpore absoluto,consul quoque metuebat,ne cui,inuito senatu, ea dē prouincia alia lege ita daretur,vt a Vatinio Caesari data fuerat. Infra. QVI *mihi nihil videtur minus*] malim:Quo mihi nihil videtur magis.nam,Qui, non est in vetere Card. Borromaei libro, sed, Quo. alioqui diuersum quiddam ab eo quod agitur,videbitur illūd,Quam vt,qui cōsul cum tamē id esse constet,quod a dignitate.disciplinaq. maiorum dissidere,Cicero dicit. QVI *consul Kalendis Ian. habere prouinciam debet.*] quibus igitur designatis consulibus decretae prouinciae fuissent, ab ijs finem consulatus exspectari nolebant consules,qui de prouincijs retulerant,sed ire in prouincias cum primū magistratum iniuissent:vt eo citius imperium Caesari ex dimidia saltem parte adimeretur. DESPONSAM] ita promissam vt eā tamen interim non attingat. ANTE *quam designatus esset,*] retulerant enim consules,vt sequētis anni consulibus,quicumque designati essent,lege Sempronia prouinciae decernerentur. SORTIETVR *an non?*] mos erat vt in prouincias ituri sortirentur, aut compararent inter se. Liuius Cicero,alij. ANTE *certam diem*] ei praefinitam. Paullo ante: Praefinit successori diem. KALENDIS *et demique Martijs*] non quae erunt,ipso consule, sed anno sequenti.dictum est enim supra: Fuerit toto in consulatu sine prouincia. Praeterea si Vatinij lex seruatur,ante quinquennium adimi citerior Gallia Caesari non potest. ATTAMEN *his sententiis Piso in prouincia permanebit.*] disputauit hactenus de duabus sententijs:concludit,neutra Macedoniam attingi:cum tamen ea potius,quam vlterior,aut citerior Gallia,cum Syria videatur esse coniungenda.

ORATIO

EGo *vos intelligo, P. C. multos decreuisse honores eximios C. Caesari, & prope singulares, quod ita meritus erat;gratis etiam,vt quam coniunctissimus huic ordini esset. sapientes, ac diuini fuistis. neminem vmquam est hic ordo complexus honoribus, & beneficijs suis, qui vllam dignitatem praestabiliorem ea, quā per vos esset adeptus, putarit. nemo vmquam hic potuit esse princeps,qui maluerit esse popularis. sed homines,aut propter dignitatem suam diffisi ipsi sibi, aut propter reliquorum obtrectationem ab huius ordinis coniunctione depulsi.saepe ex hoc portu se in illos fluctus prope necessario contulerunt. qui si ex illa iactatione cursuq. populari,bene gesta rep.referunt adspectum in curiam.atque huic amplissime dignitati commendati esse volunt; non modo non repellendi sunt, verum etiam expetendi. Monemur à fortissimo viro,atque optimo post hominum memoriam consule,vt prouideamus,ne citerior Gallia, nobis inuitis, alicui decernatur, post eos consules, qui nunc erunt designati,perpetuoq. posthac ab ijs,qui hunc ordinem oppugnent,populari, ac turbulenta ratione teneantur. Quam ego palam etsi non contemno, P. C. praesertim monitus a sapientissimo consule, & diligentissimo custode pacis, & otij, tamen vehementius arbitror pertimescendam,si hominum praeclarissimorum ac potentissimorum aut honorem minuero, aut studium erga hunc ordinem repudiaro.nam,vt C. Iulius, omnibus a senatu eximiis,ac nouis rebus ornatus.per manus hanc prouinciam transdat ei, cui minime vos velitis: per quem ordinem ipse amplissimam sit gloriam consecutus, ei ne libertatem quidem relinquat; adduci ad suspicandum nullo modo possum. Postremo, quo quisque animo futurus sit,nescio; quid sperem, video. praestare hoc senator debeo, quantum possum, ne quis vir clarus, aut potens huic ordini iure irasci posse videatur. atque hoc, si inimicissimus essem C. Caesari, sentirem tamen reip. caussa; sed non alienum esse arbitror, quo minus saepe aut interpeller a nōnullis, aut tacita aestimatione reprehendar,explicare breuiter, quae mihi sit ratio,& caussa cum Caesare.*

EXPLANATIO

HONORES *eximios, & prope singulares*] infra: Omnibus a senatu eximijs, ac nouis rebus ornatus. Et in ep. ad Lentulū; Cū enim Caesar,rebus maximis gesti singularibus ornatus & nouis honoribus,ac iudicijs senatus,ad eius ordinis auctoritatem adiungeretur. GRATIS *etiam,*] vt cum ei

Landesbibliothek Oldenburg

Galliam vlteriorem vestra sponte decreuistis. Hi c] in hoc ordine. In *illos fluctus*] ad populi studium, ad popularem rationem. Recte senatum, in quo summa grauitas, & sapientia, portum vocat, populum vero fluctus, quia, mente parum certa, numquã consistit, & libidine potius, quam cõsilio, mouetur. id eo liberius dicit quia loquitur in senatu. Referunt *ad spectum in curiam.*] in communi sententia Caesarem quodam modo describit. Consule,] Marcelino. is enim in consulatu maioris animi videtur fuisse, quam Philippus: & is etiam fortasse solus de prouincijs retulerat, districto, & impedito Philippo propter affinitatẽ & Caesaris, & Catonis, qui se mutuo pessime oderant. Attiã, Octauij, qui Augustus postea dictus est, mattẽ, Iuliae, sororis Caesaris, filiã, habebat in matrimonio, Marciã vero, filiã suam Catoni collocauerat. Nobis *inuitis, alicui decernatur,*] exemplo Vatinij, qui eam Caesari dedit inuito senatu. Decernatur, aut non proprie Cicero dixit, aut mendosũ est. subaudiri enim constat, a populo, tribunicia lege: cum dicat, Nobis inuitis. at hoc verbum de populo non solet vsurpari decernit enim senatus, populus iubet, Post *eos consules, qui nunc erunt designati*,] absoluto scilicet imperij tempore, quod in ea prouincia Caesari lex Vatinij tribuerat. quã ob caussam supra quoque dictum est: Legem, quam nõ putar, eam quoque seruat: praefinit enim successori diem. Per *manus*] vt, cum ipse attributum sibi lege Vatinia in citeriore Gallia imperij tempus absoluerit, alteri, non quem senatus, sed quem populus miserit, eandem prouinciam tradat.

ORATIO

A C *primum illud tempus familiaritatis, & consuetudinis, quae mihi cum illo, quae fratre meo, quae C. Varroni, consobrino nostro, ab omnium nostrum adolescentia fuit, praetermitto. postea quam sum penitus in remp. ingressus, ita dissensi ab illo, vt in disiunctione sententiae coniuncti tamen amicitia maneremus. cõsul ille egit eas res, quarum participem me esse voluit: quibus ego si minus assentiebar, tamen illius mihi iudicium gratum esse debebat. me ille, vt quinqueuiratum acciperem, rogauit: me in tribus sibi coniunctissimis consularibus esse voluit: mihi legationem, quam vellem, quanto cum honore vellem, detulit. quae ego omnia non ingrato animo, sed obstinatione quadam sententiae, repudiaui: quam sapienter, non disputo: multis enim non probabo; constanter quidem, & fortiter certe: qui, cum me firmissimis opibus contra scelus inimicorum munire, & populares impetus populari praesidio possem propulsare, quamuis excipere fortunam, subire vim, atque iniuriam malui, quam aut a vestris sanctissimis mentibus dissidere, aut de meo statu declinare. Sed non is solum gratus debet esse, qui accepit beneficium, verum etiam is, cui potestas accipiendi fuit. ego illa ornamenta, quibus ille me ornabat, decere me, & conuenire iis rebus, quas gesseram, non putabam: illum quidem amico animo me habere eodem loco, quo principem ciuem, suum generum, sentiebam.*

EXPLANATIO

C. Varoni] Viselliae gentis: de quo sic in Bruto. Erat etiam vir doctus in primis C. Visellius Varro. consobrinus meus Ibidẽ: Neque verbis aptiorem alium dixerim, neque sententijs crebriorẽ. praeterea, perfectus in litteris: iurisq. ciuilis iam a patre Aculeone traditã tenuit disciplinã. Quibus *ego si minus assentiebar*,] quod eae senatui non probarentur. In Pisonem; Ego C. Caesarem non eadem de rep. sensisse quae me, scio: sed tamen quod iam de eo, his audientibus, saepe dixi, me ille sui totius consulatus, eorumq. honorum, quos cum proximis communicauit, socium esse voluit: detulit, inuitauit, rogauit Quinqueviratvm malim legere, Vigintiuiratum, vt est in ep. 6. & 3. lib. 2. & in ep. 2. lib. 9. ad Att. & apud Quinctillianũ lib. xii. cap. 1. Velleium lib. 2. Suetonius quoque, M. Attiũ Balbum, sororis Caesaris virũ inter vigintiuiros agrum Cãpanum plebi lege Iulia diuisisse, scribit in Augusto quare si malim, sex locorum testimonio vnũ corrigi, quã ex vno tria mutari, absurde mihi facere nõ videar. In tribvs *sibi coniunctissimis consularibus*] cum Põpeio, & Pisone, Caesari coniunctissimis, quia Pompeius eius gener erat, Piso socer: quibus additus Cicero tertius consularis fuisset. Pompeium quidem in vigintiuiris fuisse ex eo mihi liquet. quod eum Cicero Balbi collegã vocat ep. 12. lib. 2. ad Att. Adiuuat hanc opinionẽ, quod infra dicitur: Illum quidem me habere eodem loco, quo principẽ ciuẽ, suum generum sentiebã. Nam Pisonẽ, inimicum suum nominare noluit. Legationem]in Gallia. ep. 19. lib. 11. ad Att. Caesar me sibi vellet esse legatum. honestior haec declinatio periculi. Obstinatione *quadam sententiae*] ne de meo statu declinarẽ. quod infra dicit aut, ne dissentirem a vobis: quibus inuitis & legem agrariã Caesar tulerat, & legatos quoque, sine S. C. lege Vatinia ipse deligebat. vnde in Vatinium: Age, factum est horũ aliquid in alijs, raro, sed tamen factum est, vt populus deligeret imperatorem: quis legatos vmquam audiuit sine S. C. ante te nemo, post cõtinuo fecit idẽ in duobus prodigijs reip. Clodius. Mvltis *enim non probabo*,] iudicantibus eã legationem repudiari a me non debuisse, quae accepta, sequentis anni vim, & iniuriam, illatã mihi tribuno pl. Clodio, vitassem. In ep. ad Terentiam: Meum fuit, vel legatione vitare periculum, vel diligentia, & copijs resistere, vel cadere fortiter. Firmissimis *opibus*] Caesaris. Popvlari *praesidio*] Caesar enim vel maxime apud populum gratia valebat. A. vestris *sanctissimis mentibus*] non probantibus ea, quae consul Caesar egerat. Avt *de meo statu declinare.*] cum in optimatum caussa, & in senatus auctoritate, contempta

tempta ambitione illa populari, semper omnia posuissem. Huc illud spectat, quod supra dictum est: Quae ego omnia non ingrato animo, sed obstinatione quadam sententiae repudiaui. EODEM *loco*,] cum me in tribus sibi coniunctissimis consularibus esse voluit.

ORATIO

TRADVXIT *ad plebem inimicum meum, siue iratus mihi, quod me secum ne beneficijs quidem videbat posse coniungi; siue exoratus. ne hoc quidem fuit iniuria: nam postea me, vt sibi essem legatus, non solum suasit, verum etiam rogauit. ne id quidem accepi, non quo alienum mea dignitate arbitrarer; sed quod tantum reip. sceleris impendere a consulibus proximis non suspicabar. Ergo adhuc magis est mihi verendum, ne mea superbia in illius liberalitate, quam ne illius iniuria in nostra amicitia reprehendatur. ecce illa, illa tempestas, caligo bonorum, & subita, atque improuisa formido, tenebrae reip. ruina, atque incendium ciuitatis, terror iniectus Caesari de eius actis, metus caedis bonis omnibus, consulum scelus, cupiditas, egestas, audacia. si non sum adiutus, non debui; si desertus, sibi fortasse prouidit; si etiam oppugnatus, vt quidam aut putant, aut volunt, violata amicitia est, accepi iniuriã, inimicus esse debui: non nego. sed, si idem ille tum me saluum esse voluit, cum vos me, vt carissimum filium, desiderabatis; & si vos ijdem pertinere ad caussam illam putabatis, voluntatẽ C. Caesaris a salute mea non abhorrere; & si illius voluntatis generum eius habeo testem, qui idem Italiam in municipijs, populum R. in concione, vos mei semper cupidissimos in Capitolio ad meam salutem citauit; si denique Cn. Pompeius idem mihi testis de voluntate Caesaris, & sponsor est illi de mea: non ne vobis videor & vltimi temporis recordatione, & proximi memoria medium illud tristissimum tempus debere, si ex rerum natura non possim euellere, ex animo quidem certe excidere? ego vero, si mihi non licet per aliquos ita gloriari, me dolorem, atque inimicitias meas reip. concessisse, quod magni cuiusdam hominis, & persapientis videtur; vtar hoc, quod non tam ad laudem adipiscendam, quam ad vitandam vituperationem, valet, hominem me esse gratum, & non modo tantis beneficijs, sed etiam mediocri hominum beneuolentia commoueri.*

EXPLANATIO

TRADVXIT *ad plebem inimicum meum,*] caussã cur Clodium ad plebem traduxerit, exponitur in oratione pro domo, his verbis: Hora fortasse sexta diei quaestus sum in iudicio cũ C. Antoniũ, collegã meum defenderem, quaedã de rep. quae mihi visa sunt ad illius miseri caussam pertinere. haec horo ipso die, tu es adoptatus: Et apud Suetoniũ: Ciceronẽ in iudicio quodã deplorante temporum statum, nona traduxit. Haec igitur traductionis caussã fuit, non ea, quam hic Cicero subiunhit ad Caesaris excusationem, cui coniunctissimus erat hoc tempore. A. CONSVLIBVS *proximis*] Pisone, & Gabinio. ADHVC] non, ad hãc diem, sed quod ad illud quidem tempus attinet, donec ille consul fuit. TEMPESTAS,] furor Clodij tribuni pl. post Caesarem consulem. TERROR *iniectus Caesari de suis actis*,] tam hanc rem exponit in ea pro Sextio his verbis: Illi aũt aliquo tũ timore perterriti, quod acta illa, atque omnes res superioris anni labefactari a praetoribus, infirmari a senatu, atque principibus ciuitatis putabant, tribunum popularem a se alienare nolebant. ADIVTVS,] a Caesare NON *debui*:] cum eius beneficia, quibus acceptis seruari poteram, repudiassem. Velleius lib. II. Hoc sibi contraxisse Cicero videbatur, quod inter vigintiuiros diuidendo agro Campano esse noluisset. SIBI *fortasse prouidit*:] timuit fortasse, ne infirmarentur acta sui consulatus. AVT *putant*,] errore ducti. AVT *volunt*,] odio in Caesarem, cui me inimicum esse vellent. VLTIMI *temporis*] vetustissimi: de quo supra: Primum illud tempus familiaritatis, & consuetudinis, quae mihi cum illo, quae fratri meo, quae C. Varroni consobrino meo, ab omnium nostrum adolescentia fuit, praetermitto. PER *aliquos*] qui putant, me cum Caesare non reip. caussa, sed illius felicitate commotum, mihiq. priuatim consulentem, in gratiã redijsse. MAGNI *cuiusdam hominis, & persapientis*] quam isti laudem mihi adimunt, odio maxime in Caesarem: cum quo non posse me dicunt reip. caussa coniungi; quandoquidem is contra rempub. consul omnia fecerit.

ORATIO

A VIRIS *fortissimis, & de me optime meritis quibusdam peto, vt, si ego illos meorum laborum & commodorum participes esse nolui, ne illi me suarum inimicitiarum socium velint esse, praesertim cum mihi ijdem illi concesserint, vt etiam acta illa Caesaris, quae neque oppugnaui antea, neque defendi, meo iam iure possim defendere. nam summi ciuitatis viri, quorum ego consilio remp. conseruaui, & quorum auctoritate illam coniunctionem Caesaris defugi, Iulias leges, & ceteras, illo consule rogatas, iure latas negant; ijdem illam proscriptionem capitis mei, contra salutem reip sed saluis auspicijs rogatam esse dicebant. itaque vir summa auctoritate, summa eloquentia, dixit grauiter, casum illum meũ funus esse reip. sed funus iustum, & indictum: & mihi*

ipsi

ipsi omnino perhonorifi cum, discessum meum funus dici reip. Reliqua nõ reprehẽdo, sed mihi ad id, quod sentio, assumo. nam, si illud iure rogatum dicere ausi sunt, quod nullo exemplo fieri potuit, nulla lege licuit, quia nemo de caelo seruarat: obliti ne erant, tum, cum ille, qui id egerat, plebeius esset lege curiata factus, dici, de caelo esse seruatum? qui si plebeius omnino esse non potuit, qui tribunus pl. potuit esse? & cuius tribunatus si ratus est, nihil est, quod irritum ex actis Caesaris possit esse. eius nõ solum tribunatus, sed etiam perniciosissimae res, auspicio rum religione conseruata iure latae videbuntur.

EXPLANATIO

A. VIRIS *fortissimis*,] in tuenda rep. DE. ME *optime meritis*] cum restitutus in patriam sum Bibulum Catonem, L. Domitium, alios, Caesari inimicos, designat. PARTICIPES *esse nolui*,] solus enim acerbissimum iniusti exsulij calamitatem pertuli: cum tamen illa non mea tantum, sed bonorum oĩum caussã fuerit. Pro Balbo. Fuit hoc siue meũ siue reip. fatũ, vt in me oĩs illa inclinatio communium temporum incumberet. ME *iam iure*] quia defendunt ipsi inimicum meum, quem fuisse qui dem improbum tribunum, sed tribunum tamen dicunt: cum ego illum, hominem patricij generis, lege curiata, cum de caelo seruaretur, ad plebem traductum tribunum esse potuisse negem, Conferetur hoc in Catonem, qui lege Clodia in Cyprum missus, euerti acta sua simul cũ Clodij tribunatu intelligebat. DEFVGI.]cum eius beneficia contempsi. IVRE *latas negant*;] quia contra auspicia latae sunt. VIR *summa auctoritate*] cum hic sententiam ante Ciceronem dixerit, consularem fuisse necesse est. & opinior Bibulum fuisse. nam Cato nondum praetorius ante consularem Ciceronem sententiam rogatus non esset. IVSTVM,] iure rogatum. ET *indictum*:] pro Domo: Video quosdam clarissimos viros, principes ciuitatis, aliquot locis iudicasse, te cum plebe iure agere potuisse: qui etiam de me ipso cum tua rogatione funere relatam remp. esse dicerent, tamẽ id funus, etsi miserum, atque acerbum fuisset, iure indictum esse dicebant: quod de me ciue, ac de rep. bene merito tulisses, funestũ funus te indixisse reip. quod saluis auspicijs tulisses iure egisse dicebãt. RELIQVA *nõ reprehendo*,] quod Iulias leges iure latas negant, quia, cũ ferrentur, de caelo seruatum sit. AD. ID, *quod sentio, assumo*.] nam si verum est, quod dicunt, iure rogatum a Clodio de me; quia nemo tum de caelo seruauit; vt seruata est in legibus Iulijs, quas ideo iure latas negant: sequitur, vt, quod rogatum est de Clodio ad plebẽ traducendo, iure rogatũ non sit: tunc enim Bibulus, ferente legẽ curiatã Caesare, de caelo seruauit. quod si plebeius esse nõ potuit: tribunus pl. esse qui potuit? & si tribunatus eius ratus nõ est: quod ab eo tribuno de me rogatũ est iure rogatũ esse, dici nullo modo potest. Haec Cicero: at Cato leges Clodij esse irritas ideo negabat, quod in ijs erat ea. qua ipse in Cyprũ missus erat. ILLVD] proscriptio mei capitis. nã eam legis nomine Cicero appellandã non censet. QVIA *nemo de caelo seruarat*:] ferente ad populum de me Clodio. Licebat autem per vetores leges, cum lex ferretur seruare de caelo, ideest impedire: cum magistratus crearetur, non licebat. Phil. II. Gellius lib. XIII. cap. 14. Dio lib. XXXIIX. QVI *id egerat*] qui de me tulerat. DICI,] ab ijs, qui Iulias lege irritas esse cupiebãt. DE. CAELO *esse seruatum*?] quod si verum est: lex curiata ferri non potuit. ergo nec ille plebeius esse potuit sine lege: nec, si plebeius non fuit, tribunus pl. esse potuit. NIHIL *est, quod irritum ex actis Caesaris possit esse*:] quae tamen isti rata esse nolunt, quia seruata auspicia non sint. sed si ratus est Clodij tribunatus, non seruatis, cum plebeius fieret, auspicijs: ergo & rata Caesaris acta, licet, cum lege: Iuliae ferentur, seruata auspicia non sint. Bibulus enim tunc de caelo seruauit. PERNICIOSSIMAE *res*,] vt illa proscriptio mei capitis. AVSPICIORVM *religione conseruata*,] quia, cum Clodius de me tulit, nemo de caelo seruauit.

ORATIO

QVARE *aut vobis statuendum est, legem Aeliam manere, legem Fufiam non esse abrogatam, non omnibus fastis legem ferri licere, cum lex feratur, de caelo seruari, obnunciari, intercedi licere; censorium iudiciũ ac nationem, & illud morum seueriſſimum magisterium non esse nefarijs legibus de ciuitate sublatũ; si patricius tribunus pl. fuerit, contra leges sacratas; si plebeius, contra auspicia fuisse: aut mihi concedant homines, oportet aut in rebus bonis non exquirere iura ea, quae ipsi in perditis non exquirunt; praesertim cum ab illis aliquoties cõdicio C. Caesari lata sit, vt eadem res alio modo ferret: qua cõdicione auspicia requirebant, leges comprobabãt: aut in Clodio auspiciorum ratio sit eadem, leges omnes sint euersae ac perditae ciuitatis.*

EXPLANATIO

AVT *vobis statuendum est*,] illa seruari non oportere, quae suis legibus sanxit Clodius. ille enim legem Aeliam, & Fufiã abrogauit: ille tulit, vt omnibus fastis legẽ ferri liceret, ille censoriã potestatẽ sustulit: quae sunt oĩa perniciosa reip. aut, si leges illius conseruãdas esse ducitis; permittite mihi, vt,

hi,vt,cum vos in rebus perditis,ideſt in ijs,quas tribunus egit Clodius,auſpiciorũ iura nõ ſpectetis eadẽ ego auſpicia in bonis rebus,ideſt,in ijs,quas Caeſar conſul egit,pariter nõ ſpectẽ. poſtremo,nihil obſtent auſpicia Clodij legibus. fuerit, quod ego nego, iure tribunus pl. quid ſequetur? ut lege omnes ſint euerſae ac perditae ciuitatis:eas enim ſuis legibus euertit Clodius. NON *eſſe abrogatam.* quã abrogauit Clodius cũ Fufia. DE CAELO *ſeruari,obnunciari,intercedi licere.*] quae ſuſtulit Clodius vt,cũ vellet legẽ,nullo impediente,ferre poſſet.quamquã de interceſſione ſublata nuſquã legi:nec ſublatã tribuniciã interceſſionem a tribuno pl.crederẽ,niſi adderetur,Cum lex feratur.ita Clodius populo cauit non ſenatui,cum intercedi S.C.poſſet,legibus non poſſet. CENSORIVM *iudicium*] In oratione in Piſonẽ,Ab eodem,inquit,homine,in ſtupris inauditis,nefariisq.verſato,vetus illa,magiſtra pudoris & modeſtiae,cenſoria ſeueritas ſublata eſt.Quo loco docet Pedianus, legem a Clodio latã,ne quẽ cenſores in ſenatu legendo praeterirent, neue qua ignominia afficerent, niſi qui apud eos accuſatus,& vtriuſque cenſoris ſententia damnatus eſſet.CONTRA *leges ſacratas*;] quae vetabãt, niſi qui plebeij eſſet generis,tribunum pl.quemquã fieri. CONTRA *auſpicia fuiſſe*:] quia quo die ad plebem tranſiuit, curiatam legem ferente Caeſare conſule eo die Bibulus de caelo ſeruauit. AVT *in rebus bonis*] aut,abundat.ALIO *modo*] ſaltis auſpicijs. AVT *in Clodio auſpiciorum ratio ſit eadem*] aut,ſi mihi non concedunt,vt in rebus bonis ea non exquiram quae ipſi in perditis non exquirunt:ideſt: aut,ſi mihi non concedunt,vt non laborem de auſpicijs,contra quae Caeſaris leges latae ſunt;quia velint omnino auſpiciorum religionem conſeruari;non recuſo,modo eadem religio conſeruetur in Clodio,id eſt in ea lege,quam de Clodij adoptione contra auſpicia Caeſar tulit. LEGES *omnes*] ab eo latae SINT *euerſae,ac perditae ciuitatis.*]latae putentur contra remp. contra veteres leges, moremq maiorum,in euerſa ac perdita ciuitate non ſint leges libere ciuitatis,ſed euerſae,ac perditae.

ORATIO

EXTREMVM *illud eſt. Ego, ſi eßent inimicitiae mihi cum C.Caeſare, tamen hoc tempore reip.conſulere, inimicitias in aliud tempus reſeruare deberem. poßem etiam,ſummorum virorum exemplo,inimicitias reip.cauſſa deponere.ſed, cum inimicitiae fuerint numquam, opinio iniuriae, beneficio ſit exſtincta; ſententia mea, P. C. ſi dignitas agitur C. Caeſaris, homini tribuam; ſi honos quidam, ſenatus concordiae conſulam; ſi auctoritas decretorum veſtrorum, conſtantiã ordinis in eodem ornãdo imperatore ſeruabo; ſi perpetua ratio Gallici belli,reip.prouidebo; ſi aliquod meum priuatum officium,me non ingratum praeſtabo.atque hoc velim probare omnibus, P. C. ſed leuiſſime feram, ſi forte aut ijs minus probaro, qui meum inimicum, repuguante veſtra auctoritate, texerunt; aut ijs, ſi qui meum cum inimico ſuo reditum in gratiam vituperabunt, cum ipſi & cum meo, & cum ſuo inimico in gratiam non dubitarint redire.*

EXPLANATIO

HOC *tempore*]cũ ille maximas res gerat:quarũ curſum impedire,boni ciuis non eſt. SVMMORVM *virorum exemplo*,]quos ſupra nominauit.OPINIO *iniuriae*] illius in me,cum traduxit ad plebẽ inimicum meum.BENEFICIO] In ep.ad Lentulum:Huc acceſſit commemoranda quaedã,& diuina Caeſaris in me,fratremq meum liberalitas:qui mihi,quaſcumque res gereret,tuẽdus eſſet;nunc in tanta felicitate,tantisq.victorijs,etiam ſi in nos non is eſſet,qui eſt,tamen orandus videretur. ſic enim te exiſtimare velim;cũ a vobis meae ſalutis auctoribus diſceſſerim, neminẽ eſſe, cuius officijs me tã eſſe deuinctũ,nõ ſolũ cõfitear,verũ etiã gaudeã. Et ad Att ep. vlt lib. IV. Perſpice aequitatem animi mei,& ludũ, & contemptionẽ Seleucianae prouinciae, & meã hercule cum Caeſare ſuauiſſimã cõiunctionem.haec enim me vna ex hoc naufragio tabula delectat qui quidẽ Quinctũ meũ, tuumq.dij boni,quemadmodũ tractat honore,dignitate,gratia:non ſecus, ac ſi ego eſſem imperator.Hunc tu nõ ames?quẽ igitur iſtorũ? SI HONOS *quidam*,] diſtinguit honorẽ a dignitate: & in honore plus videtur ponere ſignificat enim cauendum,ne,ſi Caeſaris honor detractione prouinciae minuatur,diſcordia in ſenatu aliqua propter diſſenſionẽ exorta remp.perturbet DECRETORVM *veſtrorum*,] quibus eum ornaſtis. PROBARE *omnibus*,] vt omnes in hoc recte ſentire medicant. REPVGNANTE *veſtra auctoritate,texerunt*;]accuſari a Milone vetuerunt.Repugnante,interpretor, ne tegeretur.nã cum loquatur in ſenaru,vitat ea,qnae poſſint eum ordinẽ offendere.in oratione autẽ pro Sextio,cum apud iudices verba faciat,ſenatus auctoritate Clodiũ eſſe tectũ,ereptamq. Miloni eius accuſandi poteſtatẽ,oſtendit.cũ enim de Clodio dixiſſet:Ille,qui monumenta publica,qui aedes ſacras,qui domos inimicorũ ſuorũ oppugnauit,excidit, incendit, accuſat eũ, qui aliqua ex parte eius furorem exſultantem repreſſit:de Milone ſubiunxit: Hic, qui ſe eſt tutatus ſic, vt in priuata re deos penates ſuos,in rep.iura tribunatus,auſpiciaq.defenderet,accuſare eũ moderate, a quo ipſe nefarie accuſatur, per ſenatus auctoritatẽ non eſt ſitus. De eadem re ſenatum aperte reprehendit in ep. ad Lentulũ,cũ ait:Qui non pluris fecerat Bonã deã,quã tres ſorores, impunitatẽ eſt eorum ſententijs aſſecutus, qui, cum tribunus pl. poenas a ſeditioſo ciue per bonos viros iudicio perſequi vellet,

exemplum

exemplum praeclariſſimum in poſtetum vindicandae ſeditionis de rep. ſuſtulerunt. Cvm *ſuo inimico*] cum Caeſare. notat in primis M. Bibulum, M. Catonem, L. Domitium. In *gratiam non dubitarint redire.*] hinc illa Ciceronis querella in eadem ad Lentulum: Erat hoc mihi dolendum, ſed multo magis illud, quod inimicum meum, meum autem? immo vero legum, iudiciorum, otij, patriae, bonorum omnium, ſic amplexabantur, ſic in manibus habebant, ſic fouebant, ſic me praeſente oſculabantur, non illi quidem vt mihi ſtomachum facerent, quem ego funditus perdidi, ſed certe vt facere ſe arbitrarentur. Feci, inquit, cum Caeſare, eorum inimico, quod illi cum Clodio, & meo, & ipſorum inimico, facere non dubitauerant. Non *dubitarint*] nulla mei ratione habita, parum laborantes, ſi mihi probaturi non eſſent.



IN. ORATIONEM. CICERONIS
IN. L. CALPVRNIVM. PISONEM
PAVLLI. MANVTII
COMMENTARIVS

ARGVMENTVM

NEmini, qui paullo sit humanior & in, hoc elegantioris doctrin& studio uel minimum uersatus, ignotae sunt Ciceronis inimicitiae cum L. Pisone, & A. Gabinio, ortae ex eo, quod illi consules, P. Clodio tribuno pl. rogationem in Ciceronem iniquissimam ferente, non modo non obstiterant pro consulari officio, ac potestate, uerum etiam nefarios eius conatus, & exitiosa reip. consilia uehementer iuuerant. Abfuit Cicero Clodia lege pulsus per sexdecim menses. restitutus praecipua Lentuli consulis opera, memor iniuriae Pisonis, & Gabinij, cum alijs locis acerbe eos accusauit, tum uero, referentibus Marcellino, & Philippo cos. de prouincijs consularibus lege Sempronia decernendis, summo studio egit in senatu, habita, quae exstat, oratione de prouincijs, ut Piso e Macedonia, Gabinius e Syria reuocarentur. in quam sententiam S.C. factum est. Piso prior, ut ex prouincia, quae propius aberat, rediit: &, ut haec oratio declarat, questus est grauiter in senatu de sententia Ciceronis. ad eam querellam, nactus occasionem ulciscendi doloris sui, iracunde, & acerbe hac oratione Cicero respondit, Pompeio, & Crasso 11. cos. quod Pedianus contra Fenestellam, & sentit, & probat.

Landesbibliothek Oldenburg

M. TVLLII. CICERONIS

IN. L. CALPVRNIVM. PISONEM

ORATIO. XXXVII.

Principiū huius orationis a Quinctiliano, & Diomede, sumpsimus.

PRo *dii immortales, qui hic illuxit dies.*

Ex Seruij Honorati in Virgilij lib. IIX. interpretatione.

Quae te belluam ex utero, non hominem, fudit.

Ex Asconio.

Quod minimum specimē in te ingenij; ingenii autē? immo ingenui hominis, ac liberi, qui colore ipso patriam aspernaris, oratione genus, moribus nomen.

Insuper quidam fuit, ideſt mercator, & praeco. is cum Romam cum filia uenisset, adolescentem nobilem Caesoninum hominis fortissimi filium, ausus est appellare: filiam collocauit.

Ex Quinctiliano lib. IIX. cap. III.

Cum tibi tota cognatio in sarraco aduebatur.

Ex Asconio.

Hoc non ad contemnendam Placentiam pertinet, vnde se is ortum gloriari solet. neque enim haec mea natura fert, nec municipii, praesertim de me optime meriti, dignitas patitur.

Ex Asconio, & Prisciano.

Hic cum ad Padū forte consedisset, paucis post annis in eam ciuitatem (nam tum erat ciuitas) adscendit. prius enim Gallus, dein Gallicanus, extremo Semiplacentinus haberi coeptus est.

Ex Asconio.

Lautiorem pater tuus socerum, quam C. Piso in illo luctu non ei filiam meam collocaui: quem ego, potestas cum omnium fuisset, vnum potissimum delegissem.

Iam ne vides, bellua, iam ne sentis, quae sit hominum querella frontis tuae? nemo queritur. Syrum nescio quem de grege nouitiorum factum esse consulem: non enim nos color iste seruilis, non pilosae genae, non dentes putridi deceperunt; oculi, supercilia, frons, vultus denique totus, qui sermo quidam tacitus mentis est, hic in errorem homines impulit: hic eos, quibus erat ignotus, decepit, fefellit, in fraudem induxit. pauci ista tua lutulenta vitia noueramus, pauci tarditatem ingenij, stuporem debilitatemq. linguae. numquam erat audita vox in foro: numquam periculum factum consilij: nullum non modo illustre, sed ne notum quidem factum aut militiae, aut domi. obrepsisti ad honores errore hominum, commendatione fumosarum imaginum: quarum simile habes nihil, praeter colorem.

EXPLANATIO

IAM *ne vides bellua, iam ne sentis*] Verba per vim doloris, & iracundiae expressa: quibus multa praeposita fuisse necesse est. quod etiam veteribus ex monumentis sumpta fragmenta declarant. Iam ne sentis, acerbius est, quam, Iam ne vides. ab vno enim oculorum sensu transit ad omnes sensus: quo plus in Pisone stuporis ostendat. QVAE *sit hominum querella frontis tuae?*] quam se tua fronte deceptos homines querantur: cum aliud fronte promittas, aliud re vera sis. NOVITIORVM] seruorum; quibus tamen colore, genis, dentibus te similem videmus. OCVLI, *supercilia, frons,*] de Prou. Lareant libidines eius tenebricosae, quas fronte, & supercilio, non pudore & temperantia, contegebat. FVMOSARVM *imaginum,*] Iob antiquitatem generis de imaginibus Plinius lib. xxxv. c. 2. Seruius lib. VII. Aen.

ORATIO

IS *mihi etiam gloriabitur, se omnes magistratus sine repulsa assecutum. mihi ista licet de me vera cum gloria praedicare. omnes enim honores populus R. mihi ipsi homini nouo, detulit. nam tu cum quaestor es factus, etiam qui te numquam viderant, tamen illum honorem nomini mandabant tuo. aedilis es factus: Piso est a populo R. factus, non iste Piso. praetura item maioribus delata est tuis. noti erant illi mortui: te viuum nondum nouerat quisquam. me cum quaestorem in primis, aedilem priorem, praetorem primum cunctis suffragijs populus R. faciebat; homini ille honorem, non generi, moribus, non maioribus meis; virtuti perspectae, non auditae nobilitati deferebat.*

EXPLA-

EXPLANATIO

MIHI *ipsi*,] non maioribus meis. CVM *quaestor es factus*] orditur a quaestura, quia primus honoris gradus. NOMINI] quia Piso vocaris, putabant te antiquis Pisonibus similem esse. NON *in Piso*.] non is, qui es, sed is quem decebat esse, cui Pisoni nomen esset. AEDILEM *priorem*, aediles cur. duo tantum erant. Cicero cum Caesonio creatus est: vt act. 1 in Verrem. PRAETOREM *primum*] pro lege Manilia: Ter praetor primus centurijs cunctis renunciatus sum.

ORATIO

NAM *quid ego de consulatu loquar? parto, vis, an ne gesto? miserum me, cum hac me nunc peste, atque labe confero. sed nihil cōparandi causſa loquar: ac tamen ea, quae sunt longissime disiuncta, comprehendam. Tu consules renunciatus, (nihil dicam grauius, quam quod omnes fatentur) impeditis reip. temporibus, dissidentibus consulibus, Caesare & Bibulo, cū hoc non recusares, quin ij, a quibus dicebare consul, te luce dignum non putarent, nisi nequior, quam Gabinius, existitisset. me cuncta Italia, me omnes ordines, me vniuersa ciuitas non prius tabella, quam voce, priorem consulem declarauit. Sed omitto, ut sit factus vterque nostrum, sit sane Fors domina campi. magnificentius est dicere, quemadmodum gesserimus consulatum, quam quemadmodum ceperimus. Ego Kal. Ian. senatum, & bonos omnes legis agrariae, maximarumq. largitionum metu liberaui. Ego agrum Campanum, si diuidi nō oportuit, conseruaui; si oportuit, melioribus auctoribus reseruaui. Ego in C. Rabirio, perduellionis reo, XL. annis ante me consulem interpositam senatus auctoritatem sustinui contra inuidiam, atque defendi. Ego adolescentes bonos, & fortes, sed vsos ea condicione fortunae, vt, si essent magistratus adepti, reip. statum conuulsuri viderentur, meis inimicitijs, nulla senatus mala gratia, comitiorum ratione priuaui. Ego Antonium collegam, cupidum prouinciae, multa in rep. molientem, patientia, atque obsequio meo mitigaui. Ego prouinciam Galliam, senatus auctoritate, exercitu, & pecunia instructam, & ornatam, quam cum Antonio communicaui, quod ita existimabam tempora reip. ferre, in concione deposui, reclamante populo R. Ego L. Catilinam, caedem senatus, interitum vrbis non obscure, sed palam molientem, egredi ex vrbe iussi, vt, a quo legibus non poteramus, moenibus tuti esse possemus. Ego tela extremo mense consulatus mei, intenta iugulis ciuitatis, de coniuratorum nefarijs manibus extorsi. Ego faces, iam accensas ad huius vrbis incendium, comprehendi, protuli, exstinxi. Me Q. Catulus, princeps huius ordinis, & auctor publici consilij, frequentissimo senatu parentem patriae nominauit. Mihi hic vir clarissimus, qui propter te sedet, L. Gellius, his audientibus, ciuicā coronam deberi a rep. dixit. Mihi togato senatus non, vt multis, bene gestae, sed, vt nemini, conseruatae reip. singulari genere supplicationis, deorum immortalium templa patefecit. Ego, cum in concione abiens magistratu, dicere a tribuno pl. prohiberer, quae constituerat; cumq. is mihi tantummodo, vt iurarem, permitteret; sine vlla dubitatione iurauī, remp. atque hanc urbem mea unius opera esse saluam. mihi populus R. uniuersus illa in concione non unius diei gratulationem, sed aeternitatem immortalitatemq. donauit, cum meum iusiurandum, tale, atque tantum, iuratus ipse una uoce, & consensu approbauit. quo quidem tempore is meus domum fuit e foro reditus, ut nemo, nisi qui mecum esset, ciuium esse in numero uideretur. Atque ita est a me consulatus peractus ut nihil sine consilio senatus, nihil non approbante populo R. egerim, ut semper in Rostris curiam, in senatu populum defenderim, ut multitudinem cum principibus equestrem ordinem cum senatu coniunxerim.*

EXPLANATIO

CAESARE, *& Bibulo*,] hoc delendū est vt glossema. MELIORIBVS *auctoribus*] quā quos Rullus tribunus pl. lege sua decemuiros creabat. Vtitur autem hac distinctione: Si diuidi non oportuit, si oportuit: ne Caesarem offendat, qui consul partem agri Campani, lata lege, diuiserat. C. RABIRIO] pro quo exstat oratio. XL. ANNIS] prope XL. annis. non est enim subtilis computatio; & hunc esse morem Ciceronis, Pedianus animaduertit. INPERPOSITAM *senatus auctoritatem*] C. Mario, L. Flacco cos. annis XXXVI. ante Ciceronem consulem. ADOLESCENTES *bonos, & fortes*] Marianorum proscriptorum filios: quibus ne capere magistratus liceret, Sullae lege sancitum erat ea lex vsque ad Caesarem dictatorē seruata est. Caesar Pansam, proscripti filiū, consulem designauit. VSOS *ea condicione fortunae*.] multa mala perpessos victore Sulla. CONVVLSVRI] instructi enim potestate magistratuum, omnia cōmouissent, vt suas iniurias vlciscerentur. ex ciuilibus autem discordijs ciuille bellum, & reip. calamitas excitatur. MVLTA *in rep. molientem*] In rep. dicit, non contra remp. vt collegam excuset qui tamen de maiestate, accusante M. Coelio, ipso defendente Cicerone, dānatus erat. MITIGAVI] ne cum Catilina palam consentiret, effeci, communicata praesertim cum eo prouincia Gallia. Sallustius. EXTREMO *mense consulatus mei*,] nonis Dec. quinque coniuratis in carcere necatis. FACES,] post discessum Catilinae, qui post eū remanserunt, alij vrbis incendendae, alii Ciceronis consulis occidendi, alij alias partes inter se diuiserant. L. GELLIVS,] qui consul, cen-

sorq fuerat. CIVICAM]e fronde querna ob ciues seruatos. Gellius lib. v. c. 6, NON, *vt multis, bene gesta,*] idem in ep. ad Catonem lib. xv. ABIENS *magistratu,*]vltimo consulatus die, pr. Kal. Ian. A. TRIBVNO *pl.*]a Q. Metello Nepote. ep. 2 lib. v. QVAE *constituerant;*] de rep. a me gesta.

ORATIO

EXPOSVI *breuiter consulatum meum. audes nunc, o furia, de tuo dicere. Cuius fuit initium, ludi compitalicii, tum primũ facti post L. Metellum & Q. Marcium cos. contra auctoritatem huius ordinis: quos Q. Metellus (facio iniuriam fortissimo viro mortuo. qui illum, cuius paucos pares haec ciuitas tulit, cum importuna bellua conferam) sed ille designatus consul, cum quidam tribunus pl. suo auxilio magnos ludos contra S. C. facere iussisset, priuatus fieri vetuit; atque id quod nondum potestate poterat, obtinuit auctoritate. tu, cum in Kalendas Ian. compitaliorum dies incidissent, Sex. Clodium, qui numquam antea praetextatus fuisset, ludos facere, & praetextatum volitare passus es, hominem impurum, atque non modo facie, sed etiam oculo tuo dignissimum. ergo, his fundamentis positis consulatus tui, triduo post, inspectante, & tacente te, a P. Clodio, fatali portento, prodigioq. reip. lex Aelia, & Fufia euersa est, propugnacula, muriq. traquillitatis, atque otii: collegia, non ea solum, quae senatus sustulerat, restituta sunt, sed innumerabilia quaedam noua, ex omni faece urbis ac seruitio constituta: ab eodem homine, in stupris inauditis nefariisq. versato, uetus illa magistra pudoris, & modestiae seueritas censoria sublata est: cum tu interim, bustum reip. qui te consulem tum Romae dicis fuisse, uerbo numquam significaris sententiam tuam, tantis in naufragiis ciuitatis.*

EXPLANATIO

Q. METELLVS] Celer. MORTVO]mortuus est Caesare & Bibulo cos. vt diximus in ea pro Coelio. MAGNOS *ludos*]mendosum esse locum historia docet. nam magni ludi dabantur ab aedilibus cur. qui & Romani dicebantur: nec eos vel senatus, vel Q. Metellus fieri prohibuisset. qui facti fuerant ab ipso fere vrbis initio. Iam quis non videt, sermonem hic de compitalicijs, non de Magnis ludis esse: Lego igitur adiuuante Pediano: Magistros ludorum ludos contra S. C. facere iussisset. COMPITALIORVM *dies*]festus dies erat compitalia; &, vt arbitror, vnus tantum, non plures: cum dicat Cicero, In Kal. Ian. incidisset. Sic enim legendum puto, non, incidissent. Adiuuat hãc opinionem Cicero, cum ait lib. vii. ad Att. Ego, quoniam iv. non Ian. compitalicius dies est, nolo eo die in Albanũ venire molestus familiae; veniã iii. non. igitur. Omnem autem Varro lib. v. de L. L. dubitationẽ aufert. Compitalia, inquit dies attributus Laribus. quotannis is dies concipitur. Eũ aũt diẽ certũ non fuisse, verũ arbitrio fortasse praetorum, consulũ ve indici solitũ, declarat uerbum Incidisset. Accedit ea ratio, quod hic in Kal. Ian. at lib. vii. ad Att. lib. iv. nõ. Ian. idem Compitaliorum dies incidit. Et Varro planissime, cõceptiuum esse diem, item vt ferias Latinas dicit. Certus fortasse, rep. ad imperatores translata, dies fuit. nam in antiquis fastis assignatur cõpitalibus dies vi. non. Mai cũ antea paucis diebus post Saturnalia, auctore Dionisio, concipi solitus esset. SEX. *Clodium,* omnium fere P. Clodij scelerum conscium, ministrũ, adiutorẽ: itaque Clodianus canis infra vocatur de hoc in ea pro Coelio: Hominem sine re, sine fide, sine spe, sine fortunis, ore, lingua, manu, vita inquinatum, QVI *numquam antea praetextatus fuisset*]quia magistratum numquam gesserat: scriba enim erat. PRAETEXTATVM *volitare,*]magistrum ludorum. Docet hic locus, magistros quoque ludorum praetexta vti solitos esse: lictoribus, vix adducor, vt credam: quamquam infra scriptum videam; Quid? tu in lictoribus, in toga praetexta esse consulatum putas? quae ornamenta etiam in Sex. Clodio, te consule, esse voluisti. Nam, Quae ornamenta, de praetexta sola potuit dicere numero quidẽ multitudinis, verum exaggerandi gratia. FACIE] turpissima: de qua supra; Color Seruilis, pilosae genae, putridi dentes. In ea post Red. in sen. vultum eius importunum appellat. OCVLO *tuo*] vitiosum Pisoni oculum fuisse, vel ex hoc loco possumus existimare; Sed accedit alter in eadem post Red. L. Piso, inquit, tu ne ausus es isto oculo non dicam isto animo, ista fronte, non vita. DIGNISSIMVM]de eodẽ Clodiò sic in ea pro Sextio: Homo ijs dignissimus, quibuscum vixit. Similiter locutus lib. iv. in Verrem. Hominem dignissimum, tuis moribus. HIS *fundamentis positis*]ludis compitalicijs cõtra senatus auctoritatem factis. LEX *Aelia, & Fufia*]Aelia de obnunciatione; & intercessione, qua perniciosis legibus resistebatur: Fufia, ne omnibus diebus fastis legem ferri liceret. De Prouincijs, pro Sextio, post Red. in sen. in Vatinium, Asconius, Dio, RESTITVTA]lege. SEVERITAS *censoria sublata est:* tulit enim ne quem censores in senatu legendo praeterirent, nisi qui apud eos accusatus, & vtriusque censoris sententia damnatus.

ORATIO

NONDVM, *quae fecisti, sed quae fieri passus sis, dico: neque ego multum inter est, praesertim in consule, vtrum ipse pernicios is legibus improbis concionibus remp. vexet, an alios vexare patiatur. an potest*

vlla esse excusatio, non dicam, male sentieti, sed sedenti, cunctanti, dormienti in maximo reip. motu consuli? tentum prope annos legem Aeliam & Fufiam tenueramus, quadringentos iudicium, notionemq. censoriam: quas leges ausus est non nemo improbus, potuit quidem nemo vnquam conuellere: quam potestatem minuere, quo minus de moribus nostris quincto quoque anno iudicaretur, nemo tam effuse petulans conatus est. haec sunt o carnifex in gremio sepulta consulatus tui persequere connexos his funeribus dies. Pro Aurelio tribunali, ne conniuente quidem te, quod ipsum esset scelus, sed etiam hilarioribus oculis quam solitus eras, intuente, delectus seruorum habebatur ab eo, qui nihil sibi vnquam nec facere, nec pati turpe duxit: arma in templo Castoris, o proditor templorum omnium, vidente te, constituebantur ab eo latrone, cui templum illud fuit te consule arx ciuium perditorum, recepta culi veterum Catilinae militum, castellum forensis latrocinii, bustum legum omnium, ac religionum. erat non solum domus mea, sed totum Palatium senatu, equitibus R. ciuitate omni, Italia cuncta refertum: cum tu non modo ad eum Ciceronem, (mitto enim domestica, quae negari possunt; haec commemoro, quae sunt palam) non modo, inquam, ad eum cui primum comitiis tuis dederas tabulam praerogatiuae, quem in senatu sententiam rogabas tertium, nunquam adspirasti, sed omnibus consiliis, quae ad me opprimendum parabantur, non interfuisti solum, verum etiam crudelissime praefuisti. mihi vero ipsi coram genero meo, propinquo tuo, quae dicere ausus es? egere, foris esse Gabinium, sine prouincia stare non posse, spem habere a tribuno pl. si tua consilia cum illo coniunxisses, a senatu quidem desperasse: huius te cupiditati obsequi, sicuti ego fecissem in collega meo; nihil esse, quod praesidium consulum implorarem, sibi quemque consulere oportere. Atque haec dicere vix audeo, vereor, ne qui sit, qui istius insignem nequitiam, frontis inuolutam integumentis, nondum cernat: dicam tamen: ipse certe agnoscet, & cum aliquo dolore flagitiorum suorum recordabitur.

EXPLANATIO

QVINCTO *quoque anno*] quo censores creabãtur. His *funeribus*] apte, cum dixerit, sepulta. PRO *Aurelio tribunali*] In tribunali Aurelio. Sic enim in ea pro Domo, & post Red. ad Quir. SERVORVM] quibus armatis vteretur in legibus per vim ferendis. BVSTVM *legum omnium*,] in quo leges omnes conflagrauerunt. PRIMAM] vt ego primus comitijs tuis consularibus in prima centuria primae classis suffragium ferrem. in quo multum beneuolentiae erga te meae, multum fidei tribuere visus es. ROGABAS] consul. NVNQVAM *adspirasti*] numquam accedere conatus, vt amico iniquissime vexato opem ferres. EGERE] neque hoc, neque quod proxime sequitur, Foris esse, carere mẽdo videtur. rectius esset, quod ad sententiam attinet, Aegre cosistere Gabinium: & congruit cum verbo, Stare: vt dicat: Nunc quidem vix consistit Gabinius sed, nisi prouinciã habeat, sine dubio corruet, aere scilicet alieno oppressus. At liberior coniectura. Fateor: itaque non nimis ea delector: indicandam tamen putaui, praesertim consentientibus in mendo veteribus libris, SPEM *habere*] prouinciae obtinendae, vt per summas rapinas mederetur vulneribus suis. CVM *illo*] cum ipso Gabinio. nã sequitur: Huius te cupiditati obsequi, sicuti ego fecissem in collega meo. CONSILIA] voluntatẽ: vt illa cum illo tua consilia coniungeres, vt ille sua cum Clodio, spe prouinciae, coniungere cogebatur. Sed re vera non tã collegae, quã Clodij cupiditati, eadem prouinciae spe, obsequi Piso voluit. id infra ostenditur his verbis: Cauerat sibi ille sororius adulter, vt, si tibi prouinciã, si exercitũ, si pecuniã, ereptam ex reip. visceribus, dedisset, eorum suorũ scelerũ socium te, adiutoremq. praeberes. COLLEGAE *meo*:] C. Antonio: de quo supra: Ego Antoniũ collegã, cupidum prouinciae, multa in rep. molientem, patientia, atque obsequio meo mitigaui. Pro Sextio: In quo collega sustinendo, atque moderando si meam in illum indulgentiam coniunctam cum summa custodia reip. laudare vere solebatis: par prope laus P. Sextij esse debet. NONDVM *cernat*] ideoq. minus credat.

ORATIO

MEMINISTI *ne coenum, cum ad te quincta fere hora cum C. Pisone venissem, nescio quo e gurgustio te prodire, inuoluto capite, soleatum? & cum ilo ore foetido taeterrimam nobis popinã inhalasses, excusatione te vti valetudinis, quod diceres, vinolentis te quibusdam medicaminibus solere curari? quam nos causam cum accepissemus, (quid enim facere poteramus?) paullisper stetimus in illo ganearum tuarum nidore, atque fumo: vnde tu nos, cum improbissime respondendo, tum turpissime eructando eiecisti. Idem illo fere biduo productus in concionem ab eo, cui sic aequatum praebebas consulatum tuum, cum esses interrogatus, quid sentires de consulatu meo, grauis auctor, Calatinus, credo, aliquis, aut Africanus, aut Maximus, & non Caesoninus, Semiplacentinus Caluentius, respondes, altero ad frontem sublato, altero ad mentum depresso supercilio, crudelitatem tibi non placere. hic te homo dignissimus tuis laudibus collaudauit. Crudelitatis tu, furcifer, senatum consul in concione condemnas? non enim me, qui senatui parui: nam relatio illa salutaris, & diligens fuerat consulis, animaduersio quidem, & iudicium senatus. quae cum reprehendis, ostendis, qualis tu, si ita forte accidisset, fueris illo tempore consul futurus. Stipendio mehercule, & frumento Catilinam esse putasses iuuandum. quid enim interfuit inter Catilinam, & eum, cui tu senatus auctoritatem, salutem ciuitatis, totam rem p. prouinciae praemio vendidisti? quae enim L. Catilinam conantem consul prohibui, ea P. Clodium facientem consules*

sules adiuuerunt. voluit ille senatum interficere, vos sustulistis; leges incendere, vos abrogastis; interire patriam, vos adiuuistis. quod est vobis consulibus gestum sine armis? incendere illa coniuratorum manus voluit vrbem, vos eius domum, propter quem vrbs incensa non est. ac ne illi quidem, si habuissent vestri similem consulem, de vrbis incendio cogitassent. non enim se tectis priuare voluerunt, sed, his stantibus, nullum domicilium sceleri suo fore putauerunt. caedem illi ciuium, vos seruitutem expetistis. hic vos etiam crudeliores. huic enim populo ita fuerat ante vos consules libertas insita, vt emori potius. quam seruire, praestaret.

EXPLANATIO

C. PISONE] qui L. Pisonis cognatus, Ciceronis gener erat. Pro Sextio: Gener, & Piso gener, a Pisonis consulis pedibus supplex reiiciebatur. AB. EO] a clodio, tribuno pl. SIC *aequatum*] hic ego possum multa suspicari: quid probem tamen, plane nihil habeo. consulantur veteres libri, si quam forte depraua to loco (sic enim arbitror) opem afferant. CAESONINVS] nisi me fallunt Asconij verba, Caluentius patris Pisonis socer fuit, ideſt L. Pisonis, cōtra quem haec oratio est, maternus auus. Caesoninus autem cognomen est patris Pisonis quod testimonio quoque lapidum Capitolinorū, qui anno. v. c. DCV. Calpurniae genti cognomen hoc addunt, intelligitur. SEMIPLACENTINVS] propter maternum auum; qui trans Alpes in Italiam profectus, Placentiae consedit. Calpurnius autē paterni generis est; Caluētius materni. CRVDELITATEM *tibi non placere.*] Crudelitatis notam inurebat Ciceronis; cuius consulis iussu, auctore tamen senatu, quinque ciues Romani, coniurationis principes, in carcere essent interfecti HIC *te homo dignissimus tuis laudibus collaudauit.*] quid est, homo dignissimus tuis laudibus? opinor, Dignissimus a quo tu laudareris. nam, vt recte laudatur vir praestans a laudato viro, sic cōtra improbus ab improbo: vt paria paribus respondeant. SVSTVLISTIS;] contempta eius auctoritate. ABROGASTIS;] vt Aeliam, & Fufiam: quas P. Clodius, vobis inspectantibus, & tacentibus, abrogauit. EIVS *domum,*] incendistis. infra & alibi.

ORATIO

ILLVD vero geminum consilijs Catilinae, & Lentuli, quod me domo mea expulistis; Cn. Pompeium domum suam compulistis. neque enim, me stante, & manente in vrbis vigilia, neque resistente Cn. Pompeio, omnium gentium victore, vmquam se illi remp. delere posse duxerunt. a me quidem etiam poenas expetistis, quibus coniuratorum manes mortuorum expiaretis: omne odium, inclusum nefarijs sensibus impiorū, in me profudistis. quorum ego furori nisi cessissem; in Catilinae busto vobis ducibus mactatus essem. Quod autem maius iudicium exspectatis, nihil inter vos, & Catilinā interfuisse, quam. quod eandem illam manum ex intermortuis Catilinae reliquijs concitastis; quod omnes vndique perditos collegistis; quod in me carcerem effudistis; quod coniuratos armastis; quod eorum ferro meum corpus, atque omnium bonorum vitam obijcere voluistis? sed iam redeo ad praeclaram illam concionem tuam. Tu es ille, cui crudelitas displicet? qui, cum senatus luctum, ac dolorem suum vestis mutatione declarandum censuisset, cum videres maerere remp. amplissimis ordinis luctu, o noster misericors quid facis? quod nulla in barbaria quisquam tyrannus. omitto enim illud, consulem e dicere, vt senatus S. C. ne obtemperet: quo foedius nec fieri, nec cogitari quidquam potest. ad misericordiam redeo eius, cui nimis videtur senatus in conseruanda patria fuisse crudelis.

EXPLANATIO

GEMINVM] simillimum. COMPVLISTIS,] pulso Cicerone, aliquamdiu Pompeius in publicum prodire non est ausus, metu Clodij, cum libertus eius Damio cum sica ad senatum deprehensus esset. infra: Deprehensus denique cum ferro ad senatum is, quem Cn. Pompeium interimēdum collocatum fuisse constabat. Pro Milone, & ibi Pedianus. MORTVORVM] cum dixerit, Manes, quis non putet abundare. Mortuorum? IN *Catilinae busto*] vbi caesus est Catilina. MACTATVS *essem*] vt victima, expiandis coniuratorum manibus. CONCITASTIS;] duci Clodio. OBIICERE] nisi cessissem. QVI, *cum senatus*] Phaernus, Cui cum senatus. non placet. S. C.] de vestitu mutando.

ORATIO

EDICERE est ausus cum illo suo pari, quem tamen omnibus vitijs superare cupiebat, vt senatus, contra quam ipse censuisset, ad vestitum rediret. quis hoc fecit vlla in Scythia tyrannus, vt eos, quos luctu afficeret, lugere non sineret? maerorem relinquis, maeroris autfers insignia: eripis lacrumas non consolando, sed minando. quod si vestem non publico consilio patres conscripti, sed priuato officio, aut misericordia, mutauissent: tamen id ijs non licere per interdicta crudelitatis tuae, potestatis erat non ferendae. cum vero id senatus frequēs censuisset,

censuisset, ordines reliqui iam ante fecissent: tu ex tenebricosa popina consul extractus, cum illa saltatrice tonsa, senatum reip. occasum, atque interitum lugere vetuisti.

EXPLANATIO

CVM *illo suo pari.*] sic locutus post Red. in sen. Productus cum tuo illo pari. CVM *illa saltatrice tonsa,*] cum Gabinio collega; cui, saltare, exprobratum est: quod homini Romano turpe fuit. infra: Neq. collegae tui cymbala ac crotala fugi. Macrobius lib. III. Tonsa: quia breuiore coma, quam ceteri, vteretur, lasciuiae caussa. non enim eum tonderi plane solitum possumus existimare: cum scriptum sit in ea pro Sextio. Vnguentis affluens, calamistrata coma.

ORATIO

AT quaerebat etiam paullo ante de me, *quid suo mihi opus fuisset auxilio? cur non meis inimicis meis copys restitissem? quasi vero non modo ego, qui multis saepe auxilio fuissem, sed quisquã tam inops fuerit vmquam, qui isto non modo propugnatore tutiorem se, sed aduocato, aut adstipulatore parationem fore putaret. ego istius pecudis, ac putidae carnis consilio scilicet, aut praesidio niti volebam: ab hoc electo cadauere quidquam mihi aut opis, aut ornamenti exspectabam; consulem ego tum requirebam, consulem, inquam, non illum quidem, quem in hoc animali inuenire non possẽ, qui tantam reip. caussam grauitate, & consilio suo tueretur, sed qui tamquam truncus, atque stipes, si stetisset modo, posset sustinere tamen titulum consulatus. cum enim esset omnis caussa illa mea cõsularis, & senatoria; auxilio mihi opus fuerat & consulis & senatus: quorum alterum etiam ad perniciem meam erat a vobis consulibus conuersum, alterum reip. penitus ereptum. ac tamẽ, si consilium exquiris meum, neque ego cessissem, & me ipsa suo complexu patria tenuisset, si mihi cum illo bustuario gladiatore, & tecum, & cum collega tuo decertandum fuisset. alia enim caussa praestantissimi viri, Q. Metelli, fuit: quem ego ciuem, meo iudicio, cum deorum immortalium laude coniungo: qui C. illi Mario fortissimo viro & consuli, & sextum consuli, & eius inuictis legionibus, ne armis confligeret, cedendum esse duxit. Quod mihi igitur certamen esset huiusmodi? cum C. Mario scilicet, aut cum aliquo pari, an cum altero barbato Epicuro, cum altero Catilinae laternario? quos neque hercule ego, neque supercilium tuum, neque collegae tui Cymbala, ac crotala fugi: neque tam sui timidus, vt, qui in maximis turbinibus, ac fluctibus reip. nauem gubernassem, saluamq. in portu collocassem, frontis tuae nubeculam, tum collegae tui contaminatum spiritum pertimescerem. alios ego vidi ventos: alias prospexi animo procellas: alijs impendentibus tempestatibus non cessi, sed his vnum me pro omnium salute obtuli. itaque discessu tum meo omnes illi nefarii gladii de manibus crudelissimis exciderunt: cum quidem tu, o vaecors, & amens, cum omnes boni abditi, inclusiq. maererent, templa gemerent, tecta ipsa vrbis lugerent, complexus es illud funestum animal, ex nefariis stupris, ex ciuili cruore, ex omnium scelerum importunitate, & flagitiorum impunitate concretum; atque eodem in templo, eodem & loci vestigio, & temporis arbitria non mei solum, sed patriae funeris abstulisti. Quid ego illorum dierum epulas, quid laetitiam, & gratulationem tuam, quid cum tuis sordidissimis gregibus intemperatissimas perpotationes praedicem? quis te illis diebus sobriũ, quis agẽtem aliquid, quod esset libero dignum, quis denique in publico vidit? cum collegae tui domus cantu, & cymbalis personaret; cumq. ipse nudus in conuiuio saltaret. in quo ne tum quidem, cum illum suum saltatoriũ versaret orbem, fortunae rotam pertimescebat. Hic autem, nõ tam concinnus heluo, nec tam musicus, iacebat in suo Graecorũ foetore, atque vino. quod quidem istius in illis reip. luctibus quasi aliquod Lapitharum, aut Centaurorum conuiuium ferebatur: in quo, nemo potest dicere, vtrum iste plus biberit, an vomuerit, an effuderit.*

EXPLANATIO

ADVOCATO,] in iudicio. PARATIOREM] ad litigandum, aut ad se tuendum contra actionem aduersarij. CONSVLARIS, *& senatoria;*] pro eo, quod consul egeram, auctore senatu. BVSTVARIO *gladiatore.*] P. Clodio. Bustum, locus dicebatur, vbi mortuorum corpora comburerentur. hinc bustuarius gladiator, qui solitus esset homines interimere; quasi per quem multi cremarentur. ALIA *enim causs.*] pro Sextio. Quid enim simile fuit in Q. Metello? CEDENDVM] in exsulium ire maluit, quam in legem Saturnini tribuni pl. cui tum Marius fauebat, per vim latam, iurare. BARBATO *Epicuro*] delicijs, & voluptatibus deditos Epicureos barba longior, seueritatis index non decere videbatur. Piso tamen & Epicureus erat, vt infra ostenditur: & barbam alebat, vt, grauitatem, ac mores, ab Epicureorum institutis discrepantes praeseferens, ciuitatem falleret. CATILINAE *laternario?*] Catilinae ministro qui Catilinae nocturnis in sceleribus laternam praeferret. CYMBALA, *ac Crotala,*] quorum ad concentum saltarent. Cymbala vulgo nota: de crotalis obsceni carminis poeta, Crispum sub crotalo docta mouere latus. IN *maximis turbinibus,*] temporibus Catilinae. FRONTIS *tuae nubeculam,*] perficit translationem, quia dixerat. Turbinibus, Fluctibus: & simul, quod saepe facit; seueram Pisonis frontem designat. SPIRITVM] quasi ventum. EODEM *in templo*] vbi Clodius de

me

me rogationem ferebat. Sit vnum. SCELERVM IMPORTVNITATE,] superuacaneũ videtur hoc verbũ cum sequatur impunitate. ARBITRIA *non mei solum, sed patriae funeris abstulisti.*] praemia mei funeris, prouinciam scilicet Macedoniam: quam, prodito Cicerone, accepit, lege Clodia, tamquã praemium. pro Sextio: Illo ipso die, die dico? immo hora, atque etiam puncto temporis eodẽ, mihi reiq. pub. pernicies, Gabinio, & Pisoni prouincia rogata est Arbitria, idest, praemia, dixit in ea quoque post Red. in sen. & pro Domo. ILLORVM *dierum epulas,*] pro Sextio: Omitro gratulationes, epulas. CVM *illam suum saltatorium versaret orbem,*] cum in orbem se saltando conuerteret. FORTVNAE *votam*] hoc vt iuueniliter, sine decoro, & grauitate dictum, reprehendi solere, Tacitus ait in dialogo de Orat. HIC *autem*] Piso. CONCINNVS] vt Gabinius, munditiae, & elegantiae deditus. MVSICVS,] qui cantu, cymbalisq. delectaretur. nam ad concentum fidium, vocumq saltabant. GRAECORVM] Epicureorum. infra: Graeci stipati, quini in lectis, saepe plures. FOETORE, *atque vino*] supra: Ex tenebricosa popina conuulsus extractus. Infra: Nihil apud hunc lautum, nihil elegans, nihil exquisitum. QVOD *quidem istius*] Phaernus, Quod quidem istius omnino mendosum videtur, Istius. LAPITHARVM, *aut Centaurorum*] quod cum caede, & contentione factum, fabulae narrant.

ORATIO

TV *etiam mentionem facies consulatus tui? aut te fuisse Romae consulem dicere audebis? quid? tu in licioribus, in toga, & praetexta esse Consulatum putas? quae ornamenta etiam in Sex. Clodio, te consule, esse voluisti. huius tu, Clodiani tanis, insignibus consulatum declarari putas? animo consulem esse oportet, consilio, fide, grauitate, vigilantia, cura, toto denique munere consulatus. ego consulem esse putem, qui senatum esse in rep. non putauit? & sine eo consilio consulem numerem, sine quo Romae ne reges quidem esse potuerunt? etenim illa iam omitto: cum seruorum delectus haberetur in foro, arma in templum Castoris luce, & palam comportarentur; id autem templum, sublato aditu, reuulsis gradibus, a coniuratorum reliquiis, atque a Catilinae praeuaricatore quondam, tum vltore, armis teneretur; cum equites R. relegarentur, viri boni lapidibus e foro pellerentur, senatui non solum iuuare remp. sed ne lugere quidem liceret; cum ciuis is, quem hic ordo, assentiente Italia, cunctisq. gentibus, conseruatorem patriae iudicarat, nullo iudicio, nulla lege, nullo more; seruitio, atque armis pelleretur, non dicam auxilio vestro, quod vere licet dicere, sed certe silentio: tum Romae fuisse consules, quisquam existimabit? qui latrones igitur, siquidem vos consules? qui praedones, qui hostes, qui proditores, qui tyranni nominabuntur? magnum nomẽ est, magna species, magna dignitas, magna maiestas consulis: non capiunt angustiae pectoris tui, non recipit leuitas ista, non egestas animi, non infirmitas ingenii sustinet, non insolentia rerum secundarum tantam personam, tam grauem, tam seueram. Seplasia mehercle, vt dici audiebam, te vt primũ adspexit, Campanum consulem repudiauit. audierat Decios, Magios, & de Taurea illo Iubellio aliquid acceperat: in quibus si moderatio illa, quae in nostris solet esse consulibus, non fuit, at fuit pompa, fuit species, fuit inceßus saltem Seplasia dignus, & Capua. Gabinium denique si vidissent duumuirum vestri illi vnguentarij, citius agnouissent. erant illi compti capilli, & madentes cincinnorum fimbriae, & fluentes cerussataeq buccae, dignae Capua, sed illa vetere: nam haec quidem, quae nunc est, splendidissimorum hominum, fortissimorum virorum, optimorum ciuium, mihiq. amicissimorum multitudine redundat: quorum Capuae te praetextatum nemo adspexit, qui non gemeret desiderio mei, cuius consilio cũ vniuersam remp. tum illam ipsam vrbem meminerant esse seruatam. me inaurata statua donarant: me patronum vnum adsciuerant: a me se habere vitam, fortunas, liberos arbitrabantur, me & praesentem contra latrociniũ tuum suis decretis, legatisq. defenderunt, & absentem, principe Cn. Pompeio referente & de corpore reip. tuorum scelerum tela reuellente, reuocarunt. An tu eras consul, cum in Palatio mea domus ardebat, non casuali quo, sed ignibus iniectis, instante te? ecquod in hac vrbe maius vnquam incendium fuit, cui non consul subuenerit? at tu illo ipso tempore, apud socrum tuam, prope a meis aedibus, cuius domum ad meam exhauriendam patefeceras, sedebas non exstinctor, sed auctor incendii, & ardentes faces furiis Clodianis paene ipse consul ministrabas. An uero reliquo tempore consulem te quisquam duxit? quisquam tibi paruit? quisquam in curiam venienti assurrexit? quisquam consulenti respondendum putauit? numerandus est ille annus denique in rep. cum obmutuisset senatus; iudicia conticuissent; maererent boni; uis latrocinii uestri tota urbe uolitaret; neque ciuis unus ex ciuitate, sed ipsa ciuitas tuo, & Gabinii scelere, furoriq. cessisset?*

EXPLANATIO

IN. TOGA *praetexta*] sustuli copulam, Et: nam antea legebatur, Toga & praetexta, mendose: cum praetexta si toga IN. SEX. *Clodio*] cum eum magistrum ludorum Compitalibus esse voluisti. supra Sex Clodium, qui numquam praetextatus fuisset, praetextatum volitare passus es. SINE *eo consilio*] sine senatu: quod summum consiliũ vocabatur. HABERETVR *in foro,*] pro Aurelio tribunali. Supra. IN *templum Castoris*] supra REVVLSIS *gradibus,*] ne cui, qui ferente leges Clodio, obnunciare, intercedere, aut aliquo modo vellet impedire, daretur introitus. Pro Domo: Cum arma in aedem Castoris comportabas; nihil aliud, nisi vti ne quid per vim agi posset, machinabare: cum vero gradus Castoris conuellisti, ac remouisti; tum, vt modeste tibi agere liceret homines audaces ab eius tem-

pli

pli aditu, atque adscensu remouisti A. CONIVRATORVN *reliquiis*.] pro Sextio: lex erat lata vasto, acre licto foro, & sicarijs seruisq tradito. A. CATILINAE *praeuaricatore*] Catilinam a P. Clodio repetunda rum esse accusatum, eoq. praeuaricante absolutum, & Asconius auctor est, & Cicero ipse his verbis in ea de Harusp. resp. a Catilina pecuniam accepit, vt turpissime praeuaricaretur. CVM *equites Romani relegarentur*.] hoc dicit propter L. Aelium Lamiam, studiosissimum Ciceronis, principem equestris ordinis, edicto Gabinij consulis relegatum, quod eo auctore vestitum equites, lege Clodia promulgata, mutauerant, & vna cum ipso pro salute Ciceronis populo supplicauerant pro Sextio. L. Lamia, qui cum me ipsum pro summa familiaritate, quae mihi cum fratre, cum patre eius erat, vnice diligebat, tamen pro rep. vel mortem opperere cupiebat, in concione relegauit edixitq. vt ab vrbe abesset millia passuum ducenta; quod esset ausus pro ciui, pro benemerito ciui, pro amico, pro rep. deprecari, Post Red. in sen. VIRI *boni lapidibus e foro pellerentur*;] pro Sextio: Armati homines forū & conciones tenebant: caedes, & lapidationes siebant. Pro Domo: Cū eos, qui in conuentu virorum bonorū verba de me fecerant, adesse iussisti, eorumq. aduocationem manibus, ferro, lapidibus discussisti; tū profecto ostendisti, vim tibi maxime displicere. SEPLASIA]platea vnguentariorū Capuae. In Rullum, 2. Valerius Max. Plinius, alij. CAMPANVM *consulem*] duumuiri Capuae pro consulibus erant, duumuiros aūt C. Ceasar consul, lege lata de agro Campano diuidendo, creauerat socerū suum Pisonē, & generū Cn. Pompeium, post Red. in sen. Capuae ne te putabas, in qua vrbe domicilij quondā superbiae fuit, consulē esse, sicut eras eo tēpore, an Romae, in qua ciuitate oēs antē vos consules senatui paruerunt? Infra: Gabinium denique si vidissent duumuirum vnguentarij illi vegis, qui Romae consul esset, indignus fuit? DECIOS, *Magios, & de Taurea illo Iubellio aliquid acceperat*.] Seplasia suos Campanos, de quibus audierat, regio quodam spiritu & Campana superbia elatos, Pisoni praeferebat. De Decio Iubellio mētio fit in Epitome lib. XII. de Magio Liuius lib. XXII. & agr. 2. de Taurea Iubellio Liuius lib. XXIII. & XXVI. SALTEM *Seplasia dignus, & Capua*.] non ille quidem Romana moderatio, Seplasia tamen, & Capua dignus. at in Pisone nec pompa, nec species, nec incessus, non modo Roma, sed nec Seplasia dignus, & Capua. itaque Campanū consulē iure Seplasia repudiauit CITIVS]potius, vt Phil. 2. citius dixerim iactasse se aliquos vt fuisse in ea societate viderentur, cū consci non fuissent, quam vt quisquam celari vellet, qui fuisset. MADENTES vnguentis. FLVENTES,]pinguiores opinor significari: vt lib. 2. de orat. Gallum eiecta lingua, buccis fluentibus. CERVSSATAE]cerussa dealbate. OPTIMORVM *ciuium*.]erant enim hoc tempore ciues Romani, colonia lege Caesaris deducta. pro Sextio: Qua de caussa & tum conuentus ille Capuae huic apud me P. Sextio maximas gratias egit: & hoc tempore ijdem homines, nomine commutato coloni, decurioneq. beneficiū P. Sextij testimonio declarat. ILLAM *ipsam vrbem*] pro Sextio: Conuentus ille Capuae, qui propter salutem illius vrbis, consulatu conseruatam meo, me vnum patronum adoptauit. PRINCIPE *Cn. Pompeio referente*.]referente non in senatu Romae, sed Capuae, in qua duū virū eum fuisse iam dixi. planius in ea post Red in sen. Qui in colonia nuper constituta cum ipse gereret magistratū, in qua nemo erat emptus intercessorum, vim & crudelitatem priuilegij auctoritate honestissimorū hominum publicis litteris consignauit principes q. Italiae totius praesidium ad nostram salutem implorādum putauit. NON *casu aliquo, sed ignibus iniectis*,]pro Domo: Domus ardebat in Palatio, non fortuito, sed oblato incendio. APVD *socrum tuam*.]eadem res pro Domo: Columnae marmoreae ex aedibus meis, inspectante populo Romano, ad socrum consulis portabantur.

ORATIO

AT *ne tum quidem emersisti, lutulente Caesonine, ex miserrimis naturae tuae sordibus, cum experrecta tādem virtus clarissimi viri celeriter & verum amicum, & optime meritum ciuem, & suum pristinum morem requisiuit; neque est ille vir passus, in ea rep. quā ipse decorarat, atque auxerat, diutius vestrorum scelerum pestem morari: tum tamen ille, qualiscumque est, qui est ab vno te improbitate victus, Gabinius collegit ipse se vix, sed collegit tamen, & contra suum Clodium primum simulate, deinde non libenter, ad extremum tamen pro Cn. Pompeio vere vehementerq. pugnauit. quo quidem in spectaculo mira populi aequitas erat: vter eorum periisset, tanquam lanista, in eiusmodi pari lucrum fieri putabat, immortalem vero quaestum, si vterque occidisset, sed ille tamen agebat aliquid. tuebatur auctoritatem summi viri: erat ipse sceleratus, erat gladiator, cum scelerato tamē, & cum pari gladiatore pugnabat. tu, scilicet homo religiosus, & sanctus, foedus, quod meo sanguine in pactione prouinciarum iceras, frangere noluisti. cauerat enim sibi ille sororius adulter, vt, si tibi prouinciam, si exercitum, si pecuniam, ereptam ex reip. visceribus, dedisset, omnium suorum scelerum socium te, adiutoremq. praeberes. itaque in illo tumultu fracti fasces, ictus ipse: quotidie tela, lapides, fugae: deprehensus denique cum ferro ad senatum is, quem ad Cn. Pompeium interimendum collocatum fuisse constabat. ecquis audiuit non modo actionem aliquam, aut relationem, sed vocem omnino, aut querellam tuam? consulem tu te fuisse putas, cuius in imperio, qui remp. senatus auctoritate seruarat, idemq. in Italia, qui omnes omnium gentium partes tribus triumphis deuinxerat, is se in publico tuto statuit esse non posse? An tum eratis consules, cum, quacumque de re verbum facere coeperatis, aut referre ad senatum, cūctus ordo reclamabat, ostendebatq. nihil esse vos acturos, nisi prius de me retulissetis, cum vos, quamquam foedere obstricti tenebamini, tamen cu-*

pere vos diceretis, sed lege impediri? quae lex priuatis hominibus esse lex non videbatur, inusta per seruos, incisa per vim, imposita per latrocinium, sublato, senatu, pulsis e foro bonis omnibus, capta rep. contra omnes leges, nullo scripta more; hanc qui se metuere dicerent, consules, non dicam animi hominum, sed fasti vlli ferre possunt? nam si illam legem non putabatis, quae erat contra omnes leges, indemnati ciuis, atque integri capitis bonorumq. tribunicia proscriptio; hac tamen obstricti pactione tenebamini: quis vos non modo consules, sed liberos fuisse putet, quorum mens fuerit oppressa praemio, lingua adstricta mercede? sin illam vos soli legem putabatis: quisquam vos consules tunc fuisse, aut nunc esse consulares putet, qui eius ciuitatis, in qua in principum numero vultis esse, non leges, non instituta, non mores, nō iura noritis? An, cum proficiscebamini paludati in prouincias vel emptas, vel ereptas, consules vos quisquam putauit? itaque, credo, si minus frequentia sua vestrum egressum ornando, atque celebrando, at omnibus saltem bonis, vt consules, non tristissimis, vt hostes, aut proditores, persequebantur,

EXPLANATIO

CLARISSIMI *viri*] Cn. Pompeii. VERVM *amicum*,] ipsum Ciceronem. SVVM *pristinum morem*] tuendae reip. GABINIVS *collegit ipse se*,] pro Domo: Fregi foedus Gabinius: Piso tamen in fide mansit. TAMQVAM *lanista*] qui gladiatorum paria in certamen adducit. cum eos ante in ludo pugnandi arte instruxerit. SORORIVS *adulter*,] Clodius, qui cum sororibus rem habuisse dicebatur. IN ILLO *tumultu*] in certamine quod ei cum Gabinio fuit. FRACTI *fasces*.] Gabinij consulis. ICTVS *ipse*:] consul post Red. ad Quir. DEPREHENSVS] Clodij libertus Damio. Asconius pro Milone. QVI *vemp.*] de se ipso loquitur, cui in Italia esse non licuit. IDEMQ. *in Italia*,] recte puto restitui posse, Is neque in Italia: pro, is ne in Italia quidem. Lex enim Clodia vltra CD millia ab esse ab vrbe eum iubebat. ad Att. lib. III. QVI *omnes*] hoc de Pompeio, qui se in publico tuto statuit esse nō posse. FASTI] consulares. PROSCRIPTIO,] proscripsit lege sua Clodius, Ciceronis bona. NON *leges, non instituta, non mores, non iura noritis*?] haec enim qui norunt, legem esse non putant eam quae sit inusta per seruos, incisa per vim, imposita per latrocinium, sublato senatu, pulsis e foro bonis omnibus, capta rep. contra omnes leges, nullo scripta more.

ORATIO

TVne etiam, immanissimum, ac foedissimum monstrum, ausus es meum discessum illum, testem scelleris, & crudelitatis tuae, maledicti & contumeliae loco ponere? quo quidem tempore cepi, P. C. fructum immortalem vestri in me & amoris, & iudicij, qui non ad murmurationem, sed voce, & clamore, abiecti hominis, & semiuiui furorem petulantiamq. fregistis. tu luctum senatus, tu desiderium equestris ordinis, tu squalorem Italiae, tu curiae taciturnitatem annuam, tu silentium perpetuum iudiciorum, ac fori, tu cetera illa in maledicti loco pones, quae meus discessus reip. vulnera inflixit? qui si calamitosissimus fuisset, tamē misericordia dignior quam contumelia, & cum gloria potius esse coniunctus, quam cum probro, putaretur; atque ille, dolor meus dumtaxat, vestrum quidem scelus, ac dedecus haberetur. cum vero (forsitan hoc, quod dicturus sum, mirabile auditu esse videatur: sed certe id dicam, quod sentio) cum tanti, a vobis P. C. beneficijs affectus sim, tantis honoribus, non modo illam calamitatem esse non duco, sed si quid mihi potest a rep. esse seiunctum, quod vix potest, priuatim ad meum nomen augendum optandam duco mihi fuisse illam, expetendamq. fortunam. atque, vt tuum laetissimum diem cum tristissimo meo conferam, vtrum tandem bono viro, & sapienti optabilius putas, sic exire a patria, vt omnes sui ciues salutem, incolumitatem, reditum precentur, quod mihi accidit; an, quod tibi proficiscenti euenit, vt omnes exsecrarentur, male precarentur, vnam tibi illam viam, & perpetuam esse vellent? mihi medius fidius in tanto omnium mortalium odio, iusto praesertim, & debito, quaenis fuga potius, quam vlla prouincia, esset optatior. Sed perge porro: nam, si illud meum turbulentissimum tempus profectionis tuo tranquillissimo praestat; quid conferam reliqua, quae in te dedecoris plena fuerunt, in me dignitatis? Me Kal. Ian. qui dies post obitum, occasumq. nostrum reip. primus illuxit. frequentissimus senatus, concursu Italiae, referente clarissimo atque fortissimo viro, P. Lentulo, consentiente populo R. atque vna voce reuocauit. me idem senatus exteris nationibus, me legatis, magistratibusq. nostris auctoritate sua, consularibus litteris, non, vt tu nuper dicere ausus es, orbatum patria, sed, vt senatus illo ipso tempore appellauit, ciuem, seruatoremq. reip. commendauit: ad meam vnius salutem senatus auxilium omnium ciuium cuncta ex Italia, qui rempublicam saluam esse vellent, consulis nuce & litteris implorandum putauit. mei capitis seruandi causa Romam uno tempore, quasi signo dato, Italia tota conuenit: de mea salute P. Lentuli, praestantissimi viri, atque optimi consulis, Cn. Pompeij, clarissimi, atque inuictissimi ciuis, ceterorumq. principū ciuitatis celeberrimae & grauissimae conciones fuerunt. de me senatus ita decreuit, Cn. Pompeio auctore, & eius sententiae principe, vt, si quis impedisset reditum meum, in hostium numero putaretur; ijsq. nerbis ea de me senatus auctoritas declarata est, vt nemini sit triumphus honorificentius, quam mihi salus, restitutioq. perscripta. de me, cum omnes magistratus promulgassent, praeter unum praetorem, a quo non fuit postulandum, fratrem inimici mei, praeterq. duos, de lapide emptos, tribunos pl. legem comitijs centuriatis tulit P. Lentulus consul de collegae Q. Metelli sententia, quem mecum eadem resp. quae in tribunatu eius disiunxerat, in consulatu, virtute optimi, ac iustissimi

Landesbibliothek Oldenburg

simi viri, sapientia q. coniunxit. quae lex quemadmodum accepta sit, quid me attinet dicere? ex vobis audio, nemini ciui vllam, quo minus adesset, satis iustam excusationem esse visam, nullis comitijs vmquam neque multitudinem hominum tantam, neque splẽdidiorem fuisse. hoc certe video, quod indicant tabulae publicae, vos rogatores, vos diribitores, vos custodes fuisse tabularum; & quod in honoribus vestrorum propinquorum non factis, vel aetatis, excusatione, vel honoris, id in salute mea, nullo rogante, vos vestra sponte feciſtis.

EXPLANATIO

ANNVAM,] Pisone, & Gabinio cos. QVI *si calamitosissimus fuisset,*] mihi: quem potius glorioſiſſimum fuisse duco. VESTRVM] Pisonis, & Gabinij. TANTIS *beneficijs, tantis honoribus*] in me restituendo. LAETISSIMVM *diem*] quo in prouinciam profectus es: qui tibi laetissimus videtur fuisse, mihi, & alijs contra, VNAM *tibi illam viam, & perpetuam esse vellent?*] Perpetuã, quae numquam desineret, quae finem nõ inueniret: ne vmquam redires, sed eius viae finem nullum reperires. Eius enim, qui redit, perpetua via non est. eodem modo Turpilius apud Nonium: Egredere: atque vtinã istuc perpetuum itiner sit tibi. CONSENTIENTE *populo R. atque vna voce*] Phaernus, Consentiente, atque vna voce. quod valde non arridet. sit enim illustrior Ciceronis reditus, si non modo a senatu, sed a populo etiam reuocetur. QVI *remp. saluam esse vellent,*] post Red. in sen. Quid magnificentius, quid praeclarius mihi accidere potuit, quam, quod illo petente vos decreuistis, vt cuncti ex omni Italia, qui remp. saluam vellent, ad me vnum, hominem fractum, & prope dissipatum, restituendum, & defendẽdũ venirent? VNVM *praetorem,*] Appium pro Milone; septem praetores, octo tribuni pl. illius aduersarij, defensores mei. DVOS *tribunos pl.*] Sex. Atilium Serranum, & Num. Quinctium pro Sextio, & Pedianus. DE *lapide emptos*] pecunia corruptos a Clodio. Morem notauit emendi seruos de lapide. IN *tribunatu eius*] cum Q. Metellus Ciceronem consulem extremo consulatus die concionis habendae potestate priuauit supra. SPLENDIDIOREM] Phaernus, Splendorem, Malo, Splendidiorem: vt & numerus, & splẽdor hominum notetur: VOS *rogatores,*] rogasse populum pro salute mea. Vos *diribitores,*] distributores tabularum. Infra: An ego exspectem, dum de te quinque, & septuaginta tabellae diribeantur? Post Red. in sen. Quando illa dignitate rogatores, distributores, custodesq. vidistis? Plinius de populo Romano lib. XXXVI. c. 15. Qui gentes, & regna diribet. CVSTODES] ne quid fraudis committeretur.

ORATIO

CONFER *nunc, Epicure noster, ex hara produce, nõ ex schola, confer, si audes, absentiam tuam cum mea. Obtinuisti prouincia consularem finibus ijs, quos lex cupiditatis tuae, non quos lex generi tui pepigerat, nam lege Caesaris iustissima, atque optima populi liberi plane & vere erãt liberi: lege autem ea, quam nemo legem, praeter te, & collegam tuum, putauit, omnis erat tibi Achaia, Thessalia, Athenae, cuncta Graecia addicta. habebas exercitum tantum, quantum tibi non senatus, aut populus R. dederat, sed quantum tua libido conscripserat. aerarium exhauseras. Quas res gessisti in imperio, exercitu, prouincia consulari? quas res gesserit, quaero? qui vt venit Statim, nondum commemoro rapinas, non exactas pecunias, non captas, non imperatas, non neces sociorum, non caedem hospitum, non perfidiam, non immanitatem, non scelera praedico: mox, si videbitur, vt cum fure, vt cum sacrilego, vt cum sicario, disputabo; nunc meam spoliatam fortunam conferam cum florente fortuna imperatoris. Quis vmquam prouinciam cum exercitu obtinuit, qui nullas ad senatum litteras miserit? tantam vero prouinciam, cum tanto exercitu, Macedoniam praesertim, quae tantis barbarorum gentibus attingitur, vt semper Macedonibus imperatoribus ijdem fines prouinciae fuerint, qui gladiorum atque pilorum: ex qua aliquot praetorio imperio, consulari quidem nemo rediit, qui incolumis fuerit, quin triumpharit, est hoc nouum, multo illud magis.*

EXPLANATIO

EX. HARA *producte,*] propter sordes, & vitia. NON *ex schola.*] quia nullas litteras didicisti, corporis voluptate contentus. AERARIVM *exhauseras.*] pro stipendio. supra: Cauerat enim sibi ille sororius adulter, vt, si tibi prouinciam: si exercitum, si pecuniam, ereptam ex reip. visceribus, dedisset, omnis suorũ scelerum socium te, adiutoremq praeberes. CVM *florente fortuna imperatoris.*] ironia. qui enim dignus hoc nomine, qui prouinciam Macedoniam cum exercitu obtinens, nullas ad senatum de rebus gestis litteras miserit? QVI *gladiorum,*] certi numquam fuerunt Macedoniae fines, nisi qui armis, & virtute nostrorum imperatorum statuerentur. QVI *incolumis fuerit,*] qui rem prospere gesserit. QVIN *triumpharit.*] excepto tamen L. Torquato.

Landesbibliothek Oldenburg

ORATIO

APPELLATVS est hic vulturius, illius prouinciae, si diis placet, imperator. ne tum quidem, Paulle noster, tabulas Romam cum laurea mittere audebas? misi, inquit. quis vmquam recitauit? quis, vt recitarentur, postulauit? nihil enim mea refert, vtrum tu, conscientia oppressus scelerum tuorum, nihil vmquam ausus sis scribere ad eum ordinem, quem despexeras, quē afflixeras, quem deleueras; an amici tui tabulas abdiderint, ijdemq. silentio suo temeritatem, atque audaciam tuam cōdemnarint, atque haud scio, an magis te videri nullo pudore fuisse in litteris mittendis, an amicos tuos plus habuisse & pudoris, & consilij, quam aut te videri pudentiorem fuisse, quam soles, aut tuum factum non esse condemnatum iudicio amicorum. quod si non tuis nefarijs in hunc ordinem contumeliis in perpetuum tibi curiam praeclusisses: quid tandem erat actum, aut gestum in tua prouincia, de quo ad senatum cum gratulatione aliqua scribi abs te oporteret? vexatio Macedoniae? an opidorum turpis amissio? an sociorum direptio? an agrorum depopulatio? an munitio Thessalonicae? an obsessio militaris viae? an exercitus nostri interitus, ferro, fame, frigore, pestilentia? tu vero, qui ad senatum nihil scripseris, vt in vrbe nequior inuentus es, quā Gabinius, sic in prouincia paullo tamen, quam ille, demissior; nam ille gurges, atque beluo, natus ab domini suo, non laudi, atque gloriae, cum equites R. in prouincia, cum publicanos, nobiscum & voluntate, & dignitate coniunctos, omnes fortunis, multos fama, vitaq. priuasset; cum egisset aliud nihil in illo exercitu, nisi vt vrbes depopularetur, agros vastaret, exhaurire domos; ausus est (quid enim ille non audeat?) a senatu supplicationem per litteras postulare: o dii immortales, tu ne etiam, atque adeo vos, geminae voragines, scopuliq. reip. vos meam fortunam deprimitis, vestram extollitis? cum de me ea S. C. absente facta sint, eae conciones habitae. is motus fuerit municipiorum & coloniarum omnium, ea decreta publicanorum, ea collegiorum, ea denique generum, ordinumq. omnium, quae ego non modo optare numquam auderem, sed cogitare non possem; vos autem sempiternas foedissimae turpitudinis notas subieritis. an ego, si te & Gabinium cruci suffixos viderem, maiore afficerer laetitia ex corporis vestri laceratione, quam afficior ex famae? nullum est supplicium putādum, quo affici casu aliquo etiam boni viri fortesq. possunt. atque hoc quidem etiam isti tui dicunt voluptarii Graeci: quos vtinam ita audires, vt erant audiendi: numquam te in tot flagitia ingurgitasses. verum audis in praesepibus, audis in stupris, audis in cibo, & vino. sed dicunt isti ipsi, qui mala dolore, bona voluptate definiunt, sapientem, etiam si in Phalaridis tauro inclusus, succensis ignibus torreatur, dicturum tamen, suaue illud esse, seq. ne tantulum quidem commoueri. tantam virtutis vim esse voluerunt, vt non posset vmquam esse vir bonus non beatus. quae est igitur poena? quod supplicium? id mea sententia, quod accidere nemini potest, nisi nocenti: suscepta fraus, impedita & oppressa mens, bonorum odium, nota inusta a senatu, amissio dignitatis. nec mihi ille M. Regulus, quem Carthaginienses, resectis palpebris, illigatū in machina vigilando necauerunt, supplicio uidetur affectus; nec C. Marius, quem Italia, seruata ab illo, demersum in Minturnensium paludibus, Africa, deiecta ab eodem, expulsum, & naufragum uidit. fortunae enim ista tela sunt, non culpae: supplicium autem est poena peccati. neque uero ego, si vmquam vobis mala precarer, quod saepe feci, in quo dii immortales meas preces audierunt; morbum, aut mortem, aut cruciatum precarer: Thyestea est ista exsecratio, poetae nulgi animos, non sapientum, mouentis:

„ Vt tu naufragio expulsus, uspiam saxis fixus asperis,
„ Euisceratus, lateres penderes, (ut ait ille) saxa spargens tabo, Sanie, & sanguine atro: non ferrem omnino molestē, si ita accidisset; sed id tamen esset humanū. M. Marcellus, qui ter consul fuit, summa uirtute, pietate, gloria militari, periit in mari: qui tamen ob uirtutem gloria & laude uiuit. in fortuna quadam est illa mors, non poena putanda. quae est igitur poena? quod supplicium? quae saxa? quae cruces? Ecce duos duces in prouinciis populi R. habere exercitus, appellari imperatores; horum alterum sic fuisse infirmatum conscientia scelerum, & fraudium suarum, ut ex ea prouincia, quae fuerit ex omnibus una maxime triumphalis, nullam sit ad senatum litteram mittere ausus. ex qua prouincia modo, uir omni dignitate ornatissimus, L. Torquatus, magnis rebus gestis, me referente, absens imperator est appellatus, unde his paucis annis Cn. Dolabellae, C. Curionis, M. Luculli iustissimos triumphos uidimus; ex ea, te imperatore, nuncius ad senatum allatus est nullus.

EXPLANATIO

VVLTVRIVS *illius prouinciae,*] raptor, & praedator, vt vultur, Macedoniae. pro Sextio: Exierunt malis ominibus, atque exsecrationibus duo vulturij. Apud Carisium Scaurus in Caepionē: Nefarius vulturius, patriae parricida. Idem: Vulturius reip. SI. DIIS *placet,*] indignantis: dequo iam dixi mus. PAVLLE *noster,*] quia Paullus Aemilius, Africani minoris pater, in Macedonia fuit imperator ex qua, capto, rege Perseo, triumphauit, ideo Pisonem per irrisionem Paullum appellat, quasi similē eius, cuius erat dissimillimus. TABVLAS] litteras, vt infra. TEMERITATEM, *atque audaciam tuam*] qui scriberes auderes ad eum ordinem, quem despexeras, afflixeras, deleueras. PVDENTIOREM] in litteris non mittendis. Duas partes habet haec sentētia, priorem de missis a Pisone litteris ad senatū, sed abditis consilio amicorum; posteriorem, de non missis, nec abditis. prior habet Pisonis impudentiā amicorū silētio condemnatā: posterior Pisonis cōscientiā notat: qui cū sciret a se cōsule senatus auctoritatē prorsus esse cōtēptā, scribere ad eū de re gesta, & supplicationis honorē postulare merito

non

non auderet: quod eius factum amici non condemnarũt, nullis ab eo ad senatum litteris acceptis. Vtrũ, inquit, malim nescio. Si litteras misisti, impudentiam ostendi: si non misisti, male te de senatu meritũ esse cõfiteris. Non *esse condemnatum*] ne si hoc quidẽ esset, hoc ne malim, an illud, constitue re facile queam. An *munitio Thessalonicae? an obsessio militaris viae?*] de vtraque re sic in ea de Prouincijs, Macedonia sic a barbaris, quibus est propter auaritiam pax erepta, vexatur, vt Thessalonicẽses, positi in gremio imperij nostri, relinquere opidum, & arcẽ munire cogantur: vt via illa nostra, quae per Macedoniam est vsque ad Hellespontum militaris, non solum excursionibus barborum sit insesta, sed et castris Thracijs distincta, ac notata. Exercitvs *nostri interitus, ferro, fame, frigore, pestilentia?*] in eadem. Iam vero exercitus ille noster, superbissimo delectu, & durissima conquisitione collectus omnis interijt. Demissior.] quia litteras ad senatum mittere non es ausus. Cvm *equites Romanos*,] in eadem. Nobiscvm] cum senatu, Dignitate] quia senatoriae dignitati equestris proxima est. Voragines,] quibus absorpta resp. est. Scopvliq.] in quibus naufragiũ resp. fecit. Collegiorvm,] non omnium, (nam & quaedam, & a senatu sublata, P. Clodius in tribunatu restituit & alia permulta ex omni vrbis faece, ac seruitio cõstituit) sed eorum, quae numquam senatus remouerat; quod ea reip. ratio postulare videbatur. Ex *famae*.] laceratione quod si cui durius videtur, legat illud infra: Cruentare corpus suum? maior est vitae, famae, salutis suae vulneratio. Antea, Ex infamia. Affici *casu aliquo*] vt ego nullo meo crimine sum affectus. Voluptarii] Epicurei. Dicvnt] supplicium in culpa ponentes: vbi culpa absit, supplicium non putantes. Vt *erant audiendi*:] tu enim eos de voluptate audis: si de honesto, de probitata, ac virtute aliquid dicunt, nõ audis. Servata *ab illo*,] bello Cimbrico. Devicta *ab eodem*,] bello Iugurthino. Thyestea] Thyestis contra Atreum fratrem. Vt *ait ille*,] Ennius qui Thyestem tragoediam scripsit M. marcellvs,] nepos eius, qui Syracusas cepit, primus cum Hannibale feliciter pugnauit. Pietate,] aut generatim, idest probitate, dictum accipe: aut pietate erga patrẽ, cuius honorem auxit, in inscriptione, quam posuit in monumentis aui sui ad Honoris & Virtutis aedem. Asconius Gloria *militari*.] bis triumphauit. Periit *in mari*:] apud Africam Ob *virtutem gloria*] Phaernus, Ob virtutem in gloria. quod possum concedere In *fortuna quadam*] dicam quod sentio. Sensus hic: mors illa in fortuna quadam, non in poena, putanda est; haud omnino mihi probatur. occurrunt autem correctiones duae, quas eruditorum hominum iudicio pro mea consuetudine libenter permitto, vna, vt legatur: Importuna quaedam est illa mors. non poena putanda: (nam, In poena, in paucis est antiquis libris, est quidem in eo, quem Phaernus habuit sed is quoque saepe mendosus est) alter: Infortuna quaedam est illa mors, non poena putanda: vt, Infortuna, pro, casu illata, vnico verbo dictum sit. at est insolẽs in Latina lingua. quam multa, in ijs quidem libris, qui ad aetatem nostram peruenerunt, singularia sunt? vsitatum fuisse, si quis, vnde deductum sit infortunium, consideret, facile vt opinor, animaduertet. Accedit Plinij testimoniũ. nam lib. xxxv. c. 6. vbi vulgo legitur, Importuna haec omnia, ac nouitia, antiquus liber habet, In fortuna, disiunctis tamen vocibus, vitio librariorum, verbi nouitatem respuentium. Nam quod Phaerno placuit, In poena putanda: inde natum puto, quia, cum In fortuna, separatim legeretur, alterum In, reddi oportere videbatur. & omnino insitum hoc & plane persuasum Phaerno fuit, vt in Cicerone finem versus vitare vellet: quod si fiat infinita mutatio consequetur. nam, & si vitiosam esse orationem, quae similitudinem versus habeat, noster hic in Oratore docet: ipse tamen in hoc vitium saepe imprudens incurrit, dum in explicanda sententia potius, quam in collocandis verbis, operam, ac studium ponit. Saxa] respexit ad poetae uerba, saxis fixus asperis. Esse *duos*] exponit, quae putanda sit poena, quod supplicium, quae saxa, quae cruces. Modo octo annis ante. Absens *imperator est appellatus*;] cur, Absens, dicit, cum ij, qui ab senatu imperatores appellarẽtur, omnes ab esserit? malim pro, Absens, Ab senatu. quo modo etiam distinguetur ab ijs, qui ab exercitu imperatores appellabantur. Miror hunc non triumphasse: cum imperator sit appellatus, & cum supra dixerit Cicero, consulari neminem imperio ex Macedonia rediisse, qui incolumis fuerit, quin triumpharit. Cn. *Dolabellae*,] eius, quem C. Caesar accusauit. Suetonius. C. curionis,] triumphauit de Dardanis.

ORATIO

AB altero allatae litterae, recitatae, relatum ad senatum. dij immortales, id ne ego optarem, vt inimicus meus ea, qua nemo vmquam, ignominia notaretur? vt senatus is, qui in eam iam benignitatis consuetudinem venit, vt eos, qui bene remp. gesserint, nouis honoribus afficiat. & numero dierum, & genere verborũ; huius vnius litteris nunciantibus non crederet, postulantibus denegaret? his ego rebus pascor, his delector, his perfruor; quod de vobis hic ordo opinatur non secus, ac de taeterimis hostibus; quod vos equites R. quod ceteri ordines, quod cuncta ciuitas odit; quod nemo bonus, quin imo denique ciuis est, qui modo se ciuem esse meminerit, qui vos non oculis fugiat, auribus respuat, animo aspernetur, recordatione denique ipsa consulatus vestri perhorrescat. haec ego semper de vobis expetiui, haec optaui, haec precatus sum. plura etiam acciderunt, quam vellem. nam, vt amitteretis exercitum numquam mehercule optaui. illud etiam accidit, praeter optatum meum, sed valde ex voluntate: mihi enim non venerat in mentem, furorem, & insaniam optare vobis, in quam incidistis. atqui fuit optandum: me tamen fugerat deorum immortalium has esse in impios, & conscelerates poenas certissimas constitutas. nolite enim putare, P. C. vt in scena videtis, homines cõsceleratos impulsu deorũ

terreri

Landesbibliothek Oldenburg

terreri furiarum taedis ardentibus: sua quemque fraus; suum facinus; suum scelus, sua audacia de sanitate, ac mente deturbat: haec sunt impiorum furia, haec flammae, haec faces. ego te non vaecordem, non furiosum, non mente captum, non tragico illo Oreste, aut Athamante dementiorem putem, qui sis ausus primum facere, (nam id est caput) deinde paullo ante Torquato, grauissimo, & sanctissimo viro, premente, confiteri, te prouinciam Macedoniam, in quam tantum exercitum transportasses, sine vllo milite reliquisse? mitto de amissa maxima parte exercitus: sit hoc infelicitatis tuae: dimittendi vero exercitus quam potes afferre causam? quam potestatem habuisti? quam legem? quod S. C.? quod ius? quod exemplum? quid est aliud furere, nisi non cognoscere homines, non cognoscere leges, non senatum, non ciuitatem? cruentare corpus suum? maior haec est vitae, famae, salutis suae vulneratio. si familiam tuam dimisisses, quod ad neminem, nisi ad ipsum te, pertineret, amicite tui constringendum putarent: praesidium tu populi R. custodiam prouinciae, iniußu populi senatusq. dimisisses, si tuae mentis compos fuisses?

EXPLANATIO

NOVIS *honoribus afficiat*,] Caesarem designant. pro Balbo, de Prouincijs, in ep. ad Lentulum, DENEGARET?] idem in ea de Prouincijs, & ad Q. fr. lib. III. CERTISSIMAS *constitutas*,] Phaernus delet verbum, Constitutas. nisi me numerus offenderet, probarem. ORESTE] notissimo matricida. ATHAMANTE] Aeoli filio, Thebarum rege, in eum furorem Iunonis ira compulso, vt filios occideret, exstat apud Ouidium fabula Met. lib. IV. sed copiosius apud Isacium Tzetzem, vbi Lycophronis illud explanat, παρθενοκτόνον δέτιν. quo loco Learchum a patre Athamante sagittis confixum ait: & eam fabulam secutus est Statius lib. 2. Silu. Toruus ad hunc Athamas insanos flecteret arcus. Et lib. 1. Theb. Cui sumpserit arcus „Infelix Athamas. Nam Ouidius, nō sagittis Learchum a patre confixum, ait sed. Vtq. ferae sequitur vestigia coniugis amens: „Deq. sinu matris ridentē, & parua Learchum „Brachia tendentem rapit; & bis terq. per auras „More rotat fundae: rigidoq. infantia saxo „Discutit ora ferox. PRIMVM *facere*,] primum dimittere exercitum, & sine vllo milite prouinciā relinquere, deinde ēt in senatu cōfiteri. GRAVISSIMO] subagresti ingenio, & infestiuo. vide Gellium lib. 1. cap. 5. NISI *non cognoscere homines*,] alij Nisi, delent: ego omnino retinendū puto: vt sit interpretatio verbi, Furere? neque hic tantum, sed alibi quoque sic est Cicero locutus, vt in Laelio: Quid est aliud, cum dijs, gigantum more bellare, nisi naturae repugnare? CRVENTARE *corpus suum*?] an aliquis, furere, dixerit esse, cruentare corpus suum? at haec vitae, famae salutis suae maior vulneratio est. Inepte nonnulli addunt, Leue est: vt legatur: cruentare corpus suum, leue est: cum hoc ad illud venuste referatur, Quid est aliud furere, nisi non cognoscere homines, non cognoscere leges? non senatum, non ciuitatem? deinde vero subiungatur: An hoc est furere, cruentare corpus suū? maior haec est vita, fame, salutis suae uulneratio. Fuit sine dubio, Leue est, glossema hominis imperiti. AD *ipsum te*,] tamquam dominum: cum dimissio exercitus ad remp. pertineat: quo maiore dignus animaduersione videris.

ORATIO

ECCE *tibi alter, effusa iam maxima praeda, quam ex fortunis publicanorum ex agris vrbibusq. sociorum exhauserat, cū partim eius praedae profundae libidines deuorassent, partim noua quaedam, & inaudita luxuries, partim etiam in illis locis, vbi omnia diripuit, emptiones, partim permutationes ad hunc Tusculanum montem exstruendum, cum iam egeret, cum illa eius intermissa intolerabilis aedificatio constitisset; se ipsum, fusces suos, exercitum populi R. numen interdictumque deorum immortalium, responsa sacerdotum, auctoritatem senatus, iussa populi, nomen ac dignitatem imperij regi Aegyptio vendidit. cum fines prouinciae tantos haberet, quantos voluerat, quantos optauerat, quantos pretio mei capitis periculoq. emerat, his se tenere non potuit, exercitum eduxit ex Syria. qui licuit extra prouinciam? prebuit se mercenarium comitem Regi Alexandrino. quid hoc turpius? in Aegyptum venit, signa contulit cum Alexandrinis. quando hoc bellum aut hic ordo, aut populus susceperat? cepit Alexandriana. quid aliud exspectamus a furore eius, nisi vt ad senatum tantis de rebus gestis litteras mittat? hic, si mentis esset suae, nisi poenas patriae, dijsq. immortalibus eas, quae grauissimae sunt, furore, atque insania penderet, ausus esset, (mitto exire de prouincia) educere exercitum, bellū sua sponte gerere, in regnum iniußu populi, ac senatus accedere: quae cum plurimae leges veteres, tum lex Cornelia maiestatis, Iulia de pecunijs repetundis planissime vetant: sed haec omitto: ille, si non acerrime fureret, auderet, quam prouinciam P. Lentulus, amicissimus huic ordini, cum & auctoritate senatus, & sorte haberet, interposita religione sine vlla dubitatione deposuisset, eā sibi tum adsciscere, cum, etiam si religio non impediret, mos maiorum tamen, & exempla, & grauissimae legum poenae vetarent?*

EXPLANATIO

ALTER] Gabinius. Ex *fortunis publicanorum*,] publicani erant equites Romani: equestris autem ordinis inimicissimus Gabinius. itaque dixit consul, quod in ea pro Sextio, & in ea post red. in sen.

sen. scriptum est: Equites Romanos daturos illius diei poenas, quo, me consule, cum gladijs in cliuo Capitolino fuissent. In Syria vero proconsul, quantum in eo, fuit, publicanos afflixit. ac perdidit. qua de re testimonium afferre ex orat. de Prou. non alienum videtur. Publicanos tradidit in seruitu tē Iudaeis, & Syris nationibus natis seruituti. Statuit ab initio, & in eo perseuerauit, ius publicanonō dicere: pactiones, sine vlla iniuria factas, rescidit: custodias sustulit: vectigales multos, ac stipēdiarios liberauit: quo in opido ipse esset, aut quo veniret, ibi publicanū aut publicani seruū esse vetuit. PARTIM *eius praede*] aduerbiū pro nomine: vt, largiter acerbitatis pro, multā acerbitatē, in vetere cōciotendo, luxuries in effundendo. PERMVTATIONES] pecunia ex permutatione Romam missa. TVSCVLANVM *montem*] villam in agro Tusculano, monti similiorem, quam villae: de qua in ea pro Sextio: Villam aedificare in oculis omnium tantam, tugurium vt iam videatur esse illa villa, quam ipse tribunus pl. pictam olim in concionibus explicabat. Non est contemnendus omnium fere librorum veterum consensus, habent enim, Ad hunc Tusculanum in monte montem exstruendum. quo maior in Gabinium quaeritur inuidia, qui in editiore colle, quem vocat montem, suam villam quasi alterum montem exstruxisset. CONSTITISSET;] effusa iam praeda. SE IPSVM,] historia narrat, Ptolemaeum, Aegypti regem, pulsum a suis ciuibus propter scelera, restitutum a Gabinio, Syriae proconsule, auctoribus Caesare, & Pompeio, mercede decem millium talentorum: vt in orat. pro Postumo, & apud Suetoniū. NVMEN, *interdictumq. deorum immortalium*,] quia Sibyllae versus Aegypti regē cum exercitu restitui vetabant, Lucanus, Dio. RESPONSA *sacerdotum*,] arbitror hoc dici: cōsultos augures de Ptolemaeo rege, restituendum negasse. AVCTORITATEM *senatus*,] senatus decreuerat, nequis omnino regem reduceret: vt in ep. ad Lentulum. IVSSA *populi*,] decernere senatus, iubere populus dicitur. quod igitur de rege senatus decreuerat, idem iussisse populus videtur. EMERAT,] a tribuno pl: Clodio, qui legem tulit de Macedonia Pisoni, Syria Gabinio tradenda. QVI *licuit*] nam & veteres, & nouae leges id vetabant. infra. P. LENTVLVS,] qui tunc Ciliciam administrabat. AVCTORITATE *senatus*.] S. C. vnde ep. 1. ad Lentulum: Ex illo S. C. quod te referente factum est, tibi decernit, vt regem reduceas. SORTE] consules prouincias sortiri solitos esse, nemo nescit. ex qua sortitione Lētulus Ciliciae praerat, Q. Metellus Nepos, qui collega eius fuerat, Hispaniae. quo modo igitur sorte habebat Aegyptum? an, quia, cum de restituendo rege cogitaret senatus, eamque prouinciam de more sorte commitendam putaret, Lentuli, quia propinquus erat Aegypto, & aliorum nomina in vrnam coniecerat? INTERPOSITA *religione*] quae tollebat exercitum in rege restituendo. religionis enim nomine significantur sibyllae versus. in ep. ad Lentulum: Offensionem esse periculosam propter interpositam auctoritatem, religionemq. video.

ORATIO

SED, *quoniam fortunarum contentionem facere coepimus, de reditu Gabinii omittamus: quem etsi sibi ipse praecidit, ego tamen, os ut uidem hominis, exspecto: tuum, si placet, reditum cum meo conferamus. Atmeus quidem is fuit, ut Brundisio usque Romam agmen perpetuum totius Italiae viderem. neque enim regio fuit ulla, neque municipium, neque praefectura, aut colonia, ex qua non ad me publice uenerint gratulatum. quid dicam aduentus meos? quid effusiones hominum ex opidis? quid concursum ex agris patrum familias cum coniugibus, ac liberis? quid eos dies, qui, quasi deorum immortalium, festi, atque sollemnes apud omnes sunt aduētu meo, redituq. celebrati? annus ille dies mihi quidem immortalitatis instar fuit, quo in patriam redii, cum senatum egressum vidi, populumq. R. uniuersum, cum mihi ipsa Roma, prope conuulsa sedibus suis, ad complectendum conseruatorem suum progredi uisa est. quae me ita accepit, ut non modo omnium generum, actatum, ordinum omnes uiri, ac mulieres, omnis fortunae, ac loci, sed etiam moenia ipsa uiderentur. & tecta vrbis, ac templa laetari. Me consequentibus diebus in ea ipsa domo, qua tu me expuleras, quam expilaras, quam incenderas, pontifices, consules, praetores collocauerunt, mihique, quod ante me nemini, pecunia publica aedificandam domum censuerunt. Habes reditum meum. confer nunc uicissim tuum; quandoquidem, amisso exercitu, nihil incolume domum, praeter os illud tuum pristinum, retulisti. qui primum qua ueneris cum laureatis tuis lictoribus, quis scit? quos tu Maeandros, dum omnes solitudines persequeris, quae diuerticula, flexionesq. quaesisti? quod te municipium uidit? quis amicus inuitauit? quis hospes adspexit? non ne tibi nox erat pro die? solitudo pro frequentia? caupona pro opido? non ut redire ex Macedonia nobilis imperator, sed ut mortuus infamis referri uideretur.*

EXPLANATIO

SIBI *ipse precidit*,] effecit ipse suis sceleribus, ne redire possit. OS. VT *nideam hominis*,] impudentiam eius, qui redire audeat.

ORATIO

ORATIO

ROMAM ver ipsam foedauit aduentus tuus. o familiae non dicam Calpurniae, sed Caluentia, neque huius vrbis, sed Placentini municipij, neque paterni generis, sed braccatae cognationis dedecus, quemadmodum venisti? quis tibi, non dicam horum, aut ciuium ceterorum, sed tuorum legatorum obuiam venit? mecū enim L. Flaccus, vir tua legatione indignissimus, atque ijs consilijs, quibus mecum in consulatu meo coniunctus fuit, ad conseruandam remp. dignior, mecum fuit tum, cum te quidam non longe a porta cum lictoribus errantem visum esse narrabat. scio item, virum fortem in primis, belli, ac rei militaris peritum, familiarem meum, Q. Marcium, quorum tu legatorum praelio imperator appellatus eras, tum longe abfuisses, aduentu isto tuo domi fuisse otiosum. sed, quid ego numero, qui tibi obuiam non venerint? cui dico venisse paene neminem, ne de officiosissima quidem natione candidatorum, cum vulgo essent & illo ipso, & multis ante diebus admoniti, & rogati. togulae lictoribus ad portam praesto fuerunt: quibus illi acceptis, sagula reiecerunt, cateruam imperatori suo nouam praebuerunt. sic iste a tanto exercitu, tanta prouincia, triennio post Macedonicus imperator in vrbem se intulit, vt nullius negotiatoris obscurissimi reditus vmquam fuerit desertior. in quo me tamen, qui esset paratus ad se defendēdū, reprehendit, cum ego eum Coelimontana introisse dixissem, sponsione me, ni Exquilina introisset, homo promptus, lacessiuit. quasi verò id aut ego scire debuerim, aut vestrum quisquam audierit, aut ad rem pertineat, qua tu porta introieris, modo ne Triumphali: quae porta Macedonicis semper proconsulibus ante te patuit: tu inuentus es, qui consulari imperio praeditus ex Macedonia non triumpharet.

EXPLANATIO

CONSVLES, *praetores*] Phaernus, consules: patres conscripti. CALPVRNIAE,] a paterno genere. CALVENTIAE,] ab auo materno. BRACATAE *cognationis*] Galliae transalpinae: vnde Pisonis maternus auus in Italiam profectus. Placentiae consederat. Braccatae cognomen erat transalpinae Galiae, togatae cisalpinae, vtrique a genere vestris. L. FLACVS,] qui praetor fuerat Cicerone cōsule, pro quo exstat oratio. Q. MARCIVS,] ei fortasse filius, cui cum L. Metello consul fuerat: quem ante hoc tempus obijsse, patet ex ep. ad Att. lib. 1. TOGVLAE] vt, rogati cum essent, obuiam veniisse ex vrbe viderentur. SPONSSIONE] vt sponsione contenderem ni Esquilina, non vt ego dixeram Coelimontana, introisset. De sponsionibus alio loco. TRIVMPHALI:] iocatur in ambiguo. nam Triūphalis porta Romae erat, qua pro consules Macedonici triumphantes introibant, vnde nomen: & eam qua introiuit Piso, ideo negat esse triumphalem, quia consulari praeditus imperio ex Macedonia non triumphauit. Triumphalem portam Tacitus lib. v. Suetonius in Augusto, Iosephus lib. VII. Dio lib. LVI.

ORATIO

AT audisti, P. C. philosophi vocem: negauit se triumphi cupidum vmquam fuisse. oscelus, o pestis, o labes; cum exstinguebas senatum, vendebas auctoritatem huius ordinis, addicebas tribuno pl. consulatum tuum, remp. euertebas, prodebas caput, & salutem meam mercede prouinciae, si triumphum non cupiebas, cuius tandem te rei cupiditate arsisse defendes? saepe enim vidi, qui & mihi, & ceteris cupidiores prouinciae viderentur, triumphi nomine tegere, atque velare cupiditatem suam. hoc modo D. Silanus consul in hoc ordine, hoc meus etiam collega dicebat. neque enim quisquam potest exercitum cupere; aperteq. petere, vt non praetextat cupiditatem triumphi. quod si te senatus, si populus R. aut non appetentem, aut etiam recusantem, bellum suscipere, exercitum ducere coegisset: tamen erat angusti animi, atque demissi, iusti triumphi honorem dignitatemq. contemnere. nam, vt leuitatis est, inanem aucupari rumorem, & omnes vmbras etiam falsae gloriae consectari: sic leuis est animi, lucem, splendoremq. fugientis, iustam gloriam, qui est fructus verae virtutis honestissimus, repudiare. cum vero, non modo non postulante, atque cogente, sed inuito, atque oppresso senatu, non modo nullo populi R. studio, sed nullo ferente suffragium libero, prouincia tibi ista manu pretium fuerit euersae per te, & perditae ciuitatis; cumq. omnium scelerum haec pactio exstiterit: vt, si tu totam remp. nefarijs latronibus trasdidisses, Macedonia tibi ob eam rē, quibus in finibus velles, transderetur, cum exhauriebas aerarium; cum orbabas Italiam iuuentute; cum mare nauissimum bieme transibas: si triumphum contemnebas quae te, praedo amantissime, nisi praedae, ac rapinarum, cupiditas tam caeca rapiebat? non est integrum Cn. Pompeio, consilio iam vti tuo: errauit enim: non gustarat istam tuam philosophiam, ter iam homo stultus triumphauit. Crasse, pudet me tui: quid est, quod, confecto formidolosissimo bello, coronam illam lauream tibi tantopere decerni nolueris a senatu? P. Seruili, Q. Metelle, C. Curio, P. Africane, cur non hunc audisti tam doctum hominem, tam eruditum, prius quam in istum errorem inducereminī? C. ipsi Pontinio, necessario meo, iam non est integrum: religionibus enim susceptis impeditur. o stultos Camillos, Curios, Fabricios, Calatinos, Scipiones, Marcellos, Maximos: amentem Paullum, insticum Marium, nullius consilij patres horum amborū consulum, qui triumpharint. sed, quoniam praeterita mutare non possumus, quid cessat hic homulus, ex argilla &

la & luto fictus Epicureus, dare haec praeclara praecepta sapientiae clarissimo & summo imperatori, genero suo? fertur ille vir, mihi crede, gloria: flagrat, ardet cupiditate iusti, & magni triumphi: non didicit eadem ista, quae tu mitte ad eum libellum: &, si iam ipse coram congredi poteris, meditare, quibus verbis incensam illius cupiditatem comprimas, atque restinguas. valebis apud hominem volitantem gloriae cupiditate vir moderatus, & constans, apud indoctum eruditus, apud generum socer. dices enim, vt es homo facetus, ad persuadendum concinnus, perfectus, politus e schola: Quid est, Caesar, quod te supplicationes toties decretae, tot dierum, tantopere delectent? in quibus homines errore ducuntur quas dij negligunt; qui, vt noster diuinus ille dixit Epicurus, neque propitij cuiquam esse solent, neque irati. nan facies fidem scilicet, cum haec disputabis: tibi enim & esse, & fuisse videbit iratos. Vertes te ad alteram scholam; disseres de triumpho: Quid tandem habet iste currus? quid vincti ante currum duces? quid simulacra opidorum? quid aurum? quid argentum? quid legati in equis, & tribuni? quid clamor militum? quid tota illa pompa? inania sunt ista, mihi crede, delectamenta poene puerorum, captare plausus, vehi per vrbem, conspici velle. quibus ex rebus, nihil est, quod solidum tenere, nihil, quod referre ad voluptatem corporis possis, quin tu me uides, qui, ex qua prouincia T. Flamininus, L. Paullus, Q. Metellus, T. Didius, innumerabiles alij, leui cupiditate commoti, triumpharunt, ex ea sic redij, vt ad portam Esquilinam Macedonicam lauream conculcarim, ipse cum hominibus quindecim male vestitis ad portam Coelimontanam sitiens peruenerim: quo in loco mihi libertus, praeclaro imperatori, domum ex hac die biduo ante conduxerat: quae vacua si non fuisset, in campo Martio mihi tabernaculum collocassem, nummus interea mihi, Caesar, neglectis ferculis triūphalibus, domi manet, & manebit. rationes ad aerarium continuo, sicut tua lex iubebat, detuli: neque alia vlla in re legi tuae parui. quas rationes si cognoris; intelliges nemini plus, quam mihi, litteras profuisse: ita enim sunt perscriptae scite, & litterate, vt scriba, ad aerarium qui eas retulit, perscriptis rationibus secum ipse, caput sinistra manu perfricans, commurmuratus sit.

„ Ratio quidem hercle apparet, argentum ὀἰχεται. Hac tu oratione, non dubito, quin illum iam adscendentem in currum reuocare possis. o tenebrae, o lutum, o sordes, o paterni generis oblite, materni vix memor: ita nescio quid istud fractum, humile, demissum, sordidum inferius etiam est, quam vt Mediolanensi praecone, auo tuo, dignum esse videatur. L. Crassus, homo sapientissimus nostrae ciuitatis, spiculis prope scrutatus est Alpes, vt, vbi hostis non erat, ibi triumphi caussam aliquam quaereret. eadem cupiditate, vir summo ingenio praeditus, C. Cotta, nullo certo hoste, flagrauit. eorum neuter triumphauit; quod alteri illum honorem collega, alteri mors ademit. Irrisa est abs te paullo ante M. Pisonis cupiditas triumphandi, a qua te longe dixisti abhorrere. qui, etiam si minus magnum bellum gesserat, vt abs te dictum est; tamen istum honorem contemnendum non putauit. tu eruditior, quam Piso; prudentior, quam Cotta; abundantior consilio, ingenio, sapientia, quam Crassus, ea contemnis, quae illi idiotae, vt tu appellas, praeclara duxerunt. quod si reprehendis, quod cupidi laureae fuerint, cum bella aut parua, aut nulla gessissent: tu, tantis nationibus subactis, tantis rebus gestis, minime fructum laborum tuorum, praemia periculorum, virtutis insignia contemnere debuisti. neque vero contempsisti, sis licet Themista sapientior, sed os tuum ferreum senatus conuicio verberari noluisti. Iam vides, quoniam quidem ita mihimet fui inimicus, vt me tecum compararem, & digressum meum, & absentiam, & reditum ita longe tuo praestitisse, vt mihi illa omnia immortalem gloriam dederint, tibi sempiternam turpitudinem infixerint. nunc etiam in hac quotidiana, assidua, vrbanaq. uita splendorem tuum, gratiam, celebritatem domesticam, operam forensem, consilium, auxilium, auctoritatem, sententiam senatoriam nobis, aut, ut uerius dicam, cuiquam es infimo, ac desperatissimo antelaturus?

EXPLANATIO

LEVIS *est animi,*] malim, Vilis, pro leuis: cum sequatur, lucem, splendoremq fugientis. CVM *exhauriebas aerarium;*] stipendij nomine. CVM *orbabas Italiam iuuentute;*] delectu militum superbissimo, & conquisitione durissima. BELLO] Seruili. CORONAM *illam lauream*] quae quantibus dari non solebat, sed myrtea. Crassus autem, cum de seruis triumphare indecorum videretur, ouauit quidem, sed, myrto repudiata, laureo coronatus, gratificante ei extra ordinem senatu. Haec Gellius. Plinius, quoque, Myrtea, inquit, ouantium fuit corona, excepto M. Crasso, qui de fugitiuis, & Spartaco laurea coronatus incessit. P. SERVILI,] qui de Isauris ex Cilicia triumphauit vnde Isaurici cognomen. Q. METELLE,] qui ex Creta triumphauit, vnde Cretici cognomen. historiae postulabat ordo, vt post Curionem nominaretur: quia post Seruilium Curio, post Curionē Metellus triumphauit. P. AFRICANE,] vel caecis manifestum mendū. quis enim Africani cognomine per haec tēpora fuit? aut eius triumphus vbi nominatur? equidem, cum triumphales, qui viuerent, appellari videam, vnus autem ex iis, qui triumphauerant, & viuebant, nominandus supereſſet M. Pupius Piso, qui triumphauerat ex Hispania, nondū gesto cōsulatu, eum omnino significari crediderim. & reponendū, vel contra veteres libros, quorū testimoniū auctoritas historiae vincit, M Pupi. Suspicabar prius, L. Afrani, reponendum, ex litterarū similitudine, qui consulatum gessit cū Q. Metello Celere: sed de eius triūpho mentio nulla. POMPTINIO] qui cum praetor fuisset Cicerone consule, postea deuictis Allobrogibus, triumphauit, anno sequenti. ep. ad Att. lib. IV. ad Q. fr. lib. III. Dio lib. XXXIX. NON *est integrum:*] abiecisse fortasse triumphandi cupiditatem, si te prius, contra disputantem, doctum videlicet hominem atque eruditum, audisset: nunc, susceptis religionibus, mutare iam consilium non potest. RELIGIONIBVS *susceptis,*] dicit hoc, opinor, propter legem de imperio latam. quibus enim alijs impe-

pe diretur religionibus, non inuenio. CAMILLOS.] M. Furius Camillus triumphauit quater, primum de Veientibus, iterum de Gallis, tertium de Volscis, Aequis, Etruscis, quartum de Gallis Senonibus. M'. Curius Dentatus ter, primum de Samnitibus, deinde de Sabinis, tertium de Samnitibus, & rege Pyrrho nam de Lucanis ouauit. C. Fabricius Luscinus bis, primum de Etruscis, & Gallis, iterum de Lucanis, Brutijs, Tarētinis, Samnitibus. A. Atilius Catalinus ex Sicilia de Poenis. Scipiones, maior, & minor, ex Africa, minor etiam de Numātinis. M. Claudius Marcellus ter, semel de Gallis, bis de Syracusanis: quamquam de Syracusanis ouatio fuit, non triumphus. Q. Fabius Maximus Verruccosius de Liguribus. L. Aemilius Paullus bis, de Liguribus Ingaunis, & ex Macedonia, & rege Perse. C. Marius bis, de Numidis, & rege Iugurtha, postea de Ambronibus, Teutonis, & Cimbris. HORVM. AMBORVM *consulum*.] Pompeij Magni, Crassi Diuitis. Triumphauit autem Pompeij pater Strabo de Picentibus: Crassi pater de Lusitanis. GENERO *suo?*] C. Caesari qui tunc in Gallia bellum gerebat. FERTVR] quo fertur? ad magnas res gerendas. qua re fertur? gloriae cupiditate. ILLE *vir*,] maiore cum laude, quam si tantum, Ille, dixisset, nam in viro virtus est. TOT *dierum*,] quot antea nemini. vide de Prouincijs. QVAS *dij negligunt*:] inducit Pisonem disputantem ex Epicuri sententia. Epicurus enim deos aiebat negligere mortalia. AD *alteram scholam*:] ad eam, quae omnia refert ad voluptatem corporis. nam infra: Quibus ex rebus nihil est, quod solidum tenere, nihil, quod referre ad voluptatem corporis possis. FLAMININVS,] Phaernus legit, Flaminius, contra historiam. nam Flaminius gentis nomen est, Flamininus Quinctiae cognomem. porro quis nescit hunc esse T. Quinctium Flamininū, qui ex Macedonia, & Philippo rege triumphauit? ESQVILINAM.] Esquilina introiuit, inde ad Coelimontana, vbi ei conducta domus erat, profectus est. CONCVLCARIM,] contempto triumpho. Ex *hac die*] magis exprimit, & mihi tamen videtur abundare. Sed tamen fortasse antiquus loquendi modus. Notatur autem anaritia, biduo tantum ante diē aduentus conducta domo. IN *Campo Martio*] neminem significat esse in vrbe, qui illum hospitio accepisset. FERCVLIS] ligneis instrumentis, quibus & captorum opidorum simulacra, & reliqua triumphi pompa ferebatur. TVA *lex*] legem tulerat Caesar consul de repetundis, & in ea, vt rationes ad aerariū statim deferrentur a proconsulibus e prouincia reuersis. RATIO *quidē*] senarius Plauti in Trin. cuius imitatione dixit Terētius in Phorm. Non ratio nobis, sed argentum deerat. PATERNI *generis*] Calpurnij, nobilissimi. MATERNI] Caluentij. nam Pisonis maternus auus, Caluentius dictus est. VIX *memor:*] non solum a nobilissimo paterno genere prorsus degeneras: verum ne materno quidē, licet ignobili plane respōdes. Sequitur ratio: Ita nescio quid istud. MEDIOLANENSI *praetore, auo tuo*,] non dixit, Placentino, quamquā Placentiae, non Mediolani, maternus Pisonis auus, profectus ex Gallia, cōsedisset, sed, Mediolanensi, opinor quia, cum nobilius Mediolanum esset, quam Placentia, (caput enim Insubriae regionis erat, auctore Strabone) materno Pisonis auo aliquid tribuere videbatur. cum tamen ironia non absit. nā si Mediolanum Placentia nobilius multo tamē vrbe Roma ignobilius. ita, cū laudare videatur maternū Pisonis auum, latenter vituperat. quid enim est, Mediolani praeconiū fecisse? probri quidē id potius, quā laudis est. NESCIO *quid istud*,] quod tu sentis de triumpho contemnendo. L. CRASSVS,] orator summus. HOMO *sapientissimus*.] qui triumphi tamen honorem contemnendum non putauit: cū tu, quasi illo sapientior, negaueris, te triumphi cupidum vmquam fuisse. ALPES,] cum citeriori Galliae praeesset. VT, *vbi hostis non erat, ibi triumphi caussam aliquam quaereret*:] de hac L. Crassi nimia triumphandi cupiditate sic lib. 1. de Inuent. L. Licinius Crassus consul quosdam in citeriore Gallia, nullo illustri, neque certo duce, neque eo nomine, neque eo numero praeditos vt digni essent, qui hostes populi Romani esse dicerentur, quod tamen excursionibus, & latrocinijs infestam prouinciam redderent, consectatus est & cōfecit. Romā redit. triumphū ab senatu postulat. Haec Cicero. Pedianus eū non triumphasse docet his verbis. Crasso collega fuit Q. Scaeuola pont. max. qui cū animaduerteret Crasso, propter summam eius in rep. potentiam, ac dignitatē, senatū in decernendo triumpho gratificari, nō dubitauit reip. magis, quam collegae, habere rationem: ac, ne fieret. S. C. intercessit. Et hic infra: Eorū neuter triumphauit: quod alteri illum honorē collega, alteri mors ademit. C COTTA] oratoria laude clarus, qui loquitur in libris de Oratore. COLLEGA] collega L. Crassi in consulatu Q. Mucius Scaeuola. MORS] repente rescissa cicatrix, ex vulnere, quod ante aliquot annos in proelio acceperat. Asconius. M. PISONIS] M. Pupij. nam licet Piso dicatur, Calpurniae tamen gentis esse desijt, & in Pupiā transijt, adoptatus a M. Pupio: vt in oratione pro Domo. Pisonis cognomē, amissa gente, retinuit, iure & more adoptionis. hic M. Piso triumphauerat ex Hispania. TV *eruditior, quam Piso*;] in quo multas fuisse litteras Pedianus ait. PARVA, *aut nulla*.] Parua, ad Cotta, Nulla, ad Crassum refertur. nam Cotta, si vixisset, triumphaturus erat, auctore Pediano. TANTIS *nationibus subactis*,] ironia. SIS *licet Themista sapientior*,] sunt, qui a Themis, Themista, deducant auferendi casu. quod mihi parum sane placet: ac malim Themi ipsa. Marcellinus lib. XXI. Elementorum, inquit, omnium spiritus, vt pote perennium corporum, praesentiendi motu semper & vbique vigens, ex ijs, quae per disciplinas varias affectamus, participat nobiscum munera diuinandi: & subsantiales potestates, ritu diuerso placatae, velut ex perpetuis fontium venis vaticina mortalitatis suppeditant verba, quibus numem praeesse dicitur Themidis: quam ex eo, quod fixa fatali lege decreta praescire fas sit in posterū, quae τεθεσμέναι sermo Graecus appellat. ita cognominatā, in cubili solioq. Iouis vigoris viuifici Theologi veteres collocarunt. SAPIENTIOR,] sapientes nō nulli haec honorū insignia, tamquā res inanes, contempserunt: at tu, licet ipsa Themi sapientior, non contempsisti. SI OS *tuum ferreum senatus conuicio verberari nolui-*

sti.]

sti.] male non nulli, Sed, pro, Si reponunt, non a veteribus modo libris, verū ab ipsa quoque sententia discedentes. hoc enim dicitur: Si tuā impudentiā, quae summa est, accusari a senatu noluisti: nō ideo, te virtutis insignia, idest honorē triumphi contempsisse, dicendum est. Os tuum ferreū, insignē quā dam notat impudentiā. pudoris enim signa ore cernuntur quae si nulla apparēt, os illud durū, & ferreum vocamus Os quoque, simpliciter dictū, pro impudētia sumitur ad Varronē. Nosti os adolescentioris Academiae. Verberari. Sic Q. Cicero ad Tironē: Verberaui te cogitationis tacito dumtaxat cōuicio. Et cōgruunt simul, Os verberari. Noluisti: fore sciebas, vt, cū a senatu triumphum peteres, magnū tibi cōuiciū fieret. Ita *mihimet fui inimicus,*] qui me cum homine omniū turpissimo comparārim supra: Facio iniuriam fortissimo viro mortuo, qui illum, cuius paucos pares haec ciuitas tulit, cum importuna bellua conferam. Proditorem] Phaernus, Perditorem. non video, cur mutetur.

ORATIO

Age, senatus odit te, quod eum tu facere iure cogis, afflictorem, & proditorem non modo dignitatis, & auctoritatis, sed omnino ordinis, ac nominis sui: videre equites R. non possunt, quo ex ordine, uir, praestantissimus, L. Aelius est te consule relegatus: plebs Romana perditum cupit, in cuius tu infamiam ea, quae per latrones, per seruos de me egeras, contulisti. Italia cuncta exsecratur, cuius idem tu superbissime decreta, & preces repudiasti. fac huius odij tanti, ac tam uniuersi periculum, si audes. instant post hominum memoriam apparatissimi, magnificentissimiq. ludi, quales non modo numquam fuerunt, sed ne quo modo fieri quidem posthac possint, possum ullo pacto suspicari. da te populo, cotamitte ludis. sibilum metuis? ubi sunt uestrae scholae? ne acclametur? ne id quidem est curare philosophi. manus tibi ne afferantur, times: dolor enim est malum, vt disputas: existimatio, dedecus, infamia, turpitudo, verba, atque ineptiae. sed de hoc non dubito: nō audebit accedere ad ludos, conuiuium publicum non dignitatis caussa inibit: nisi forte, vt cum P. Clodio, hoc est, cum amoribus suis, cenet. sed plane animi sui caussa ludos nobis idiotis relinquet, solet enim in disputationibus suis, oculorum & aurium delectationi abdominis voluptates anteferre. nam, quod uobis iste tantummodo improbus, crudelis, olim furunculus, nunc uero etiam rapax, quod sordidus, quod contumax, quod superbus, quod fallax, quod perfidiosus, quod impudens, quod audax esse videatur, nihil scitote esse luxuriosius. nihil libidinosius, nihil proteruius, nihil nequius. luxuriam autem nolire in isto hanc cogitare. est enim quaedam, quamquam omnis est vitiosa, atque turpis, tamen ingenuo, ac libero dignior. nihil apud hunc lautum, nihil elegans, nihil exquisitum, (laudabo inimicum) ne magnopere quidem quidquam, praeter libidines, sumptuosum. toreuma nullum, maximi calices, & hi, ne contemnere suos uideatur, Placentini; exstructa mensa, non conchylijs, aut piscibus, sed multa carne subrancida. serui sordidati ministrant, nonnulli etiam senes; idem coquus, idem atriensis; pistor domi nullus, nulla cella, panis, & uinum a propola, atque de cupa; Graeci stipati, quini in lectulis, saepe plures. ipse solus. bibitur usque eo, dum de solio ministretur. ubi gallicantum audiuit, auum suum reuixisse putat, mensam tolli iubet.

EXPLANATIO

L. Aelius] Lamia. Te *consule*] non tamen a Pisone, sed ab eius collega Gabinio: vt pro Sextio, post Red. in sen. Decreta, *& preces*] pro salute mea. Ludi,] quos Pompeius iterum consul dedit. vide ep. 1. lib. VII. ad Marium. Vestrae *scholae.*] quae docent haec contemnere. Hoc *est cum amoribus suis,*] cum in communibus libris legeretur, Hoc est compotoribus suis; restitui ante viginti annos, quod indicant libri nostri, Cum amoribus suis. quod est vsitatum Ciceroni genus loquendi. Animi *sui caussa*] vt alia maiore quadam voluptate, quam quae oculis, & auribus percipitur, fruatur. Olim] ante quam prouinciam haberet. Protervius,] hoc ad superbiam referri non potest: cum dixerit iam, Quod superbus. sensum igitur eum habeat necesse est, qui cum vitijs hic nominatis, luxuria, libidine, nequitia congruat. Hanc] vsitatam. Ingenvo, *ac libero dignior.*] quae cum lautitia fit, atque elegantia. Lavdaeo *inimicum*] quia liberare eum luxuria videor; quo tamen luxuriosius esse nihil dixerim. Praeter *libidines,*] sumptum in libidines, praeterea nullam in rem, facit. Toreuma *nullum.*] scalptum, aut caelatum opus. ἀπὸ τῦ τορβύειν. lib. 2. in Verrem: Toreumata sane bona & pretiosa auferuntur. Svos] quia Placentiae consederat auus eius maternus. A. propola, *atque de cupa;*] a Propola, ab eo, qui prius emit, aut alijs venderet. de cupa vero, deua se, a cauponibus fortasse dicto, qui vinum inde promerent. Graeci] conuictores eius Epicurei philosophi. Qvini *in lectis,*] cum tres, aut summum quattuor solerent esse. de quo alibi diximus. Ipse *solus.*] in vno lecto. Dvm *de solio ministretur.*] hoc quid sit, nondum assequor. Vbi *galli cantum audiuit*] ergo bibebat per totam noctem. Avvm *suum*] qui Gallus fuerat. locatur in ambigua vocabuli significatione.

Landesbibliothek Oldenburg

ORATIO

Dicet aliquis, vnde tibi haec nota sunt? non mehercules contumeliae causa describam quemquam, praesertim ingenioſum hominem, atque eruditũ: cui generi esse ego iratus ne si cupiam quidem possum. est quidem Graecus, qui cum isto viuit, homo, vt vere dicam, sic enim cognoui, humanus, sed tamdiu, quamdiu cum alijs est, aut ipse secum. is cum istum adolescentem iam tum cura hac dijs irata fronte vidisset, non fastidiuit eius amicitiam, cum esset praesertim appetitus: dedit se in consuetudinem, sic, vt prorsus vna viueret, nec fere ab isto vmquam discederet. Non apud indoctos, sed, vt ego arbitror, in hominum eruditissimorum, & humanissimorum coetu loquor. audistis profecto dici, philosophos Epicureos omnes res, quae sunt homini expetendae, voluptate metiri: recte, an secus, nihil ad nos: aut si ad nos, nihil ad hoc tempus. sed tamen lubricum genus orationis, adolescenti nõ acriter intelligenti saepe praeceps. itaque admissarius iste, simul atque audiuit a philosopho voluptatem tantopere laudari, nihil expiscatus est: sic suos sensus voluptarios omnes incitauit, sic ad illius hanc orationem adhinnijt, vt non magistrum virtutis, sed auctorem libidinis a se illum inuentum arbitraretur. Graecus primo distinguere atque diuidere illa, quemadmodum dicerentur: iste claudus, quo modo aiunt, pilam retinere: quod acceperat, testificari, tabulas obsignare velle, Epicurum disertum dicere: & tamen dictum opinor, se nullum bonum intelligere posse, demptis corporis voluptatibus. quid multa? Graecus facilis, & valde venustus, nimis pugnax contra senatorem populi R. esse noluit. est autem hic, de quo loquor, non philosophia solum, sed etiam ceteris studiis, quae fere ceteros Epicureos negligere dicunt, perpolitus. poema porro facit ita festiuum, ita concinnum, ita elegans, nihil vt fieri possit argutius. in quo reprehendat eum licet, si qui vult, modo leuiter, non vt improbum, non vt audacem, non vt impurum, sed vt Graeculum, vt assentatorem, vt poetam. deuenit, aut potius incidit in istum, eodem deceptus supercilio, Graecus, atque aduena, quo tam sapiens, & tanta ciuitas. reuocare se non poterat familiaritate implicatus: & simul inconstantiae famam uerebatur: rogatus, inuitatus, coactus, ita multa ad istum de isto scripsit, vt omnes libidines, omnia stupra, omnia cenarum, conuiuiorumq. genera, adulteria denique eius delicatissimis uersibus expresserit: in quibus, si quis uelit, possit istius, tamquam in speculo, uitam intueri. ex quibus multa a multis lecta, & audita recitarem, nisi uererer, ne hoc ipsum genus orationis, quo nunc utor, ab huius loci more abhorreret: & simul de ipso, qui scripsit, detrahi nihil uolo. qui si fuisset in discipulo comparando meliore fortuna, fortasse austerior, & grauior esse potuisset: sed cum casus in hanc consuetudinem scribendi induxit philosopho ualde indignam, siquidem philosophia, vt fertur, uirtutis continet, & officii, & bene uiuendi disciplinam: quam qui profitetur, grauissimam sustinere mihi personam uidetur. sed idem casus illum, ignarum quid profiteretur, cum se philosophum esse diceret, istius impurissimae, ac temperatissimae pecudis coeno & sordibus inquinauit: qui modo res gestas consulatus mei cum laudasset; quae quidem laudatio hominis turpissimi mihi ipsi erat poene turpis; non ulla tibi, inquit, inuidia uocuit; sed uersus tui.

EXPLANATIO

Est *quidam Graecus.*] Philodemus, cuius exstare lasciua poemata dixit Asconius. Gadareum, idest Syrum fuisse, auctor Strabo lib. xvi. nominatur a Laertio bis in Epicuro, & a Cicerone lib. 2. de Fin. in extremo. Aut *ipse secum.*] sententia postulat Haud. vel glossema hoc fortasse totum est. Certe mendo suspicio non abest? Iam *tum*] vel in adolescentia fronte, & supercilio ita seuerus erat Piso, non modo vt hominibus, sed ut dijs ipsis iratus esse uideretur. Lvbricvm] lubricum sua sponte, quia uoluptas duplex, animi ex uirtute; corporis ex uitio; sed adolescenti, propter aetatem incauto, non modo lubricum, uerum etiam saepe praeceps: quia neutram uoluptatem Epicurei philosophi nominabant. Adolescentem autem fuisse Pisonem, iam dixit, cum Philodemi amicitiam appetiuit. Admissarivs] tamquam equus, qui rationis expers, unam corporis uoluptatem nouit. ideo, tamquam de equo, sequitur, Adhinnijt. Distingvere, cum aliam esse corporis, aliam animi uoluptatem ostenderet. Iste *claudus, quo modo aiunt, pilam retinere:*] claudus pilae tantum retinendae aptus est: similiter Piso tantum illud, quod audierat, uoluptatem esse summum bonum, obseruauit, ac mente retinuit. Disertvm] qui plane loqueretur: ideo distinguere necesse non esse. Et *tamen dictum opinor,*] carere locus uitio mihi non uidetur. idem fortasse alij sentient: sed, si legatur, Et tandem dictum opinor: Lapsu facili, & usitato propter similitudinem litterarum, eluetur, puto, si qua labes, macula ue insedit. Libri quidam ueteres, Est tamen dicit, ut opinor. quod non satis placet. Vt *poetam.*] figmentis aptum potius, quam ueritati. Omnes *libidines,*] nominari a Pediano eius poemata, iam dixi.

ORATIO

Nimis magna poena te consule constituta est siue malo poetae, siue libero. Scripsisti enim, Cedant arma togae. Quid tum? Haec res tibi fluctus illos excitauit. At hoc nusquam opinor scriptum fuisse in illo elogio, quod te consule in sepulcro reip. incisum est, Velitis, iubeatis, ut, quod M. Cicero uersum fecerit, sed quod uin dicarit.

dicarit. verumtamen, quoniam te non Aristarchum, sed Phalarim grammaticum habemus, qui non notam apponas ad malum versum, sed poetam armis persequare; scire cupio, quid tandem isto in versu reprehendas. Cedant arma togae. Tuae dicis inquit, togae summum imperatorem esse cessurum. Quid nunc te, asine, litteras doceam? non opus est verbis sed fustibus. non dixi hanc togam, qua sum amictus nec arma, scutum, & gladium vnius imperatoris: sed, quod pacis est insigne, & otij toga, contra autem arma tumultus, atque belli; more poetarũ locutus, hoc intelligi volui, bellum, ac tumultum paci atque otio concessurum. quaere ex familiari tuo, Graeco illo poeta: probabit genus ipsum, & agnoscet; neque te nihil sapere mirabitur. At in altero illo inquit, haeres; Cõcedat laurea laudi. Immo mehercule habeo tibi gratiã. haererem enim, nisi tu me exspediisses. nam, cum tu timidus ac tremens tuis ipse furacissimis manibus detractam e cruentis fascibus lauream ad portam Esquilinã abiecisti: iudicasti non modo amplissimae sed etiam minimae laudi lauream concessisse. atque ista ratione hoc tamen intelligi, sceleratae vis Pompeium inimicum mihi isto versu esse factum; vt, si versus mihi nocuerit, ab eo, quem is versus offenderit, videatur mihi pernicies esse quaesita. omitto, nihil istum versum pertinuisse ad illum; non fuisse meum, quem, quantum potuissem, multis saepe orationibus, scriptisq. decorassem, hunc vno violare versu. sed sit offensus primo: non ne compensabit cum vno versiculo tot mea volumina laudum suarum? quod si est commotus; ad perniciem non dicam amicissimi, non ita de sua laude meriti: non ita de rep. non consularis, nõ senatoris, non ciuis, non liberi, in hominis caput ille tam crudelis propter versum fuisset? tu quidem, tu apud quos, de quo dicas, intelligis? complecteris amplissimos viros ad tuum & Gabinij scelus: neque id occulte: nam paullo ante dixisti, me cum iis confligere, quos despicerem; non attingere eos, qui plus possent, quibus iratus esse deberẽ. quorum quidem (quis enim non intelligit, quos dicas?) quamquam non est vna caussa omnium. tamen est omnium mihi probata. me Cn. Pompeius, multis obsistentibus eius erga me studio, atque amori, semper dilexit semper sua coniunctione dignissimum iudicauit, semper non modo incolumem, sed etiam amplissimum, atque ornatissimum voluit esse. vestrae fraudes, vestrum scelus, vestrae criminationes insidiarum mearum illius periculorum, nefarie fictae, simul eorum, qui, familiaritatis licentia, suorum improbissimorum sermonum domicilium in auribus eius impulsu vestro collocauerunt, vestrae cupiditates prouinciarum effecerunt, vt ego excluderer, omnesque, qui me, qui illius gloriam, qui remp. saluam esse cupiebant, sermone, atque aditu prohiberentur. quibus rebus est perfectum, vt illi plane suo stare iudicio non liceret; cum certi homines nõ studium eius a me alienassent, sed auxilium retardassent. Non ne ad te L. Lentulus, qui tum erat praetor, non Q. Sanga, non L. Torquatus pater, non M. Lucullus venit? qui omnes ad eum multique mortales, oratum in Albanum obsecratumq. venerant, ne meas fortunas desereret cum reip. salute coniunctas. quos ille ad te, & ad tuum collegam remisit, vt caussam publicam susciperetis, vt ad senatum referretis; se contra armatum tribunum pl. sine consilio publico decertare nolle: consulibus ex S.C. remp. desẽdentibus, se arma susceperum. Ecquid infelix recordaris, quid responderis? in quo illi omnes quidem, sed Torquatus praetor ceteros furebat contumacia responsi tui: te non esse tam fortem, quam ipse Torquatus in consulatu fuisset, aut ego. nihil opus esse armis, nihil contentione; me posse iterum remp. seruare, si cessissem: infinitam caedem fore, si restitissem. deinde ad extremum, neq; se, neque generum, neque collegam suum tribuno pl. defuturum.

EXPLANATIO

ILLOS *fluctus*] exsulij calamitatem. IN *illo elogio,*] in lege Clodia scriptum erat, Velitis, iubeatis, vt M. Tullio aqua & igni interdicatur: non, Vt, quod M. Cicero versum fecerit. Subauditur, aqua, & igni interdicatur. IN *sepulcro reip.*] in lege Clodia, sepulcro reip. INCISVM] in aes leges incidebantur. QVOD *vindicarit.*] hoc verbo vsum esse Clodium in lege, mihi non sit verisimile, sed eum potius dixisse crediderim, Quod ciues Romanos indicta caussa condemnauit. Cicero, ad suam laudem, verbo mitiore vsus est. PHALARIM] tyrannum Arigentinum, eruditum. NON *notam apponas aduersum,*] vt Aristarchus. ARMIS *persequare;*] tamquam Phalaris, insigni saeuitia. Inepte nonnulli ex hoc loco Phalarim grammaticum putant fuisse: cum de tyranno Cicero acceperit, & Pisonem similiorẽ eius in notandis malis uersibus, quam Aristarchi, dicat fuisse. SVMMVM *imperatorem.*] C. Caesarem. IN *nominis caput*] non dicam, ad perniciem amicissimi: non eius qui & de ipso, & de rep. ita meritus esset; non, consularis; non, senatoris, non, ciuis; non, liberi; sed omnino in hominis caput ille tam crudelis propter versum fuisset? NON *est vna caussa omnium,*] de viris amplissimis loquitur, & Pompeij caussam a ceterorum caussa distinguit. INSIDIARVM *mearum,*] cum insidiari me Pompeio diceretis. EXCLVDERER,] sermone eius, atque aditu prohiberer. CERTI *homines*] fictis sermonibus. pro Domo: Hanc nostram coniunctionem, hanc conspirationem in rep. bene gerenda, hanc iucundissimam vitae, atque officiorum omnium societatem certi homines fictis sermonibus, & falsis criminibus diremerunt: cum ijdem illum, ut me metueret, me caueret, monerent; ijdem apud me, mihi illũ esse vni inimicissimum, diceret. Idem pro Sextio. L. LENTVLVS,] qui belli ciuilis anno primo consul fuit. Q. SANGA,] Fabiae gentis. CONSVLIEVS *Ex S.C. remp. defendentibus, se arma susceperum.*] pro Sextio: Sed tamen & Crassus a consulibus meam caussam susciendam esse dicebat: & eorum fidem Pompeius implorabat, neque se priuatum caussae publicae susceptae defuturum esse dicebat. GENERVM,] C. Caesarem.

Landesbibliothek Oldenburg

ORATIO

HIc tu, hostis, ac proditor, alijs me inimiciorem, quam tibi, debere esse dicis? ego C. Caesarem non eadem de rep. sensisse, quae me, scio: sed tamen, quod iam de eo, his audientibus, saepe dixi, me ille sui totius consulatus, eorumq. honorum, quos cum proximis communicauit, socium esse voluit, detulit, inuitauit, rogauit. non sum ego propter nimiam fortasse cōstantiae cupiditatem adductus ad caussam: non postulabam, vt ei carissimus essem, cuius ego beneficijs quidem sententiam meam transdidissem. adducta res in certamen te consule putabatur, vtrum, quae superiore anno ille gessisset, manerent, an rescinderentur. quid loquar plura? si tantum ille in me esse uno roboris & virtutis putauit, ut ea, quae ipse gesserat, concideren, si ego restitissem: cur non ignoscam, si anteposuit suam salutem meae? sed praeterita omitto. me vt Cn. Pompeius omnibus suis studijs, laboribus, uitae periculis complexus est, cum municipia pro me adiret, Italiae fidē implor aret, P. Lentullo consuli, auctori salutis meae, frequens assideret, senatui sententiam praestaret, in concionibus non modo se defensorem salutis meae, sed etiam supplicem pro me profiteretur: huius voluntatis eum, quē multum posse intelligebat, mihi non inimicum esse cognorat, socium sibi, & adiutorem C. Caesarem adiunxit. Iam uides me tibi non inimicum, sed hostem illis, quos describis, non modo non iratum, sed etiam amicum esse debere, quorum alter id quod meminero semper, aeque mihi fuit amicus, ac sibi: alter, id quod obliuiscar ali quando si sibi amicior, quam mihi. deinde hoc ita fit, ut uiri fortes, etiam si fero inter se comminus decertarint, tamen illud contentionis odium simul cum ipsa pugna, armisq. ponant. atque me ille odisse numquam potuit, ne tu quidem, cum dissidebamus, habet hoc virtus, quam tu ne de facie quidem nosti, vt viros fortes species eius, & pulchritudo etiam in hoste posita delectet. Equidem dicam ex animo, P. C. quod sentio, & quod uobis audiētibus saepe iam dixi. si mihi numquam amicus C. Caesar fuisset, sed semper iratus; si aspernaretur amicitiam meam, seq. mihi implacabilem explicabilemq. praeberet, tamē ei, cum tantas res gessisset, gereretq. quotidie, nō amicus esse non possem: cuius ego imperio non alpium uallū contra adscensum, transgressionemq. Gallorum, non Rheni fossam, gurgitibus illis redundantem, Germanorum immanissimis gentibus obijcio, & oppono: perfecit ille, vt, si montes resedissent, amnes exaruissent, nō naturae praesidio, sed victoria sua, rebus q. gestis Italiam munitā haberemus. sed, cum me expetat, diligat, omni laude dignū putet; tu me a tuis inimicitijs ad simultatem reuocabis? sic tuis sceleribus reip. praeterita facta refricabis? quod quidem tu, qui bene nosses coniunctionem meam, & Caesaris, eludebas, cum a me, trementibus omnino labris, sed tamen, cur tibi nomen non deferrem, requirebas, „ quamquam, quod ad me attinet, Numquam istam im „ minuam curam infitiando tibi: tamen est mihi considerandum, quantum illi, tantis reip. negotijs, tantoq. bello impedito, ego, homo amicissimus, solicitudinis, atque oneris imponam. nec despero tamen, quamquam languet iuuentus, nec perinde, atque debeat, in laudis, & gloriae cupiditate uersatur, futuros aliquos, qui obiectum hoc cadauer consularibus spolijs nudare non nolint, praesertim tam afflicto, tam infirmo, tam eneruato reo; qui te ita gesseris, vt timeres, ne indignus beneficio uideretis, nisi eius, a quo missus eras, simillimus exstitisses.

EXPLANATIO

CVM *proximis*] cum ipso Pisone socero, & Pompeio genero. de Prouincijs: Me ille, vt quinqueuiratum acciperem, rogauit: me in tribus sibi coniunctissimis consularibus esse voluit. PROPTER *nimiam fortasse constantiae cupiditaetm*] ne viderer ab optimatum caussa desciscere. AD *caussam*:] Caesaris. NON *postulabam*,] re vera mihi non placebat, vt ideo carissimus essem Caesari, quia, beneficijs acceptis, quae ille mihi deferebat. sententiam ei meam tradidissem. RESCINDERENTVR.] a praetoribus & a senatu. propterea tribunum popularem a se alienare nolebant. pro Sextio pro Domo. RESTITISSEM,] eius actis. SI. ANTEPOSVIT *suam salutem meae?*] si me pelli patria maluit, quam acta sua rescindi. SIBI *amicior quam mihi*.] cum ei propiora sua pericula essent, quam mea. pro Sextio. REFRICABIS?] renouabis ea, quibus a me Caesar, licet iratus mihi non esset, alienior tamen esse visus est? QVI *bene nosses coniunctionem meam, & Caesaris*,] qui scires, me, propter Caesaris amicitiam, numquam tibi, eius socero. nomen esse delaturum. ELVDEBAS,] serio non agebas, qui scires, me tibi propter Caesarem parcere. TREMENTIBVS *labris*] cum id requirebas inuitus, damnationis metu, conscius scelerum tuorum infra: Neminem inuitus inuitabis. QVOD *ad me attinet*,] ista cura te non libero: verumtamen est mihi considerandum, ne qua Caesarem sollicitudine afficiam ne quod ei molestiae onus imponam, praesertim amicissimus, summis reip. negotijs impedito. NVMQVAM *istam imminuam curam infitiando tibi:*] senarius Accij poetae in Atreo, quem imitatus est Cicero post Red. in sen. Numquam, inquit, infitiando, suspicionem hominum, curamq. minuerunt. LANGVET] desidiae dedita, non ad eam gloriam propensa, quae ciuium accusationibus improborum quaeri solebat. CONSVLARIBVS *spolijs*] consulari dignitate, exponendis apud iudices flagitijs eius, ac sceleribus, NON *nolint*,] quasi dedignentur: cum parua laus ex afflicto, infirmo, eneruato reo exspectetur. BENEFICIO] prouincia a Clodio accepta.

Landesbibliothek Oldenburg

ORATIO

AN vero tu parum putas inuestigatas esse a nobis labes imperij tui, stragesq. prouinciae? quas quidē nos, non vestigijs odorantes ingressus tuos, sed totis volutationibus corporis, & cubilibus persecuti sumus. Notata a nobis sunt & prima illa scelera in aduentu, cum, accepta pecunia a Dyrrhachinis ob necem hospitis tui Platoris, eius ipsius domum euertisti, cuius sanguinem addixeras; eumque, seruis symphoniacis, & alijs muneribus acceptis, timentem, & multum dubitantem confirmasti, & Thessalonicam fide tua venire iussisti. quem ne maiorum quidem more supplicio affecisti, cum miser ille securibus hospitis sui ceruices subijcere gestiret: sed ei medico, quem tecum eduxeras, imperasti, vt uenas hominis incideret, cum quidem tibi etiam accessio fuit ad necem Platoris Pleuratus, eius comes, quem necasti verberibus, summa senectute confectum. Idemq. tu Rabocentum, Bessicae gentis principem, cum te trecentis talentis regi Coto vendidisses, securi percussisti; cum ille ad te legatus in castra venisset, & tibi magna praesidia, & auxilia a Bessis peditum equitumq. polliceretur: neque eum solum, sed etiam ceteros legatos, qui simul venerant: quorū omnium capita regi Cotto vendidisti. Denseletis, quae natio semper obediens huic imperio, etiam in illa omnium barbarorum defectione Macedonia C. Sextium praetorem tutata est, nefarium bellū, & crudele intulisti: eisq. cum fidelissimis socijs vti posses, hostibus vti acerrimis malusti. ita perpetuos defensores Macedoniae, vxores, ac perditores effecisti. vectigalia nostra perturbarunt; vrbes ceperunt; vastarunt agros; socios nostros in seruitutem abduxerunt; familias arripuerunt; pecus abegerūt; Thessalonicenses, cum opido desperassent, munire arcem coegerunt. A te Iouis Velsuri fanum antiquissimum barbarorum, sanctissimumq. direptū est. Tua scelera dij immortales in nostros milites expiauerunt. qui cum vno genere morbi affligerentur; neque se recreare quisquam posset, qui semel incidisset: dubitabat nemo, quin violati hospites, legati necati, & pacati atque socij nefario bello lacessiti, fana vexata hanc tantam efficerent vastitatem.

EXPLANATIO

PLATORIS,] de Haruſp. reſp. Quis Platorem ex Oreſtide, quae pars Macedoniae libera eſt, hominem in illis locis clarum ac nobilem, legatum Theſſalonicam ad noſtrum, vt ipſe appellat, imperatorem veniſſe neſcit? quem ille propter pecuniam, quam ab eo extorquere non poterat in vincula coniecit, & medicum intromiſit ſuum, qui legato, ſocio, amico, libero foediſſime & crudeliſſime venas incideret. EVERTISTI,] malim, Euertiſti. ut ad rapinas Piſonis referatur, de quibus hic ſermo eſt. ADDIXERAS;] Dyrrhachinis, ab iis accepta pecunia. REGI. COTO] Coto a Cotus, vel Coty a Cotys. nam ita regum Thraciae Cotys nomen eſt, vt Arſaces Perſarum, Ptolemaus Aegyptiorum. nominatur a Caeſare, Liuio, alijs. DENSELETIS,] Thraciae populis. VIOLATI *hoſpites*,] Plator. LEGATI *necati*,] Rabocentus. SOCII] Denſelatae FANA] fanum Iouis Velſuri. H-S CENTIES, *& octogies*, [quingenta quadraginta ſcutatorum millia.

ORATIO

COGNOSCIS *ex particula parua scelerum, & crudelitatis tuae genus vniuersum. Quid anaritiae, quae criminibus infinitis implicata est, summum nunc explicem? generatim ea, quae maxime nota sunt; dicam. Non ne sestertium centies, & octogies, quod, quasi vasarij nomine, in venditione mei capitis adscripseras, ex aerario tibi attributum, Romae in qua estu reliquisti? Non ne, cum CC talenta tibi Apolloniatae Romae dedissent, ne pecunias creditas soluerent, vltro Fusidium, equitem Rom. hominem ornatissimum, creditorem debitoribus suis addixisti? Non ne, hiberna cum legato, praefectoque transdidisses, euertisti miseras funditus ciuitates? quae non solum bonis sunt exhaustae, sed etiam nefarias libidinum contumelias, turpitudinesque subierunt. Qui modus tibi fuit frumenti aestimandi? qui honorarij? siquidem potest, vi, & metu extortum, honorarium nominari. quod cum peraque omnes, tum acerbissime Boetij, & Byzantij, Cherronenses, Thessalonica sensit. vnus tu dominus, unus aestimator, vnus venditor tota in prouincia per triennium frumenti omnis fuisti. Quid ego rerum quaestiones, reorum pactiones, redemptiones, acerbissimas damnationes, libidinosissimas liberationes proferam? tantum locum aliquē cum mihi notum senseris, tecum ipse licebit, quod in eo genere, & quanta sint crimina, recordere. Quid? illam armorum officinam ecquid recordaris? cum, omni totius prouinciae pecore compulso, pellium nomine omnē quaestum illum domesticum, paternumque renouasti? videras enim grandis iam puer, bello Italico repleri quaestu vestram domum, cum pater armis faciendis tuus praefuisset. Quid? vectigalem prouinciam, singulis rebus, quaecumque venirent, certo portorio impositio, seruis tuis publicanis a te factam esse meministi? Quid? centuriatus palam venditos? Quid? per tuum seruulum ordines assignatos? Quid? stipendium militibus per omnes annos a ciuitatibus, mensis palam propositis, esse numeratum? Quid illa in pontum profectio, & conatus tuus? quid debilitatio, atque abiectio animi tui, Macedonia praetoria nunciata, cum tu, non solum quod tibi succederetur, sed quod Gabinio non succederetur, exsanguis, & mortuus concidisti? Quid quaestor aedilicius reiectus praepositus legatorum tuorum turpissimus, optimus*

abs

abs te quisque violatus? tribuni militum non recepti? M. Baebius, vir fortis, interfectus iussu tuo? Quid, quod tu toties, dissidens ac desperans rebus tuis, in sordibus lamentis, luctuq. iacuisti? quod populari illi sacerdoti sexcentos ad bestias amicos sociosq. misisti? Quid, quod cum sustentare vix posses maerorem tuum, doloremque decessionis, Samothraciam te primum; inde Tharsum cum tuis teneris saltatoribus, & cum Antobulo, Athamante, & Timocle, formosis, fratribus contulisti? Quid, cum inde te recipiens, in villa Euchadiae, quae fuit vxor Exegisti, iacuisti maerens aliquot dies, atque inde obsoletus Thessalonicam, omnibus inscientibus, noctuq. venisti? qui cum concursum plorantium, ac tempestatem querellarum ferre non posses, in opidum deuium Beroam perfugisti: quo in oppido cum tibi spe falsa, quod Q. Anchario non esse successurum putares, animos rumor inflasset, quo te modo ad tuam intemperantiam scelerate inuasti? Mitto aurum coronariũ, quod te diutissime torsit, cum modo velles, modo nolles, lex enim generi tui, & decerni, & accipere, vetabat, nisi decreto triumpho. in quo tu, accepta tamen & deuorata pecunia Vtinachorũ, centum talenta exomere non poteras, vocabula tantum pecuniarum, & genera mutabas. Mitto diplomata, tota in prouincia passim data: mitto numerum nauium, summamq. praedae: mitto rationem exacti imperatique frumenti: mitto ereptam libertatem populis, ac singulis, qui erant affecti praemijs nominatim: quorum nihil est, quod non sit lege Iulia, ne fieri liceat, sanctum diligenter. Aetoliam, quae, procula barbaris disiuncta gentibus, in sinu pacis posita, medio fere Graeciae gremio continetur, o poena, o furia sociorum, decedens miseram perdidisti. Arsionam Thracum, Neopactum, vt modo tute indicasti, nobiles vrbes, atq; plenas, fateris ab hostibus esse captas: quibus autem hostibus? nempe ijs, quos tu, Ambraciae sedens, primo tuo aduentu ex opidis Agrinarum, atque Dolopum demigrare, & aras, & focos relinquere coegisti. Hoc tu in exitu, praeclare imperator, cum tibi ad pristinas clades accessio fuisset Aetoliae repentinus interitus, exercitum dimisisti; neque vllam poenam, quae tanto facinori deberetur, non maluisti subire, quam numerum tuorum militum, reliquiasq. cognoscere. Atque, vt duorum Epicureorum similitudinẽ in re militari, imperioq. videatis: Albutius, cum in Sardinia triumphasset, Romae damnatus est: hic, cum similem exitum exspectaret, in Macedonia trophaea posuit; eaque, quae bellicae laudis victoriaeq. omnes gentes insignia, & monumenta esse voluerunt, noster hic praepositus imperator amissorum opidorum, caesarum legionum, prouinciae praesidio, et reliquis militibus orbatae, ad sempiternum dedecus sui generis, & nominis, indicia constituit. Idemque, vt esset quod in basi trophaeorum inscribi, incidiq. posset, Dyrrhachium vt venit decedẽs, obsessus est ab ijs ipsis militibus, quos, paullo ante Torquato respondit, beneficij causa ab se esse dimissos. quibus cum iuratus affirmasset, se, quae deberentur, postero die persoluturum, domum se abdidit: inde nocte intempesta, crepidatus, veste seruili, nauem conscendit, Brundisiumq. vitauit, & vltimas Hadriani maris oras petiuit: cum interim Dyrrhachij milites domum, in quae istum esse arbitrabantur, obsidere coeperunt, &, cum latere hominem putarent, ignes circumdederunt. quo metu commoti Dyrrhachini, profugisse nocte crepidatum imperatorem, indicauerunt illi autem statuam istius persimilem, quam stare celeberrimo in loco voluerat, ne suauissimi hominis memoria moreretur, deturbant, affligunt, comminunt, dissipant. sic odium, quod in ipsum attulerant, id in eius imaginem, ac simulacrum profuderunt.

EXPLANATIO

QVASI *vasarij nomine,*] quasi promissum a vade P. Clodio, si meam illi salutem tradidisses. Vas est, qui vadimonium pro altero promittit. inde vasarium puto cõmuniter ad omnia, quae promitterentur, esse deductum. nec tamen ignoro, aliter ab alijs hunc locum accipi. ADSCRIPSERAS,] pactione cum Clodio facta, vt ipse tibi pro meo capite H-S centies & octogies ex aerario attribueret. CC *talenta*] centum sexaginta scutatorum millia. PRAEFECTO] equitum. HONORARII?] quod a populis honoris caussa dabatur. PER *omnes annos*] per triennium, dum prouinciae praefuisti. CONATVS *tuus?*] vsurpatur hoc verbum de rebus, quae ad exitum non perducuntur. itaque non arbitror Pisonem prouinciae suae finibus egressum esse: quod pluribus verbis Cicero exagitasset, vt de Gabinio in Aegyptum profecto, contra legem Corneliam de maiestate, Iuliam de repetundis. PRAETORIA *nunciata,*] Q. Anchario praetorio, non consulari, decreta. QVAESTOR *aedilicius reiectus,*] quaestorem, cum decederes, prouinciae praeponere noluisti, legatorum tuorum turpissimum praeposuisti. honore autem quaestor legato praestabat: vt in ep. ad Thermum lib. 2. Aedilicium dici miror: cum aedilitas cur. post quaesturam peteretur. NON *recepti?*] non tecum ad vrbem adducti; vt eos in beneficiarijs ad aerarium deferres? POPVLARI *illi sacerdoti*] P. Clodio, qui tamquam sacerdos pro populo sacra facturus, muliebri vestitu stupri caussa penetrauit eo, vbi mulieres pro populi salute, Bonae deae sacra faciebant. infra: Emissus etiã ille auctor tuus prouinciae, cũ stuprum Bonae deae puluinaribus intulisset. Pro Sextio: Consulatus petitio ipsi illi populari sacerdoti cõparabatur. AD *bestias*] cui cum bestijs pugnarent ijs ludis quos aedilis cur. Clodius dedit Marcellino, & Philippo cos. SOCIOS, *stipendiarios q.*] & hic, & in extrema oratione, & in ea pro Balbo, & in Verrem, & alibi, stipendiarij distinguuntur a socijs. nam socij vectigales quidem, stipendiarij tamen non sunt. MISISTI] tamquam damnatos. PLORANTIVM,] ob damna & iniurias a te acceptas. LEX] de repetundis. NISI *decreto triumpho*] in coronas igitur triumphales aurum illud erogabatur. VOCABVLA *mutabas.*] non dicebas, auri coronarij nomine accepta, sed alijs nominibus, tua furta obtegentibus. HOC *tum in exitu,*] actionum tuarum. NEQVE *illam poenam,*] considerandа sententia. ALBVTIVS,] T. Albutius, qui in Sardinia cũ latrunculis re gesta, supplicationẽ a senatu postulauit: ea denegata,

negata, in ipsa prouincia, quasi triumphare est ausus: quo facto, Romae damnatus est. EXSPECTARET,] scelerum, ac fraudum suarum conscius. PRAEPOSTERVS *imperator*,] amisit enim opida, legiones perdidit, & imperator appellatur. FVNESTA *iudicia*,] Funesta, addidi, ex antiquis libris. SVAVISSIMI] ironia. nam acerbissimus prouinciae fuerat.

ORATIO

QVae cum ita sint: non dubito, quin, cum haec, quae excellunt, me nosse uideas, non existimes, mediam illam partem, & turbam flagitiorum tuorum mihi esse inauditam. Nihil est, quod me hortere, nihil est, quod inuites: admoneri me satis est: admonebit autem nemo alius, nisi reip. tempus: quod mihi quidem magis uidetur, quam tu umquam arbitratus es, appropinquare. ecquid uides, ecquid sentis, lege iudiciaria lata, quos posthac iudices simus habituri? non aeque legetur. quisquis uoluerit; nec, quisquis noluerit, non legetur. nulli conjicientur in illum ordinem, nulli eximentur: non ambitio ad gratiam, non iniquitas ad simulationem connitetur. iudices iudicabunt ij, quos lex ipsa, non quos hominum libido, delegerit. quod cum ita sit; mihi crede, neminem inuitus inuitabis: res ipsa & reip. tempus aut me ipsum, quod nolim, aut alium quempiã aut inuitabit, aut dehortabitur. Equidem, ut paullo ante dixi, non eadem supplicia esse in hominibus existimo. quae fortasse plerique damnationes, expulsiones, neces: denique nullã mihi poenam uidetur habere id, quod accidere innocenti, quod forti, quod sapienti, quod bono uiro, & ciui potest. damnatio ista, quae in te flagitatur, obtigit P. Rutilio, quod specimen habuit haec ciuitas innocentiae: maior mihi iudicum, & reip. poena illa uisa est, quam Rutilij. L. Opimius eiectus est e patria, is, qui praetor, & consul maximis remp. periculis liberarat: non in eo, cui facta est iniuria, sed in ijs, qui fecerunt, sceleris, ac conscientiae poena remansit, at contra bis Catilina absolutus: emissus etiam ille auctor tuus prouinciae, cum sinprum Bonae deae puluinaribus intulisset: quis fuit in tanta ciuitate, qui illum incesto liberatum, non eos, qui ita iudicarunt, pari scelere adstrictos arbitraretur? An ego exspectem, dum de te quinque, & septuaginta tabellae diribeãtur? de quo iampridem omnes mortales omnium generum, aetatum, ordinum iudicauerunt. quis enim te aditu, quis ullo honore, quis deinque communi salutatione dignum putet? omnes memoriam consulatus tui facta, mores, faciem denique, ac nomen a rep. detestantur. legati, qui una fuere. alienati. tribuni militum inimici: centuriones, & si qui ex tanto exercitu reliqui milites exsistunt, non dimissis abs te, sed dissipati, te oderunt, tibi pestem exoptant, te exsecrantur: Achaia exhausta, Thessalia uexata, laceratae Athenae, Dyrrhachium & Apollonia exinanita, Ambracia direpta, Parthini & Bullienses illsiu, Epirus excisa, Locri, Phocij, Boeotij exusti: Acarnania, Amphilochia, Perrhebia, Athamanumq. gens uendita. Macedonia condonata barbaris: Aetolia amissa: Dolopes, finitimiq. montani opidis, atque agris exterminati: ciues R. qui in his locis negotiantur, te unum, solum, suum depeculatorem, uexatorem, praedonem, hostem uenisse senserunt. ad horum omnium iudicia tot, atque tanta, domesticum iudicium accessit sententiae damnationis tuae occultus aduentus, furtiuum iter per Italiam, introitus in urbem desertus ab amicis, nullae ad senatum e prouincia litterae, nulla ex trinis aestiuis gratulatio, nulla triumphi mentio: non modo, quid gesseris, sed ne quibus in locis quidem fueris, dicere audes. Ex illo fonte & seminario triumphorum cum arida folia laureae retulisses, cum ea abiecta ad portam reliquisti; tum tu ipse de te, fecisse uideri, prouuncias ti. qui sinihil gesseras dignum honore, ubi exercitus? ubi sumptus? ubi imperium? ubi illa uberrima supplicationibus triumphisq. prouincia? sin autem aliquid sperare uolueras; si cogitaras id, quod imperatoris nomẽ, quod laureati fasces, quod illa trophaea, plena dedecoris, et risus, te commentatum esse declarant: quis te miserior, quis te damnatior, qui neque scribere ad senatum, a te bene remp. esse gestam, neque praesens dicere ausus es? An tu mihi, cui semper ita persuasum fuerit, non euentis, sed factis cuiusque fortunam ponderari; neque in tabellis paucorum iudicum, sed in sententijs omnium ciuium famam nostram, fortunamq. pendere, te indemnatum uideri putas? quem socij, quem foederati, quem liberi populi, quem stipendiarij, quem negotiatores, quem publicani, quem uniuersa ciuitas, quem legati, quem tribuni militares, quem reliqui milites, qui seruata, qui famem, qui mortem effugerunt, omni cruciatu dignissimum putant: cui non apud senatum, non apud ullum ordinem, non apud equites R. non in urbe, non in Italia maximorum scelerum uenia ulla ad ignoscendũ dari possit: qui se ipsum oderit; qui metuat omnes; qui suam causam nemini committere audeat; qui se ipsum condemnet. numquam ego sanguinem expetiui tuum, numquam illud extremũ, quod posset esse improbis, & probis commune, supplicium legis, ac iudicij: sed abiectum, contemptum, despectum a ceteris, a te ipso desperatim, & relictum, circumspectantem omnia, quidquid increpuisset pertimescentem, diffidentem tuis rebus, sine uoce, sine libertate, sine auctoritate, sine ulla specie consulari, horrentem, trementem, adulantem omnibus uidere te uolui; uidi. quare, si tibi euenerit, quod metuis ne accidat: equidem non moleste feram. sin id tardius forte fiet: fruar tamen tua indignitate; nec minus libẽter metuentem uidebo, ne reus fias, quam reum. nec minus laetabor, cũ te semper sordidum, quam si paullisper sordidatum uiderem.

EXPLANATIO

QVOD *me hortere*,] vt tibi nomen deferam. LEGE *iudiciaria lata*,] hoc anno a Pompeio consule vt ex amplissimo censu, ex centurijs, aliter quam antea, lecti iudices, aeque tamen. vt Aurelia lege, ex tribus ordinibus rès iudicarent. NEMINEM *inuitus inuitabis*:] inuitas enim tu me

quidem nunc vt tibi nomen deferam, sed inuitus: in posterum vero, lege Pompeia lata, neminem, vt nunc facis, inuitus inuitabis: ipsa inuitabit resp. Ad hoc verbum, Inuitus pertinet illud, quod supra dictum est, Trementibus omnino labris. quod enim, vt sibi Cicero nomen deferret, trementibus labris Piso requirebat, id videlicet requirebat inuitus. QVOD *nolim*.] propter generum tuum, amicissimum meum. AVT *dehortabitur*.] vt me nunc dehortatur. Non liberat Pisonem culpa: sed propter Caesarem qui remp in Gallia praeclare gerebat, ita, inquit, homines abstinebunt ab accusando, vt ego nunc abstineo P. RVTILIO] quem equites iudices de repetundis damnarunt, odio incensi, quod Q. Mucij quaestor in Asia cum esset, prouinciam ab iniurijs publicanorum defenderat. Asconius, Cicero in Bruto. ET *praetor, & consul*.] praetor Fregellas ceperat: consul C. Gracchum tribunicium, & M. Fuluium Flaccum consularem, ac triumphalem, optimatibus infensos, oppressit. quo postea equites eum, C. Gracchi lege iudicantes, condemnarunt; cum antea populus eum, a Q. Decio tribuno pl. accusatum, defendente eloquentissimo homine C. Papirio consule absoluisset. propterea dicit illa pro Sextio: Vnus in hac ciuitate praeclare vir de rep. meritus, L. Opimius indignissime concipit atque hunc tamen flagrantem inuidia propter interitum C. Gracchi, semper ipse populus Romanus periculo liberauit: alia quaedam ciuem egregium iniqui iudicij procella peruertit. BIS *Catilina absolutus*:] de incestu, & de repetundis. Cicero ad Att. lib. 1 Bis absolutum esse Lentulum, bis Catilinam. Et in hac oratione in ea de Harusp. resp. in ea pro Cornelio, ibiq. Asconius. EMISSVS] absolutus AVCTOR *tuus prouinciae*,] P. Clodius, a quo prouinciam accepisti. QVINQVE, *septuaginta tabellae*] iudicum. tot enim fuisse, certo cuiusque ordinis numero, locus hic perspicue docet. DIRIBEANTVR?] distribuantur, vt supra: Vos rogatores, vos diribitores, vos custodes fuisse tabularum. Et Post Red. in sen. Nos, Diribeantur. ex ingenio reposuimus: cum antea legeretur, Diripiantur. VNVM, *solum*,] plus videtur esse solus quam vnus; itaque saepe coniunguntur: quod etiam diximus in ea pro Sextio. AD *portam*] Esquilinam. supra. FECISSE *videri*,] verba condemnantium iudicum. non enim, cum reum damnabant, fecisse dicebant, sed fecisse videri. diximus in Verrem. SI *cogitaras*.] de triumpho. ILLA *trophea*,] in Macedonia a te constituta. supra. COMMVNE,] multi enim probi iniquo iudicio damnati, vt Rutilius, Opimius, alij. ADVLANTEM *omnes*] sic antiquus liber: & Fronto Ciceronem hoc verbo cum accusandi casu vsum esse docet. VIDERE *te volui; vidi*.] & vim habet, & elegantiam verbi repetitio. EVENERIT,] vt aliquis te accuset. QVOD *metuis ne accidat*:] quamquam a me vt tibi nomen deferrem requisieris, quod tamen fecisti trementibus labris: vt appareret, quod a me requirebas, id te metuere accideret. Huc & illud pertinet: Neminem inuitus inuitabis. FORTE] praeter meam, & aliorum opinionem. TVA *indignitate*;] cum te sine vlla dignitate, eum scilicet, qui nunc es, videbo. SEMPER *sordium*,] in summa semper indignitate, metuenteu ne reus fias. SORDIDATVM] in iudicio.



IN ORATIONEM CICERONIS PRO T. ANNIO MILONE PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS

ARGVMENTVM

ETsi Pedianus argumentum huius orationis copiose narrat: tamen, ut meas partes quodam modo expleam, pauca quædam dicam, quæ, uel si Pedianus non legatur, sufficere uideantur. Caso P. Clodio III. kal. Febr in Appia uia apud Bouillas a Milone, eiusq. seruis, accusatus est Milo noua Pompeii lege de ui a duobus Ap. Clodii, C. Clodii, Publii fratris, filii, a M. Antonio, P. Valerio Nepote. respondit his unus Cicero, non ea, qua solitus erat, constantia. Clodianorum clamore deterritus. excepta est eius oratio, quæ hodie non exstat. scripsit uero hanc ita diligenter, ut Pedianus iure primam putet, Quinctilianus pulcherrimam, & nobilissimam appellet. Acta caussa est Pompeio tertium consule, extra ordinem noua Pompeii lege: quod Cicero multis uerbis conqueritur. Quæsitor fuit, non prætor de more, sed cōsuleris L. Domitius Ahenobarbus, suffragiis populi creatus: ut in lege Pompeii scriptum erat. iudices Pompeius ipse claros uiros, & sanctos, e singulis ordinibus proposuit, quos trecentos fuisse, Velleius lib. 2. & Coelius in ep. ad Cic. docet. eorum nominibus in pilas conie ctis, facta a Domitio quæsitore sortitio est unius & octoginta: sed, peracta utrinque caussa, cum accusator, & reus quinos ex singulis ordinibus reiecissent, unus tantum & quinquaginta, ideſt senatores XIIX. equites XVII. tribuni ærarii XVI. sententias tulerunt. Status caussæ coniecturalis est. factum enim Cicero non inficiabatur, sed iure factū dicebat: quoniam quidem Milo, insidiis Clodii appetitus, uim ui repulisset. atque hoc quaeritur in caussa. dānatus tamen est; nō quod cædes Clodii iudicibus ac bonis omnibus, utpote reip. salutaris, in primis grata non esset; uerum, quia, Clodio sublato, Milonis quoque non tam audaciam auerti a rep. utile uisum est.

M. TVLLII. CICERONIS

PRO. T. ANNIO. MILONE

ORATIO. XXXIIX.

ETsi vereor, iudices, ne turpe sit, pro fortissimo viro dicere incipientem, timere; minimeque deceat, cum T. Annius Milo ipse magis de reip. salute, quam de sua perturbetur, me ad eius caussam parem animi magnitudinem afferre non posse: tamen haec noui iudicii noua forma terret oculos: qui, quocumque inciderint, veterem consuetudinem fori, & pristinum morem iudiciorum requirunt. non enim corona consessus vester cinctus est, vt solebat; non vsitata frequentia stipati sumus. nã illa praesidia, quae pro templis omnibus cernitis, etsi contra vim collocata sunt, non afferunt tamen oratori aliquid, vt in foro, & in iudicio, quamquam praesidijs salutaribus, & necessariis saepti sumus, tamen ne non timere quidem sine aliquo timore possimus. quae si opposita Miloni putarem, cederem tempori, iudices, nec inter tantam vim armorum existimarem oratori locum esse. sed me recreat, & reficit Cn. Pompeii, sapientissimi, & iustissimi viri consilium: qui profecto nec iustitiae suae putaret esse, quem reum sententiis iudicum transdidisset, eundem telis militum dedere; nec sapientiae, temeritatẽ concitatae multitudinis auctoritate publica armare. quamobrem illa arma, centuriones, cohortes non periculum nobis, sed praesidium denunciant; neque solum vt quieto, sed etiam vt magno animo simus, hortantur; neque auxilium modo defensioni meae, verum etiam silentium pollicentur. reliqua vero multitudo, quae quidem est ciuium, tota nostra est: neque eorum quisquam, quos vndique intuentes ex hoc ipso loco cernitis, vnde aliqua pars fori adspici potest, & huius exitum iudicii exspectantes, non cum virtuti Milonis fauet, tum de se, de liberis suis, de patria, de fortunis hodierno die decertari putat. Vnum genus est aduersum, infestumq. nobis, eorum, quos P. Clodii furor rapinis, & incendiis, & omnibus exitiis publicis pauit: qui hesterna etiam concione incitati sunt, vt vobis voce praeirent, quid iudicaretis. quorum clamor, si quis forte fuerit, admonere vos debebit, vt eum ciuem retineatis, qui semper genus illud hominum, clamoresq. maximos pro vestra salute neglexit. Quamobrem adeste animis, iudices, & timorem, si quem habetis, deponite. nam, si vmquam de bonis, & fortibus viris, si vmquam de bene meritis ciuibus potestas vobis iudicandi fuit; si denique umquam locus amplissimorum ordinum delectis viris datus est, vbi sua studia erga fortes, & bonos ciues, quae vultu, & verbis saepe significassent, re, & sententiis declararent: hoc profecto tempore eam potestatem omnem vos habetis, vt statuatis, vtrum nos, qui semper vestrae auctoritati dediti fuimus, semper miseri lugeamus; an, diu vexati a perditissimis ciuibus, aliquando per vos, ac vestram fidem, virtutem, sapientiamq. recreemur. quid enim nobis duobus, iudices, laboriosius? quid magis sollicitum, magis exercitum dici, aut singi potest? qui spe amplissimorum praemiorũ ad remp. adducti, metu crudelissimorum exitiorum carere non possumus. & quidem ceteras tempestates, & procellas in illis dumtaxat fluctibus concionum semper putaui Miloni esse subeundas, quod semper pro bonis cõtra improbos senserat: in iudicio vero, & in eo consilio, in quo ex cunctis ordinibus amplissimi viri iudicarent, numquam existimaui spem vllam esse habituros Milonis inimicos ad eius nõ salutem modo exstinguendam, sed etiam gloriam pertales viros infringendam. quamquam in hac caussa, iudices, T. Annii tribunatu, rebus omnibus pro salute reip. gestis, ad huius criminis defensionem nõ abutemur, nisi oculis videritis insidias Miloni a Clodio factas: nec deprecaturi sumus, vt crimẽ hoc nobis multa propter praeclara in remp. merita condonetis; nec postulaturi, vt, si mors P. Clodii salus nostra fuerit, ideireo eam virtuti Milonis potius, quam populi R. felicitati assignetis: sed, si illius insidiae clariores hac luce fuerint, tum denique obsecrabo, obtestaborq. vos, iudices, si cetera amisimus, hoc saltem nobis vt relinquatur, ab inimicorum audacia, telisq. vitam vt impune liceat defendere. sed, antequam ad eam orationem venio, quae est propria nostrae quaestionis, videntur ea esse refutanda, quae in senatu saepe ab inimicis, ab improbis saepe iactata sunt, & in concione etiam paullo ante ab accusatoribus: vt, omni errore sublato, rem plane, quae venit in iudicium, videre possitis.

EXPLANATIO

TEtsi vereor.] prooemia ducuntur interdum ex tempore, vt pro Coelio: ex loco, vt pro Deiotaro: ex habitu vt hic. Quinctilianus lib. IV. cap. 10. Ne turpe sit.] nõ dixit, Etsi turpe est, sed, Etsi vereor, ne turpe sit: ne se ipse prorsus accuset, quia timuerit in defensione Milonis. pudore enim quodam timoris sui, quia, cum ageret Milonis caussam, nõ, ea, qua solitus erat, cõstantia dixerat, a timoris caussa, cũ haec postea scriberet, exordiendũ putauit. in quo principio expedit illa nosse, & cõsiderare quae lib. XI. c. 3. Quinctilianus tradidit. Proponamus inquit, nobis illud Ciceronis ĩ oratione nobilissima p Milone

lone principiū, non ne ad singulas poenae distinctiones, quā vis in eadē facie, tamē quasi vultus mutandus est? Etsi vereor, iudices, ne turpe sit, pro fortissimo viro dicere incipientē timere. Etiā si est toto proposito cōtractū, atque summissum quia & exordiū est, & solliciti exordium: tamen fuerit necesse est aliquid plenius, & erectius dum dicit, Pro fortissimo viro, quā cū, Etsi vereor: &, Turpe sit: &, Timere. Ia secūda respiratio increscat, oportet, & naturali quodā conatu, quo minus paulo ipse magis de reip. salute, quā de sua, perturbetur. Deīde, quasi obiurgatio sui est, Me ad eius caussam parē animi magnitudinē afferre nō posse. Tū inuidiosiora. Tamē haec noui iudicij noua forma terret oculos. Illa vero iam poene apertis, vt aiunt, tibijs, Qui quocumque inciderint, veterē consuetudinē fori, & pristinū morē iudiciorū requirunt. Nam sequens latū etiam, atque fusum est: Non enim corona consessus vester cinctus est, vt solebat. ILLA *praesidia*,] a Pompeio contra vim plebis infimae, cupientis vlcisci necem Clodij, collocata. Quod ad deteriorē partē trahit, quasi dominantibus armis, inimicus Pompeij Caesar lib. III. bel. ci. Non nullos, inquit, ambitus lege Pompeia damnatos, illis temporibus, quibus in vrbe praesidia legionū Pompeius habuerat, in integrū restituit. NON *afferunt tamen oratori aliquid*,] non tamen efficiunt, vt orator non timeat, etiam si, cur timere debeat, non sit. SALVTARIBVS, *& necessarijs*] hoc ad excusationē Pompeij, & ad iudices metu liberandos, vt ait Quinctilianus. NE *non timere quidem*] sunt qui, Ne auferant, aberrantes a sententia. hoc enim dicit. Illa praesidia non modo oratori animos non addunt, sed non afferunt, vt ne timere quidē nō possit, sine timore tamen aliquo, ideſt, licet optime sciat, sibi timendū non esse: cū illa praesidia ad tollendū timorem, arcendamq. vim posita sint. OPPOSITA *Miloni*] dissimulat orator, ne Pompeium offendat. nam reuera, etsi multo magis a Clodianis, non nihil tamen & a Milone Pompeius timebat. VT *magno animo simus, hortantur*;] cur igitur timet? quia noui iudicij noua forma terret oculos. QVAE *quidem est ciuium*,] nam inter Clodianos & serui erant. VIRTVTI *Milonis fauet*,] Milonem absolutum propter illius virtutem exoptat. DE *se, de liberis suis*,] quibus viuo Clodio, multae calamitates impendebant, HESTERNA *etiam concione*] quotidie concionabantur contra Milonem, & eos, qui caussam illius tuebantur, tres tribuni pl. T. Munatius, Q. Pompeius C. Sallustius. VT *vobis voce praeirent, quid iudicaretis*.] infra: Vt intelligatis, contra hesternam concionem illam, licere vobis, quod sentiatis, iudicare. VTRVM *nos*,] ego, & Milo: ego, patria, quam seruaueram, a Clodio eiectus: Milo, qui Clodij furorem saepe a rep. remouit. semper ab eo, dum viueret, vexatus, post mortem autē, nulla sua culpa, reus. CVM *alter veheretur in rheda penulatus*,] audiamus Quinctilianum haec narrantē lib. v. cap. 10 Intuendae sunt, praecipueq. in cōiecturis, & facultates. credibilius est enim, occisos a pluribus pauciores, a firmioribus imbecilliores, a vigilantibus dormientes, a praeparatis nec opinantes. quorū cōtraria in diuersū valent. Haec & in deliberādo intuemur, & in iudicijs ad duas res solemus referre, an voluerit quis, an potuerit nam & voluntatem spes facit. hinc illa apud Ciceronē cōiectura: Insidiatus est Clodius Miloni, non Milo Clodio: ille cū seruis robustis, hic cū mulierū comitatu; ille in equo, hic in rheda; ille expeditus, hic penula irretitus FLVCTIBVS *concionum*] quia populus in concionibus a tribunis pl. facile commouetur vt fluctus. Ex *cunctis ordinibus*] tribus, senatorio, equestri, & ex ipsa plebe. AD *eius non salutem modo exstinguendam, sed etiam gloriam per tales viros infringendam*.] ὁμοιοτέλευτον, exstinguendam, infringendam. quod notauit Quinctilianus lib. IX. cap. 3. VITAM *vt impune liceat defendere*.] quod fecit Milo. vim enim ipse non intulit, sed illatam repulit.

ORATIO

NEgant intueri lucem fas esse ei, qui a se hominem occisum esse fateatur. In qua tandem urbe boc homines stultissimi disputant? nempe in ea, quae primum iudiciū de capite uidit M. Horatij, fortissimi uiri: qui, nondū libera ciuitate, tamen populi R. comitiis liberatus est, cum sua manu sororem interfectam esse fateretur. an est quisquam, qui hoc ignoret, cum de homine occiso quaeratur, aut negari solere omnino esse factum, aut recte, ac iure factum esse defendi? nisi uero existimatis demētem P. Africanum fuisse, qui cum a C. Carbone tribuno pl. in concione seditiose interrogaretur, quid de Ti. Gracchi morte sentiret, respondit, iure caesum uideri. neque enim posset aut Ahala ille Seruilius, aut P. Nasica aut L. Opimius, aut C. Marius, aut me cōsule senatus nō nefarius haberi, si sceleratos ciues interfici nefas esset. itaque hoc, iudices, non sine caussa fictis fabulis doctissimi homines memoriae prodiderunt, eum, qui patris ulciscendi caussa matrem necauisset, uariatis hominum sententiis, nō solū diuina, sed etiam deae sapientissimae sententia liberatum. quod si duodecim tabulae nocturnum furem quoquomodo, diurnum autem, si se telo defenderit interfici impune uoluernnt: quis est, qui, quoquo modo quis interfectus sit, puniendum putet, cum uideat aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipsis porrigi legibus? atqui si tempus est ullum iure hominis necandi, quae multa sunt, certe illud est non modo iustum, uerum etiam necessarium, cum uis illata defenditur. Pudicitiam cum eriperet militi tribunus mil. in exercitu C. Marii propinquus eius imperatoris interfectus ab eo est, cui vim afferebat. facere eni probus adolescens periculose, quam perpeti turpiter, maluit. atque hunc ille vir summus, scelere solutum, periculo liberauit. Insidiatori vero, & latroni quae potest afferri iniusta nex? quid comitatus nostri, quid gladii volunt? quos habere certe non liceret, si vti illis nullo pacto liceret. est enim haec, iudices, non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti,

sed

sed facti, non instituti, sed imbuti sumus; vt, si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, in tela aut latronum, aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendae salutis. silent enim leges inter arma, nec se exspectari iubent, cum ei, qui exspectare velit, ante iniusta poena luenda sit, quã iusta repetenda. etsi persapienter, & quodam modo tacite dat ipsa lex potestatem defendendi: quae non modo hominem occidi, sed esse cum telo hominis occidendi causa vetat: vt, cum causa non telũ quaereretur, qui sui defendendi causa telo esset vsus, non hominis occidendi causa habuisse telum iudicaretur. Qua propter hoc maneat in causa, iudices: non enim dubito, quin probaturus sim vobis defensionem meã, si id memineritis, quod oblitus sci non potestis, insidiatorem iure interfici posse.

EXPLANATIO

NEGANT *intueri fas esse lucem ei, qui a se hominem occisum esse fateatur.*] Fecit ingeniose Cicero, vt, ante quã narrationem aggrederetur, tres quaestiones praeponeret. vnã, nõ semper damnari eũ oportere, qui hominẽ a se occisũ fateretur; cuius quaestionis initiũ est hoc, Negant intueri: alterã, nõ esse, vt aduersarij iactauerant, condemnatũ Milonem praeiudicio senatus; cuius initiũ est, Sequitur illud, quod a Milonis inimicis saepissime dicitur: tertiã, non male sentire de Milonis caussa, nec eius inimicũ esse Cn. Pompeium, quamquã militibus armatis iudiciũ clausisset; cuius initiũ, At enim Cn. Pompeius. Vidit hoc diligens Ciceronis obseruator, & artis rhetoricae magister optimus Quinctilianus, nã lib. iv. cap. 2. Frequentius, inquit, quaeritur, an sit vtique narratio prooemio subijcienda. quod qui opinantur, non possunt videri nulla ratione ducti. nam cum prooemiũ idcirco comparatum sit, vt iudex ad rem recipiendã fiat cõciliatior, docilior, & intentior; & probatio, nisi caussa prius cognita, nõ possit adhiberi: protinus notitia rerum instruendus videtur. sed hoc quoque interdũ mutat condicio caussarũ. nisi forte M. Tullius in oratione pulcherrima, quã pro Milone scriptã reliquit, male distulisse narrationem videtur, tribus praepositis quaestionibus; aut profuisset exponere quo modo insidias Miloni fecisset Clodius, si reum, qui a se hominem occisum fateretur, defendi omnino fas non fuisset; aut, si iam praeiudicatione senatus damnatus esset Milo; aut, si Cn. Pompeius, qui propter aliquam gratiam iudicium militibus armatis clauserat, tamquam aduersus existimaretur. M. HORATII,] Publicum Liuius vocat. POPVLI *Romani comitiis*] curiatis: cum nec centuriata, nec tributa adhuc essent. C. CARBONE] eo, qui postea cõsul, mutata sententia, C. Gracchum, Tiberij fratrem, iure caesum esse dixit. AHALA *ille Seruilius*,] Sp. Melium Seruilius, Ti. Gracchum Nasica, C. Gracchum Opimius, Saturninum, & Glauciam Marius quod perniciosas reip. seditiones concitarent, occiderunt. infrà, ME *consule senatus*,] necatis in carcere quinque sceleratis ciuibus, qui cum Catilina contra patriam coniurauerant. EVM] Orestem PATRIS] Agamemnonis, ab vxore Clytemnestra, & eius adultero Aegistho interfecti. VARIATIS. HOMINVM *sententiis*,] Ariopagitarum: cum alij factum eius probarent, alij vituperarent. quod Minerua discrimẽ sustulit. DEAE. SAPIENTISSIMAE] Mineruae. Iuuenalis sat. 8. Quippe ille deis auctoribus vltor ,, Patris erat caesi media inter pocula. QVOD *si duodecim tabulae*] Quinctilianus lib. v. cap. 14. Et a ratione, inquit, fas est incipere, deinde concludere: vt: Quod si duodecim tabulae nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem, si se telo defenderit, interfici impune voluerunt: quis est, qui quoquo modo quis interfectus sit, puniendum putet? Variat autem hic adhuc, & rursus rationem tertio loco ponit: Cum videat aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ad ipsis porrigi legibus. Prioris autem partis duxit ordinem: Insidiatori autem, & latroni quae potest inferri iniustam ex: Haec intentio: Quid comitatus nostri, quid gladij volunt? Haec ratio: Quos habere certe nõ liceret, si vti illis nullo pacto liceret. PVDICITIAM *cum eriperet*] Quinctilianus lib. v. cap. 2. Quaedam, inquit, ex ijs, quae gesta sunt, tota narrabimus: vt Cicero pro Milone: Pudicitiã cum eriperet militi tribunus mil. iu exercitu C. Marij, propinquus eius imperatoris, ab eo interfectus est, cui vim afferebat. facere enim probus adolescens periculose, quam perpeti turpiter, maluit: atque hunc ille summus vir scelere solutum, periculo liberauit. Quaedam significare satis erit: vt idẽ, ac pro eodem: Neque enim posset aut Ahala ille Seruilius, aut P. Nasica, aut L. Opimius, aut, me consule, senatus non nefarius haberi, si sceleratos interfici nefas esset. Quod ad hanc historiã attinet, vide Plutarchũ in Mario, Valeriũ Max. lib. VI. vt alios omittã. NON *scripta, sed nata lex*.] In Oratore: Haec suapte natura numerosa sunt, etiã si nihil est factũ de industria. in huius concinnitatis insectatione Gorgiã fuisse principẽ accepimus quo de genere illa nostra sunt in Miloniana: Est enim, iudices, haec nõ scripta, sed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus, verũ ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quã nõ docti, sed facti, nõ instituti, sed imbuti sumus; vt, si vita nostra in aliquas insidias, si in tela aut latronũ, aut, inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendae salutis. Quo loco Quinctilianus haec lib. IX. cap. III. Nec semper contrapositum subiungitur, vt in hoc: Est enim haec, iudices, non scripta, sed nata lex: verũ, sicut Cicero dicit, quod de singulis rebus propositis refertur ad singula, vt in eo, quod sequitur: Quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus ex pressimus, SILENT *enim leges inter arma*,] Quinctilianus lib. v. cap. 14. Aliquando, inquit, sufficiunt intentio ac ratio, silent leges inter arma, nec se exspectari iubent, cum ei, qui exspectare velit, ante iniusta poena luenda sit, quã iusta repetenda. ideoq. id enthymema, quod est ex cõsequentibus rationi simile dixerunt. sed & singula quoque interi recte pronuntur, vt ipsũ illud: silẽt leges inter arma,

ORATIO

ORATIO

SEquitur illud, quod a Milonis inimicis saepissime dicitur, caedem, qua P. Clodius occisus est, senatum iudicasse contra remp. esse factã. Illam vero senatus non sententiis suis solum, sed etiam studiis comprobauit. quoties enim est illa causa a nobis acta in senatu? quibus assensionibus vniuersi ordinis? quam nec tacitis, nec occultis? quando enim frequentissimo senatu quattuor, ad summum quinque sunt inuenti, qui Milonis causam non probarent? declarant huius ambusti tribuni pl. illae intermortuae conciones, quibus quotidie meam potentiam inuidiose criminabatur; cum diceret, senatum, non quod sentiret, sed quod ego vellem, decernere. quae quidem si potentia est appellanda potius, quam propter magna in remp. merita mediocris in bonis caussis auctoritas, aut propter officiosos labores meos nonnulla apud bonos gratia, appelletur ita sane, dummodo ea nos vtamur pro salute bonorum contra amentiã perditorum. Hanc vero quaestionem, etsi non est iniqua, numquam tamen senatus constituendam putauit. erant enim leges, erant quaestiones vel de caede, vel de vi; vel tantũ maerorẽ, ac luctum senatui mors P. Clodij afferebat, vt noua quaestio constitueretur. cuius enim senatui de illo incesto stupro iudiciũ decernendi potestas esset erepta, de ius interitu quis potest credere, senatum iudicium nouum constituendum putasse? cur igitur incendium curiae, oppugnationem aedium M. Lepidi, caedem hanc ipsam contra remp. senatus factam esse decreuit? quia nulla vis vmquam est in libera ciuitate suscepta inter ciues non contra remp. non enim est illa defensio contra vim vmquã optanda, sed nonnumquam est necessaria. nisi vero aut ille dies, in quo Ti. Gracchus est caesus, aut ille, quo Caius, aut quo arma Saturnini oppressa sunt, etiã si a rep. remp. tamen non vulnerarunt. itaque ego ipse decreui, cum caedem in Appia factam esse constaret, non eum, qui se defendisset, contra remp. fecisse; sed, cum inesset in re vis, & insidiae, crimẽ iudicio reseruaui, rem notaui. quod si per furiosum illum tribunum senatui, quod sentiebat, perficere licuisset; nouam quaestionem nunc nullam haberemus. decernebat enim, vt veteribus legibus tantummodo extra ordinem quaereretur. diuisa sententia est, postulante nescio quo: nihil enim necesse est omnium flagitia proferre. sic reliqua auctoritas senatus empta intercessione sublata est.

EXPLANATIO

HVIVS *ambusti tribuni pl.*] T. Munatij Planci Bursae, de quo in ep. ad Marium lib. VII. is cum Q. Pompeio collega concionatus est contra Milonem eo tempore, quo propter Clodij corpus curia incensa est; nec prius destitit, quam flamma eius incendij fugatus est e concione. propterea ambustus vocatur. INTERMORTVAE] incendio curiae interruptae quod tamẽ ad quotidianas referri conciones non potest, sed ad eam pertinet, quam Plancus cum haberet, incendio curiae fugatus est. Intermori interdum idem est quod mori, vt in ep. Bithynici lib. VI. Si nullum officium tuum apud me intemoriturum existimas. Interdum est, animo sensibusq deficere, vt, qui non moritur, moriri tamen videatur. vt ex Cicerone, Plinio, Suetonio constat. quam similitudinem habet. Intermortuae conciones. HANC *vero quaestionem*] nouam: de qua Pompeius legem tulerat. DE. VI;] de vi publica, Lutatia; de priuata, Plautia. DE *illo incesto stupro*] cum stuprum Bonae deae puluinaribus Clodius intulit. nota historia. IVDICIVM *decernendi*] nouae quaestionis decernendae. ESSET *erepta*] Sex. Clodio scriba duce plebs corpus P. Clodij in curiam intulit, ibiq. cremauit. quo igne curia quoque ipsa conflagrauit. OPTANDA] ipso enim exemplo reip. nocetur. NON *vulnerarunt.*] plane enim vulnerarunt: licet illos omni poena dignos fuisse nemo neget. CRIMEN *iudicio reseruaui.*] dixi, quaerendum in iudicio, vter vtri insidias fecisset. REM *notaui.*] vim decreui contra remp. esse factam. EVRIOSVM *illum tribunum*] Q. Fufium. EXTRA *ordinem*] ante alias caussas. DIVISA *sententia est,*] decreuit separatim senatus, & vt veteribus legib. quaereretur; cui sententiae tribunus pl. intercessit, & vt extra ordinem; quod Clodianis placuit. RELIQVA *auctoritas*] de veteribus legibus. Auctoritatem vocat, quia S. C. fieri non potuit.

ORATIO

AT enim Cn. Pompeius rogatione sua & de re, & de caussa iudicauit. tulit enim de caede, quae in Appia via facta esset, in qua P. Clodius occisus fuit. quid ergo tulit? nempe, vt quaereretur. quid porro quaerendum est? factam ne sit? at constat. a quo? at patet. vidit etiam, in confessione facti, iuris tamen defensionem sumpsi posse. quod nisi vidisset, posse absolui eum, qui fateretur; cum, videret nos fateri, neque quaeri vmquam inficiasset, nec vobis tam salutarem hanc in iudicando litteram, quam illam tristem, dedisset. mihi vero Cn. Pompeius non modo nihil grauius cõtra Milonem iudicasse, sed etiam statuisse videtur, quid vos in iudicando spectare oporteret. nam, qui non poenam confessioni, sed defensionem dedit, is caussam interitus quaerendam, non interitum, putauit. Iam illud dicet ipse profecto; quod sua sponte fecit, Publio ne Clodio tribuendum putet, an tempori? domi suae nobilissimus vir, senatus propugnator, atque illis quidem temporibus paene patronus, auunculus huius nostri iudicis, fortissimi viri, Catonis, tribunus pl. M. Drusus occisus est, nihil de morte populus

tus consultus, nulla quaestio decreta a senatu est. Quantum luctum in hac vrbe fuisse, a nostris patribus accepimus, cum P. Africano, domi suae quiescenti, illa nocturna vis esset illata? quis tum non gemuit? quis non ursit dolore? quem immortalem, si fieri posset, omnes esse cuperent, eius ne necessariam quidem exspectatam esse mortem? num igitur vlla quaestio de Africani morte lata est? certe nulla. quid ita? quia non alio facinore clari homines, alio obscuri necantur. interest inter vitae dignitatem summorum, atque infimorum: mors quidem illata per scelus iisdem poenis teneatur, & legibus. nisi forte magis erat parricida, si quis consulem patrem, quam si quis humilem necauerit: aut eo mors atrocior erit P. Clodij, quod is in monumentis maiorum suorum sit interfectus. hoc enim saepe ab istis dicitur. perinde quasi Appius ille Caecus viam munierit, nō qua populus veheretur, sed vbi impune sui posteri latrocinarentur. itaque in eadem ista Appia via cum ornatissimum equitem R. M. Papirium occidisset, nō fuit illud facinus puniendū. homo enim nobilis in suis monumentis equitem R. occiderat. nunc eiusdem Appiae nomen quantas tragoedias excitat. quae cruentata antea caede honesti, atque innocentis viri silebatur, eadem nunc crebro vsurpatur, postea quā latronis, & parricidae sanguine imbuta est. Sed, quid ego illa commemoro? comprehensus est in templo Castoris seruus P. Clodij, quem ille ad Cn. Pompeiū interficiendum collocarat. extorta est confitenti sica de manibus, caruit foro post ea Pompeius, caruit senatu, caruit publico: ianua se, ac parietibus, non iure legum, iudiciorumq. texit. num quae rogatio lata, num quae noua quaestio decreta est? atqui, si res si vir si tempus vllum dignum fuit, certe haec in illa causa summa omnia fuerunt. insidiator erat in foro collocatus, atque in vestibulo ipso senatus: ei viro autem mors parabatur, cuius in vita nitebatur salus ciuitatis: eo porro reip. tempore, quo si vnus ille occidisset, non haec solum ciuitas, sed gentes omnes concidissent. nisi forte, quia perfecta res non est, non fuit punienda. perinde quasi exitus rerum, non hominum consilia, legibus vindicentur, minus dolendum fuit re non perfecta, sed puniendum certe nihilo minus. Quoties ipse, iudices, ex P. Clodij telis, & ex cruentis eius manibus effugi? ex quibus si me non mea, vel reip. fortuna seruasset; quis tandem de interitu meo quaestionem tulisset? Sed stulti sumus, qui Drusum, qui Africanum, Pompeium, nosmet ipsos cum P. Clodio conferre audeamus. tolerabilia fuerunt illa: P. Clodii mortē aequo animo nemo ferre potest: luget senatus: maereat equester ordo: tota ciuitas confecta senio est: squalent municipia: afflictantur coloniae: agri denique ipsi tam beneficum, tam salutarem, tam manuductum ciuem desiderant. Non fuit ea causa, iudices, non fuit, cur sibi censeret Pompeius quaestionem ferendā: sed homo sapiens & alta quadam mente praeditus, multa vidit, fuisse sibi illum inimicum, familiarem Milonem: in communi omniū laetitia, si etiā ipse gauderet, timuit, ne videretur infirmior fides reconciliatae gratiae. multa etiā alia vidit, sed illud maxime; quamuis atrociter ipse tulisset, vos tamen fortiter iudicaturos: itaque delegi te florentissimis ordinibus ipsa lumina.

EXPLANATIO

ET *de re, & de caussa*] de re, de vi, contra remp. esse: de caussa, de insidijs a Milone factas esse. SALVTAREM *litteram*] A, quae absoluit. TRISTEM] C, quae condemnat. QVOD *sua sponte fecit.*] vtrogationem de noua qnaestione ferret. AN *tempori?*] tempori tribuit; non C. odio, infra. Homo sapiens, & alta quadam mente praeditus, multa vidit. AVVNCVLVS *Catonis,*] Vticensis postea dicti. M. DRVSVS] eius filius, quem contra C. Gracchum senatus defensorem habuit. OCCISVS *est.*] a nescio quo, belli Socialis initio. Velleius lib. 2. ILLA *nocturna vis*] cuius ad C. Carbonem suspicio pertinuit. IN *monumentis maiorum suorum*] quo maxime putabant aduersarij commoueri iudices posse ideo ait Quinctilianus lib. v. cap. 10. In qua quidque ciuitate quaeratur, interest. moribus enim, & legibus distant. Ad commendationem quoque & inuidiam valet. nam & Aiax apud Ouidium: Ante rates, inquit, agimus caussam, & mecum confertur Vlysses. Et Milonī inter cetera obiectum est quod Clodius in monumentis ab eo maiorū suorum esset occisus. HOMO *sapiens*] hactenus docuit, cur de Clodij nece ferri noua quaestio non debuerit: nunc, ea cur a Pompeio lata sit, caussam affert; vt, cum rem ipsam damnet, hominē tamen excuset. Ad Appiū lib. III. Quo ille animo tulit orationem meam pro Milone, aduersantem interdum actionibus suis? FIDES *reconciliatae gratiae.*] & infra perspicue patet. redierat autē, vt opinor, ob eam caussam, quod alteri filiorū suorū Appius, P. Clodij frater, filiam suam collocarat: vt ad ipsum Appium Ciceronis epistolae declarant. DELEGIT *te florentissimis ordinibus ipsa lumina.*] quod supra dixit, Amplissimorum ordinum delectis viris.

ORATIO

NEque vero, *quod nonnulli dictitant, se creuit in iudicibus legendis amicos meos: neque enim hoc cogitauit vir iustissimus, neque in bonis viris legendis id assequi potuisset, etiam si cupisset. non enim mea gratia familiaritatibus continetur, quae late patere non possunt; propterea, quod consuetudines victus non possunt esse cum multis, sed si quid possumus, ex eo possumus quod resp. nos coniunxit cum multis: ex quibus ille cum optimos viros legeret, idq. maxime ad fidem suam pertinere arbitraretur, non potuit legere non studiosos mei. quod vero te, L. Domiti, huic quaestioni praeesse maxime voluit, nihil quaesiuit aliud, nisi iustitiam, grauitatē humanitatem, fidem: tulit, vt consulatem necesse esset, credo, quod principum munus esse ducebat, resistere & lenitati*

leuitati multitudinis, & perditorum temeritati: ex consularibus te creauit potissimum: dederas enim, quam contemneres populares insanias, iam ab adolescentia documenta maxima. Quamobrem, iudices, vt aliquando ad causam crimenq. veniamus; si neque omnis confessio facti est inusitata; neque de causa quidquam nostra aliter, ac nos vellemus, a senatu iudicatum est, & lator ipse legis, cum esset controuersia nulla facti iuris tamen disceptationem esse voluit; & electi iudices, & isti praepositus quaestioni, qui haec iuste sapienterq. disceptet: reliquum est, iudices, vt nihil iam aliud quaerere debeatis, nisi vter utri insidias fecerit: quod quo facilius argumentis perspicere possitis rem gestam vobis dum breuiter expono, quaeso diligenter attendite.

EXPLANATIO

VT *consularem necesse esset;*] creari suffragijs populi, qui quaestioni praeesset. ET *leuitati multitudinis,*] Clodianos notat. TE *creauit*] non ipse creauit, sed, cum de eo ad populum tulit, creare visus est. QVOD *contemneres populares insanias,*] mendosum nonnullis videtur, Quod, quasi barbare dictum: sed & in vetustioribus libris est, & ita saepe hoc modo vsurpatur a Cicerone, atque ab alijs, vt mendi dubitatio esse nulla possit. exempla collegimus in commentarijs ep. ad Att.

ORATIO

P. CLODIVS *cum statuisset omni scelere in praetura vexare remp. videretq. ita tracta esse comitia anno superiore, vt non multos menses praeturam gerere posset: qui non honoris gradum spectaret, vt ceteri, sed & L. Paullum collegam affingere uellet, singulari virtute ciuē, & annum integrum ad dilacerandam remp. quaereret, subito reliquit annum suum, seq. in annum proximum transtulit, non religione aliqua, sed vt haberet, quod ipse dicebat, ad praeturam gerendam, hoc est ad euertendam remp. plenum annum, atque integrum. occurrebat, mancam, ac debilem praeturam suam futuram consule Milone: cum porro summo consensu populi R. consulem fieri videbat: contulit se ad eius competitores. sed ita, totam vt petitionem ipse solus, etiam inuitis illis, gubernaret, tota vt comitia suis, vt dictitabat, humeris sustineret. cōuocabat tribus: se interponebat: coloniam nouam, delectū perditissimorum scribebat ciuium. quanto ille plura miscebat, tanto hic magis in dies conualescebat. vbi vidit homo ad omne facinus paratissimus fortissimum virum, inimicissimum suum, certissimum consulem idq. intellexit non solum sermonibus, sed etiam suffragijs populi R. saepe esse declaratum: palam agere coepit, & aperte dicere, occidendum Milonem: seruos agrestes, & barbaros, quibus siluas publicas depopulatus erat, Etruriamq. vexarat, ex Appennino deduxerat, quos videbatis. res erat minime obscura: etenim palam dictitabat, consulatum Miloni eripi nō posse, vitam posse. significauit hoc saepe in senatu, dixit in concione. quin etiam Fauonio, fortissimo viro, quaerenti ex eo, qua spe fureret, Milone viuo, respondit, triduo illum, ad summum quatriduo periturum. quam vocem eius ad hunc M. Catonem statim Fauonius detulit. interim, cum sciret Clodius (neq; enim erat difficile scire) iter sollenne, legitimum, necessarium, ante diem III. Kalen. Febr. Miloni esse Lanuuium, ad flaminem prodendum, quod erat dictator Lanuuij Milo: Roma subito ipse profectus pridie est, vt ante suum fundum, quod re intellectum est, Miloni insidias collocaret: atque ita profectus est, vt concionem turbulentā, in qua eius furor desideratus est, quae illo ipso die habita est, relinqueret: quam, nisi obire facinoris locum tempusq. voluisset, numquam reliquisset. Milo autem, cum in senatu fuisset eo die, quo ad senatus dimissus est, domū venit: calceos, & vestimenta mutauit: paullisper, dum se vxor, vt fit, comparat, commoratus est: deinde profectus est id temporis, cum iam Clodius, siquidem eo die Romā venturus erat, redire potuisset. obuiam fit ei Clodius expeditus, in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Graecis comitibus, vt solebat, sine vxore, quod numquam fere; cum hic insidiator, qui iter illud ad caedem faciendam apparasset, cum vxore veheretur in rheda, paenulatus, vulgi magno impedimento, ac muliebri, & delicato ancillarum puerorumq. comitatu. fit obuiam Clodio ante fundum eius hora fere vndecima, aut non multo secus. statim complures cum telis in hunc faciunt de loco superiore impetum: aduersi rhedarium occidunt. cum autē hic de rheda, reiecta paenula, desiluisset, seq. acri animo defenderet: illi qui erant cum Clodio, gladijs eductis partim recurrere ad rhedam, vt a tergo Milonem adoriantur; partim, quod iam interfectum putarent, caedere incipiunt eius seruos, qui post erant. ex quibus qui animo fideli in dominum erant, & praesente, fuerunt, partim occisi sunt partim, cum ad rhedam pugnari viderent, & domino succurrere prohiberentur, Milonemq. occisum etiam ex ipso Clodio audirent, & ita esse putarent; fecerunt id serui Milonis; (dicam enim non deiurandi criminis causa, sed vt factum est) neque imperante, neque sciente, neque praesente domino, quod suos suisq. seruos in tali re facere voluisset.*

EXPLANATIO

AD. EIVS *competitores,*] Hypsaeum, & Pompeij socerum Scipionem. CONVOCABAT *tribus:*] etsi centuriatis non tributis comitijs consules creabantur: tamen, cum in tribubus centuriae continerentur sequebatur, vt, qui gratia valeret in tribubus, idem valeret in centurijs. SAEPE *esse declaratum:*] quoties de Milonis honoribus suffragium populus tulit. LANVVIVM,] Lanuuium, & post Lauinij, & aliquanto post, Lauinini; non Lanuuini, legendum videtur, ex ratione itineris,

Landesbibliothek Oldenburg

nam eunti Lanuuium, Bouillis vbi Clodius est interfectus, transeundum non fuit. DICTATOR] quibusdam in municipijs dictatores erant. Spartianus in Hadriano: Per Latina opida dictator, & aedilis & duumuir fuit. CONCIONEM] concitatam a Clodij mercenario tribuno pl. vt infra. EIVS furor] vt populum a tribuno pl. commotum, magis etiam incitaret. DESIDERATVS est,] defuit. CALCEOS mutauit:] quia calcei senatorij lunati erant, colore mulleo: vt ex Isidoro, Zonara, Festo Catone perspicuum fit. ijs igitur depositis, eos, quibus in itinere vteretur, sumpsit. VXOR] Fausta, L. Sullae filia, quae male audijt impudicitiae nomine. Horatius, & Macrobius. NVLLA rheda.] miror sane dixisse Quinctilianum, rhedae vocabulo solum Ciceronem vsum esse: cum vsi praeterea sint Caesar, & Horatius. GRAECIS] litteratis.

ORATIO

HAEC, *sicut exposui, ita gesta sunt, iudices: insidiator superatus; vi victa vis, vel potius oppressa virtute audacia est. nihil dico, quid resp. consecuta sit; nihil, quid vos; nihil, quid omnes boni: nihil sana id pro sit Miloni, qui hoc fato natus est, vt ne se quidem seruare potuerit, quin vna remp. vosq. seruaret. si id iure non posset, nihil habeo, quod defendam, sin hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipsa praescripsit, vt omnem semper vim, quacumque ope possent, a corpore, a capite, a vita sua propulsarent: non potestis hoc facinus improbum iudicare, quin simul iudicetis, omnibus, qui in latrones inciderint, aut illorum telis, aut vestris sententijs esse pereundum. quod si ita putasset, certe optabilius Miloni fuit, dare iugulum P. Clodio non semel ab illo, neque tum primum petitum, quam iugulari a vobis, quia se illi non iugulandum transdidisset. sin hoc nemo vestrum ita sentit: illud iam in iudicium venit, non, occisus ne sit, quod fatemur; sed, iure: an iniuria, quod multis antea in caussis iam quaesitum est. insidias factas esse constat; & id est, quod senatus contra remp. factum iudicauit: ab vtro factae sint, incertum est: de hoc igitur, latius est, vt quaereretur. ita & senatus rem, non hominem, notauit: & Pompeius de iure, non de facto, quaestionem tulit. num quid igitur aliud in iudicium venit, nisi vter vtri insidias fecerit? profecto nihil. si hic illi, vt ne sit impune; si ille huic, tum nos scelere soluamur. quonam igitur pacto probari potest, insidias Miloni fecisse Clodium? satis est quidem in illa tam audaci, tam nefaria bellua docere, magnā ei caussam, magnam spem in Milonis morte propositā, magnas vtilitates fuisse. itaque illud Cassianum, Cui bono fuerit, in his personis valeat: etsi boni nullo emolumento impelluntur in fraudem, improbi saepe paruo, atqui, Milone interfecto, Clodius hoc assequebatur, non modo vt praetor esset, non eo consule, quo sceleris nihil facere posset; sed etiam vt iis cōsulibus praetor esset, quibus si non adiuuantibus, at conniuentibus certe speraſſet se posse remp. eludere in illis suis cogitatis furoribus, cuius illi conatus, vt ille ratiocinabatur, nec, si cuperent, reprimere possent, cum tantum beneficium ei se debere arbitrarentur. &, si vellent, fortasse vix possent frangere hominis sceleratissimi corroboratam iam vetustate audaciam.*

EXPLANATIO

CVI *bono fuerit,*] quod quaeri Cassius in caussis volebat. pro Roscio Am. & Phil. 2. IN HIS *personis*] de quibus nunc agitur: vt ex vtriusque bono, vter vtri insidias fecerit, consideretur. IIS *consulibus*] Hypsaeo, & Scipione: quorum petitionem iuuerat. supra. NEC, *si cuperent, reprimere possent*] peruersa, vt arbitror, sententia. legendum enim, Nec, si possent, reprimere cuperent; indicant quae proxime sequuntur verba, Cum tantum beneficium ei se debere arbitrarentur. ita proponitur primum, quid velle debeant; deinde, quid possint.

ORATIO

AN *vero iudices, vos soli ignoratis, vos hospites in hac vrbe versamini, vestrae peregrinantur aures, neque in hoc peruagato ciuitatis sermone versantur, quas ille lege (si leges nominandae sunt, ac non faces vrbis, & pestes reip.) fuerit impositurus nobis omnibus, atque inusturus? Exhibe, quaeso, Sexte Clodi, exhibe librarium illud legum vestrarum, quod te aiunt eripuisse e domo, & ex medijs armis, turbaq. nocturna, tamquam Palladium, sustulisse, vt praeclarum inde munus, ac instrumentum tribunatus ad aliquem, si nactus esses, qui tuo arbitrio tribunatum gereret, deferre posses. & adspexit me quidem illis oculis, quibus tum solebat, cum omnia omnibus minabatur. monet me quippe lumen cuiusque tui inimicissimum multo crudelius etiam punitus es, quam erat humanitatis meae postulare. tu P. Clodij cruentum cadauer eiecisti domo, tu in publicum eiecisti, tu spoliatum imaginibus, exsequijs, pompa, laudatione, in felicissimis lignis semiustulatum, nocturnis canibus dilaniandum reliquisti. quam rem etsi necessario fecisti, tamen, quoniam in meo inimico crudelitatem exprompsisti tuam, laudare non possum, irasci certe non debeo. P. Clodij praeturam non sine maximo rerum nouarum motu proponi solitam esse videbatis; nisi esset is consul, qui eam auderet, posset q. confringere. eum Milonem esse cum sentiret vniuersus populus R. quis dubitaret suffragio*

Landesbibliothek Oldenburg

suo se metu, periculo remp. liberare? at non, P. Clodio mortuo, visitatis iam rebus obnitendum est Miloni, vt tueatur dignitatem suam. singularis illa huic vni concessa gloria, quae quotidie angebatur frangendis furoribus Clodianis, iam morte Clodij cecidit. vos adepti estis, ne quem ciuem metueretis: hic exercitationem virtutis, suffragationem consulatus, fontem perennem gloriae suae perdidit. itaque Milonis consulatus, qui viuo Clodio labefactari non poterat, mortuo denique tentari coeptus est non modo igitur nihil prodest, sed obest etiam P. Clodij mors Miloni. At valuit odium. fecit iratus, fecit inimicus, fecit vltor iniuriae, punitor doloris sui. Quid, si haec, non dico maiora fuerunt in Clodio, quam in Milone, sed in illo maxima, nulla in hoc? quid vultis amplius? quid enim odisset Clodium Milo, segetem ac materiam suae gloriae, praeter hoc ciuile odium, quo omnes improbos odimus? ille erat, vt odisset primum defensorem salutis meae, deinde vexatorem fureris, domitorē armorum suorum, postremo etiam accusatorem suum. reus enim Milonis lege Plotia fuit Clodius quoniam vixit. quo tandem animo hoc tyrannum tulisse creditis? quantum odium illius, & in hominē iniusto quam etiam iustum esse? reliquum est, vt iam illum natura ipsius, consuetudoq. defendat, hunc autem haec eadem coarguant. Nihil per vim vmquam Clodius, omnia per vim Milo. quid ergo, iudices? cum, maeventibus vobis, vrbe cessi, non seruos, non arma, non vim intentauit? quae fuisset igitur causa restituendi mei, nisi fuisset iniusta ejciendi? diem mihi, credo dixerat, multam inrogarat, actionem perduellionis intenderat. & mihi iudices, in caussa aut vestra mala, aut mea praeclarissima etiam iudicium timēdum fuit? seruorum, & egentium ciuium, & facinorosorum armis meos ciues, meis consilijs periculisq. seruatos, pro me obijci nolui. vidi enim, vidi hunc ipsum Q. Hortensium lumen & ornamentum reip. paene interfici seruorum manu, cum mihi adesset: qua in turba C. Vibienus senator, vir optimus cum esset, vna ita est maltatus, vt vitam amiserit. itaque quando illius postea fica illa quā a Catilina acceperat, conquieuit? haec intentata nobis est: huic ego vos obijci pro me non sum passus: haec insidiata Pompeio est: haec istam Appiam viam, monumentum sui nominis, nece Papirij eruentauit: haec eadem longo interuallo conuersa rursus est in me: nuper quidem, vt scitis, me ad regiam paene confecit. Quid simile Milonis? cuius vis omnis haec semper fuit, ne P. Clodius, cum in iudicium detrahi non posset, vi oppressam ciuitatem teneret. quem si interficere voluisset. quantae, quoties occasiones, quam praeclare fuerunt? potuit ne, cum domum, ac deos penates suos illo oppugnante defenderet, iure se vlcisci? potuit ne ciue egregio, & viro fortissimo, P. Sextio, collega suo, vulnerato? potuit ne Fabricio, viro optimo, cum de reditu meo legem ferret, pulso crudelissima in foro caede facta? potuit ne L. Caecilij, iustissimi fortissimiq. praetoris, oppugnata domo? potuit ne illo die, cum est lata lex de me, cum totius Italiae concursus, quem mea salus concitarat, facti illius gloriam libens agnouisset, vt, etiam si id Milo fecisset, cuncta ciuitas eam laudem pro sua vindicaret? atqui erat id temporis clarissimus, & fortissimus consul, inimicus Clodio, P. Lentulus, vltor sceleris illius, propugnator senatus, defensor vestrae voluntatis, patronus illius publici consensus, restitutor salutis meae; septem praetores, octo tribuni pl. illius aduersarij, defensores mei; Cn. Pompeius, auctor & dux mei reditus, illius hostis: cuius sententiam senatus omnis de salute mea grauissimā & ornatissimam secutus est: qui populum R. cohortatus est: qui, cum de me decretum Capuae fecisset, ipse cunctae Italiae cupienti, & eius fidem imploranti signum dedit, vt ad me restituendum Romam cōcurrerent. omnia tum denique in illum odia ciuium ardebant desiderio mei: quem qui tum interemisset, non de impunitate eius, sed de praemijs cogitaretur. tamen se Milo continuit. & P. Clodium ad iudicium bis, ad vim numquam vocauit. Quid? priuato Milone & reo ad populum, accusante P. Clodio, cum in Cn. Pompeium pro Milone dicentem impetus factus est quae tum non modo occasio, sed etiam caussa illius opprimendi fuit? Nuper vero, cum M. Antonius summam spem salutis bonis omnibus attulisset, grauissimamq. adolescens nobilissimus reip. partem fortissime suscepisset, atque illam belluam, iudicii laqueos declinātem, iam in aetitam teneret; qui locus, quod tempus illud, dii immortales, fuit? cum se ille fugiens in scalarum tenebras abdidisset, magnū Miloni fuit conficere illam pestem nulla sua inuidia, Antonij vero maxima gloria. Quid? comitys in campo quoties potestas fuit? cum ille vi in saepta irrumpisset, gladios distringentes, lapides iaciendos curasset, dein subito, vultu Milonis perterritus fugeret ad Tiberim, vos & omnes boni vota faceretis, vt Miloni vt virtute sua liceret. Quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc voluit cum aliquorum querella; quem iure, quem loco, quem tempore, quem impune non est ausus, hūc iniuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis non dubitauit occidere? praesertim iudices, cum honoris amplissimi contentio, & dies comitiorum subesset, quo quidem tempore (scio enim, quam timida sit ambitio, quantaque, & quam sollicita cupiditas consulatus) omnia, non modo quae reprehendi palam, sed etiam quae obscure cogitari possunt, timemus: rumorem, fabulam fictam, falsam perhorrescimus, ora omnium, atque oculos intuemur. nihil enim est tam molle, tam tenerum, tam aut fragile, aut flexibile, quam voluntas erga nos, sensusq. ciuium: qui non modo improbitati irascuntur candidatorū, sed etiam in recte factis saepe fastidiunt. hunc diem igitur campi speratum, atque exoptatum sibi proponens Milo, cruentis manibus scelus & facinus praeferens, & confitens, ad illa augusta centuriarum auspicia veniebat? quam hoc non credibile in hoc? quam idem in Clodio non dubitandum, qui se, interfecto Milone, regnaturum putaret? quid? quod caput audaciae est, iudices, quis ignorat maximam illecebram esse peccandi impunitatis spem? in vtro igitur haec fuit? in Milone, qui etiam nunc reus est facti aut praeclari, aut certe necessarii, an in Clodio, qui ita iudicia, poenamq. contempserat, vt eum nihil delectaret, quod aut per naturam fas esset, aut per leges liceret?

EXPLANATIO

ANVERO, *iudices, vos soli ignoratis,* hic subijciam Quinctiliani verba ex lib. IX. cap. 2. Nec solum inquit, quae facta sint, aut fiant, sed etiam quae futura sint, aut futura fuerint, imaginamur

mire tractat haec Cicero pro Milone, quae facturus fuerit Clodius, si praeturam inuasisse. SEX. *Clodi,*] scriba: quem tribuno pl. Clodio legē scripsisse de eij ciendo Cicerone cognoscitur ex ea pro Domo. CVM *omnibus omnia minabatur.*] quo anno Clodius tribunatum pl. gessit. LVMEN *curiae.*] iocus in ambiguo. cum enim de senatore clarissimo loqui videatur, cuius dignitate moueretur; cum ne senator quidem esset Sextus: incendiū curiae, cuius illae auctor fuerat, significat PVNITVS *es,*] pro, puniuisti, figurate: vt, Fabricatus est gladium pro, fabricauit. quod vtrumque Quinctiliauus lib. IX. cap. 3. ad verborum figuras refert. Dixit autem Cicero. puniri, pro punire, non hic tantum, sed off. lib. I. Tusc. Phil. 8. similiter, fabricari, & fabricare. EIECISTI *domo.*] non, extulisti, sed, vt ea, quae sunt in via, eiecisti. SPOLIATVM *imaginibus,*] maiorum, quae gestari in funere solerent. infra. Non fuisse credo fas clarissimorum virorū formas illi taeterrimo paricidae aliquid decoris afferre. POMPA,] vsitato funeris honore: de quo infra his verbis. Nec vero non eadem ira deorū hanc eius satellitibus iniecit amentiam, vt sine imaginibus, sine cantu, sine ludis, sine exsequijs, sine lamentis, sine laudationibus, sine funere oblitus cruore, & luto, spoliatus illius supremi diei celebritate, quam concedere etiam inimici solent, ambureretur etiam abiectus. LAVDATIONE,] funebri oratione INFELICISSMIS *lignis*] curiae subsellijs, a concitata plebe arreptis, non ijs lignis quae cremandis mortuorum corporibus legi solerent vt ipsa quoque ligna infelicitatem cū Clodij corpore passa sint. SEMIVSTVLATVM,] non plane combustum: vt reliquias dilaniarent nocturni canes. Quod autem hic, Semius tulatum, infra. Ambureretur, dicit, eodem sensu. NECESSARIO *fecisti*] quia videbas ei qui remp. omni scelere uexasset prorsus honore sepulturae carendum fuisse. SED *obest*] ergo Cassianum illud, Cui bono, valet pro Milone contra Clodium. LEGE *Plotia*] de ui. IN *homine iniusto*] P. Clodio: cuius, licet hominis iniusti, causae tamen odij in Milonem, accusatorem suum, iustae erant. DIEM *mihi, credo, dixerat,*] diem dicere, accusare quidem est, sed tum dumtaxat, cum tribuni pl. ad populum accusant. ACTIONEM *perduellionis intenderat.*] egerat mecum, vt in crimine per duellionis agi solet. AVT *uestra mala,*] si mala, vestra fuit: vobis enim iubentibus parui, cum nefarios ciues sceleris in patriam conuictos, carnifici necandos tradidi: sin bona, mea summa cum laude. in eiusmodi igitur causa, vel vestra mala, vel mea etiam praeclarissima, iudicium ego timerem? CVM *mihi adesset:*] si annum significat quo pulsus est cur subiungit. Haec intentata nobis est: huic ego vos obijci pro me non sum passus? cum praesertim supra dixerit: seruorum, & egentiū ciuium, & facinorosorum armis meos ciues, meis consilijs periculisq seruatos, pro me obijci nolui. suspicari cogor, quod subiungitur, glossema esse, Huic ego vos obijci pro me non sum passus. ita illud, Haec intenta nobis est, referetur non ad tempus quo Cicero eiectus est, ne bis idem dicatur; sed ad id, quod reditum ab exsulio consecutū est. IN IO *oppugnante*] oppugnatam a Clodio Milonis domum, scribit ad Att. lib. IV. SEPTEM,] octauus fuit Clodij frater Appius, de quo in Pisonem. De me cum omnes magistratus promulgassent, praeter vnum praetorē, a quo non fuit postulandum, fratrem inimici mei praeterq. duos de lapide emptos tribunos pl. Ocro *tribuni pl.*] reliqui duo, qui promulgare noluerunt, Sex. Atilius Serranus, Num Quinctius Gracchus. QVI *populum Romanum cohortatus est:*] vt eam legem, quae de meo reditu ferebatur, suis suffragijs comprobaret. Quibus autem verbis sit cohortatus, ostenditur in duabus post reditum orationibus. CAPVAE,] in qua duumuir erat, collega L. Pisone: vt post Red. in sen. AD *iudicium bis,*] de vi: cum Milo tribunus pl. esset. nam de priuato Milone subiungitur. PRO *Milone dicentem*] ep. 3. lib. 2. ad Q. Fr. & ad Lentulum ep. V. lib. I. M. ANTONIVS] hac dere Phil. 2. HONORIS *amplissimi*] consulatus. QVEM *igitur*] vide Quinctilianum lib. V. cap. 14. CONTENTIO,] de quo contendendum erat cum Hypsaeo, & Scipione competitoribus. AVGVSTA *centuriarum auspicia*] quorum religio deterrere debet ne quis ad ea, caede facta, cruentis manibus accedat.

ORATIO

SEd, quid ego argumentor? quid plura disputo? te Q. Petilli, appello, optimum, & fortissimum ciuem: te, M. Cato, testor: quos mihi diuina quaedam sors dedit iudices: vos ex M. Fauonio audistis, Clodium sibi dixisse, & audistis uiuo Clodio, periturum Milonem triduo: post diem tertium gestares est, quam dixerat. cum ille non dubitaret aperire, quid cogitaret; uos potestis dubitare, quid fecerit? Quemadmodum igitur eum dies non fefellit? dixi equidem modo. dictatoris Lanuuini stata sacrificia nosse, negotii nihil erat: uidit necesse esse Miloni proficisci Lanuuium illo ipso, quo profectus est, die: itaque anteuertit. at quo die? quo, ut ante dixi, insanissima concio ab ipsius mercenario tribuno pl. est concitata: quem diem ille, quam concionem, quos clamores, nisi ad cogitatum facinus approperaret, nunquam reliquisset. ergo illi ne caussa quidem itineris, etiam caussa manendi; Miloni nulla facultas manendi, exeundi non caussa solum, sed etiam necessitas fuit. Quid si, ut ille sciuit Milonem fore eo die in uia, sic Clodiū Milone suspicari quidem potuit? primū quaero, qui scire potuerit? quod vos idem in Clodio quaerere non potestis. vt enim neminem alium, nisi T. Patinam, familiarissimum suum rogasset, scire potuit illo ipso die Lanuuii a dictatore Milone prodi flaminem necesse esse. sed erant per multi alii, ex quibus id facillime scire posset; omnes scilicet Lanuuini. Milo de Clodii reditu vnde quaesiuit? quaesierit sane videte, quid vobis largiar. ferum etiam, vt Arrius, meus amicus, dixit, corruperit. legite testimonia testium vestrorum. dixit C. Cassinius, cognomento Schola, Interamnis, familiaris meus, & idem comes P. Clodij, cuius iampridem testimonio Clodius eadem hora Interamnae fuerat, & Romae, P. Clodium illo die in Albano mansu-

tum

rum fuisse; sed subito ei esse nunciatum, Cyrum architectum esse mortuum; itaque Romam repente constituisse proficisci. dixit hoc comes item P. Clodij, C. Clodius. videte, iudices, quantae res his testimonijs sunt confectae. primum certe liberatur Milo, non eo consilio profectus esse, vt insidiaretur in via Clodio, quippe qui ei obuius futurus omnino non erat. deinde (non enim video, cur nō meum agam negotium) scitis iudices, fuisse, qui in hac rogatione suadenda dicerent, Milonis manu caedem esse factam, consilio vero maioris alicuius. uidelicet me latronem, ac sicarium abiecti homines & perditi describebant. iacent suis testibus ijs, qui Clodium negent eo die, Romam, nisi de Cyro auditum esset, rediturum fuisse. respirani: liberatus sum: non vereor, ne, quod ne suspicari quidem potuerim, videar id cogitasse. nunc persequar cetera. nam occurrit illud ne Clodius, quidem de insidijs cogitauit, quoniam fuit in Albano mānsurus: siquidem exiturus ad caedem e villa non fuisset. video enim illum, qui dicitur de Cyri morte nunciasse, non id nunciasse, sed Milonem appropinquare. nam, quid de Cyro nunciaret, quem Clodius Roma proficiscens reliquerat morientē? una fui, testamentum simul obsignaui cum Clodio: testamentum autem palam fecerat, & illum heredem, & me scripserat. quem pridie hora tertia animam efflantem reliquisset, eum mortuum postridie hora decima ei nunciabatur? age sit ita factum: quae causa, cur Romā properaret? cur in noctem se conijceret? quid afferebat festinationem? quod heres erat? primum erat nihil cur properato opus esset: deinde, si quid esset, quid tandem erat, quod ea nocte consequi posset, amitteret autem, si postridie mane Romam venisset? atque ut illi nocturnus ad vrbem aduentus vitandus potius, quam expetendus fuit: sic Miloni, cum insidiator esset, si illum ad urbem noctu accessurum sciebat, subsistendum, atque expectandum fuit. noctu, inuidioso, & pleno latronum in loco occidisset. nemo ei neganti non credidisset, quem esse omnes saluum etiam confitentem volunt, sustinuisset hoc crimen primū ipse ille latronū occultator & receptator locus, dum neque muta solitudo indicasset, neque caeca nox ostendisset Milonem: deinde, ubi multi ab illo uiolati, spoliati, bonis expulsi, multi etiam haec timentes in suspicionem caderent, tota denique rea citaretur Etruria, atq; illo die certe Aricia rediens diuertit Clodius ad Albanum. quod nisi sciret illum Milo Ariciae fuisse, suspicari tamen debuit, eum, etiam si Romam illo die reuerti vellet, ad uillam suam, quae uiā tangeret, diuersurum. cur neq; ante occurrit, ne in uilla resideret: nec in eo loco subsedit, quo ille noctu venturus esset? Video adhuc constare omnia, iudices; Miloni etiam vtile fuisse, Clodium uiuere; illi ad ea, quae concupierat, optatissimum interitū Milonis fuisse; odium illius in hunc acerbissimum, in illum huius nullum; consuetudinem illius perpetuam in ui inferenda, huius tantum in repellenda; mortem ab illo denūciatam palam Miloni, & praedictam, nihil umquam auditum ex Milone; profectionis huius diem illi notum, reditum illius huic ignotum fuisse; huius iter necessarium, illius etiam potius alienum; hunc praesetulisse, illo die Romam exiturum, illum eo die se dissimulasse rediturum: hunc nullius rei mutasse consilium, illū causam mutandi consilij finxisse: huic, si insidiaretur, nocte prope vrbem exspectandum, illi, etiam si hunc non timeret, tamen accessum ad urbem nocturnum fuisse metuendum. Videamus nunc id, quod caput est, locus ad insidias ille ipse, vbi congressi sunt, vtri tandem fuerit aptior. id uero, iudices, etiam dubitandum, & diutius cogitandum est? ante fundum Clodij: quo in fundo propter insanas illas obstructiones facile mille hominum uersabatur ualentium. atqui excelso loco superiorē se fore putabat Milo, & ob eam causam cum locum ad pugnam potissimū delegerat, an in eo loco potius expectandum ab eo, qui ipsius loci spe facere impetum cogitarat?

EXPLANATIO

DICTATORIS *Lanuuini*] Lauinini, puto rectius, & post, Lauinium: de quo iam dixi. INSANISSIMA *concio*] supra: Ita profectus est, vt concionem turbulentam, in qua eius furor desideratus est, quae illo ipso die habita est, relinqueret: quam, nisi obire facinoris locum tempusq. uoluisset, numquam reliquisset. T. PATINAM,] Lauininum. INTERAMNIS,] Interamnites ab Interamnio, Interamnates ab Interamna. hic omnino legendum videtur, Interamnas, e subiecta Interamnae mentione, Asconio subscribente. EADEM, *hora*] qua enim hora Clodius in domum C. Caesaris pont. max. vbi sacra Bonae deae a mulieribus pro populo fiebāt, stupri caussā, muliebri uestitu, noctu introiuit, ea hora se illum scire Interamnae fuisse, testis productus in iudicio, cum de incesto Clodius accusaretur, dixit Cassinius Schola. Iocus igitur est de falso testimonio: cum eadem hora satis cōstet Interamnae & Romae neminem esse posse. HAC *rogatione*] qua Pompeius nouam de caede Clodij quaestionem tulit. IACENT *suis testibus*] refelluntur suis testibus. nam si Clodius, nisi de Cyri architecti morte ei nunciatum esset, Romam eo die rediturus non fuit: quis meo consilio factum id esse dicat, quod non modo cogitare sed nec suspicari potuerim? VIDEO *enim*] cōfutat, quod obijci posse dixit abis, qui Clodium insidiarum crimine liberatum volebant. INVIDIOSO, & *pleno latronum in loco*] ducuntur argumenta & ex loco, ait Quinctilianus lib v. cap. 10. Spectatur enim ad fidem probationis montanus, an planus; maritimus, an mediterraneus; consitus, an incultus; frequens, an desertus; propinquus, an remotus; opportunus consiliis, an aduersus. quam partem videmus vehementissime pro Milone tractasse Ciceronē. ETRVRIA.] ab eo uexata. supra: seruos agrestes & barbaros, quibus siluas publicas depopulatus erat, Etruriamq. uexarat, ex Appennino deduxerat. PRAEDICTAM,] Fauonio teste. FVISSE *metuendum*.] quem tamen insidias cogitans, non vitauit supra: Quae caussa, cur in noctem se conijceret? Et infra: Cur vesperi? INSANAS] ingentes. infra: substructionū insanis molibus. translationem notauit Quinctilianus lib. IIX. cap 6. EVM *locum*] ante fundum Clodij. quod uerisimile non est: AN *in eo loco potius expectandum ab eo*,] a Clodio: cui facultas patrandi facinoris

cinoris ante suum fundum maior erat infra: Dum hic veniret, locum relinquere noluit. Et *quidem ceteras tempestates, & procellas,*] maxime cauendum est, ne, dum translationes nimis amamus, in allegoriae uitium incidamus, de quo sunt illa apud Quinctilianum lib. IIX. cap. 6 Illud commistum frequentissimum: Equidem ceteras tempestates, & procellas in illis dumtaxat fluctibus concionũ semper Miloni putaui esse subeundas. Nisi adiecisset, Dumtaxat fluctibus concionum, esset allegoria: nunc eam miscuit.

ORATIO

RES loquitur iudices, ipsa; quae semper valet plurimum si haec nõ gesta audieritis, sed picta videritis: tamẽ appareret, vter esset insidiator, vter nihil cogitaret mali; cum alter veheretur in rheda paenulatus, vna sederet vxor: qui horum non impeditissimum? vestitus, an vehiculum, an comes? quid minus promptum ad pugnam cũ paenula irretitus, rheda impeditus, vxore paene constrictus esset? Videte nunc illum primum egredientem e villa subito: cur vesperi? quid necesse est tarde? quid conuenit, praesertim id temporis? diuertit in villam Pompei: Pompeium ut videret? scibat in Alsensi esse procul inde: villam ut perspiceret? millies in ea fuerat. quid ergo erat moroe, & tergiuersationis? dum hic veniret, locum relinquere noluit. Age, nunc iter expediti latronis cum Milonis impedimentis comparate. Semper ille antea cum vxore, tum sine ea: numquam non in rheda, tum in equo: comites Graeculi, quocumque ibat, etiam cum in castra Etrusca properabat; tum nugarum in comitatu nihil. Milo, qui numquam, tum casu pueros symphoniacos vxoris ducebat, & anetllarum greges. ille, qui semper secum scorta, semper exoletos, semper, lupas ducebat, tum neminem, nisi vt virum a viro lectum esse diceres. Cur igitur victus est? quia non semper viator a latrone, nonnumquam etiam latro a viatore occiditur: quia quamquã paratus in imparatos Clodius, tamẽ mulier inciderat in viros. nec vero sic erat vmquam non paratus. Milo contra illum, vt non satis fere esset paratus. semper ille, & quantum interesset P. Clodij se perire, & quanto illi odio esset. & quantum ille auderet, cogitabat: quamobrem vitam suam, quam maximis praemijs propositam, & paene addictam sciebat, numquam in periculum sine praesidio, & sine custodia prouehebat. adde casus, adde incertos exitus pugnarum, Martemq. communem, qui saepe spoliantem iam, & exsultantem euertit, & perculit ab abiecto. adde insciti am pransi, poti, oscitantis ducis: qui cum a tergo hostem interclusum reliquisset, nihil de eius extremis comitibus cogitauit: in quos incensos ira, vitamque domini desperantes cum incidisset, haesit in ijs poenis, quas ab eo serui fideles pro domini vita expetiuerũt. Cur igitur eos manumisit? metuebat scilicet, ne indicaretur, ne dolorem perferre non possent, ne tormentis cogerẽtur, occisum esse a seruis Milonis in Appia via P. Clodium, confiteri. quid opus est tortore? quid quaeris? occiderit ne? occidit. iure, an iniuria? nihil ad torturem: facti enim in equuleo quaestio est, iuris in iudicio. quod igitur in causa quaerendum est, id agamus: hoc, quod tormentis inuenire uis, id fatemur. manu uero cur miserit. si id potius quaeris, quam cur parum amplis affecerit praemijs: uescis inimici factum reprehendere. dixit enim hic idem, qui omnia semper constanter, & fortiter. M. Cato, dixitq. in turbulenta concione, quae tamen huius auctoritate placata est; non libertate solum, sed etiam omnibus praemijs dignissimos fuisse, qui domini caput defendissent. quod enim praemium satis magnum est tam benevolis, tam bonis, tam fidelibus seruis, propter quos uiuit? etsi id quidem non tanti est, quam quod propter eosdem non sanguine, & uulneribus suis crudelissimi inimici mẽtem, oculosq. satiauit. quos nisi manumisisset, tormentis etiam dedendi fuerunt, conseruatores domini, vltores sceleris, defensores netis. hic uero nihil habet in his malis, quod minus moleste ferat, quam, etiam si quid ipsi accidat, esse tamen illis meritum praemium persolutum.

EXPLANATIO

E. VILLA] Albana ID *temporis*?] vesperi. IN *castra Etrusca*] ad uexandam Etruriam: de quo saepe in hac oratione, quod ad Catilinae tempora nõ recte Asconius refert. NVGARVM] Graeci enim comites animi caussa, non rei gerendae, ducebantur. M. CATO,] qui etiam sua sententia Milonem palam absoluit.

ORATIO

SED *quaestiones urgent Milonem, quae sunt habitae nunc in atrio Libertatis. quibusnam de seruis? rogas? de P. Clodij. quis eos postulauit? Appius. quis produxit? Appius. vnde? ab Appio. dij boni, quid potest agi seuerius? de seruis nulla quaestio est in dominum, nisi de incestu, ut fuit in Clodium. proxime deos accessit Clodius, propius, quam tum, cum ad ipsos penetrarat; cuius de morte tamquam de caerimonijs violatis quaeritur. ed tamen maiores nostri in dominum de seruo quaeri noluerunt; non quia non posset verum inueniri, sed quia videbatur indignum esse, & domini morte ipsa tristius, in reum de seruis accusatoris cum quaeritur, uerum inueniri potest? Age uero, quae erat, aut qualis quaestio? heus vbi Ruscio, vbi Casca? Clodius insidias fecit Miloni? fecit: certa crux. nullas fecit: sperata libertas. quid hac quaestione certius? subito arrepti in quaestionem, tamen separantur a ceteris, & in arcas conijciuntur, ne quis cum ijs colloqui possit. bi centum dies penes accusatorem cum fuissent,*

fuissent, ab eo ipso accusatore producti sunt. quid hac quaestione dici potest integrius? quid incorruptius? quod si nondum satis cernitis, cum res ipsa tot, tam claris argumentis, signisq. luceat, pura mente, atque integra Milonem, nullo scelere imbutum, nullo metu perterritum, nulla conscientia exanimatum, Romam reuertisse: recordamini, per deos immortales, quae fuerit celeritas reditus eius, qui ingressus in forum ardente curia, quae magnitudo animi, qui vultus, quae oratio. neque vero se populo solum, sed etiam senatui transdidit; neque senatui modo, sed etiam publicis praesidijs, & armis; neque his tantum, verum etiam eius potestati: cui senatus totam remp. omnem Italiae pubem, cuncta populi R. arma commiserat: cui se numquam profecto transdidisset, nisi caussae suae confideret, praesertim omnia audienti, magna metuëti, multa suspicanti, nonnulla credenti. Magna vis est conscientiae, iudices, & magna in vtramque partem. vt neque timeant, qui nihil commiserint; & poenam semper ante oculos versari putent, qui peccarint.

EXPLANATIO

QVIS *eos postulauit? Appius.*] non P. Clodij frater, sed Caij fratris eius filius. Milonis accusator. infra: In reum de seruis accusatoris cum quaeritur, verum inueniri potest? Atque hoc loco Quintilianus haec lib. IX. cap. 3. Et ab ijsdem verbis plura acriter, & instanter incipiunt. Nihil ne te noctur num praesidium Palatij, nihil vrbis vigiliae, nihil timor populi, nihil consensus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora, vultusq. mouerunt? Et ijsdem desinunt: Quis eos postulauit? Appius quis produxit? Appius. Quamquam hoc exemplum ad aliud quoque scherma pertinet, cuius initia inter se & fines ijdem sunt, quis & quis, Appius, & Appius. Quale est: Qui sunt, qui foedera saepe ruperunt? Carthaginienses. qui sunt, qui in Italia crudele bellum gesserunt? Carthaginienses. qui sunt, qui Italiam deformauerunt? Carthaginienses. qui sunt. qui sibi ignosci postulant? Carthaginienses. PROXIME *ad deos accessit Clodius,*] cuius de seruis ita quaeritur, vt si caerimoniae deorum violatae essent. CVM *ad ipsos penetrarat;*] festiue tempus illud describit, cum ingressus est Clodius muliebri vestitu, stupri caussa, ad sacra Bonae deae. VIDEBATVR *indignum, & domini morte ipsa tristius.*] si de domini nece seruorum testimonio quaereretur. HEVS, *vbi Ruscio, vbi Casca?*] accusatoris Appij verba, superbe imperantis, vt seruis suis. ijs qui serui fuerant patrui eius P. Clodij. non enim assentior. Quinctiliano, qui lib. IIX. iocum esse putat. NEQVE *vero se populo solum,*] notauit hanc figuram Aquila, quae κλίμαξ Graece dicitur, adducto etiam Demosthenis exemplo ex oratione de Corona; quod in Latinū cōuertit ego verba Graeca recitabo: quia plus habent leporis, & elegantiae. Οὐκ εἶπον μέν ταῦτα, οὐκ ἔγραψα δέ, οὐδὲ ἔγραψα μέν, οὐκ ἐπρέσβευσα δὲ, οὐδὲ ἐπρέσβευσα μέν, οὐκ ἔπεισα δὲ τὸς θηβαίους: ἀλλ' ἀπὸ τῆς ἀρχῆς διὰ πάντων ἄχρι τῆς τελευτῆς διεξῆλθον. Simile exemplum obseruaui apud eundem in oratione pro Rhodijs. καὶ οὐκ ἐγὼ μὲν ταῦτα εἶπον, ὑμῖν δ' οὐκ ἐδόκουν ὀρθῶς λέγειν. P. VELICIS *praesidijs,*] quae circa forum Pompeius collocarat. NEQVE *his tantum.*] parce vsum esse Ciceronem hac figura, inquit Aquila: nam totum illud repetere noluit, Neque solum publicis praesidijs, & armis: videlicet quia longum & insuaue futurum erat. NON *nullorum etiam imperitorum,*] qui Milonis inimici non essent. QVAESITA] a Pompeio. QVID, *quae deinde postea sunt in eum congesta,*] sustuli, Deinde, vt glossema. AB *vno de illis,*] & hic, De illis, abundat. VERVM *etiam,*] hic, Etiam, locum non habet, & sententiam impedit potius, quam adiuuat.

ORATIO

NEque vero *sine ratione certa, caussa Milonis semper a senatu probata est. videbant enim sapientissimi homines facti rationem, praesentiam animi, defensionis constantiam. An vero obliti estis, iudices, recenti illo nuncio necis Clodianae non modo inimicorum Milonis sermones, & opiniones, sed nonnullorum etiam imperitorum, qui negabant eum Romam esse rediturum? siue enim illud animo irato, ac percito fecisset, vt incensus odio trucidaret inimicum; arbitrabantur eum tanti mortem P. Clodij putasse, vt aequo animo patria careret, cum sanguine inimici explesset odium suum, siue etiam illius morte patriam liberare voluisset; non dubitaturum fortem virum, quin, cum suo periculo salutem reip. attulisset, cederet aequo animo legibus, secum auferret gloriam sempiternam, nobis haec fruenda relinqueret, quae ipse seruasset. Multi etiam Catilinam, atque illa portenta loquebantur: erumpet, occupabit aliquem locum, bellum patriae faciet. miseros interdū ciues optime de rep. meritos: in quibus homines non modo res praeclarissimas obliuiscuntur, sed etiam nefaria suspicantur. ergo illa falsa fuerunt: quae certe vera exstitissent, si Milo admisisset aliquid, quod non posset honeste vereq. defendere. Quid quae postea sunt in eum congesta, quae quamuis etiam mediocrium delictorum conscientiam perculissent, vt sustinuit, dij immortales? sustinuit? immo vero vt contempsit, ac pro nihilo putauit quae neque maximo animo nocens, neque innocens, nisi fortissimus vir, negligere potuisset. Scutorum, gladiorum, frenorum, sparorum, pilorumq. etiam multitudo deprehendi posse iudicabatur: nullum in urbe uicum, nullum angiportum esse dicebant, in quo Miloni non esset conducta domus: arma in villam Ocriculanam deuecta Tiberi: domus in cliuo Capitolino scutis referta: plena omnia malleolorum ad urbis incendia comparatorum. haec non delata solum, sed paene credita, nec ante repudiata, quam quaesita. Laudabam equidem incredibilem diligentiam Cn. Pompeij; sed dicā ut sentio, iudices. nimis multa audire coguntur, neque aliter facere possunt*

ij, quibus

ij, quibus tota commissa est resp. quin etiam audiendus sit Popa Licinius nescio quis de circo Maximo, seruos Milonis apud se ebrios factos, sibi confessos esse, de interficiendo Cn. Pompeio coniurasse, deinde postea se gladio percussum esse ab vno de illis, ne indicaret; Pompeio in hortos nunciauit. arcessor in primis. de amicorum sententia rem defert ad senatum. non poteram in illius mei, patriaeq; custodis tanta suspicione non metu exanimari: sed mirabar tamen credi Popae, ebriosorum confessionē seruorum audiri, vulnus in latere, quod acu punctum videretur, pro ictu gladiatoris putari. verum etiam, vt intelligo, cauebat magis Pompeius, quam timebat, non ea solum, quae timenda erant, sed omnino, ne aliquid vos timeretis. oppugnata domus C. Caesaris, clarissimi, & fortissimi viri, per multas noctis horas nunciabatur: nemo audierat tam celebri loco, nemo senserat: tamen audiebatur. non poteram Cn. Pompeium prae stantissima virtute ciuem, timidum suspicari: diligentiam, tota rep. suscepta, nimiam nullam putabam.

EXPLANATIO

TAM *celebri loco,*] habitabat enim Caesar, a quo tempore pontifex max. creatus est, in sacra via, in domo publica: cum ante pontificatum in Suburra modicis aedibus habitasset. Suetonius. AVDIEBATVR.] ab ijs, qui tamquam verum nunciabant.

ORATIO

FREQVENTISSIMO *senatu nuper in Capitolio senator inuentus est, qui Milonem cum telo esse diceret. nudauit se in sanctissimo templo, quoniam vitalis & ciuis, & viri fidem non faciebat, nisi, eo tacente, res ipsa loqueretur. omnia falsa, atque insidiose ficta comperta sunt: cum tamen, si metuitur etiam nunc Milo non hoc iam Clodianum crimen timemus, sed tuas, Cn. Pompei, (te enim iam appello ea voce, vt me audire possis) tuas, inquam, suspiciones perhorrescimus. si Milonem times, si hunc de tua vita nefarie, aut nunc cogitare, aut molitum aliquando aliquid putas; si Italiae delectus, vt nonnulli conquisitores tui dictitant, si haec arma, si Capitolinae cohortes, si excubiae, si vigiliae, si delecta iuuentus, quae tuum corpus domumq. custodit, contra Milonis impetum armata est, atque illa omnia in hunc vnum instituta, parata, intenta sunt: magna in hoc certe vis, & incredibilis animus, & non vnius viri vires, atque opes indicantur, siquidem in hunc vnum & praestantissimum dux electus, & tota resp. armata est. sed quis non intelligit, omnes tibi reip. partes aegras, & labantes, vt eas his armis sanares, & confirmares esse commissas? quod si Miloni locus datus esset; probasset profecto tibi ipsi, neminem vmquam hominem homini cariorem fuisse, quam te sibi; nullum se vmquam periculum pro tua dignitate fugisse; cum illa ipsa taeterrima pestē saepissime pro tua gloria contendisse; tribunatum suum ad salutem meam, quae tibi carissima fuisset, consilijs tuis gubernatum; se a te postea defensum in periculo capitis, additum in petitione praeturae; duos se habere semper amicissimos speraſſe, te tuo beneficio, me suo. Quae si non probaret, si tibi ita penitus insedisset ista suspicio, nullo vt euelli modo posset; si denique Italia a delectu, vrbs ab armis sine Milonis clade numquam esset conquietura: nae iste haud dubitans cessisset patria, is, qui ita natus est, & ita consuevit: te, Magne, tamen attestaretur, quod nunc etiam facit: Vide, quam sit varia vitae, commutabilisq. ratio, quam vaga, volubilisq. fortuna, quantae infidelitates in amicis, quam ad tempus aptae simulationes, quantae in periculis fugae proximorum, quantae timiditates. erit illud profecto tempus, & illucescet aliquando ille dies, cum tu, salutaribus, vt spero, rebus tuis, sed fortasse motu aliquo communium temporum immutatis, qui quam crebro accidat, experti debemus scire, & amicissimi benevolentiam, & grauissimi hominis fidem, & vnius post homines natos fortissimi viri magnitudinem animi desideres. Quamquam quis hoc credat, Cn. Pompeium, iuris publici, maiorum, rei denique publicae peritissimum, cum senatus ei commiserit, vt videret, ne quid resp. detrimenti caperet; quo vno versiculo satis armati semper consules fuerunt etiam nullis armis datis; hunc exercitu, hunc delectu dato iudicium exspectaturum fuisse in eius consilijs iudicandis, qui vel iudicia ipsa tolleret? satis iudicatum est a Pompeio, fuisse ista conferri in Milonem. qui legem tulit, qua, vt ego sentio, Milonem absolui oporteret; vt omnes confitentur, liceret. quod vero in illo loco, atque in illis publicorum praesidiorum copijs circumfusus sedet, satis declarat, non se terrorem inferre vobis. (quid enim illo minus dignum, quam cogere, ve vos eum condemnetis, in quem animaduertere ipse & more maiorum, & suo iure posset?) sed praesidio esse, vt intelligatis, contra hesternam concionem illam, licere vobis, quod sentiatis, libere iudicare.*

EXPLANATIO

SENATOR] Cornificium nominat Asconius. CONQVISITORES] qui delectui habendo praecerant, conquisitores dicebantur. LOCVS *datus esset;*] occasio data esset. A. TE *postea defensum*

defensum] accusante Clodio ep. 3. lib 2. ad Q fr. Tvo *beneficio*,] erga illum. Me *suo*:] cum omnia sua stu dia tribunus pl. ad me restituendum contulit. Qvi *ita natus est, & ita consuevit*:] qui hoc habet & a na dem verbo sententia vim acquirit: vt infra. Est, est profecto illa vis. Pro Fonteio: Fuit, fuit illis iudici- ius cum laude dicantur. numquam enim profecto de seipso diceret illa, quae subiunguntur, Vnius tur, Qui vel iudicia ipsa tolleret, ad illud spectat, Iudicium exspectaturum fuisse: vt, eodem iterato verbo, quiddam leporis & venustatis elucear, Liceret.] nam si tulit, vt quaereretur: nihil obstat, quo minus absolui Milonem liceat. More *maiorum*,] cum ei commissa resp. sit ijs verbis, quae sum- mam potestatem tribuunt, Videret, ne quid resp detrimenti caperet. Contra *hesternam concionem illam*,] supra: Qui hesterna etiam concione incitati sunt, vt vobis voce praeirent, quid iudicaretis.

ORATIO

Nec vero me, iudices, Clodianum crimen mouet, nec tam sum demens, tamque vestri sensus ignarus, atque expers, vt nesciam, quid de morte Clodij sentiatis, de qua si iam nollem ita diluere crimen, vt dilui, tamen impune Miloni palã clamare, atque mentiri glo riose liceret: Occidi, occidi non Sp. Melium, qui annona leuanda, iacturisq. rei familiaris, quia nimis amplecti plebem putabatur, in suspicionem incidit regni appeten di, nõ T. Gracchum, qui collegae magistratum per sedi tionem abrogauit; quorum interfectores implerunt or- bem terrarum nominis sui gloria; sed eum, (auderet e- nim dicere cum patriam periculo suo liberasset) cuius nefarium adulterium in pulvinaribus sanctissimis nobi lissimae feminae comprehenderunt; eũ, cuius supplicio senatus sollemnes religiones expiandas saepe censuit; eũ, quem cũ sorore germana nefarium stuprũ feciße, L. Lucullus iuratus, se, quaestionibus habitis, dixit compe- risse; eum, qui ciuem, quem senatus, quem populus, quem omnes gentes vrbis, ac vitae ciuium conseruatorem iudi cabant, seruorum armis exterminauit; eum, qui regna dedit, ademit, orbem terrarum quibuscum voluit partis est; eum, qui, pluribus caedibus in foro factis, singu lari virtute & gloria ciuem domum vi & armis compu lit; eum, cui nihil vmquam nefas fuit nec in facinore, nec in libidine; eum, qui aedem Nympharum incendit, vt memoriam publicae recensionis, tabulis publicis impressam, exstingueret; eum denique, cui iam nul la lex erat, nullum ciuile ius, nulli possessionum ter- mini; qui non calumnia litium, non iniustis vindicijs ac sacramentis alienos fundos, sed castris, exercitu, si- gnis inferendis petebat; qui non solũ Etruscos, (eos enim penitus contempserat) sed hunc Cn. Pompeium, virũ for tissimum, atque optimum ciuem, iudicem nostrum, pel- lere possessionibus armis, castrisq. conatus est; qui cum architectis, & decempedis villas multorum, hortosq. peragrabat; qui Janiculo, & Alpibus spem possessionũ terminabat suarum; qui, cum ab equite R. splendidis- simo, & forti viro, T. Pacanio non impetrasset, vt in- sulam in lacu Pretio venderet, repente lintribus in eam insulam materiam, calcem, caementa, atque arma con- uexit; dominoq. trans ripam inspectante, non dubitauit aedificium exstruere in alieno; qui huic T. Furfanio, cui viro dij immortales? (quid enim de muliercula Sanctia, quid de adolescente Aproino dico? quorum vtrique mor- tem est minitatus, nisi sibi hortorum possessione cessisset) sed ausum esse Furfanio dicere, si sibi pecuniam, quantã popposcerat, non dedisset, mortuum se in domum eius illa- turum? qua inuidia huic esset tali viro conflagrandum. qui Appium fratrem, hominem mihi coniunctum fide- lissima gratio, absentem de possessione fundi deiecit; qui parietem sic per vestibulum sororis instituit ducere, sic agere fundamenta, vt sororem non modo vestibulo priuaret, sed omni aditu, & limine. Quamquam haec quidem iam tolerabilia videbantur: etsi aequabiliter in remp. in priuatos, in longinquos, in propinquos, in alie- nos, in suos irruebat: sed nescio quo modo iam vsu ob- duruerat, & percalluerat ciuitatis incredibilis patientia quae vero aderant iam, & impendebant, quonam modo ea aut depellere potuissetis, aut ferre imperium, si id ille nactus esset? omitto socios, exteras nationes, reges, tetrar chas: vota enim feceratis, vt in eos se potius mitteret, quam in vestras possessiones, vestra tecta, vestras pecu- nias. pecunias dico? a liberis mediusfidius, & coniugibus vestris numquam ille effrenatas suas libidines cohibuis- set. fingi haec putatis, quae patent, quae nota omnibus, quae tenentur seruorum exercitus illum in vrbe con- scripturum fuisse, per quos totam remp. resq. priuatas omnium possideret?

EXPLANATIO

Occidi, *occidi*,] verba geminantur amplificandi gratia: & primum, Occidi, indicat, alterum af- firmat. Quinctilianus lib. IX. cap. 3. Sp. melivm,] quem occidit Ahala Seruilius. Ti. *Gracchum*,] quem P. Scipio Nasica Serapio. Collegae] Octauio tribuno pl. (Avderet *enim dicere, cum patriam periculo suo liberasset*)] facti confessio] non vitatur in ea re, quae patriae salutem attulit. itaque lib. 2. de Orat. Saepe autem, inquit, res non, sit, necne, sed, qualis sit, quaeritur: vt cum L. Opimij caussam de- fendebat apud populum audiente me C. Carbo consul, nihil de C. Gracchi nece negabat, sed id iure pro salute patriae factum esse dicebat. advlterivm] cũ Pompeia, C. Caesaris Pont. Max. vxo- re: quod tamen commiserit, necne, incertum est: sed vxorem Caesar dimisit, cum domum suã dice- ret non solum crimine, sed etiam suspicione criminis carere oportere. Pvlvinarievs] in Piso-

nem: cum ſtuprum Bonae deae puluinaribus intuliſſet. CVIVS *ſupplicio*] id ſupplicij genus erat, ſolemnes religiones ab eo violatas, expiare. ſic enim, inceſtum ab eo commiſſum eſſe, iudicabatur. L. IVCVLLVS] ſororis Clodij vir. IVRATVS] cum teſtimonium diceret in Clodium, de inceſtu reum. QVAESTIONIBVS *habitis*,] de ancillis. CIVEM,] ſe ipſum deſcribit. QVI *regna dedit*,] pro Sextio: Appellati reges a populo, qui id numquam nea ſenatu quidem poſtulaſſent. ADEMIT,] Ptolemaeo regi Cyprio. SINGVLARI *virtute gloria ciuem*] Pompeium: de quo ſupra. AEDEM *Nympharum intendit*,] in Parad. Aedes Nympharum tua manu deflagrauit. VT *memoriam publicae recen-ſionis*,] tabulas cenſorias, in aede Nympharum cuſtoditas. CALVMNIA *litium*] falſis litibus. IVSTIS *vindiciis*,] iniuſtis rerum petitionibus. nam vindiciae, vt ait Feſtus, res eae ſunt quae in controuerſiam veniunt. SACRAMENTIS] ſacramento contendere, eſt, depoſita apud pontificem pecunia, litigare. Varro lib. v. l. l. & Aſconius in Verrem lib. 1. ETRVSCOS] ſupra: Etruriam vexarat. Et: Tota denique rea citaretur Etruria. Et: Comites Graeculi, quocumque ibat etiam cum in caſtra Etruſca properabat. Infra vero: Vaſtarat Etruriam. HVNC. CN. *Pompeium*,] diſtinguit eum a Pompeio Magno, iudicem appellans. CVM *architectis*] cum quibus multorum villas, tamquam ſuas, aedificaret. DECEMPEDIS] quibus alienos hortos metaretur. IN *lacu Pratio*] hic lacus nec in agro Romano, neque vſquam in propinquis regionibus reperitur. itaque malim, Pretio, prima littera minuſcula ſcribi, & cum verbo, Venderet, coniungi, hoc modo: Vt inſulam in lacu, pretio venderet: nam & in vrbe erant inſulae, a ceteris aedificijs diſiunctae: vt in oratione pro Coelio. HVIC.] iudici T. FVRFANIO,] T. Furfanus Poſtumius legitur in Ciceronis epiſtola lib. VI. *id ille nactus eſſet*.] ſi praetor, aut conſul factus eſſet. SOCIOS, *exteras nationes, reges, tetrarchas*:] quos, imperium nactus, pro ſua libidine tractaſſet. SERVORVM *exercitus illum in vrbe conſcripturum fuiſſe*,] Infra: Incidebantur iam domi leges, quae nos noſtris ſeruis addicerent. Et poſt: Lege noua quae eſt inuenta apud eum cum reliquis legibus Clodianis, ſeruos noſtros libertos ſuos feciſſet.

ORATIO

QVAMOBREM, *ſi cruentum gladium tenens clamaret T. Annius: Adeſte, quaeſo, atque audite ciues: P. Clodium interfeci: eius furores, quos nullis iam legibus, nullis iudicijs frenare poteramus, hoc ferro, & hac dextera a ceruicibus veſtris repuli: per me vnũ effectum eſt. vt ius, aequitas, leges, libertas, pudor, pudicitia in ciuitate manerent: enimuero timendũ, quonam modo id factum foret ciuitas: nunc enim quis eſt, qui non probet? qui non laudet? qui non vnum poſt hominum memoriam T. Annium plurimum reip. profuiſſe, maxima laetitia populum R. conſtare Italiam, nationes omnes affeciſſe & dicat, & ſentiat? Nequeo, vetera illa populi R. quanta fuerint gaudia, iudicare: multas tamen iam ſummorum imperatorum clariſſimas victorias aetas noſtra vidit; quarum nulla neque tam diuturnam attulit laetitiam, nec tantam: mandate hoc memoriae, iudices. ſpero multa vos, liberosq. veſtros in rep. bona eſſe uiſuros in his ſingulis ita ſemper exiſtimabitis, viuo P. Clodio nihil horum vos viſuros fuiſſe. in ſpem maximam, & quemadmodum confido, veriſſimam adducti ſumus, hunc ipſum annum, hoc ſummo viro conſule: concuſſa hominum, licentia, cupiditatibus fractis, legibus, & iudiciis conſtitutis, ſalutarem ciuitati fore. num quis igitur eſt tam demens, qui hoc, P. Clodio viuo, contingere potuiſſe arbitretur? quid? ea quae tenetis, priuata, atque veſtra, dominante homine furioſo quod ius perpetuae poſſeſſionis habere potuiſſent?*

EXPLANATIO

CONSVLE] Pompeio. Quinctilianus lib. v. cap. vlt. expugnantibus, quod etiam ſolum enthymema quidam vocant. fortior multo probatio eſt. tale eſt Ciceronis pro Milone: Eius igitur mortem vltores, cuius vitam ſi puteris per vos reſtitui poſſe, nolitis. Quod quidem etiam aliquanto multiplicari ſolet: vt eſt ab eodem, & pro eodem reo factum: Quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc voluit cum aliquorum querella? quem iure, quem loco, quem tempore, quem impune non eſt auſus, hunc iniuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis non dubitauit occidere?

ORATIO

NON *timeo, iudices, ne, odio inimicitiarum mearum inflammatus, libentius haec in illũ cuomere videar, quã verius. etenim, etſi praecipuum eſſe debeat; tamen ita communis erat omnium ille hoſtis, vt in communi odio paene aequaliter verſaretur odium meum non poteſt dici ſatis, ne cogitari quidem, quantum in illo ſceleris, quantum exitii fuerit. quin ſic attendite, iudices. nempe haec eſt quaeſtio de interitu P. Clodii. fingite animis: liberae enim ſunt cogitationes noſtrae, & quae volunt. ſic intuentur, ut ea cernimus, quae videmus. fingite igitur cogitatione imaginem huius condicionis meae. ſi poſſim efficere vt Milonem abſoluatis, ſed ita, ſi P. Clodius reuixerit. Quid vultu extimuiſſis? quonam modo ille uos uiuus afficeret, qui mortuus inani cogitatione percuſſit? Quid? ſi ipſe Cn. Pompeius, qui ea uirtute, ac fortuna eſt, ut ea potuerit ſemper, quae nemo praeter illum,*

lum; si is, inquam, potuisset, vt quaestionem de morte P. Clodij ferre, sic ipsum ab inferis excitare: utrum putatis facturum fuisse? etiam si propter amicitiam uellet illum ab inferis reuocare, propter remp. nō fecisset. Eius igitur mortis sedetis ultores, cuius uitam si putetis per uos restitui posse, nolitis: & de eius nece lata quaestio est, qui si eadem lege reuiuiscere posset, lata lex numquam esset. huius ergo interfector non esset etiam confitendo ab ijs impetraturus, ne poenam timeret, quos liberasset? Graeci homines deorum honores tribuunt ijs uiris, qui tyranos necauerunt. quae ego uidi Athenis? quae alijs in urbibus Graeciae? quas res diuinas talibus institutas uiris? quos cantus? quae carmina? prope ad immortalitatem, & religionem, & memoriam consecrantur. uos tanti conseruatorem populi, tanti sceleris ultorem non modo honoribus nullis afficietis, sed ad supplicium rapi etiam patiemini? confiteretur. confiteretur, inquam, si fecisset, & magno animo, & libenter, se fecisse libertatis omniū caussa: quod certe ei nō confitendum modo fuisset, uerum etiā praedicandum. etenim, si id non negat, ex quo nihil petit, nisi vt ignoscatur: dubitaret id fateri, ex quo etiam praemia laudis essent petenda? nisi vero gratius putat esse uobis sui se capitis, quam uestri ordinis, defensorem fuisse; cum praesertim in ea confessione, si grati esse uelletis, honores assequeretur amplissimos; si factum uobis non probaretur, (quamquam qui poterat salus sua cuique non probari?) sed tamen si minus fortissimi uiri uirtus ciuibus grata cecidisset, magno animo, constantique cederet ex ingrata ciuitate. nam quid esset ingratius, quam laetari ceteros, lugere eum solum, propter quem ceteri laetarentur? quamquam hoc animo semper omnes fuimus in patriae proditoribus opprimēdis, ut, quoniam nostra futura esset gloria, periculum quoque, & inuidiam nostram putaremus. nam, quae mihi contribuenda laus esset ipsi, cum tātum in consulatu meo pro uobis, ac liberis uestris ausus essem, si id, quod conabar, sine maximis dimicationibus meis me esse ausurum arbitraretur? quae mulier sceleratum ac perniciosum ciuem occidere non auderet, si periculum non timeret? proposita inuidia, morte, poena qui nihil segnius remp. defendit is vir vere putandus est. populi grati est, praemijs afficere bene meritos de rep. ciues; uiri fortis ne supplicijs quidem moueri, ut fortiter fecisse paeniteat. quamobrem uteretur eadem confessione T. Annius, qua Ahala, qua Nasica, qua Opimius, qua Marius, qua nosmetipsi: & si, grata resp. esset, laetaretur; si ingrata, tamen in graui fortuna conscientia sua niteretur. sed huius beneficij gratiam, iudices, fortuna populi R. & uestra felicitas, & dij immortales sibi deberi putant. nec vero quisquam aliter arbitrari potest, nisi qui nullam uim caelestem existimat numen ue diuinum; quem neque imperij uestri magnitudo, neque sol ille, nec caeli, & signorum motus, nec uicissitudines rerum. atque ordines mouent, neque, id quod maximum est, maiorum sapientia, qui sacra qui caerimonias, qui auspicia, & ipsi sanctissime coluerunt & nobis suis posteris prodiderunt.

EXPLANATIO

QVI *tyrannos necauerunt.*] vt Harmodio, & Aristogitoni, qui Hippiam necauerūt, Pisistrati filium. Valerius Max. & Suidas. NISI *vero gratius putat esse vobis,*] quod putare non debet. SIBI *deberi*] potius, quam Miloni.

ORATIO

EST, *est profecto illa vis; neque in his corporibus, atque in hac imbecillitate nostra inest quiddam tquod vigeat, & sentiat, & non inest in hoc tanto naturae, tam praeclaro motu. nisi forte iccirco esse non putant, quia non apparet, nec cernitur: perinde quasi nostram ipsam mentem, qua sapimus, qua prouidemus, qua haec ipsa agimus, ac dicimus, uidere, aut plane, qualis, aut vbi sit, sentire possimus. ea vis, ea est igitur, quae saepe incredibiles huic vrbi felicitates, atque opes attulit, quae illam perniciem exstinxit, ac sustulit; cui primum mentem iniecit, ut ui irritare ferroq. lacessere fortissimū uirum auderet, vinceretur q. ab eo quem si uicisset, habiturus esset impunitatem, & licentiam sempiternam. non est humano consilio, ne mediocri quidem, iudices, deorum immortalium cura res illa perfecta: regiones mehercule ipsae, araeque, cum illam belluam cadere viderunt, commouisse se uidentur, & ius in illo suum retinuisse. uos enim Albani tumuli, atq; luci uos, inquam imploro, atque obtestor, uosq. Albanorum obrutae arae sacrorum populi R. sociae, & aequales, quas ille praeceps amentia, caesis prostratisq. sanctissimis lucis, substructionum insanis molibus oppresserat; vestrae tum arae, vestrae religiones uiguerunt; vestra uis ualuit, quam ille omni scelere polluerat: tuq. ex tuo edito monte, Latialis sanctae Iuppiter, cuius ille lacus, nemora, finesq. saepe omni nefario stupro, & scelere maculaverat, aliquando ad eum puniendum oculos aperuisti: uobis illae, uobis, uestro in conspectu serae, sed iustae tamen, & debitae poenae solutae sunt. nisi forte hoc etiam casu factum esse dicimus, ut ante ipsum sacrarium Bonae dae, quod est in fundo T. Sextij Galli, in primis honesti, & ornati adolescentis, ante ipsam, inquam, Bonam deam, eum proelium commisisset, primum illud uulnus acceperit, quo taeterrimam mortem obiret; ut non absolutus iudicio illo nefario videretur, sed ad hanc insignem poenam reseruatus. Nec uero non eadem ira deorum hanc eius satellitibus iniecit amentiam, ut sine imaginibus, sine cantu, sine ludis, sine exsequijs, sine lamentis, sine laudationibus, sine funere, oblitus cruore, & luto, spoliatus illius supremi diei celebritate, quam concedere etiam inimici solent, ambureretur etiam abiectus. non fuisse credo fas, clarissimorum uirorum formas illi taeterrimo parricidae aliquid decoris afferre, neque ullo in loco potius mortem eius lacerari, quam in quo uita esset damnata.*

EXPLANATIO

ESTEST *profecto illa vis*;] de hac eiusdem verbi iteratione iam diximus. NEQVE *in his corporibus*,] ex hoc loquendi genere, Neque ineſt, & non ineſt, gignitur comparatio. idem enim eſt, ac ſi dixiſſet: vt in his corporibus atque in hac imbecillitate noſtra ineſt quiddam, quod vigeat & ſentiat: ſic ineſt in hoc tanto naturae tam praeclaro motu. Eſt autem e Graecis fontibus deducta figura. de quo diximus in eo loco: Neque vero ſe populo ſolum, ſed etiam ſenatui tradidit, IVS *in illo ſuum*] ius ſuum a Clodio ereptum, toties ab eo violatae. In illo: in ea re, cum Clodius caderet. VOS *enim Albani tumuli*,] Hic ad ſublime genus effertur orator: in quo ſummam vim eſſe conſtat. de quo Quinctilianus lib. XII. cap. 10. Hic orator inquit & defunctos excitabit, vt Appium Caecum apud hunc: & patria ipſa exclamabit, aliquemq (vt apud Ciceronem in oratione contra Catilinam in ſenatu) alloquetur. hic & amplificationibus extollet orationem & vi ſuperlationum quoque eriget. Quae Charybdis tam vorax? &, Oceanus medius fidius ipſe. Nota ſunt enim iam ſtudioſis haec lumina. Hic deos ipſos in congreſſum prope ſuum, ſermonemq, deducet. Vos enim Albani tumuli, atque luci, uos, inquam, Albanorũ obrutae arae, ſacrorum populi Romani ſociae & aequales idem lib VII cap. 2 Auerſus quoque a iudice ſermo, qui dicitur ἀποστροφή, mire mouet: ſiue aduerſarios inuadimus: Quid enim tuus ille Tubero in acie Pharſalica gladius agebat? ſiue ad inuocationem aliquã conuertimus: Vos enim, iã ego, Albani tumuli, atque luci. INSANIS *molibus* ſupra: Inſanas illas ſubſtructiones BONAE *deae* inceſtũ Clodij, ſtuprũq. nefariũ, ſanctiſſimis puluinaribus illatũ, vlciſcẽtis. EIVS *ſatellitibus*] Sex Clodio. ſupra, & infra LVTO,] quia necatus erat in via. ETIAM *inimici*:] quam tamen ei ſatellites eius nõ cõceſſere. AMEVRERETVR] ſemiuſtulatum, dixit ſupra. ETIAM *abiectus*.] non in rogo poſitus.

ORATIO

DVRA *mihi medius fidius iam fortuna populi R. & crudelis videbatur, quae tot annos illum in hãc remp. inſultare videret, & pateretur. polluerat ſtupro ſanctiſſimas religiones: ſenatus grauiſſima decreta perfregerat: pecunia ſe palam a iudicibus redemerat: vexarat in tribunatu ſenatum: omnium ordinum conſenſu pro ſalute reip. geſta reſciderat: me patria expulerat: bona diripuerat; domum incenderat; liberos, coniugem meam vexauerat: Cn. Pompeio nefarium bellum indixerat: magiſtratuum, priuatorumq. caedes effecerat: domum mei fratris incenderat: vaſtarat Etruriam; multos ſedibus, ac fortunis eiecerat; inſtabat, vrgebat; capere eius amẽtiam ciuitas, Italia, prouinciae, regna non poterant: incidebãtur iam domi leges. quae nos noſtris ſeruis addicerent; nihil erat cuiuſquam, quod quidem ille adamaſſet, quod non hoc anno ſuum fore putaret; obſtabat eius cogitationibus nemo, praeter illum Milonẽ ipſum, qui poterat obſtare: Cn. Pompeium nouo reditu in gratiam quaſi deuinctum arbitrabatur: Caeſaris potentiam ſuam potentiam eſſe dicebat: bonorum animos etiam in meo caſu contempſerat: Milo vnus vrgebat. hic dij immortales, vt ſupra dixi, mentem dederunt illi perdito, ac furioſo, vt huic faceret inſidias. aliter perire peſtis illa nõ potuit. numquam illum reſp. ſuo iure eſſet vlta. ſenatus, credo, praetorem eum circumſcripſiſſet. ne cum ſolebat quidem id facere, in priuato eodem hoc, aliquid profecerat. an conſules in praetore coercendo fortes fuiſſent primum, Milone occiſo, habuiſſet ſuos conſules: deinde, quis in eo peaetore conſul fortis eſſet, per quem tribunũ virum cõſularem crudeliſſime necatum eſſe meminiſſet? omnia poſſideret, teneret: lege noua, quae eſt inuenta apud eum cum reliquis legibus Clodianis ſeruos noſtros libertos ſuos feciſſet; poſtremo, niſi eum dij immortales in eam mentem impulißent, vt homo effeminatus fortiſſimum virum conaretur occidere, hodie remp. nullam haberetis. an ille praetor, ille vero conſul, ſi modo haec templa, atque ipſa moenia ſtare eo viuo tamdiu, & conſulatum eius exſpectare potuiſſent, ille denique viuus mali nihil feciſſet, qui mortuus, vno ex ſuis ſatellitibus Sex. Clodio duce, curiam incenderit? quo quid miſerius, quid acerbius, quid luctuoſus vidimus? templum ſanctitatis, amplitudinis, mentis, conſilij publici, caput vrbis, aram ſociorum, portum omnium gentium, ſedem abuniuerſo populo R. conceſſam vni ordini, inflammari, excindi, funeſtari, neque id fieri a multitudine imperita, quamquam eſſet miſerum id ipſum, ſed ab vno, qui cura tantum auſus ſit vltor pro mortuo, quid ſignifer pro viuo non eßet auſos? in curiam potiſſimum abiecit, vt eam mortuus incenderet, quam viuus euerterat.*

EXPLANATIO

STVPRO] Bonae deae puluinaribus illato. PERFREGERAT:] explicant hunc locum illa verba, quae ſupra dicta ſunt: Cuius enim ſenatui de illo inceſto ſtupro iudicium decernendi poteſtas eſſet crepta, de eius iinteritu, quis poteſt credere. ſenatum iudicium nouum conſtituendum putaſſe. GESTA] a me contra coniuratos. MAGISTRATVVM.] priuatorum quidem caedes fecerat, magiſtratus autem P. Sextium, Q. Fabricium grauiter vulnerauerat. pro Sextio. NOSTRIS *ſeruis addicerant*:] lege ſua libertatis. infra. VIRVM *conſularem*] ſe ipſum ſignificat. NEGATVM] pro, uexatum, afflictum, perditum. SERVOS *noſtros libertos ſuos feciſſet*:] ſupra; Incidebantur iam domi leges, quae

quae nos nostris seruis addicerent. CAESARIS *potentiam, suam potentiam esse dicebat:*] simile illud infra: Quid habeo, quod dicam, quod faciã pro tuis in me meritis, nisi vt eam fortunam, quaecumque erit tua, ducam meam? Et pro Deiotaro: Tuumq. hostem esse duxit suum. Nec dissimiliter ad Lentulum Meumq. inimicum, vnum in ciuitate haberet inimicum. CIRCVMSCRIPSISSET.] condemnasset. NE *cum solebat quidem* supra: Senatus grauissima decreta perfregerat.

ORATIO

ET *sunt qui de via Appia querantur, taceant de curia? ecquando ab eo spirante forum potuisset defendi, cuius non restiterit cadaueri curia? excitatae, excitate eum, si potestis ab inferis: frangetis impetum viui, cuius vix sustinetis furias insepulti. nisi vero sustinuistis eos, qui cum facibus ad curiam cucurrerunt, cum falcibus ad Castoris, cum gladijs toto foro volitarunt. caedi vidistis populum R. concionem gladijs disturbari, cum audiretur silentio M. Coelius tribunus pl. vir fortissimus, & in suscepta causa firmissimus, & bonorum voluntati & auctoritati senatus deditus, & in hac Milonis siue inuidia, siue fortuna, singulari, diuina, & incredibili fide. Sed iam satis multa de causa, extra causam etiam nimis fortasse multa, quid restat, nisi vt orem, obtestẽrq. vos, iudices, vt eam misericordiam tribuatis fortissimo viro, quam ipse non implorat, ego autem, repugnãte hoc, & imploro, & exposco? nolite, si in nostro omnium fletu nullam lacrumam adspexistis Milonis, si vultum semper eumdem, si vocem, si orationem stabilem, ac non mutatam videtis, hoc minus ei parcere. atque haud scio, an multo etiam sit adiuuandus magis, etenim, si in gladiatorijs pugnis, & in infimi generis hominum condicione, atque fortuna timidos, & supplices, & vt viuere liceat, obsecrantes, etiam odisse solemus, fortes, & animosos, & se acriter ipsi morti offerentes seruare cupimus; eorumq. nos magis miseret, qui nostram misericordiam non requirunt, quã qui illam efflagitant: quanto hoc magis in fortissimis ciuibus facere debemus? me quidem, iudices, exanimant, & interimunt hae voces Milonis, quas audio assidue, & quibus interfum quotidie. Valeant, inquit, valeant ciues mei, sint incolumes, sint florentes, sint beati: sitet haec vrbs praeclara, mihiq. patria carissima, quoquo modo merita de me erit: tranquilla rep. ciues mei, quoniã mihi cum illis non licet, sine me ipsi, sed per me tamen, perfruantur: ego cedam, atque abibo. si mihi rep. bona frui non licuerit, at carebo malis; &, quam primum tetigero bene moratam & liberam ciuitatem, in ea conquiescam. o frustra, inquit, suscepti mei labores: o spes fallaces: o cogitationes inanes meae: ego, cum tribunus pl. rep. oppressa, me senatui dedissem, quem exstinctum acceperã; equitibus R. quorum vires erant debiles; bonis viris, qui omnem auctoritatem Clodianis armis abiecerant; mihi vmquam bonorum praesidium defuturum putarem? ego cum te (mecum enim saepissime loquitur) patriae reddidissem, mihi non futurum in patria putarem locum? vbi nunc senatus est, quem secuti sumus? vbi equites R. illi, illi, inquit tui? vbi studia municipiorum? vbi Italiae voces? vbi denique tua, M. Tulli, quae plurimis fuit auxilio, vox, & defensio? mihi ne ea soli, qui pro tetoties morti me obtuli, nihil potest opitulari? Nec vero haec, iudices, vt ego nunc fiens, sed hoc eodem loquitur vultu, quo videtis. negat enim se, negat ingratis ciuibus fecisse, quae fecit; timidis, & omnia circumspicientibus pericula, non negat. Plebem, & infimam multitudinem, quae P. Clodio duce fortunis vestris imminebat, eam, quo tutior esset vita vestra, se fecisse commemorat, vt non modo virtute flecteret, sed etiam tribus suis patrimonijs deleniret: nec timet, ne, cum plebem muneribus placarit, vos non conciliarit meritis in remp. singularibus. Senatus erga se beneuolentiam temporibus his ipsis saepe esse perspectam, vestras vero et vestrorum ordinum occursationes, studia, sermones, quemcumque casum fortuna dederit, secum se ablaturum esse dicit. meminit etiam sibi vocem praeconis modo defuisse, quam minime desiderarit; populi uero cunctis suffragijs, quod vnum cupierit, se consulem declaratum: nunc denique, si haec arma contra se sint futura, sibi facinoris suspicionem, non facti crimen obstare. Addit haec, quae certe vera sunt: fortes, & sapientes viros non tam praemia sequi solere recte factorum, quam ipsa recte facta: se nihil in vita, nisi praeclarissime, fecisse, siquidem nihil sit praestabilius viro, quam periculis patriam liberare: beatos esse, quibus ea res honori fuerit a suis ciuibus; nec tamẽ eos miseros, qui beneficio ciues suos vicerint: sed tamen ex omnibus praemijs virtutis, se esse habenda ratio praemiorum, amplissimum esse praemiũ Gloriam: esse hanc vnam, quae breuitatẽ vitae posteritatis memoria consolaretur; quae efficeret, vt absentes adessemus, mortui viueremus; hanc denique esse, cuius gradibus etiã homines in caelũ videantur adscendere. de me, inquit, semper populus R. semper omnes gentes loquẽtur, nulla vmquã obmutescet vetustas. quin hoc tempore ipso, cum omnes a suis inimicis faces inuidiae meae subijciantur, tamen omni in hominũ coetu gratijs agendis, & gratulationibus habendis, & omni sermone celebramur. Omitto Etruriae festos & actos, & institutos dies. centesima lux est haec ab interitu P. Clodij, & opinor, vltra quã fines imperij populi R. sunt, non solum fama iam de illo, sed etiam laetitia peragrauit. quamobrẽ, vbi corpus hoc sit, non, inquit, laboro; quoniam omnibus in terris & iam uersatur, & semper habitabit nominis mei gloria.*

EXPLANATIO

TRIBVS *suis patrimonijs*] vnum Papij, patris naturalis: alterum Annij adoptini; tertium matris, vt Asconio videtur: ego ambigo: nihil enim praeter dotem, separatim a patre Milonis vxor habere potuit. de patre autẽ facta iam mentio est in secundo patrimonio. SECVM *se ablaturum*] memoria conseruaturum, quamdiu vixerit, vbicumque vixerit. POPVLI *vero cunctis suffragijs,*] habita non

sunt

sunt ea comitia consularia, quibus Milo petebat: sed hoc Cicero dicit, quia studium suum erga cand datum populus ostenderat. HAEC *arma militum praesidia circa forum a, Pompeio contra vim col*locata CONTRA *se*] ne incolumis elabatur. NON *facti crimen*,] non se putare, quia Clodium occiderit, ideo crimen a se commissum esse: sed alios ita suspicari. FORTES, *& sapientes viros*] fortes in agendo, sapientes in iudicando. PRAEMIA] honorem, qui datur a ciuibus. IN *vita*,] non modo tum, cum Clodium interfecit. SI *esset habenda ratio praemiorum*,] quam non habet is, qui vera ac solida virtute praeditus est. GLORIAM:] distinguit gloriā ab honore, qui datur a ciuibus: de quo proxime dixit, Beatos esse quibus ea res honori fuerit a suis ciuibus. nam gloria est frequens de aliquo fama cum laude: vt ait Cicero de Inuent. vel, Est consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene iudicantium de excellente virtute: vt in Tusc. vel, Est illustris & peruagata multorum & magnorum vel in suos ciues, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum: vt pro Marcello. sunt, inquit, alia virtutis praemia, sed ex omnibus amplissimum est gloria; quam assecutus Milo, cetera prope contemnit. illa enim summa gloria est: De me semper populus Romanus, semper omnes gentes loquentur, nulla vmquam obmutescet vetustas. CONSOLARETVR. *in eo dolore, quem ex vitae breuitate homines capiunt.* HANC *denique esse cuius gradibus etiam homines in caelum videantur ascendere*,] eiusdem generis illud pro Deiotaro: Gradibus efficiorum erga remp. nostram ad hoc regium nomen ascendit. Et in Parad. Quibus gradibus Romulus adscendit in caelum? EFFVGIAE] saepe a Clodio uastatae. eius morte libertatem & quietem assecutae. ACTOS,] ob laetitiam publici hostis interfecti. INSTITVTOS] qui quotannis, quo die Clodius est occisus, agerentur. LVX] & lux, & lumen pro die sumuntur; quoniam sine luce, & lumine dies non est. Tusc. 3. Namque nimis multos, atque omni luce cadentē

„ Cernimus Ouidius lib. III. Fast. Restat ut inueniam, quare toga libera datur,

„ Luce geri pueris candide Bache tua. Pro Rabirio perd. reo; Si te secundo lumine hic offendero. Virg. lib. VI. Vix lumine quarto

„ Prospexi Italiam. Sed quo modo ab interitu Clodij dies centum Cicero numerat: cum ex Asconio cōstet, interfectum esse Clodium III. Kal. Febr. orationem autem habitam esse III. Id. Apr. quo spatio dies tantum LXII numerantur? opinor propter intercalationes; quarum dies hac summa cōplectitur. ET, *opinor, vltra quam*] uideo fuisse qui legerent Et, opinor, Altera; & Altera, pro primo die, dictum arbitrarentur. perperam utrumque. est enim ordo; Et, opinor, ultra fines imperij populi Romani non solum fama iam de illo, sed etiam laetitia peragrauit VBI *corpus hoc sit*, siue in patria moriar. SEMPER *habitabit nominis mei gloria*. quod ad corpus attinet, habitare ubique non possum; nec id laboro; quandoquidem ubique semper habitabit nominis mei gloria. Tria sunt hic animaduertēda, Omnibus in terris, non uno loco tantum; Semper, non ad breue tempus: Habitabit, ut in sua sede. sic illud pro Plancio, Habitaui in oculis.

ORATIO

HAEC *tu mecum saepe, his absentibus: sed ijsdem audientibus, haec ego tecum Milo. Te quidem, quod isto animo es, satis laudare non possum; sed, quo est ista magis diuina virtus, eo maiore a te dolore diuellor. Nec vero, si mihi eripueris, reliqua est illa tamen ad consolandum querella, vt ijs irasci possim, a quibus tantum vulnus accepero. non enim inimici mei te mihi eripient, sed amicissimi; nō male aliquando de me meriti, sed semper optime. Nullum vmquam, iudices, mihi tantum dolorem inuretis, (etsi, quis potest esse tantus?) sed ne hunc quidem ipsum, vt obliuiscar, quanti me semper feceritis. quae si vos cepit oblivio; aut si in me aliquid offendistis; cur non id meo capite potius luitur, quam Miloni? praeclare enim vixero si quid mihi acciderit prius. quā hoc tantum mali videro. Nunc me vna consolatio sustentat, quod tibi, o T. Anni, nullum a me amoris, nullum studij, nullum pietatis officium defuit. ego inimicitias potentium pro te appetiui: ego meum saepe corpus, & vitā obiecti armis inimicorum tuorum; ego me plurimis pro te supplicem abieci; bona, fortunas meas, ac liberorum meorum in communionem tuorum temporum contuli; hoc denique ipso die, si qua vis est parata, si qua dimicatio capitis futura, deposco. quid iam restat? quid habeo, quod dicam, quod faciam pro tuis in me meritis, nisi vt eam fortunam, quaecumque erit tua, ducā meam? non recuso, non abnuo, vosq. obsecro, iudices, vt vestra beneficia, quae in me contuliſtis, aut in huius salute augeatis, aut in eiusdem exitio occasura esse iubeatis,*

EXPLANATIO

HAEC *tu mecum saepe*, ab eo loco; Me quidem, iudices, exanimant, & interimunt hae voces Milonis, quas audio assidue, & quibus interſum quotidie. HIS *absentibus*,] nam, si praesentibus, arrogantia esset: quae non est, quia cum uno tantum, eoq. amicissimo homine, dicta sunt. IISDEM *audientibus*,] ut moueantur cum audiunt ea, quae mecum saepe de suo in patriam animo loquitur Milo. EO *maiore a te dolore diuellor*.] superiora ad iudices pertinent, ut talem, tantumq. uirum conseruent, reliqua de se ipso subijcit, tamquā apud ipsos pro eo, cui plurimum debeat, intercedēte. Diuellor inuitus. vis enim hoc in uerbo quaedam ineſt pro Domo; A quibus cū summo dolore diuellimur. Pro Plancio; Nemo eum a me diuellat, ac distrahat. (QVIS *potest esse tantus?*)] quantus hic erit, si Milonem mihi eripietis. SED *ne hunc quidem ipsum*,] pares huic dolores reliqui non sunt: sed ne hic quidem

dem ipse tantus erit, ne hunc quidem ipsum mihi tantum intueris, & vestra erga me merita ob iuiscat. *Si me aliquid offendistis:*] loquendi modus animaduersione dignus: valet enim, si qua ego re vos offendi: vt lib. 1. in Verrem: Hospes Ianitor, qui nihil suspicaretur, veritus, ne quid in ipso se offenderit, horum nemo vi summa retinere coepit. Ad Q. Fr. ep. 1. lib 1. Si qui sunt, in quibus aliquid offenderis. pro offensus sis: hoc enim verbum & his, & aliis locis agendi formam, patiendi significationem habet. *Si quid mihi acciderit*] si quidem hi humanitus acciderit, si contigerit, vt ex hac vita discedam. *Reo te*] reo TVORVM *temporum*] tuarum calamitatum: saepe tempora hoc seniu vsurpantur. *Si qua uis esti parata,*] a militibus, qui circa iudicium stabant, aut ab infima plebe, quam Clodiani contra Milonem incitabant.

ORATIO

His lacrumis non mouetur Milo: est quodam incredibili robore animi, exsulit ubi esse putat, vbi virtuti non sit locus; mortem naturae finem esse, non poenam. sit hic ea mente, qua natus est: quid uos, iudices, quo tandem animo eritis? memoriã Milonis retinebitis ipsum eiicietis? & erit dignior locus in terris ullus, qui hanc uirtutem excipiat, quam hic, qui procreauit? Vos, uos appello, fortissimi uiri, qui multum pro rep. sanguinem effudistis uos in uiri, & in ciuis inuicti appello pectus, centuriones, uosq milites: uobis non modo inspectantibus, sed etiam armatis & huic iudicio praesidentibus, haec tanta uirtus ex hac urbe expelletur? exterminabitur? eiicietur? o me miserum, o infelicem, reuocare tu me in patriam, Milo, potuisti per hos, ego te in patria per eosdem retinere non potero? quid respondebo liberis meis, quae parentem alterum putant? quid tibi, O. frater, qui nunc abes, conferri mecum tempora illorum? me non potuisse Milonis salutem tueri per eosdem, per quos vestram seruasset? ut in qua causa nõ potuisse? quae est grata gentibus a quibus non potuisse? abiris, qui maxime P. Clodii morte acquieuerunt. quo deprecante? me quidnam concepi tantum scelus, aut quod in me tantum facinus admisi, iudices, cum illa indicia communis exitii indagauit, patefeci, protuli, exstinxi? omnes in me, meosq. redundant ex illo fonte dolores quid me reducem esse uoluistis? an, ut inspectante me expellerentur ii, per quos essem restitutus? nolite, obsecro uos, pati, mihi acerbiorem reditũ esse, quam fuerit ille ipse discessus. nã, qui possum putare; me restitutum esse, si distrahor abiis, per quos restitutus sum? vtinam dii immortales fecissent, (pace tua patria dixerim: metuo enim, ne scelerate dicã in te, quod pro Milone dicam pie) vt P. Clodius nõ modo viueret sed etiam praetor, consul, dictator esset, ante quam hoc spectaculum viderem. Odij immortales formidem & a vobis, iudices, conseruandum uirum. minime, minime, inquit: immo uero poenas ille debitas luerit; nos iubeamus. si ita necesse est, non debitas. Hiccine uir patriae natus, usquam nisi in patria, morietur? aut, si forte corporis in Italia nullum sepulcrũ esse patieminí? hunc sua quisquam sententia ex hac vrbe expellet, quem omnes urbes, expulsum a uobis, ad se uocabunt? o terram illam beatam: quae hunc uirum exceperit; hanc ingratam, si eiecerit; miserã, si amiserit. Sed finis sit: neque enim praelacrumis iam loqui possum; & hic se lacrumis defendi uetat. Vos oro, obtestorque, iudices, ut in sententiis, ferendis, quod sentietis, id audeatis. vestram virtutem, iustitiam, fidem mihi credite, is maxime probabit, qui in iudicibus legendis optimum, & sapientissimum quemque legit.

EXPLANATIO

OMNE *miserum*] partes miserationis commouendae nonnumquam subit patronus ipse, praesertim si eum, qui accusatur, preces decere non videntur quis enim ferret Milonem pro capite suo supplicantem, quia se virum nobilem interfectum, quia id fieri oportuisset, fateretur? Quinctilianus lib. VI cap. 1. RETINERE *non potero?*] quod facilius debet esse. PARENTEM *alterum*] quia me ab exsulio tua virtute reuocasti. QVI *nunc abes,*] erat in Gallia Caesaris legatus. ANIMI *monumenta,*] merita in remp. LEGIT.] dixi iam, CCC iudices ex omnibus ordinibus a Pompeio lectos esse: ex ijs Domitium quaesitorem vnum & octoginta sortitum esse: e quibus cum accusator & reus quinos e singulis ordinibus reiecissent, vnum & quinquaginta, qui de reo iudicarunt, remansere.

Landesbibliothek Oldenburg



IN. ORATIONEM. CICERONIS

PRO. C. RABIRIO. POSTVMO

PAVLLI. MANVTII

COMMENTARIVS

ARGVMENTVM

DAmnato C. Gabinio, viro consulari, lege Iulia de repetũdis, quia cum Syriae praeesset, decem millia talentum, ob reductionem regis Aegyptij Ptolemaei, a suis ciuibus propter auaritiam, & crudelitatem eiecti, accepisse iudicatus est; cũ neque ex eius bonis tantum redigi potuisset, quanta litium æstimatarum summa fuerat: nec ipse prædes populo dedisset; quorum alterutrum facere necesse erat; accusatus est C. Rabirius Postumus ex eo capite legis Iuliæ, Quo ea pecunia peruenisset. is enim mos erat, vt, si reus primo illo iudicio damnatus, vel datis prædibus populo cauisset, vel bonorũ suorũ vẽditione satisfecisset, nemo præterea, nisi si particeps esset eiusdem culpæ in iudicium vocaretur. Gabinius neutrum fecerat: itaque post eum Rabirius est accusatus. atque hunc ipse Cicero morem indicat his uerbis: Est hæc caussa, Quo ea pecunia peruenerit, quasi quaedam appendicula caussae iudicatae, atq. damnatae Sunt lites aestimatae. A Gabinio: nec praedes dati, nec ex eius bonis, quãta summa litium fuisset, a populo receptum. Lex aequa est. iubet lex Iulia persequi ab ijs, ad quos ea pecunia, quãis ceperit, qui damnatus sit, peruenerit. non suis proprijs iudiciis, sed in reũ factis condemnari solent. itaque si aut prædes dedisset Gabinius; aut tantum ex eius bonis, quanta summa litium fuisset, populus recepisset: quamuis ad Postumũ ab eo pecunia peruenisset, non redigeretur. ut intelligi facile possit quod ex ea pecunia ad quem eorum, qui damnatus est, peruenisse in illo primo iudicio planum factum sit, id hoc genere iudicii redigi solere. Accusator est in hac caussa C. Mẽmius tribunus pl. idem, qui Gabinium paullo

ante

ante de repetundis accusauerat, & damnauerat: defensor Cicero, qui Gabinium defenderat. Oratio est in genere iudiciali. defenditur enim Postumus contra accusantem, quod ad eum a Gabinio pecunia peruenisset: & apud eosdem quidem iudices, qui Gabiniũ damnauerant, vt oratio ipsa ostendit: crederem, apud eundem quoque praetorem, qui Gabinij in caussa quaesiuerat, M. Catonẽ: quamquam eum Cicero in tota defensione nunquã appellat. accusatus est enim Gabinius, e prouincia reuersus, de maiestate primũ, apud C. Alfium praetorẽ, accusatorẽ, accusatore L. Lentulo, quo crimine est absolutus: deinde de repetundis, apud M. Catonem, accusatore C. Memmio, defensore Cicerone: quo crimine damnatus est. inde orta, tamquã caussae iudicatae, atque damnatae quaedam appendicula, Postumi accusatio. Vtramque Gabinij accusationem attigi, vt pateret, vtra sit ea, quae in oratione nominatur. haec autẽ, quae dixi, ex ep. 16. lib. IV. ad Att. & ex 1. 2. 3. 4. lib. III. ad Q fr. colliguntur. Status coniecturalis est. negat enim Cicero quod obijcit accusator. ita quaeritur, verum, an falsum sit, idest, acceperit Postumus, nec ne partem eius pecuniae, quã Gabinio a rege datam iudicatum erat. Et quoniam orationes omnes vel in sublimi, vel in temperato, vel in infimo sunt genere; video fuisse, quibus haec in sublimi statuenda videretur. mihi potius in temperato videtur esse. nõ enim assurgit orator, vt ea pro Milone, pro Sextio, pro Ligario. absũt illa fulmina, quibus vehementer iudices commoueri, atque inflammari solere, quibusq. ex Latinis admodũ paucos, ex Graecis vnũ in primis vsũ esse Demosthenẽ, docet in eo libro, quem, Orator, inscripsit. Nec vero satis haec abundat oratio ijs ornamentis, quae Graeci σχήματα appellant. Denique, cum in oratore tria requirantur, vt delectet, vt doceat, vt moueat: in hac oratione totus ad docendũ incumbit: quod ad hanc partem attineat, nihil omittit: acute, & ingeniose, vt solet, omnia persequitur. itaque nec summũ est, vt arbitror, nec infimũ, sed mediũ quoddã genus orationis: & id maxime genus, quamquã capitalis esset caussa, quia tamẽ de pecunia, nõ atroci aliqua de re, aut summo aliquo de scelere, agebatur, aptum in primis esse, recte, ac sapienter, omnis artificij peritissimus, Cicero iudicauit.

Capita accusationis, quantum a defensione licet excerpere (nã accusatio ipsa nõ exstat) haec sunt. nullis confirmata testibus, ex cõiectura omnia: vt vel negari, vel cõiecturis, quae propius ad veritatẽ videantur accedere, dilui, & confutari facile possint. ea vero partim ad deformandã caussam oratorio more, partim ad euertendã spectant: ad deformandam, senatum esse corruptum: quod vel si verum esset, commune tamen cum Postumi caussa nihil haberet: qui nõ de corrupto senatu sed quod ipse pecuniam a Gabinio acceperit, ex capite legis Iuliae. Quo ea pecunia peruenerit, accusatur. Hanc Cicero calumniã ita refellit, primum ut senatum uacare cul-

pa significet, in quo beneuolentiam captat a senatoribus iudicibus; deinde, vt, si commissum id sit, expertem, atque inscium eius criminis Postumũ ostendat: qui cum pecuniam regi dabat, qua ille eã in re cõsumeret, nec scire potuit, nec debuit quaerere. Altera pars accusationis, quae ad euertendam caussam, damnandumq. reũ pertinet, haec est: Gabinio damnato, cũ nec ipse praedes dederit, nec ex eius bonis, quanta summa litium aestimatarũ fuit, populus receperit, oportere persequi, vt lex Iulia iubet, ab ijs, ad quos ea pecunia peruenerit: peruenisse autem ad Postumum, ergo condẽnari debere. quomodo peruenerit, leuissimis probat argumentis, atque hoc primum. Illo legis capite, quo ea pecunia peruenerit, cum in Gabiniũ lites aestimarentur, nihil ei datum: in quo videtur hoc dici. petenti Gabinio detractionem aliquã de summa litiũ, propter eos, ad quos eius pecuniae pars aliqua peruenisset, ideo iudices nihil dederunt, quia videbant, caput illud ad Postumum spectare, id est, quod soluere Gabinius non posset, id exigi a Postumo oportere: cum ad neminem magis ea suspicio pertineret. Ex hoc Memmij argumento, quod totum a coniectura pendet, alterum argumẽtum educit Cicero, quod non ad vnius modo Postumi, sed ad vniuersi etiã equestris ordinis defensionem valeat. Si iudices, inquit, nihil Gabinio dederunt eo capite: certe totum soluendi onus, cuius ille partem aliquã trãsferri in eos volebat, ad quos ea pecunia peruenisset, vni, qui damnatus iã erat, nemini praeterea, imponendũ censuerunt. ita non modo Postumum, sed omnem plane ordinẽ legis Iuliae, qua nunc reus est Postumus, periculo, ac molestia liberarunt. Atque in hac parte, vt supra a senatoribus, sic ab equitibus, qui de Postumo sententiam laturi erant, beneuolentiam aucupatur. Arguit etiam a confirmata per multos annos consuetudine. nã potentissimo tribuno pl. M. Druso, patrum aetate equestrẽ ordinẽ noua lege, de acceptis ob rem iudicatam pecunijs, alligari conanti, restitere summa constantia equites Romani. Iam senatores ipsi, Pompeio iterum consule, cũ essent in senatu, qui equestrẽ ordinem lege Iulia de repetundis teneri vellent, aequitate adducti, quominus quidquam nouaretur, obstiterunt.

Alterum argumentũ de pecunia, quae ad Postumum a Gabinio peruenisset, accusator inde sumit, quod Gabinium, vt regem reduceret, Postumus impulisset. Refellit Cicero: Quid opus fuit impulsore, aut suasore vllo, cũ ei decem millia talentum, vt regem reduceret, promissa sint? quod tu, cum eum accusares, non solum dixisti, sed iudicibus etiam persuasisti.

Tertium argumentum. Dioecetes fuit Postumus, id est, procurator, & dispensator regius: in eo munere cũ ex decumis pecuniam Gabinio colligeret, sibi quoque ipse collegit. Confutatio est. Miserrima fuit illa procuratio. nam & carcerẽ pertulit: & vidit in vinculis familiares suos: & mors ob oculos saepe versata est: nudus, atque egens ad extremũ fugit e regno: tantum

tum abest, vt ex ea lucrum fecerit. Sed si, vt tu vis, pecuniam sibi collegit: quaero, vtrũ eam sumpserit ex decẽ millibus talentis, Gabinio promissis, an praeter illa decem millia, nouam sibi pecuniã collegerit. Si ex Gabinij pecunia, id est ex decumis, eã sumpsit: at homo, vt ipse ais, auarissimus non tulisset. Sin praeter decumas, centesimam exegit; vt, quae decẽ millia esse debebant, fierent, addita centesima, vndecim millia talentũ: quis credat, tam graui onere tributorum, tantum praeterea noui oneris imponi suis, regem esse passum? Quartum argumẽtum. Pecuniã ad Postumum peruenisse, testibus probabitur Alexandrinis legatis. Confutatio. Qui nõ dixerunt in Gabinium, cuius ea nomine redacta pecunia est, cur ijs dicere liceat in Postumum, qui redegit: non patitur id iudiciorũ consuetudo: si fieret, nullo fieret exemplo. non solum autẽ in Gabinium non dixerunt, sed reum quoque laudauerunt. in his porro causis, quae nascuntur ex eo legis capite, quo ea pecunia peruenerit, testibus locus non datur: quae primo illo iudicio dixerunt, ipsis absentibus recitantur. ita nõ quasi noua res iudicatur, sed quasi iam praeiudicata recognoscitur, & confirmatur. At ijs creditũ non est, cum Gabinio non esse datam pecuniam illã dicerent: ex quo sequitur, vt credi debeat, pecuniam ad Postumum peruenisse, dicentibus qui enim neganti non credit, videtur affirmanti credere debere. Fidem testiũ inquit Cicero, infirmat eorum inconstantia. quis enim audiat modo hoc, modo illud dicentẽ. & qui peierauit in primo testimonio, non peierare eũ in secundo, cui verisimile fiet? Quinctum accusatoris argumentum. Permutata pecunia est. Alexandria Romam, ea, quae peruenit a Gabinio ad Postumum. visae sunt Puteolis merces, chartae, lintea, vitrum, fallaces, & fucosae. ideo enim missae, & ideo naues ijs refertae multae sunt, vt in vna lateret pecunia, contra leges capta. Confutatio, Totum hoc inane est: nihil omnino certi: sermo tantum fuit, Puteolis primum e vectorum cursu, atque ostentatione natus, deinde a maleuolis exceptus, atque etiam opinione pecuniae Postumi nescio qua, facile auctus: qui tamen, vt incertus rumor solet, breui exstinctus est. Hoc igitur perspicue falsum: illud contra perspicue verum, equestrem Postumo dignitatem conseruari maxima C. Caesaris liberalitate: cum ipse ad summam redactus inopia, equestrem ordinem, nisi subueniant alienae opes, tueri non possit. Haec accusatoris in Postumi pecuniam quattuor argumenta refellit Cicero ad extremum vnica delata condicione, vt eius bona sestertio nummo veneant: detractis enim, quae creditoribus eius persoluenda sint, nihil superesse confirmat. Quattuor ex partibus defensio constat, prooemio, narratione, cõfutatione, conclusione. nam confirmatio defensoris non est, qui tantum confutat ea, quae accusator obiecit: quemadmodum accusatoris confutatio non est, qui tantum ea, quae obijcit, confirmat. In prooemio dat operam orator, ut

Postumo, suam in credenda regi pecunia temeritatem confitenti, iudices, accusatoris acerba criminatione alienatos, reconciliet. Eius quoque temeritatis excusationem aliquam elicit ex imitatione communi. patrum enim, rectis praesertim in studijs, omnes fere vestigia sequuntur. Sic igitur ad rem gerendam Postumus, atque ad experientiam patrimonij amplificandi, Curij patris exemplo se contulit. Narratio pendet a prooemio: nam incipit ex eo: Fuit enim pueris nobis, huius pater Curius. quo totam Postumi consuetudinem, non solum in re mercaturis augenda, sed in amicis quoque locupletandis, ad imitandae, atque exprimendae studium paternae vitae retulit. Confutationis initium ex illa sumitur obiectione, Hinc primum exoritur crimen illud: deinde singula persequitur accusatoris argumenta. Conclusio est illa: satis multa hominibus non iniquis haec esse debent. Eius prima pars inopiam Postumi summam declarat: secunda probitatem, nulla magis de re, quam de fide laborantis. quorum in altero iniquitatem accusatoris ostendit, qui magnam a Gabinio pecuniam peruenisse ad Postumum dicebat: in altero iudices ad misericordiam adducit ex calamitate, & miseria boni viri. Tertio, & vltimo loco Postumi erga se merita commemorat: quibus preces, & suas, & ipsius Postumi, iustas vtriusque, pro absolutione subijcit. Acta caussa est ijsdem consulibus, quibus Gabinius accusatur, damnatusq. fuerat, ideſt, Domitio Ahenobarbo, & Appio Pulchro: quod ex ep. 16. lib. IV. ad Att. & ex 1. 2. 3. 4. lib. IV. ad Q. fr. liquido constat. minimum enim temporis inter Gabinij damnationem, & Postumi accusationem interfuisse argumento est illud, quod haec Postumi causa, vt ipse ait Cicero, quasi appendicula quaedam est caussae iudicatae, atque damnatae: itaque non multo post agatur, necesse est. Dubitationem vero plane tollunt omnem, & aperte temporis propinquitatem ostendunt illa verba: Dixerunt hic modo nobiscum ad haec subsellia.

M. TVLLII. CICERONIS
PRO. C. RABIRIO. POSTVMO
ORATIO XXXIX.

SI quis est, iudices, qui C. Rabirium, quod suae fortunae, fundatas praesertim, atque optime constitutas, opes potestati regiae, libidiniq. commiserit, reprehendendum putet, adscribat ad iudicium suum non modo meam, sed huius etiam ipsius, qui commisit, sententiam. neque enim cuiquam eius consilium vehementius quam ipsi, displicet. quamquam hoc plerumque facimus, vt consilia euentis ponderemus, &, cui bene quid processerit, multum illum prouidisse; cui secus, nihil sensisse dicamus. si exstitisset in rege fides, nihil sapientius Postumo: quia fefellit rex, nihil hoc amentius dicitur: vt iam nihil esse videatur, nisi diuinare, sapientis. sed tamen si quis est, iudices, qui illam Postumi siue iuuenem spem, siue inconsultam rationem, siue, vt grauissimo verbo vtar, temeritatem vituperandam putet: ego eius opinioni non repugno: illud tamen deprecor, vt, cum ab ipsa fortuna crudelissime videat huius consilia esse multata, ne quid ad ruinas, quibus hic oppressus est, addendum acerbitatis putet. satis est, homines imprudentia lapsos non erigere vrgere vero iacentes, aut praecipitantes, impellere, certe est inhumanum; praesertim, iudices, cum sit hoc generi hominum prope natura datum, vti, qua in familia laus aliqua forte floruerit, hanc fere, qui sunt eius stirpis, quod sermo hominum ad memoriam patrum virtute celebretur, cupidissime persequantur. siquidem nō modo in gloria rei militaris Paullum Scipio, aut Maximum filius, sed etiam in deuotione uitae, & in ipso genere mortis imitatus est P. Decium filius. sint igitur similia, iudices, parua magnis. fuit ei in pueris nobis huius pater, C. Curius princeps ordinis equestris fortissimus & maximus publicanus: cuius in negotijs gerendis magnitudinem animi non tam homines probassent, nisi in eodē benignitas incredibilis fuisset, vt in augenda re non auaritiae praedam, sed instrumentum bonitati quaerere videretur. hoc ille natus, quamuis patrem suum numquam viderat, tamen & natura ipsa duce, quae plurimum valet, & assiduis domesticorum sermonibus in paternae culpae similitudinē deductus est multa gessit: multa contraxit: magnas partes habuit publicanorum; credidit populus: in pluribus prouincijs eius versata res est: dedit se etiā regibus: huic ipsi Alexandrino grandem iam antea pecuniā credidit: nec interea locupletare amicos vmquam suos destitit, mittere in negotium, dare partes, augere, fide sustentare. quid multa? cum magnitudine animi, tum liberalitate vitam patris, & consuetudinem expressérat, pulsus interea regno Ptolemaeus, dolosis consiliis, (vt dixit Sybilla, sensit Postumus) Romam venit. huic egenti, & roganti hic infelix pecuniam credidit: nec tum primum: nam regnanti crediderat absens: nec temere credere putabat, quod erat nemini dubium, quin is in regnum restitueretur a senatu, populoq. R. in dando autem, & credendo processit longius: nec suam solum pecuniam credidit, sed etiam amicorū. stulte: quis negat? aut quis iam non admonet? quod male cecidit, bene consultum putares? id est difficile, quod cum spe magna sis ingressus, id non exsequi vsque ad extremum. supplex erat rex, multa rogabat, omnia pollicebatur: vt iam metuere Postumus cogeretur, ne, quod crediderat, perderet, si credendi constituisset modum. nihil autem erat illo blandius, nihil hoc benignius: vt magis paeniteret coepisse, quam liceret desistere.

EXPLANATIO

PRO. C. RABIRIO. POSTVMO.] post patris interitum nati, postumi dicebantur: & hoc multi cognomine sunt vsi. SI. QVIS *est, iudices,*] natura comparatum videtur, vt misericordiam, supplices facile consequantur. Supplicum autem similitudinem quā dam praeseferunt, qui culpam fatentur. Consulit igitur Postumi causae Cicero, cum ab errati confessione initium sumit. Illud etiam spectat in hoc exordio, vt iudicibus persuadeat, quod regi Postumus pecuniā crediderit, hunc ei fontē omniū malorum hac omnium calamitatum originem fuisse: inde enim natū, vt iuerit in Aegyptū, vt potestati se regiae, libidiniq commiserit; inde illa quae obiecit accusator, vt dioecetes, ideſt, procurator, & quasi dispensator regis fuerit; vt palliū Alexandriae, toga deposita, sumpserit: cū aliter, si suā exigere pecuniā vellet, facere non posset. OPES] hac voce nō diuitiae tantum, sed existimatio quoque designatur. quare dixit infra: Temere hunc suas fortunas. atque famam libidini regiae commisisse. POTESTATI *regiae, libidiniq.*] recte coniunguntur. potestatē enim sequitur libido, praesertim in rege, qui suae potestati aduersari posse nihil videt. QVAMQVAM *hoc plerique facimus.*] ne propter stultitiam Postumus contemptui, ludibrioq sit, non nihil eū excusat. VT *consilia euentis ponderemus;*] eodē sensu scripsit ad Lentulū. Haec, inquit, sententiā sic & illi, & nobis probabatur, vt ex euētu homines de tuo cōsilio existimaturos videremus: si cecidisset, vt volumus, & optamus, omnes te, & sapiēter, & fortiter; sin aliquid esset offensū, eosdē illos. & cupide, & temere feciſſe, dicturos. Et paullo post: Redeo ad illud, quod initio scripsi, totius facti tui iudiciū non tā ex consilio tuo, quam ex euentu, homines esse facturos. CVI *bene quid processerit*] ad Lentulum: si cecidisset, vt volumus,

& optamus

& optamus. Ibidem: Si rem istam ex sententia gesseris. MVLTVM *illum prouidisse,*] ad Lentulum: Et sapienter, & fortiter fecisse. CVI *secus,*] ad Lentulum: sin aliquid esset offensum. Et hic: Quod male cecidit, bene consultum putares? NIHIL *sensisse*] imprudentem, omnino fuisse. ad Lentulum: Et cupide, & temere fecisse. NISI *diuinare,*] nihil pertinet ad sapientem, nisi diuinare. qui enim non diuinat, sapiens non videtur. quod Postumo contigit: qui non diuinauit, quid futurum esset. Nepos in Attici vita: Sic omnia de studijs principum, vitijs ducum, aemulationibus reip. perscripta sunt, vt nihil in his non appareat, & facile existimari possit, prudentiam quodam modo esse diuinationem. IN CONSVLTAM *rationem.*] rationem, quia pecuniam non latroni, sed regi credidit, cui praesertim antea quoque crediderat; nec regi inimico populi Romani, sed ei, cuius reditum consuli datum a senatu videbat; nec ei regi, qui alienus ab hoc imperio esset, sed ei, qui cum foedus feriri in Capitolio viderat. Inconsultam, quia in dando, & credendo processit longius, nec suam solum pecuniam credidit, sed etiam amicorum. AB *ipsa fortuna*] malum euentum ad fortunam refert; vt Postumum culpa liberet. infra quoque lapsum esse dicit non turpibus impensis cupiditatum, atque iacturis, sed experientia patrimonij amplificandi. Et paullo post: Qui nihil profundisti, nihil vllam in libidinem cõtulisti. CRVDELISSIME] eripuit enim fortunas, & famam: siquidem, quia fefellit rex, nihil hoc amẽtius dicitur. MVLTATA,] graui poena affecta, amissione fortunarum omnium. ACERBITATIS] quam addit accusator, fortunae crudelitatem imitatus. IMPRVDENTIA *lapsos*] imprudentiae nomine Postumi culpa minuitur. erratum enim potius, quam delictum ostenditur. NON *erigere:*] infra laudat Caesarem, quia labentẽ excepit, corruere non sinit, fulsit, & sustinuit re, fortuna, fide. PRAESERTIM, *iudices,*] vide artem: nam vt supra excusauit Postumum a fortuna, cum dixit: Quamquam hoc plerumque facimus, vt consilia euentis ponderemus: sic hoc loco eundem excusat ab imitatione patrum, in quam nos ducit ipsa natura. QVOD *sermo hominum celebretur.*] creberrimus sit, ex patrum virtute, ad memoriam eius laudis propagandam. CVPIDISSIME *persequantur.*] Eadem sententia lib. 1. Off. Quorum patres aut maiores in aliqua gloria praestiterunt, eorum plerique in hoc genere laudis student excellere: vt Q Mucius. P. F. in iure ciuili, Paulli filius Africanus in re militari. PAVLLVM L. Aemilium Paullum, qui Persen, Macedoniae regem deuicit. SCIPIO,] naturalis eius filius, ab Africani maioris filio adoptatus. Africanus & ipse ab euersa Carthagine appellatus. MAXIMVM] Q. Fabium Maximum Verrucosum, qui Hannibalis impetus consilio repressit: de quo Virgilius Ennij versum protulit lib. VI. Vnus qui nobis cunctando restituit rem. FILIVS,] eum de quo in ep. ad Sulpicium: Q. Maximus, qui filium consularem, clarum virum, magnis rebus gestis, amisit. Arpos opidum in Apulia, praesidio Hannibalis custoditos, expugnauit. Liuius. IN *deuotione vitae,*] nam vterque se in proelio, pater Samnitico, filius Pyrrhi bello, pro salute exercitus deouit, immisitq. in armatas hostium cateruas. Liuius, ipse Cicero, alij. FORTISSIMVS.] quem res nulla deterreret. dixit hoc propter magnitudinem animi in gerendis negotijs quae bis infra nominatur. MAXIMVS] splendore, & benignitate quadam in omnes incredibili. infra. INSTRVMENTVM *bonitati*] diuitiae ambigua quaedam bona sunt. instrumentum enim tam ad improbitatem adiuuandam, quam ad benignitatem exercendam esse possunt. NVMQVAM *viderat,*] vnde Postumi cognomen accepit. QVAE *plurimum valet,*] non in ea sunt omnia, sed plurimum certe valet. ideo supra dixit, non, natura datum, sed, Prope natura datum. PATERNAE *culpae*] versatur hic in laude Postumi: quo modo igitur ad vituperationem transit? mihi persuaderi vix potest, quin, culpae, mendosum sit: quod illa quoque inferiora declarant: Cum magnitudine animi tum liberalitate vitam patris, & consuetudinem expresserat. Malim igitur, Curae. Sequitur enim: Multa gessit: multa contraxit &c. CONTRAXIT:] contrahere, est, negotiari, & aliquid agere cum alio, Off. lib. 1. Nulla vitae pars, siue tecum quid agas, siue cum alio contrahas, vacare officio potest. MAGNAS *partes*] praecipuas curationes: vt infra: Dare partes. AVGERE,] adderem, Re: cum sequatur, fide sustentare. MAGNITVDINE *animi,*] in gerendis negotijs supra. DOLOSI *Consilijs Romam venit,*] vt senatum, ciuitatisq. principes corrumperet. VT *dixit Sibylla,*] vt legitur in Sibyllae carminibus, quibus XV viri praerant. SENSIT *Postumus,*] nam dolo regis circumuentus est: credidit enim supplici, roganti, multa pollicenti. ERAT *nemini dubium,*] quia socius erat populi Romani. infra. AMICORVM.] qui deinde pro rege reducendo, ne creditam ei pecuniam amitterent, lapidem, vt dicitur, omnem mouerunt.

ORATIO

HInc primum exoritur crimen illud: senatum corruptum esse dicunt. Odii immortales. haec est illa exoptata iudiciorum seueritas? corruptores nostri causam dicunt: nos, qui corrupti sumus, non dicimus. quid ego senatum defendam hoc loco, iudices? omni equidem loco debeo; ita de me est meritus ille ordo: sed id nec agitur hoc tempore, nec cum Postumi causa res ista coniuncta est. quamquam ad sumptum itineris, ad illam magnificentiam apparatus, comitatumq. regium suppeditata pecunia a Postumo est, factaeq. syngraphae sunt in Albano Cn. Pompeii, cum ille Roma profectus esset: tamen non debuit is, qui dabat, quo ille, qui accipiebat, consumeret, quaerere. non enim latroni, sed regi credidit; nec regi inimico populi Ro. sed ei, cuius reditum consuli datum a senatu videbat; nec ei regi, qui alienus ab hoc imperio esset, sed ei, quicum foedus feriri in Capitolio viderat. quod si creditor in culpa sit, non qui improbe credita pecunia vsus: damnetur is, qui fabricatus gladium est, & vendidit: non is, qui illo gladio ciuem aliquem interemit.

EXPLA-

EXPLANATIO

HINC] ex pecunia regi credita, quasi vero diuinare potuerit Postumus, qua in re vsurus esset rex illa pecunia. CORRVPTVM] a rege, regis ve legato Hammonio: de quo in ep. ad Lentulum: Hammonius, regis legatus, aperte pecunia nos oppugnat. Corruptum autem pecunia Postumi. EXOPTATA] cuius caussa mutata iudicia sunt, & quae tantum antea equitum fuerant, inter tres ordines, lege Aurelia communicata. CORRVPTORES] Postumus, corruptor Senatus, vt accusator vult. NOSTRI] senatorij ordinis nam & senator erat Cicero CAVSSAM *dicunt.*] rei sunt, accusantur. NON *dicimus.*] nam si, qui corrupit, accusatur: cur non simul is, qui corruptus est? non igitur seuere iudicia fiunt: cum tamen, vt seuere fierent, exoptante ciuitate mutata sint. NEC *agitur hoc tempore*] non hanc defensionem tempus postulat. Postumi enim haec est caussa, non senatus. NEC *cum Postumi caussa res ista coniuncta est.*] accusatur enim Postumus non de corrupto senatu, sed eo capite legis Iuliae, Quo ea peruenerit, id est, quod a Gabinio pecuniam acceperit. ITINERIS,] cum rex ab vrbe profectus est. SYNGRAPHAE] quibus creditam regi pecuniam aliquando Postumus posset exigere. In ep. ad Trebatium: Quasi Syngraphan attulisses, sic pecunia ablata domum redire properabas. QVO] qua in re. CONSVLI] P. Lentulo Spintheri. ep. 1. & 7. lib. 1. fam. FOEDVS *ferri*] quod factum est C. Caesare, primum consule, vt ipse lib. III. de bel. ci. scriptum reliquit. DAMNETVR *is*] quod si est iniustum, cur non & hoc?

ORATIO

QVamobrem neque tu, C. Memmi, hoc facere debes, vt senatum, cuius auctoritati te ab adolescentia dedisti, in tanta infamia versari velis: neque ego id, quod non agitur, defendere. Postumi enim caussa, quaecumque est, seiuncta a senatu est. quod si item a Gabinio seiunctam ostendero; certe, quod dicas, nihil habebis. est enim haec caussa, quo ea pecunia peruenerit, quasi quaedam appendicula caussae iudicatae, atque damnatae.

EXPLANATIO

C. MEMMI,] qui Rabirium accusabat eo capite legis Iuliae, quo ea pecunia peruenisset: cum antea Gabinium eadem lege accusasset, & damnasset. vnde infra: Si defensioni Gabinij fidem non habes, obliuiscere ne etiam accusationis tuae? Fuerunt autem eodem tempore duo C. Memmij, Vnus tribunus pl. alter candidatus consularis, vterque nominatur ep. 1. & 2. lib. III. ad Q. Fr. Gabinius tribuno pl. accusatus: quod ex iisdem intelligitur epistolis, alter vero Memmius de ambitu, Q. Curtio accusante, damnatus est, Athenasq. in exsulium abijt: ad quem est ep. 1. lib XIII. fam. QVOD *dicas nihil habebis*] Memmius enim duo crimina Rabirio obijciebat, vnum quod senatum corrupisset: alterum quod eius pecuniae pars, quam Gabinius ob restitutionem Ptolomaei regis acceperat, ad ipsum prouenisset, quo nomine in iudicium ex lege Iulia de repetundis vocabatur. Quod ad senatum attinet, obiectionem illam Cicero refellit, caussam Gabinij a senatu seiunctam ostendens. & hoc maxime vtitur argumento, quod quamquam senatus corruptus esset (id quod non concedit. illud enim interposuit: Quid ego senatum defendam hoc loco, Iudices?) tamen eo nomine in crimē vocari Rabirius non debuit: quia pecuniam illam regi dederit amico, & socio populi Romani, non senatoribus, vt eos corrumperet. Quod si rex ipse senatoribus dedit, quid ad Rabirium? Qui enim alicui pecuniam dat, non quaerit, in quam rem is, qui accepit, errogaturus illam pecuniam sit. Itaq. infirma ratione Memmius accusator nititur, cum Rabirij, senatusq. caussam eandem facit, quae diuersa maxime est. QVO *ea pecunia peruenerit*] Verba legis Iuliae aduersus omnes, qui partem aliquā pecuniae contra leges accepissent. Qui non accusabantur primo loco, sed post eū, in quē totū illud acceptae pecuniae crimen conijceretur. Qui si erat absolutus, nemo praeterea accusabatur. Sin damnatus, accusabantur ij, ad quos eius pecuniae pars peruenisse putaretur. Ideo subiungit: Est enī haec caussa, quo ea pecunia peruenerit, quasi quaedā appēdicula caussae iudicatae atq. damnatae.

ORATIO

SVnt lites aestimatae A. Gabinio: nec praedes dati, nec ex eius bonis, quanta summa litium fuisset, a populo recipi, lex aequa est. iubet lex Iulia persequi ab iis, ad quos ea pecunia, quam is ceperit, qui damnatus sit, peruenerit. si est hoc nouum in lege Iulia, sicuti multa sunt seuerius scripta, quam in antiquis legibus, & sanctius iudicata: sane etiam consuetudo huius generis iudiciorum noua. sin hoc totidem verbis translatum caput est, quot fuit non modo in Cornelia, si de ciuium ante in lege Seruilia: per deos immortales, quid agimus, iudices, aut quem hunc morem nouorum iudiciorum in remp. inducimus? erat enim haec consuetudo nota vobis quidem omnibus,

omnibus, sed, si usus magister est optimus, mihi debet esse notissima. accusaui de pecunijs repetundis: iudex sedi; praetor quaesiui: defendi plurimos: nulla pars, quae aliquam facultatem dicendi afferre posset, non mea fuit, ita contendo, neminem vmquam, quo ea pecunia peruenisset, caussam dixisse, qui in aestimandis litibus appellatus non esset. in litibus autem nemo appellabatur, nisi ex testium dictis, aut tabulis priuatorum, aut rationibus ciuitatum. itaque in inferendis litibus adesse solebant, qui aliquid de se verebantur: &, cum erant appellati, si videbatur, statim contra dicere solebant: sin eius temporis recentem inuidiam pertimuerant, respondebant: postea: quod cum fecissent, permulti saepe vicerũt. hoc vero nouum est, ante hoc tempus omnino inauditum. in litibus Postumi nomen est nusquam: in litibus dico? modo vos iidem in A. Gabinium iudices sedistis: num quis testis Postumum appellauit? testis autem? num accusator? num denique toto illo iudicio Postumi nomen audistis? non igitur reus ex ea caussa, quae iudicata est, redundat Postumus, sed est arreptus vnus eques R. de pecuniis repetundis reus; quibus tabulis? quae in iudicio a Gabinio recitatae non sunt: quo teste? a quo tum appellatus nusquam est: qua appellatione litium? in qua Postumi mentio facta nulla est: qua lege? qua non tenetur.

EXPLANATIO

SVNT *lites aestimatae A. Gabinio*] Damnato reo, aestimatio fiebat acceptae ab eo pecuniae. eam pecuniam aut praedes dati se soluturos pollicebantur: aut ex rei bonis, auctione venditis, exigi oportebat. Neutrum dicit esse factum, subiungens: Nec praedes dati, nec ex eius bonis quanta summa litium fuisset a populo receptum. Sic enim lego. nam infra, si praedes, inquit, dedisset Gabinius; aut tantum ex eius bonis, quanta summa litium fuisset. populus recepisset: quamuis magna ad Postumum ab eo pecunia peruenisset, non redigeretur. LEX *aequa est*] Cur aequa est lex Iulia? quia cauet populo, quantum licet: iubet enim persequi ab ijs, ad quos ea pecunia, quam is ceperit, qui damnatus sit, peruenerit. quo capite Memmij nitebatur accusatio. Cicero contra disputat hoc modo. Accusare Memmi Rabirium non potes, nemo enim vmquam propter ea legis verba, Quo ea pecunia peruenisset, caussam dixit, qui in aestimandis litibus appellatus non esset. Post. Rabirius appellatus non est, neque a teste, neque ab accusatore, neque vllo denique modo. ergo mos non patitur, vt eum accuses. Quod si dixeris, nouum hunc morem iudiciorum ideo posse induci, quia nouum quoque sit caput illud Iulia lege sancitum, Quo ea pecunia peruenerit: id si probaueris, concedam; sin autem concedas tu mihi necesse est, nouum hunc morem induci non debere, vt caussam dicat is, qui in litibus aestimandis appellatus non sit. IN. CORNELIA] Quam tulit L. Cornelius Sulla dictator de pecunijs repetundis. SERVILIA] quam de pecunijs repetundis C. Seruilius Glaucia, vel tribunus pl. vel praetor tulit addiditq. nequis ea lege, praeter ordinem senatorium, teneretur de quo sic in Bruto: Et plebem tenebat, & equestrem ordinem beneficio legis deuinxerat. ACCVSAVI *de pecuniis repetundis*] C. Verrem. IVDEX *sedi*] verbum, sedere, saepe de iudicibus vsurpatur, vt in Vatinium: De quibus duos praetextatos sedentes vides. Ad Q fr. ep. 4 lib. III. Duo praetorij sederunt. PRAETOR *quaesiui*] Vt in caussa C. Licinij Macri, quem etiam damnauit. quod Plutarchus in eius vita docet. FACVLTATEM *dicendi*] Malo, discendi. quod alij ante nos viderunt. non enim hic de eloquentia sermo est, sed de notitia consuetudinis iudiciorum, quam sibi dixit, si vsus magister est optimus, debere esse notissimam. RATIONIBVS *ciuitatum*] Quae recitari solebant in iudicio: vt ex ijs cõstaret, quam quisque pecuniam contra leges cepisset. IN. INFERENDIS *litibus*] Cum aliquis de pecunijs repetundis accusabatur. DE *se verebantur*] Ne scilicet reo damnato ipsi quoque. Quo ea pecunia peruenisset, caussam dicerent. STATIM] Absoluto iudicio. RECENTEM *inuidiam*] Quae saepe multos magis, quam culpa, afflixit. inuidiam autem infamiam illam, quae reo condemnato sequebatur. POSTEA] Non ita statim sed post aliquot dies inuidia magna iam ex parte exstincta. VICERVNT] Absoluti sunt cum tamen damnatus esset is, cuius in iudicio appellati essent. VOS *iidem*] Maxime igitur timenda erat inuidia, cum apud eosdem iudices essent accusandi, Quo ea pecunia peruenisset. apud quos & accusati essent, & damnati, qui de pecunijs repetundis caussam dixerant. Infra: Cum in his iudiciis ne locus quidem nouo testi soleat esse, ob eamq. caussã iidem iudices retineantur, qui fuerint de reo, vt his nota sint omnia, neque quid fingi possit. NON *igitur reus*] Non ex Gabinij caussa pendet, aut enascitur Gabinij accusatio, sed hoc Memmij consilium fuit, vt eorum, quibus auctoribus ad accusationem Memmius descendit, vt non tantum vni Rabirio, quam vniuerso equestri ordini periculum crearetur. ABREPTVS] Quasi vi, non iure, non more, non lege. DE *pecuniis repetundis*] Amplificatio quaedam. plus enim dixit, quam si, Quo ea pecunia peruenisset. QVIBVS *tabulis*] supra dixit, Tabulis priuatorum. RECITATAM *non sunt*] Si recitatae non sunt, ergo in ijs appellatus Rabirius non est. QVA *appellatione litium*?] Non modo ex tabulis priuatorum, testium ve dictis, sed ex vlla omnino litium, quae aestimatae Gabinio sunt, appellatione Rabirius accusari non potuit: mentio enim eius facta nulla est. QVA *non tenetur*] Est enim eques Ro. equestris autem ordo lege de repetundis non tenetur. quod infra patet, vt alia, quae occurrunt exempla breuitatis caussa praetermittam.

ORATIO

ORATIO

Hic iam, iudices, vestri consilij res est, vestrae sapientiae: quid deceat vos, non quantum liceat vobis, spectare debetis. si enim, quid liceat, quaeritis: potestis tollere e ciuitate, quem vultis: tabella est, quae dat potestatem, occultat eadem libidinem: cuius conscientia nihil est, quod quisquam timeat, si non pertimescat suam. vbi est igitur sapientia iudicis? in hoc, vt non solum, quid possit, sed etiam, quid debeat, ponderet; nec, quantū sibi permissum, meminerit solum, sed etiam quatenus cōmissum sit. datur tibi tabella iudicij: qua lege? Iulia de pecunijs repetundis. quo de reo? de equite R. at iste ordo lege ea nō tenetur. illo, inquit, capite, quod erat in Postumum, quod in Gabinium iudex esses, nihil Gabinio datum, cum in eum lites aestimarentur. at nunc audio. reus igitur Postumus est ea lege, qua non modo ipse, sed totus etiam ordo solutus, ac liber est. hic ego nunc non vos prius implorabo, equites R. quorū ius iudicio tentatur, quam vos senatores, quorum agitur fides in hunc ordinem: quae quidem cum saepe ante, tum in hac ipsa caussa nuper est cognita. nam cum, optimo & praestātissimo consule, Cn. Pompeio de hac ipsa quaestione referente, exsisterent nonnullae, sed perpaucae tamen acerbae sententiae, quae censerent, vt tribuni, vt praefecti, vt scribae, vt comites omnes magistratuum lege hac tenerentur: vos, inquam, ipsi, & senatus frequens restitit: & quamquam tum propter multorum delicta etiam ad innocentium periculum tempus illud exarserat; tamen, cum odium non restinguere tis, huic ordini ignē nouum subijci non stuistis. hoc animo igitur senatus. quid vos equites R. quid tandem estis actur? Glaucia solebat, homo impurus, sed tamen acutus, populum monere, vt, cum lex aliqua recitaretur, primum versum attenderet: si esset dictator, consul, praetor, magister equitum, ne laboraret, sciret nihil ad se pertinere: sin autem, quicumque post hanc legem, videret, ne qua noua quaestione alligaretur. Nunc vos equites R. videte. scitis me ortū e vobis, omnia semper sensisse pro vobis: nihil horum sine magna cura, & summa caritate vestri ordinis loquor: alius alios homines, & ordines, ego vos semper cōplexus sum, moneo, & praedico, integra re caussaq. denuncio, omnes homines deosq. testor, dum potestis, dum licet, prouidete, ne duriorem vobis condicionem statuatis, ordiniq. vestro, quam ferre possit. serpet hoc malum, mihi credite. longius, quam putatis. potentissimo, & nobilissimo tribuno pl. M. Druso vnam in equestrem ordinē quaestionem ferenti, si quis ob rem iudicatam pecuniam cepisset, aperte equites R. restiterunt. quid? hoc licere volebant? minime, neque solum hoc genus pecuniae capiendae turpe, sed etiam nefarium arbitrabantur: attamen ita disputabant, eos teneri legibus oportere, qui suo iudicio essent illam condicionem vitae secuti, delectat amplissimus ciuitatis gradus, sella curulis, fasces, imperia, prouinciae, sacerdotia, triumphi, denique imago ipsa ad posteritatis memoriam prodita: simul etiam sollicitudo aliqua, & legum & iudiciorum maior quidam metus. nos ista numquam contempsimus, (ita enim disputabant) sed hanc vitam quietam, atque otiosam secuti sumus: quae quoniam honore caret, careat etiam molestia. tam es tu iudex, quam ego senator. ita est, sed tu istud petijsti, ego hoc cogor. quare aut iudici vtibi non esse liceat, aut legē lege senatoria non timere. Hos vos equites R. ius a patribus acceptum amittetis? moneo, ne faciatis. raperientur homines in haec iudicia ex omni non modo inuidia, sed sermone maleuolorum, nisi cauetis. si iam vobis nunciaretur, in senatu sententias dici, vt his legibus teneremini, concurrendum ad curiam putaretis: si lex ferretur, conuolaretis ad rostra, vos senatus liberos hac lege esse voluit, populus numquam alligauit: soluti huc cōueniistis: ne cōstricti discedatis, cauete. nam si Postumo fraudi fuerit, qui nec tribunus, nec praefectus, nec ex Italia comes, nec familiaris Gabinij fuit: quonam se modo defendēt posthac, qui vestri ordinis cum magistratibus nostris fuerint his caussis implicati?

EXPLANATIO

Libidinem:] iniquam voluntatem: vt nocere possit cui velit. Cvius *conscientia*] hoc dicit. Cum in tabella iudicis libido lateat, nihil est ei timendum, praeter suam conscientiam. quod si suam nō timet. cuius timebit? cum nemo, quid in tabella senserit, scire possit. Cuius inquit, ex conscientia, id est, notitia. libidinis, nihil est, quod quisquam timeat si suam ipse notitiam, scientiamq. non timet. Conscientiam pro notitia vsurpauit & oratione in Catil. 1. Patere tua consilia non sentis? constrictam iam oīum horum conscientia cōiurationem tuā non sentis? Permissvm] Potestas indicatur. Commissvm] Fides. & probitas ostenditur. Illo, *inquit, capite,*] Querebatur accusator: cum Gabinius damnatus peteret a iudicibus, vt illo legis Iuliae capite, Quo ea pecunia peruenisset. aliquid sibi aestimatione litium remitteretur, nihil ei concessum. cum tamen concedendum aliquid videretur. Sic Coelius in ep. ad Cic. M. Seruilius maxima nobis traditus erat inuidia: neque Laterensis praetor, postulāte Pausania nobis patronis, Quo ea pecunia peruenisset, recipere voluit. Qvod *erat in Postumum,*] ideo erat in Postumum, quia erat in omnes, ad quos ea pecunia peruenisset. accusator aūt quo grauius reū premat, in vnū confert, quod oīum erat, qui aliquā eius pecuniae partē cepisent. Quod in Postumum caput erat, dicebat accusator, cur eo capite nihil Gabinio datū, sed ita de litiū aestimatarum summa nihil detractum, ac si caput illud ad ipsum pertineret? Qvod *in Gabinium iudex esset,*] mendū subesse qui non videat, eū ego prorsus in litteris nihil videre contendam. legerem aūt suffragante sententia: Cum in Gabinium iudices scelere. Supra: Iudex sedi: praetor quęsiui. At *nunc audio*] Respondet Cicero cum quadam ironia: Nunc intelligo quid dicas. dicis enim, quod a me sit nā nihil Gabinio datum illo capite: facile est coniicere, iudicibus non placere, non tā contra

Postumum,quam omnino cõtra quemquam agi,praeterquã cõtra eum,qui primus de pecunijs repetundis caussam dicat, ita nõ solum Postumus,verum ẽt vniuersus equestris ordo solutus, ac liber est eo capite,Quo ea pecunia peruenerit. Vos *prius implorabo equites R.*] iudices erant in caussa Postumi equites Ro.cũ senatoribus & tribunis aerarijs.cum enim,vt Pedianus docet, per annos decẽ lege Cornelia L. Sullae soli Senatores iudicassent, cõmunicata iudicia sunt inter eos tres ordines, quos nominauimus lege quã tulit L. Aurelius Cotta praetor. Prius aũt implorat equites,quã senatores,ea caussa quã subiungit,quod eorũ ius illo Postumi iudicio tentaretur,ideſt, quod eodem tempore de communi oĩum equitũ periculo ageretur.dãmnato enim Postumo,equite Romano,ea lege,qua equites nõ tenebantur,vniuersõ ordini periculũ eadẽ lege impẽdere videbatur Qvorvm *ius iudicio tentatur,*]vestirũ ius est,ne quis vos lege de repetundis accusare possit.hoc ius tentatur, vno equite R. in iudiciũ vocato;qui si dãnatur;erit,cur eandẽ sibi quisque vestrum calamitatẽ pertimescat.Proprie igitur,tentatur in vno quod ad oẽs pertinet.Qvae *quidem cum saepe,*]artificioſe,cum dixerit,Vos prius implorabo,equites R. Senatores tamen prius alloquitur , quam equites. non enim exspectandum,vt,cum equites erit allocutus,rursus ad senatores orationem conuertat,Consvle,] iterum. Gabinio enim dãnato,Rabirius est accusatus.Gabinius aũt Domitio, & Appio cos. damnatus est:& ante eos Pompeius & Crassus alterũ consulatũ gesserẽ Cũ igitur Cicero dixerit, Nuper est cognita & subiungat,consule Cn. Pompeio ; facile est intelligere, annum significari proximum superiorem quo Pompeius iterum,vt dixi,consul fuit.De *hac ipsa quaestione*] vt in eos, qui pecunias contra leges cepissent,cuiuscumque essent ordinis,quereretur.Sed *perpaucae tamen,*]ne senatorum iudicum animos laedat quorum gratiam pro Rabirij salute aucupatur,cum dixisset. Acerbae,quasi corrigens,Perpaucae tamen,intulit.Vt *tribuni,vt praefecti,*]tribuni mil.qui quaterni erant in legione:praefecti,equitum.de vtrisque diximus in comentario ep fam.Vos,*inquam,ipsi,*]qui nũc in caussa Postumi iudicatis Tacite admonet eos fidei,atque constantiae.Mvltorvm]qui pecunias contras leges ceperant.Ad *innocentium periculum*]innocentes quoque in iudicium vocabantur.Cvm *odium non restinguere tis.*]magnũ quiddam fuit,in tanto odio,quod ad innocentium quoque periculum exarserat,nec restingui poterat,saluti tamen consulere ordinis equestris,nec pati quemquã ea lege teneri,praeter ordinem senatorium.Ignem *nouum subijci*] accusati nem intendi nouo more. Lepida translatio,exarserat,restingueretis ignem subijci Glavcia] C.Seruilius Glaucia:quẽ praetorem C.Marius vi.consul,cum L.Appuleio Saturnino trib.pl.vt seditiosum ciuem infecit.Cicero, & omnis historia.Homo *impurus,*]blanditur senatoribus praesentibus.fuerat enim Glaucia nobilitatis inimicus.Sed *tamen acutus.*]haec in Bruto. Longe post natos homines improbissimus C. Seruilius Glaucia;sed peracutus,& callidus,cum primisq. ridiculus.is ex summis & fortunae,& vitae sordibus in praetura consul factus esset,si rationem eius haberi licere iudicatum esset,nã & plebem tenebat,& equestrem ordinem beneficio legis deuinxerat is praetor eodem die, quo Saturninus tribunus pl. Mario,& Flacco cõsulibus publice est interfectus. Magister *equitum,*]leges a magistro equitum ferri solitas,alibi me legisse non memini.Scire *nihil ad se pertinere:*]quod ij legibus nulla noua quaestio contineretur,sed alia potius iura ciuibus ferrentur.Qvicvmqve *post hanc legem.*]qui bus verbis,quod antea licuerit,id in posterum non licere ostenditur Ne *qua noua quaestione alligaretur.*]ne legem eam probaret,qua sibi durior aliqua condicio imponeretur:ne vocari deinde in iudicium aliqua de re posset,de antea quaeri in eum non soleret.Ortvm *e uobis*] equestri loco natum. non enim senator fuit Ciceronis pater.Integra.re,*caussaq.*]hac lego,qua Postumus accusatur,nõ dum alligati.Infra:soluti hunc conuestis:ne constricti discedatis,caueti.M.Drvso.duo M.Drusi fure pater.& filius,pater equalis C.Gracchi,eiusq.collega in secundo tribunatu,filius post annos triginta tribunus pl.Philippo,Sex.Caesare cos.Patrem senatus adduxit,vt C.Gracchi conatibus,ad exitium reip.spectantibus,aduersaretur eiusq. collectam nouis legibus gratiam apud populum, quoad posset,imminueret.quod ille praestitit:vt apud Plutarchum,Suetonium,Appianum,Ciceronem etiam lib. iv. de fin. scriptum est Drusus filius tribunus pl.cum senatus partes tuendas suscepisset,& leges pro optimatibus tulisset post eo licentiae est progressus,vt nullum in ijs modum seruaret.itaque Philippus consul,qui ei inimicus erat,obtinuit a senatu,vt leges eius oẽs vno.S. C. tollerentur Hoc Pedianus.at Cicero pro Milone.Domi suae inquit,nobilissimus vir, senatus propugnator, atque illis quidẽ temporibus paene patronus,tribunus pl.M.Drusus occisus est.Epitome sic. Senatus cum imporentiam equestris ordinis in iudicijs exercendis ferre nollet,omni vi niti coepit, vt ad se iudicia transferrentur,sustinente caussam eius M.Liuio Druso tribuno pl. qui, vt vires sibi acquireret,pernicioſa spe largitionis plebẽ concitauit.socios,& Italicos populos spe ciuitatis Romanae sollicitauit:ijsq.adiuuãtibus,per vim legibus agrarijs frumentarijsq.latis legẽ quoque iudicialem tulit vt aequa parte iudicia penes senatũ & equestrẽ ordinẽ essent.cũ deinde promissa socijs ciuitas praestari nõ posset.irati Italici defectionẽ coeperũt agitare.propter quae Liuius Drusus ẽt senatui inuisus factus, velut socialis belli auctor, incertum a quo, domi occisus est. Velleius eum vehementer laudat, eloquentissimum, sanctissimum, meliore ingenio, animoque quam fortuna, vsum esse dicens: fortasse propter gentilem eius Liuiam Tiberij Imperatoris matrem. Plutarchus in Catone, eloquentissimum & prudentissimum fuisse, auctor est. At C. Carbo apud Ciceronem in Oratore patrem laudat, filium vituperat his verbis : O M. Druse . (patrem appello) tu dicere solebas, sacram esse remp. quicunque eam violauissent, ab omnibus ei esse poenas

persolutas.

persolutas. Patris dictū sapiens temeritas filij comprobauit. Facinus improbū & Valerius Max. Drusi filij cōmemorat lib. IX. cap. 5. Parui, inquit, habuit L. Philippū consulē, quia interfari concionantē ausus fuerat, obtorta gula, & quidē nō per viatorē, sed per clientē iuum, adeo violenter in carcerem praecipitē egisse, vt multus e naribus eius cruor profunderetur: verū etiā cū senatus ad eū misisset, vt in curiā veniret. Quare nō potius, inquit, ipse in Hostiliā propinquā Rostris, ad me venit? Est igitur Drusus qui hac oratione, vt infensus equestri ordini, nominatur. VNAM] nō, vt lege de pecunijs repetundis teneretur: quod late patebat: sed vt eo tantū nomine accusari posset, si ob rē iudicatā pecuniā cepisset. iudicabant enim eo tempore soli equites Romani lege Sempronia C. Gracchi. QVI *suo iudicio essent illam condicionem vitae secuti.*] nō nostra sponte iudicamus dicebant equites Romani, sed cogimur Sēpronia lege quod igitur coacti facimus, cur ex eo periculū nobis, aut molestiā creari patiamur? Infra: Tam es tu iudex, quā ego senator. Ita est: sed tu istud petijsti, ego hoc cogor. DELECTAT] ratio pro equitibus cōtra senatores petentes, vt equites quoque lege de pecuniis repetundis tenerētur & si enim de tempore illo M. Drusi vnā tantū in equestrē ordinē quaestionē ferentis, loqui videtur: tamen habeo rationē praesentis iudicij, quo reus erat Postumus, nō quia pecuniā ob rem iudicatā cepisset, quod vnū sua lege Drusus vetabat, sed eo capite legis Iuliae, Quo ea pecunia peruenisset. quo periculū equestri ordini multo grauius, quā si legē illā Drusus pertulisset, impendere videbatur vnde illud infra: Rapientur homines in haec iudicia ex omni nō modo inuidia, sed sermone maleuolorū, nisi cauetis. Argumentū igitur est a minori. Nam si M. Druso vnā in equestrem ordinē quaestionē ferenti, equites illi restiterunt: quo vos animo hac in caussa esse oportet, in qua id agitur, vt uno cōdemnato equite Romano, equites omnes lege de pecuniis repetundis teneantur? AMPLISSIMVS *ciuitatis gradus,*] ordo senatorius, qui summus erat ciuitatis. Ab ordine transit ad curules magistratus, aedilitatē, praeturā, cōsulatū, Censuā. FASCES,] auget nō enim curules omnes magistratus fasces habebant, sed tantū praetor, & cōsul. aedilis, & censor iure fasciū, & imperio carebant. SACERDOTIA] quae senatoribus deferebantur potius, quā equitibus, ob dignitatē ordinis. quamquā & equitum exstant exempla, sed pauca admodū. P. Lentulus, eius Lentuli filius, qui cōsul Ciceronē ab exsulio reduxit, eodē aetatis anno, quo togā uirilē sumpsit, ideſt XVII. augur factus est. quod illa pro Sextio verba demonstrant: Video P. Lentulū cui superior annus idē & virilē patris, & praetextā populi iudicio, togā dederit. Erant enim equites, qui nondū a censoribus essent in senatū lecti aut eos magistratus nō gessissent, qui aditū in curiā dabant, vel sine lectione censoria. nā si qui vel senatorū filij essent, vel patricij generis, vel clarissimis orti maioribus, non ideo tamen senatorij ius ordinis habeant, sed aeque erant ac dicebantur equites. vt qui plebeio genere, obscuris parentibus, aut maioribus essent orti. Fuere etiā, qui exercitibus praeessent, victisq hostibus triumpharent, nondū adepti senatoriū ordinē sed adhuc equites. vt Cn. Pompeius Magnus: de quo sic in suasione Maniliae rogationis: Quid tā praeter consuetudinē, quā homini peradolescenti, cuius a senatorio gradu aetas longe abesset imperiū, atque exercitū dari, Siciliā permitti, atque Africā, bellumq in ea administrandū? Fuit in his prouincijs singulari innocentia, grauitate, virtute. bellū in Africa maximū cōfecit, victorē exercitū deportauit. Quid uero tā inauditum, quā equitē R. triumphare? TRIVMPHI] nemo triumphabat, qui imperium a populo nō accepisset. imperium autem non nisi senatoribus, nec fere, nisi maiores magistratus adeptis, dabatur. nā quod Pompeius nullo dum gesto magistratu, ac ne senator quidem, vt proxime ostendimus, imperium habuerit, id ob excellentē virtutē, qua superauit aetatem, extra ordinem vni tributum est. IMAGO *ipsa*] imagines eorum, qui gestis honoribus, & meritis erga remp. clari essent, & cera fictas, in atrijs seruari, & in funebri pompa praeferri, mos erat. EST *simul etiam sollicitudo aliqua,* iure simul est, dicebant equites, aliqua sollicitudo: quae compensatur amplissimi ordinis dignitate, sella curuli, fascibus, &c. MAIOR *quidam metus.*] maior, quam equitum, vt lege de pecunijs repetundis nā communium legum & iudiciorum metu equites non carebant. propterea dicit, Maior quidā: vt eam praecipue legem notet, qua senatorius ordo tenebatur, solutus erat equestris. NOS *ista numquam contempsimus,*] prudenter equites liberat suspicione superbiae; ne senatorum iudicum animos offendat. Nos, dicebant, ordinem senatorium, & magistratus non ideo non petiuimus, quia contemneremus, sed quod laboribus quietē otium negotio, magnarumq. rerum curationi praetulimus. CAREAT *etiam molestia.*] eorum iudiciorum, quorum metu & molestia vos senatores carere non debetis. vester enim, quo nos caremus, honor est. TAM *es tu iudex quam ego senator.*] obiectio senatorum. Cur ea lege, qua nos teneremur, vos equites liberi, ac soluti esse vultis? quandoquidē, si senatores nos sumus, vos iudices estis. Tu eques tam es iudex, quam ego sum senator. quod si ego senator iudicia nō recuso; quid est, cur tu iudex ea recuses? TV *istud petijsti, ego hoc cogor.*] Respondent equites. Tu senatorium ordinem, quem nos omisimus, petijsti: mihi iudicandi onus, non voluntas mea, sed Aurelia legis necessitas imposuit. AVT *iudici mihi esse non liceat,*] si quia iudex sum, ideo me vis eadem qua tu senator teneris, lege constringi: iudici esse non liceat: non enim id tanti est. aut, si me vis iudicem esse; quod ego non petij: lege ne tenear, ea, quae nihil ad me pertinet in ordinem senatorium, non equestrem, lata. LEGE *senatoria*] quae senatores quaestione alligat equites non attingit. A. PATRIBVS *acceptum*] patrum enim aetate legem illam de repetundis in senatores tulerat Seruilius Glaucia. IN *inuidia.*] infamiā, contra nocentes conflata: vnde periculum saepe innocentibus etiam creatur. CONCVRRENDVM *ad curiam*] resistendi gratia. HIS *legibus*] quae de repetundis latae sunt, Seruilia primum, deinde Cornelia postre-

mo Iulia. VOS. SENATVS] si uos nec a senatu, nec a populo noua quaestione alligari pateremini: cur nunc, cum & senatus vos hac lege liberos esse voluerit, & populus numquam alligauerit, vestra sponte condicionem istam, quae specie ad vnum equitem Rabirium, re vera ad vniuersum spectat ordinem equestrem, accipiendam putetis? FRAVDI *fuerit,*] damno erit, si damnabitur. NEC *tribunus, nec praefectus, &c.*] ad quos facile pars aliqua pecuniae peruenire potest supra. HIS *caussis*] quia vel tribuni, uel praefecti, uel scribae, uel comites, uel denique familiares magistratuum fuerint. IMPLICATI?] propter munerum tractationem, quae cogit eos assidue cum magistratibus esse: ut, si magistratus de repetundis accusentur, ipsi suspicionem eiusdem criminis effugere uix possint.

ORATIO

TV, inquit, Gabinium, vt regem reduceret, impulisti. Non patitur mea etiam fides de Gabinio gratiuius agere. quem enim ex tantis inimicitijs receptum in gratiã summo studio defenderim, hunc afflictum violare non debeo. quo cum stante si me Cn. Pompeii auctoritas in gratiam non reduxisset, nunc iam ipsius fortuna reduceret. Sed tamen, cum ita dicis, Postumi impulsu Gabinium profectum Alexandriam; si defensioni Gabinii fidem non habes, obliuiscere ne etiam accusationis tuae? Gabinius se id feciße dicebat reip. causa, quod classem Archelai timeret, quod mare refertã fore praedonum putaret: lege etiam id sibi licuisse dicebat. tu inimicus negas: ignosco, & eo magis, quod est contra illud iudicatum. redeo igitur ad crimen, & accusationem tuam. Quid vociferabare, decem millia talentum Gabinio esse promißa; huic videlicet perblandus reperiendus fuit, qui hominem, vt tu vis, auariſſimum exoraret, sestertiũ bis millies, & quadringenties ne magnopere cõzemmeret. Gabinius illud, quoquo consilio fecit, fecit certe suo: quaecũque mens illa fuit, Gabinij fuit, siue ille, vt ipse dicebat, gloriam, siue, vt tu vis, pecuniam quaesiuit, quaesiuit sibi. num Gabinii comes, vel sectator? negat. nõ ad Gabinii, cuius id negotium nõ erat, sed ad P. Lentuli, clariſſimi viri, auctoritatẽ, a senatu profectam, & consilio certo, & spe non dubia Romam contenderat. At dioecetes fuit regius, & quidem in custodia etiam fuit regia: & vita eius oblata poenae est. multa praeterea, quae libido regis, quae necessitas coegit ferre, pertulit, quarum omnium rerum vna reprehensio est. quod regnum intrarit, quod potestati se regis commiserit: verum si quaerimus, stulte: quid enim stultius, quam equitem R. ex hac vrbe, huius, inquam, reip. ciuem, quae est vna maxime & fuit semper libera, venire in eum locum, ubi parendum alteri, & seruiendũ sit? sed ego in hoc tandem Postumo non ignoscam, homini mediocriter docto, videam sapientiſſimos homines esse lapsos? virum vnum totius Graeciae facile doctiſſimum, Platonem, iniquitate Dionysii, Siciliae tyranni, cui se ille commiserat, in maximis periculis insidijsq. esse versatum accepimus; Callisthenem, doctum hominem, comitem Magni Alexandri, ab Alexandro necatum; Demetrium, & ex rep. Athenis, quam optime digesserat, & ex doctrina nobilem, & clarum, qui Phalereus vocitatus est, in eodem isto Aegypti regno, aspide ad corpus admota, vita esse priuatum. plane confiteor fieri nihil posse dementius, quam scientem in eum locum venire, vbi libertatem sis perditurus: sed huius istius facti stultitiam maior iam superior stultitia defendit: quae facit, vt hoc stultiſſimum facinus, quod in regnum venerit, quod regi se commiserit, sapienter factum esse videatur. siquidem tam semper stulti, quam sero sapiẽtis est, cum stultitia sua impeditus sit, quoquo modo possit, se expedire. quamobrem illud maneat, & fixum sit, quod neque moueri, neque mutari potest, in quo aequi speraſſe Postumum dicunt, peccaße ini qui, ipse etiam insaniße se confitetur, quod suam, quod pecuniam amicorum regi crediderit cum tanto fortunarum suarum periculo. hoc quidem semel suscepto, atque contracto, perpetienda illa fuerunt, vt se aliquando ad suos vindicaret. itaque obijcias licet, quam voles saepe, palliatum fuiße, aliqua habuiße nõ Romani hominis insignia: quoties eorum quippiam dices, toties vnum dices atque illud, temere hunc pecuniam regi credidiße, suas fortunas, atque famam libidini regiae commisiße. fecerat temere. fateor: mutari factum iam nullo modo poterat. aut pallium sumendum Alexandriae, vt & Romae togato esse liceret: aut omnes fortunae abijciendae, si togam retinuißet. deliciarum causſa & voluptatis non modo ciues R. sed & nobiles adolescentes, & quosdam etiam senatores, summo loco natos, non in hortis, aut suburbanis suis, sed Neapoli in celeberrimo opido cum mitella saepe videmus. chlamydatum illum L. Sullam imperatorem, L. vero Scipionis, qui bellum in Asia gesſit, Antiochumq. deuicit non solum cum chlamyde, sed etiam cum crepidis in Capitolio statuã videtis. quorum impunitas fuit non modo a iudicio, sed etiam a sermone. facilius certe P. Rutilium Rufum necessitatis excusatio defendet: qui cum a Mithridate Mitylenis oppressus esset, crudelitatem regis in togatos vestitus mutatione vitauit. ergo ille P. Rutilius qui documentum fuit hominibus nostris virtutis, antiquitatis, prudentiae, consularis homo soccos habuit, & pallium; nec vero ideo id homini tum quisquam, sed tempori assignandum putauit: Postumo crimen vestitus afferet, is, in quo spes fuit, posse se aliquãdo ad fortunas suas peruenire? nam, vt ventum est Alexandriam ad Auleten iudices, haec vna ratio a rege proposita Postumo est seruandae pecuniae, si curationem & quasi dispensationem regiam suscepiſſet. id autem facere non poterat, nisi dioecetes. hoc enim nomine vtitur, qui a rege esset constitutus. odio sum negotium Postumo videbatur; sed erat nulla omnino recusatio. molestum etiam nomen ipsum: sed res habebat nomen hoc apud illos, non hìc imposuerat: oderat vestitum etiam illum: sed sine eo nec nomẽ illud poterat, nec munus tueri. ergo aderat vis, vt ait poeta ille noster, quae summos frangit infirmatq. opes. Moueretur; inquies. nam id sequitur. feciſſet certe, si sine maximo dedecore, tam impeditis suis rebus, potuiſſet emori. Nolito igitur fortunam conuertere in culpam, neque regis iniuriam huius crimen putare nec consilium ex necessitate, nec voluntatem ex vi interpretari. nisi forte eos etiam, qui in hostes, aut in praedones inciderint, si aliter quippiam coacti faciant, quam libere, vituperandos putes.

tes, nemo nostrum ignorat, etiam si experti non sumus, consuetudinem: regiam: regũ autem sunt haec imperia, Animaduerte, & dicto pare: &, Praeter rogitatũ si querare: *& illae minae,* Si te secundo lumine hic offendero, Moriere. *quae, non vt delectemur solum, legere, & spectare debemus, sed vt cauere etiam, & effugere discamus.*

EXPLANATIO

EX *tantis inimicitijs*] consul Gabinius tribunum pl. in eijciendo Cicerone Clodium adiuuerat RECEPTVM *in gratiam*] studio, & commendatione Cn Pompeij. DEFENDERIM,] reum de pecunijs repetundis, Valerius Max. lib. IV. c. 2. D. Hieronymus in apologia contra Rufinum. Dio. lib. XXXIX. VIOLARE] in quo, quasi sacra quaedam res agitur fides mea, qui iam eum, receptum in gratiam, defendi. STANTE] incolumi, antequam iret in exsulium. ep. ad Marium: Qui, me stante, stare non poterant. Et in Pis. Gabinium sine prouincia stare non posse. CN. *Pompeij auctoritas*] cui, cum de me optime merito, tum summo viro, ac principi ciuitatis, enixe petenti, vt cum Gabinio in gratiam redirem, negare non debui. ep. I. VII. ad Marium: cogor nonnumquam homines non optime meritos, rogatu eorum, qui benemeriti sunt, defendere. IPSIVS *fortuna*] cuius me miseret. ita, ne violetur a me, facile vel fides impetrat, vel misericordia. DEFENSIONI *Gabinii*] qui se Alexandriam iuisse reip. caussa dicebat. ACCVSATIONIS *tuae*?] in qua vociferabare decem millia talentum Gabinio esse promissa. quod si verum est: non igitur impulsu Postumi profectus Alexandriam est Gabinius. Loqueris igitur pugnantia. ARCHELAI] Comanorum sacerdotis, qui Ptolemaeo rege a ciuibus pulso, Alexandriam, vxore ducta Ptolemaei filia, occupauerat. historiam Strabo explicat lib. XVII. Appianus Plutarchus TIMERET,] ne mare infestum haberet, maritimasq. gentes populi Romani imperio subiectas vexaret. LEGE *etiam id sibi licuisse dicebat*] apparet multis locis, amicum Ptolemaei regis Pompeium fuisse, orta inter eos, aut certe confirmata vehementer amicitia Mithridatico bello, quo rex eũ suis copijs, opibusque maxime iuuit. dubitandũ igitur nõ est, quin auctore Pompeio Gabinius tegem reduxerit: cuius etiã in Albano factas esse syngraphas de pecunia, quã Postumus, discedente ab vrbe rege, ad sumptũ itineris, ad magnificentiã apparatus ad comitatũ suppeditauit, supra Cicero dixit. Iam, de restituendo rege consensisse cum Pompeio Caesarẽ, magnamq. pecuniae vim vtriq. a rege datã, Suetonio teste cognouimus. Itaque suspicari licet, adductum Caesaris, & Pompeij auctoritate summa tribunũ pl. aliquẽ legẽ tulisse, nõ qua reductio regis nominatim Gabinio mandaretur, (dixisset enim Gabinius, id sibi lege datũ, nõ, id sibi lege dicuisse) sed, qua rex reduceretur. Hunem Memmij. negari enim ab inimico mirũ nõ fuit. Negas, Gabiniũ id fecisse reip. caussa: sed ais pecuniam ab eo, non gloriam, esse quaesitam. IGNOSCO] inimico neganti. non contendã hac de re tecũ de ipso crimine quo damnatus est Gabinius, ideſt de pecunia loquar: vt, quod ad Postumi defensionẽ pertinet, id ex tua Gabinij accusatione summam. CONTRA *illud*] quod Gabinius dicebat est enim damnatus. Nam si cõtra illam Memmij rationem, in Gabinij iudicio prolatam, hoc loco Cicero disputaret: primũ ipsi Gabinio, iam damnato, nihil prodesset: deinde offensiores sibi in Postumi caussa iudices redderet, a quibus Gabiniũ iniuste damnatũ diceret. VOCIFERABARE] cum Gabinium accusares. Odiosum verbum, Vociferabare: quasi crimen accusator clamore amplificaret. DECEM *millia talẽtum*] vbi talentũ simpliciter dicitur; de Attico accipi debere, pro locis intelligitur. Atticũ autẽ septingenis vicenis scutatis, (vt vocabulis vtar notis, & antiqua recentioribus cõferã) aestimabatur. qua ratione decẽ millia talentũ sunt, septuagies centena ducenta scutatorũ millia: vel, vt communi potius intelligentiae, quã Latini sermonis elegantiae. seruiã, milliones vt vulgo appellãt, septem, & ducenta scutatorum millia quod subiecta supputatio, Romano expressa nummo, confirmat. quae enim ex talentis decẽ millibus, eadẽ e sestertiũ bis millies, & quadringenties, varietate ne minima quidẽ vlla, summa fit. PROMISSA] regis nomine. quae vt acciperet Gabinius, si quidẽ, vt dicebat accusator auariſſimus erat, Postumi, aut cuiusquã omnino exspectandũ ei cõsilium nõ fuit. Respondet ad illud: Dicis. Postumi impulsu Gabinium profectum Alexandriam. HVIC *videli. et perblandus, &c.*] Huic, nec ad Postumum referri potest, a quo non dicebat accusator, per alium actum esse cum Gabinio, vt iret Alexandriã, sed ipsum suasorem fuisse: nimirum, vt ipse quoque partem aliquã eius pecuniae caperet: quo crimine eũ accusabat: ad Gabiniũ vero multo minus diceretur enim id quod absurdum est: Gabinio videlicet perblandus reperiendus fuit qui ei persuaderet, ne tantã pecuniam aspernaretur: quod nemini, siquidẽ, vt tu vis, auaritiae morbo maxime laborabat, verisimile videbitur. Locum igitur, vt arbitror, mendosum, vna detracta litterula, sic restituo: Hui. videlicet perblandus reperiendus fuit, qui hominem, &c. Quid ais Memmi? nunc quidẽ, impulsu Postumi Gabinium Alexandriã profectum: antea vero, cum Gabinium accusares, decẽ ei millia talentum esse promissa. Videlicet, quẽ tanta pecunia non moueret, eum quisquã suo cõsilio impelleret. hac igitur culpa Postumum oratio tua liberat. Hui, admirãtis est. vel cum ironia dictum. NE *magnopere contemneret.*] neque hic abest ironia. poterat enim dicere: ne cõtemneret sed est in Memmium irrisio: cuius ex oratione colligatur, Gabinium, si Postumi impulsu profectus in Alexandriã sit, decẽ millia talentũ magnopere contempsisse: quem praesertim auariſſimum esse dixerit. GLORIAM,] id enim se feciſſe dicebat

dicebat reip. causſa, quod classem Archelai timeret quod mare refertum fore praedonum putaret. QVAESIVIT *sibi.*] non vt partē Postumo daret. NEGAT:] non hoc Memmius obijcit. clamaret enim aduersus eum veritas ipsa: cum apud omnes constet Postumum non in Syriam ad Gabinium, (quor sum enim, cum ad eum reductio regis non attingeret?) sed Romā esse profectum. P. LENTVLI] Ciliciae proconsulis, cui negotium illud senatus mandauerat, vt scriptae ad eum Ciceronis epistolae docent. AVCTORITATEM] in eo negotio summam. ET *consilio certo, & spe non dubia*] nec temere, nec inani spe commotus, sed quia fore crederet, vt omnino rex auctore Lentulo reduceretur, atque ita creditam regi pecuniam recuperaret. quamquā rex Alexandria potitus ingratum se praebuit. Vnde illud infra: Nudus atque egēs fugit e regno DIOECETES] Procurator, & quasi dispensator regius ἀπὸ τοῦ διοικεῖν infra: Vt ventū est Alexandriā ad Auleten, hæc vna ratio a rege proposita Postumo est seruandae pecuniae, si curationē, & quasi dispensationē regiā susc episset. id autē facere nō poterat, nisi dioecetes hoc enim nomine vtitur, quia rege esset constitutus: Ex hoc loco satis apparet Aegyptū Graeca lingua vsam esse. atque etiā infra, cū de legatis Alexandrinis Cicero loquatur, Graecos appellat. Nostis, inquit, insulsitatē Graecorū. ET *quidem in custodia etiam fuit regia.*] quo tu in munere speciē honoremq. ponis, in eo molestia, periculumq. fuit est enim coniectus in carcerē iussu regis. Infra. Dominatus est, inquit Alexandriae Immo vero in superbissimo dominatu fuit: pertulit ipse custodiā: vidit in vinculis familiares suos: mors ob oculos saepe versata est. Est quidā lepor in duobus verbis, regius, &, regia, primo obiectionē accusatoris claudēte, altero defensoris confutationē. VITA *eius oblata poenae est.*] parū abfuit a poena tu autē floruisse eū gratia apud regē, vel credis, cum dioecetē fuisse dicis, vel ideo dicis, vt iudices credant. PLATONEM, historiā Platonis apud Laertium vide, Callisthenis, infra nominati, apud eundē in Aristotelis vita, Plutarchū in Alexandro, Curtiū, Trogū, alios. ASPIDE *ad corpus admota.*] ad manum. ait Laertius cū iectus patria, exsularet Alexandriae, regisq. in odiū se incurrisse intelligeret: causſam vide apud Laertiū. SVPERIOR *stultitia*] quod regi grādem pecuniā credidit, non modo postquā regno pulsus est, sed antea quoque, cū regnaret. eam pecuniam, rege restituto, vt recuperaret in regnū venit. stulte: quid enim stultius quā venire in eum locū, vbi parendū alteri, & seruiēdum sit? sed haec stultitia necessaria, superior illa voluntaria fuit: itaque hanc ab illa, vnde orta est defendi, atque excusari, quis non videt? SAPIENTER *factum*] in ea re Postumus nō modo stultitiae culpam vitauit, sed sapientiae laudem tulit. quāquā nunc eius factum, quia iudicatur ex euentu, stultissimū fuisse videatur. pertulit enim custodias, & quaecumque regis libido coegit ferre. quod igitur male cecidit, bene consultū quis putaret? TAM *semper stulti, quam sero sapientis est.*] fateor eam stultitiā fuisse, sed vt eadē tamen sapiētia videri possit. Stultus perpetuo videtur, quod in regnū venerit, regisq. se libidini, ac potestati commiserit, & hanc stultitiā ad illā superiorē addiderit: sed idem sapiens, quamquam sero, quod expedire se, cū impeditus esset antea stultitia sua, conatus sit. Fuit igitur profectio illa in regnū & semper stulti & eadem sero sapiētis. QVOD *neque moueri, neque mutari potest,*] credidit: regi suam, amicorumq. pecuniam. id mutari non potest: ipse etiam in eo se insanisse confitetur. CONTRACTO,] contrahere, hic est peccare, vt alibi quoque. PERPETIENDA] quae pertulit in regno. AD. SVOS] Romam VINDICARET.] tamquam e seruitute. PALLIATVM] pallio potius vt Alexandrinum hominem, quam toga vt Romanum, vsum esse. TEMERE *hunc pecuniam regi credidit,*] hoc enim semel contracto, reliqua ei, si modo ad suum peruenire vellet, necessaria fuerunt. VT *& Romae togato esse liceret:*] vt Romam redire posset, &, vt ceteri ciues, toga vti. quod proxime dixit: perpetienda illa fuerunt, vt se aliquando ad suos vindicaret. Infra vero: Postumo crimen vestitus afferet is, in quo spes fuit, posse sese aliquando ad suas fortunas peruenire? SI *togam retinuisset.*] nisi dioecetes esset, seruare ei pecuniam regi creditam non licebat: dioecetis autem nec nomen, nec munus tueri poterat, nisi palliatus esset. DELICIARVM *causſa,*] non necessitatis, quae Postumum coegit vestitum mutare. ET *nobiles adolescentes, & quosdam etiam senatores, summo loco natos.*] cum Postumus neque nobilis sit, neque senator. Addidit, summo loco natos, quia senatores multi non summo loco nati, vt Cicero, & alij. addidit autem, quo magis Postumi factum excusaret. NON *in hortis, aut suburbanis suis,*] vbi liberior, ac solutior vitae ratio cōceditur. OPIDO] municipium erat. CVM *mitella*] mitella potius, quam mitra, dixit, quo magis lasciuiam notaret. est autem capitis muliebre tegumentum, non virile. vulgo nunc cuffiam vocant. CHLAMYDATVM] non togatum, vt in vrbe, sed lasciuiae causſa chlamydatum, vt in bello. nam chlamydem esse paludamentum, auctor Nonius. Ad chlamydatum autem subaudio, videtis in statua. alioqui, quo referatur, non est. ILLVM] qui, deuicto C. Mario, summum imperium obtinuit. Pronomen hoc non nisi summorum virorum nominibus additur, vt, Africanus ille. IMPERATOREM,] non quales post C. Caesarem fuere, sed quales tunc erant stante rep. victoriam enim aliquam adepti. caesoq. iusto, ac legitimo hostium numero, imperatores ab exercitu appellabantur. quem honorem, si quis vmquam, L Sulla iure est adeptus, felix in bellica re semper: vnde etiam Felicis cognomen. L. VERO *Scipionis,*] fratris Africani maioris. CVM *crepidis*] cum soleis. nam idem sunt: sed crepidae Graeci sermonis, Latini soleae sunt. Gellius lib. XIII. c. 20 SED *etiam a sermone.*] quo iniquior est Memmius, qui criminis loco pallium obijcit Postumo, necessitatis, non lasciuiae gratia vestitum mutanti. OPPRESSVS] repentino Mithridatis edicto, vt omnes vno die ciues Romani necarentur. Opprimi dicitur, non modo qui per vim superatur, sed etiam cōtra quem praeter eius opinionem aliquid fit, vt hoc loco, & in epist. ad Cassium: Puto te iam suppedere, cum haec tertia iam epistola ante te oppressit, quam tu schedu-

tu schedulam, aut litteram. VESTITVS *mutatione*] sumpto pallio, soccis pro calceis: vt Graeco vestitu falleret eos, quibus, vt omnes plane togatos occiderent, mandatum erat. VIRTVTIS.] vir innocentissimus, cum accusatus defendere se, exemplo Socratis, noluisset, dānatus exsulatū abijt Smyrnam. in Bruto pro Balbo. CONSVLARIS *homo*] consulatum gessit cum C. Manilio, anno DCXLIIX. SOCCOS] calceamentum & muliebre, & virile. eo sic vtebantur comoedi, vt cothurno tragoedi. AD AVLETEN.] Latine, tibicinem. cognomen Ptolemaei regis, quia fidibus praecipae delectaretur. ODIOSVM *negotium*] quae obijcere poterat accusator, ea patronus quasi causae confidens, obijcit, & idem soluit, de regia curatione, de nomine dioecetis, de vestitu mutato, de praeclara morte vitādae turpitudinis gratia. Artificij non vulgaris est vel praeripere quae contra dici possint, uel iā dicta breuiter confutare. prolixa enim confutatio inde nasci uidetur, quod orator laboret, caussaeq. timeat: breuis certam uictoriae spem ostendit. VIS,] regis imperantis. POETA *ille noster*,] cuius poema non exstat: itaque nomen eius ignoratur; MORERETVR, *inquies*.] pro, mori potius debuit, quam illud munus accipere, palliumq. susc ipere. Sic lib. III. Off. Potius diceret, non esse aequam, quia nō esset utilis reip. Pro, dicere debebat. Alibi. NAM *id sequitur*:] quod contra dici possit. SI *sine maximo decore*.] retorquet argumentum. Mori debuit, quo dedecus effugeret. Immo uero mori, tam impeditis rebus suis, sine dedecore, & quidem maximo, non potuit. ad priorem enim culpam rei familiaris temere proiectae, desperationis, animiq. debilitati, & fracti, & fortunae cedentis infamiam addidisset. Faciunt hoc non oratores modo, sed ēt poetae, ut, ad excusandā vitatae mortis ignominiam, moriendi caussae maiorē uiuendi caussa opponāt. Sic in oratione pro Sextio: Vnū mihi restabat illud, quod forsitan nō nemo uir fortis, & acris animi, magniq. dixerit restitisses repugnasses: mortē pugnās oppetisses. De quo te, te, inquā patria obtestor, & uos penates, patrijq. dij, me uestrarum sedum, templorumq. caussa, me propter salutem meorum ciuium, quae mihi semper fuit mea carior uita, dimicationem, caedemq. fugisse. Virgilius autem haec de se narrātem Aeneā iudicabit lib. 2

Iliaci cineres, & flamma extrema meorum.
Testor, in occasu uestro, nec tella, nec ullas
Vitauisse uices Danaum; & si fata fuissent,
Vt caderem. meruisse manu. NEC *consilium ex necessitate. nec voluntatem ex vi interpretari*.] noli dicere, consilium fuisse, quae necessitas fuit; & uolentem ea Postumū feciss e, quae ut faceret, uis coegit. ANIMADVERTE, *& dicto pare*:] ex tragoedia ueteris poteae: ex eadē fortasse, quae sequuntur. SECVNDO *lumine*] cras idem attingit ep. ult. lib. 7. ad Att. Caesaris interdicta, si te secundo lumine hic offendero, respuuntur. Virgilius quoque lumen accepit pro die lib. VI. Vix lumine quarto prospecti Italiam. Eodem modo lux. Pro Milone: Centesima lux haec est ab interitu Clodij.

ORATIO

AT *ex hoc ipso crimen exoritur. ait enim, dum Gabinio pecuniam Postumus cogeret ex decumis imperatorum, pecuniam sibi coegisse. Non intelligo, hoc quale sit, vtrum accessionem decumae, vt nostri facere coactores solent, centesima, an decessionem de summa fecerit. si accessionem, vndecim millia talentum ad Gabinium peruenerunt. at non modo abs te decem millia obiecta sunt, sed etiam ab his aestimata. addo illud etiam. qui tandem conuenit, aut, nam graui onere tributorum, ad tantam pecuniam cogendam mille talentum accessionē esse factam, aut, in tanta mercede hominis, vt vis, auarissimi, mille talentum decessionem esse concessam? neque enim fuit Gabinij, remittere tantum de suo; nec regis, imponere tantum pati suis. aderunt testes legati Alexandrini. hi nihil in Gabinium dixerunt: immo hi Gabinū laudauerunt. vbi ergo ille mos? vbi consuetudo iudiciorū? vbi exempla? solet ne is dicere in eum, qui pecuniam redegit, qui in illum, cuius nomine ea pecunia redigeretur, non dixerit? age, si is, qui non dixit, solet: etiam ne is solet, qui laudauit? eisdem testibus, & quidem non productis, sed dictis testium recitatis, quasi praeiudicata res ad has caussas deferri solet.*

EXPLANATIO

EX *hoc ipso*] ex administratione regiae pecuniae. EX. DECVMIS] ex decumano regis vectigali. IMPERATORVM.] quē locum hic habere possit mentio imperatorum, nullo modo possum excogitare. aratorum, quod sententia non respuit, cum aratorū quoque decumae saepe nominentur in Verrinis. libenter reponerē. tritico aūt ex fertilitate Nilo redundante inuecta, Aegyptus abūdat. VTRVM *accessionem decumae, vt nostri coactores soleat, centesima, an decessionem de summa fecerit.*] Gabinio regis iussu, cogebatur illa pecunia, nempe decē millia talentū. Postumus vnde sibi sumpsit? nā si ex decumis fiunt decē millia talentum quae Gabinij sunt: pro Postumo quid super est? Exegit, inquies centesimā, nostrorū coactorū more, praeter illa decē millia talentū Gabinio coacta? ex quibus, cum ei pro reductione regis promissa essent, detrahi nihil oportuit. Si hoc verum est, respondet Cicero tota coacta pecunia vndecim millia talentum fuisset, non decē millia: quae ab accusatore obiecta iudices, dānato Gabinio, aestimarunt. id aūt quis uerū putabit? nam tantum noui oneris, ideſt

mille

mille talentum, imponi populis rex non videtur passurus fuisse. Sin autem Postumum in cogenda sibi pecunia non accessionem fecisse ad decem millia talentum, sed ex ipsis decem millibus, Gabinio promissis, centesimam sibi sumpsisse dices: cui uerisimile videbitur Gabinum, hominem, vt tu vis auarissimum tantum pecuniae de promissa sibi summa detrahi passum esse? VNDECIM *millia talentum*]tot esse constat, si praeter decumas centesima praeterea pendatur. vno enim ad decem addito, vndecim fiunt. TAM *graui onere tributorum,*]pensione decumarum annua. MILLE *talentum accessionem esse factam.*]hoc infra refellunt illa verba: Nec regis, imponere tantum pati suis. ESSE *concessam?*]a Gabinio. cuius erat merces pro reductione regis decem millia talentum. TANTVM *pati*]tantū noui oneris, tantū vt paterentur. AD ERVNT *testes legati Alexandrini.*]contra Postumū dicturi, qui antea dixerāt pro Gabinio, sed rex Gabinio. Pōpeij gratia, opē ferre cupiuerat: Postumo infēsus erat suo nomine. Infra: Nudus atque egens fugit e regno. SOLET *ne is dicere in eum,*]quod si nemo solet: cur in Postumum, qui pecuniam redegit, legati dicant, cum in Gabinium, cui pecunia illa redigebatur, non dixerint? AGE *si is, qui non dixit, solet:*]sed fac solere: certe qui reum laudauit, in alium, eiusdē affinem culpae, non solet. QVASI *praeiudicata res*]ex testium enim dictis mutari nihil potest. AD *has causas*]quo ea pecunia peruenerit.

ORATIO

ET *ait etiam meus familiaris, & necessarius, eandem caussam Alexandrinis fuisse, cur laudarent Gabinium, quae mihi fuerit, cur eundem defenderem. mihi C. Memmi, caussa defendendi Gabinij fuit reconciliatio gratiae. neque me vero paenitet mortales inimicitias, sempiternas amicitias habere. nam, si me inuitum putas, ne Cn. Pompeij animum offenderem, defendisse: caussam, & illum, & me vehementer ignoras. neque enim Pompeius me sua caussa quidquam facere voluisset inuitum: neque ego cui omnium ciuium libertas carissima fuisset, meam proiecissem. quamdiu inimicissimus Gabinio fui; non amicissimus mihi non Pompeius fuit: nec postea quam illius auctoritate eam dedi veniam, quam debui quidquam simulaui: ne cum mea perfidia illi etiam ipsi facerem. cui beneficium dedissem, iniuriam. nam non redeundo in gratiam cum inimico, non violabam Pompeium; si per eum reductus insidiose rediissem, me scilicet maxime, sed proxime illum quoque fefellissem. at de me omittamus. Ad Alexandrinos istos reuertamur. Quae habent os? quam audaciam? modo, vobis inspectantibus, in iudicio Gabinij tertio quoque verbo excitabantur: negabant pecuniam Gabinio datam: recitabatur idētidem Pompeij testimonium, regem ad se scripsisse, nullam pecuniam Gabinio, nisi in rem militarem, datam.*

EXPLANATIO

MEVS *familiaris.*]Apparet C. Memmium significari. cui paullo post respondet. EANDEM *caussam*]amicitiam Pompeij, cuius opera Ptolemaeus redierat in regnum, Cicero autem ab exsulio. IMMORTALES *inimicitias,*]quae aliquando desinant, vt cuncta mortalia. SEMPITERNAS]vitae aequales. CAVSSAM]Postumi, quae nūc agitur. mouit enim me tamquam iusta: quam tu videris iniustam putare, cum eam non propter ipsam, sed propter amicitiam Pompeij, defendi a me dicis. OMNIVM *ciuium libertas*]in exstinguendo Catilina, nefarie de rep. cogitante. NON *amicissimus mihi, non Pompeius fuit:*]deest inimicissimus mihi non fuit nam particula, non iterata, affirmationem gignit. In hoc Pōpeij beneuolentiam captat, cuius animum erga se, licet inimicissimum amico suo Gabinio, numquam esse immutatum ostendit. ILLIVS *auctoritate eam dedi veniam. quam debui,*]illo auctore, posteaquam Gabinio, qui me grauiter Consul laeserat, ignoui, sicut debui auctore Pompeio, principe ciuitatis, & mihi summa necessitudine coniuncto. QVIDQVAM *simulaui*]in Gabinium. simulassem autem, si eum a te repetundi accusatum ob eam, quam tu putas, caussam, non iudicio, ac veritate adductum defendissem. NE *cum mea perfidia*]Perfidus enim in Gabinium fuissem, si Vatinium defendissem inuitus, contra fidem illi datam: cum illi me fore amicissimum Gabinij, vere sancteq. affirmassem. CVI *beneficium dedissem* Pompeium designat, cui videtur, cum Gabinio in gratiam redeundo beneficium dedisse, reconciliationem illam, beneficij loco, petenti. NON *violabam Pompeium:*]praestitit autem, non violare Pompeium, quam & me ipsum, & illum fide mea prodita, fallere. NISI *in rem militarem.*]Armis enim Gabinius regem reduxit, Archelao pulso.

ORATIO

NON *est, inquit, tum Alexandrinis testibus creditum. Quid? postea creditum? non. quamobrem? quia nunc aiunt quod tum negabant. quid ergo? ista condicio est testium, vt, quibus creditum non sit negantibus, iisdem credatur dicentibus? at, si verum tum cum verissima fronte dixerunt, nunc mentiuntur; si tunc mentiti sunt, doceant nos verum. quid vultis? si leant. dicere audiebamus Alexandriam: nunc cognoscimus: illinc, omnes praestigiae, illinc, inquam, omnes fallaciae, omnia denique ab his nummorum argumenta nata sunt. nec*

mihi

mihi longius quidquam est, iudices, quam videre hominum vultus. dixerunt hic modo nobiscum ad haec subsellia, quibus superciliis renuentes huic decem millium crimini? iam nostis insulsitatem Graecorum. humeris gestum agebant: tum, temporis credo caussa: nunc scilicet tempus nullum est. vbi semel quis peierauerit, ei credi, postea, etiam si per plures deos iuret, non oportet, praesertim, iudices, cum in his iudiciis ne locus quidem nouo testi soleat esse, ob eamq. caussam iidem iudices retineantur, qui fuerint de reo, vt his nota sint omnia, neque quid fingi noui possit. lites, quo ea pecunia peruenerit, nō suis propriis iudiciis, sed in reum factis condemnari solēt. itaque, si aut praedes dedisset Gabinius; aut tantum ex eius bonis, quanta summa litium fuisset, populus recepisset; quamuis magna ad Postumum ab eo pecunia peruenisset, non redigeretur; vt intelligi facile possit, quod ex ea pecunia ad quem eorum, qui damnatus est, peruenisse in illo primo iudicio planum factū sit, id hoc genere iudicii redigi solere. nunc vero quid agitur? vbi terrarum sumus? quid tam insolens, tam peruersum, praeposterum ue dici, aut excogitari potest? accusatur is, qui non abstulit a rege, sicut Gabinius iudicatus est, sed qui maximam regi pecuniam credidit. ergo is Gabinio dedit, qui non huic reddidit. iam cedo, cum is, qui pecuniam Postumo debuit, non huic, sed Gabinio dederit, condemnato Gabinio, vtrum illi eam pecuniam reddidit, an etiam nunc debet? at habet, & celat: sunt enim, qui ita loquantur. quod genus tandem est istud ostentationis, & gloriae? si nihil habuisset vmquam, tamen, si quaesisset, cur is dissimularet habere, caussa non esset; qui vero duo lauta, & copiosa patrimonia accepisset, remq. praeterea bonis & honestis rationibus auxisset; quid esset tandem caussae, cur existimari vellet nihil habere? an cum credebat inductus vsuris, id agebat, vt haberet quāplurimum: postea quā exegit quod crediderat, vt existimaretur egere, nouum genus hoc gloriae concupiscit?

EXPLANATIO

NON *est, inquit, creditum.*] in iudicio Gabinij: qui laudatus ab illis tamen damnatus est, tamquam acceptis ob reductionem illam decem millibus talentum. QVID? *postea creditum? Non.*] hic de mendo cur suspicer, duae caussae faciunt. vna quod creditū, locū non habet: quia nondū legati testimoniū dixerant in Postumum. ac ne in iudicium quidem, vt arbitror, venerant. nā supra: Aderunt testes legati Alexandrini infra vero: Nec mihi longius quidquā est, iudices, quā uidere hominum vultus. Altera caussa est, quod particula, Non, referri ad accusatorem nulla ratione pōt: qui cū accusaret Postumū, affirmabat potius, quā negabat credendum esse legatis in Postumū dicentibus. Quare suffragante, vt opinor, sententia, distinguerem ac legerē, hoc modo Quid postea? (subaudi, fore putas) credetur nunc, subiungitur aūt ratio ex persona accusatoris: quia nunc aiunt quod tum negabant. Necesse est enim credi vel negantibus, vel affirmantibus. negantibus in Gabinij iudicio creditū non est: itaque iudices eum damnarūt: affirmantibus igitur contra Postumū creditur. Hic Cicero ducit argumentum a testium inconstantia. Quid ergo? inquit: ijsdem testibus in eadem re creditur nunc, quibus creditum antea non sit? Disputationis aūt hic est ordo. Accusator dicit: Non est tum Alexandrinis testibus creditum. Defensor: Quid postea? Accusator: creditur nūc, Defensor: Quamobrē? Accusator: Quia nunc aiunt quod tū negabant. Defensor: Quid ergo? ista cōditio &c. COGNOSCIMVS] in hoc postumi negotio. PRAESTICIAE] artes obscurādae veritatis. NVMMORVM *argumenta*] falsa nummorum indicia: cū C. Gabinio non esse pecuniā illam a rege datā negauerint & nunc datā a Gabinio partem eius pecuniae Postumo dicant, vt eo, quo accusatur, crimine damnetur, ex capite legis Iuliae, Quo ea pecunia peruenerit NOBISCVM] cum ego Gabinium de repetundis defenderem. AD *haec subsellia*,] ante uos iudices. Erant subsellia iudicum, accusatorum defensorū. Subsellia Peqianus, non maiora, sed minora tantū iudicia exercentiū fuisse, non recte, vt arbitror, existimat. iudiciū enim postumi certe inter minora non est: & subsellia tamē iudicium appellātur. QVIBVS *superciliis*] quo verius eorū testimoniū uideretur, admirationē superciliis ostendebāt, negantes omnino uerum esse crimen decem millium talentorum. TVM *temporis credo caussa*:] ut Gabinium adiuuarent Ironia, quasi dicat si tunc falsum testimonium, tempori seruientes, dixerunt. nunc quoque, temporis caussā, falsum dicunt: tunc, ut reum Gabinium subleuarēt: nunc ut reū Postumum. Non enim est, ut dici possit recte tunc ijs creditum non est; quia tempori seruiebant: recte autē nunc ijsdem non creditur; quia tempori non seruient, sed ex animo testimonium dicent. IN *his iudiciis*] quae fiunt ex eo capite legis Iuliae, quo ea pecunia peruenerit: quo capite nunc accusatus Postumus. SI *aut praedes dedisset*] hac de re uide supra. HOC *genere iudicii*] quod fit ex eo capite legis Iuliae, Quo ea pecunia peruenerit, REDIGI *solere*] tum scilicet, cum neque is, qui in illo primo iudicio damnatus est; neque ex eius bonis, quanta summa litium aestimatarum fuit, populus recepit. SICVT *Gabinius iudicatus est*,] Gabinium ipse defenderat, eiq. Pompeij caussa amicus erat: propterea non fatetur abstulisse Gabinium a rege pecuniam, sed ait, Iudicatus est. ERGO *is*] ergo rex dedit Gabinio, Postumo autem, quam acceperat, non reddidit. Concinnitas quaedam est, & in similibus uerbis, dedit, reddit, & in sententia: dedit ei, a quo non acceperat; a quo autem acceperat, ei non reddidit. peruerse igitur & praepostere, ut paullo ante dictum est, regis creditor accusatur Postumus. CVM *is*,] REX HABET,] Postumus, acceptam a rege. OSTENTATIONIS, *& gloriae?*] in celanda pecunia: cum ostētatione potius gloria quaeratur. SI *nihil habuisset vmquam*,] Postumus. QVAESISSET,] pro, acquisiuisset. DVO *patrimonia*] unum naturali patre Curio, alterum ab adoptiuo, auunculo suo, Rabirio acceptum. Infra.

Landesbibliothek Oldenburg

ORATIO

DOMINATVS *est enim, inquit, Alexandriae Immo vero in superbissimo dominatu fuit: pertulit ipse custodiã: vidit in vinculis, familiares suos: mors ob oculos saepe versata est: nudus, atque egẽs ad extremum fugit e regno. At permutata aliquando pecunia est: ductae naues Postumi Puteolis sunt: auditae, visaeq. merces: fallaces quidẽ, & fucosae, chartis, & linteis, & vitro delatae: quibus cum multae naues refertae fuissent, vna non potuerit parua, artata. plus ille Puteolanus sermo il lius temporis, vectorumq. cursus, atque ostẽtatio. tum sub inuisum apud maleuolos Postumi nomen propter opinionem pecuniae nescio quam, aestatem vnam complures aures refersit istis sermonibus.*

EXPLANATIO

DOMINATVS *est enim, inquit Alexandriae.*] cũ dioeceteres esset regius. quo fit credibile, pecuniam, antea regi creditam, accepisse, sed celare. PERTVLIT *ipse custodiam:*] tantum abest. vt dominatus Alexandriae sit, vt custodiam quidem ipse pertulerit, in vinculis aũt viderit familiares suos, &c. AT *permutata aliquando pecunia est:*]pecuniam Postumi traductam esse Alexandria Romã, dicebat accusator. PVTEOLIS]aut Puteolos, malim; vt sit, ductae Alexandria Puteolos: aut intelligendum, ductae Puteolis Romam. FALLACES *quidem, & fucosae,*]aduectae enim illae merces Alexandriae, non lucri gratia, sed ne pecunia pateret simul missa. obiectio accusatoris. CHARTIS,]chartarum mẽtio, satis ostendit, Alexandrinas fuisse merces illas. nam Alexandriae chartae tum fiebant ex iunco papyro, & palustribus Aegypti, vel quiescentibus Nili aquis, vbi euagatae stagnarent. Plinius lib XIII. c. 12. VNA *non potuerit parua artata.*]nisi legatur, Patuerit pecunia; perobscura mihi quidem sententia est. Ceterae merces, dicebat accusator, multis nauibus palam delatae, patebant: pecunia vero, vna tantum artata naui, latebat. PLVS *ille Puteolanus sermo*]non magna varietate, si quis contractam scribendi rationem consideret, lego, Publicus ille. VECTORVMQ. *cursus,*] qui vehebant, ostentabantq. illas merces.

ORATIO

VERVM *autem, iudices, si scire vultis, nisi C. Caesaris summa in omnes, incredibilis in hunc eadem liberalitas exstitisset, nos hunc Postumum iampridem in foro non haberemus. ille onera multorum huius amicorum excepit vnus: quaeq. multi homines necessarij secundis Postumi rebus descripta sustinuerunt, nunc eius afflictis fortunis vniuersa sustinet. vmbram equitis R. & imaginem videtis, iudices, vnius amici conseruatam auxilio, & fide. nihil huic eripi potest, praeter hoc simulacrum pristinae dignitatis, quod Caesar solus tuetur, & sustinet: quae quidem in miserrimis rebus huic tamẽ tribuenda est maxima. nisi vero hoc mediocri virtute effici potest. vt tantus ille vir tanti ducat hunc, & afflictum praesertim, & absentem, & in tanta fortuna sua, vt aliena respicere magnum sit, tanta oppugatione maximarum rerum, quas gerit, atque gessit, vt vel oblinisci aliorum non sit mirum. vel, si meminerit, oblitum esse, facile possit probare. multas equidem C. Caesaris virtutes, magnas, incredibilesq. cognoui: sed sunt ceterae maioribus quasi theatris propositae, & paene populares. castris locum capere, exercitum instruere, expugnare vrbes, aciem hostium profligare, hanc vim frigorum, hiememque, quam nos vix huius vrbis tectis sustineamus, excipere, his ipsis diebus hostem persequi, tum, cum etiã ferae latibulis se tegant, atque omnia bella iure gentium conquiescant: sunt ea quidem magna: quis negat? sed magnis excitata sunt praemijs ad memoriam hominum sẽpiternam. quo minus admirandum est, cum facere illa, qui immortalitatem concupiuerit. haec mira laus est, quae non poetarum carminibus, non annalium monumẽtis celebratur, sed prudentium iudicio expenditur. equitem R. veterem amicum suum, studiosum, amantem, obseruantem sui, non libidine, non turpibus impensis cupiditatum, atque iacturis, sed experiẽtia patrimonij amplificandi labentem excepit, corruere non siuit, fulsit, & sustinuit re. fortuna, fide, hodieq. sustinet, nec, amicum pendentem corruere patitur. nec illius animi aciem praestinguit splendor sui nominis, nec mentis quasi luminibus officit altitudo fortunae, & gloriae. sint sane illa magna, quae re vera magna sũt: de iudicio animi mei. vt volet, quisque sentiat: ego enim hanc in tantis opibus, tanta fortuna liberalitatem in suos; memoriam amicitiae, reliquis virtutibus omnibus antepono. quam quidẽ vos, iudices, in nouo genere bonitatem insitatam claris, ac praepotentibus viris non modo non aspernari, ac refutare, sed complecti etiam, & augere debetis; & eo magis, quod videtis hos quasi sumptos dies ad labefactandũ illius dignitatem. ex qua illi nihil detrahi potest, quod nõ aut fortiter ferat, aut facile restituat: amicissimum hominem sit honestate spoliatũ audierit, nec sine magno dolore feret, nec id amiserit, quod posse speret recuperari.*

EXPLA-

EXPLANATIO

HVNC *Postumum,*] non dubito, quin, Postumum, glossema sit: nec dubitabit opinor, qui, quo modo eum supra, infraq. Cicero appellet, obseruabit. IN *foro non haberemus.*] amisso enim equestri censu, quem ad C. D millia peruenire oportebat, equestrem simul ordinem, equitumq. propria ornamenta, vt clauatam tunicam, amisisset. ita publico carere cogeretur. TVETVR, *& sustinetiamen.*] conseruato illi equestri censu. HVIC *tribuenda est maxima.*] summa dignitas Postumo, vel in afflicta eius fortuna, debetur: cum ex eo, de virtute illius non mediocri liceat conijcere, quod Caesar in tantis rebus quas in Gallia gerit, hunc tamen, & afflictum, & absentem, in tanta sua felicitate, magni ducat. MAIORIBVS *quasi theatris propositae,*] illustriores, ac notiores. PAENE *populares.*] vt eas vel quilibet de populo iudicare possit. IVRE *gentium*] quod, sine scripto iure, commune omnium debet esse. PATRIMONII *amplificandi*] cum speraret auctum iri a se patrimonium, regi pecuniam credidit. PENDENTEM *erruere*] haec tota sententia translatis verbis exornatur. Hic olim, pro, Pendentem, erat, Pudentem. nos mendum, translatione admoniti, sustulimus. NEC *illius animi aciem praestringuit splendor sui nominis,*] solent enim clari, & praepotentes viri quasi oculos interdum claudere afflictae amicorum fortunae. Ideo subiungitur: In nouo genere bonitatem &c. NEC *mentis quasi luminibus*] translatio ab iis, quarum altitudo lumini officit inferiorum aedium. Proprie lib. 2. off. Demoliri aedes iussus est, quarum altitudo officeret auspiciis. Translate in Bruto. Catonis luminibus obstruxit haec posteriorum quasi exaggerata altius oratio. Non impedit, inquit, summa Caesaris fortuna, & gloria quo minus ea, quae debet, mens illius cernat, atque prospiciat. IN *nouo genere*] in erigendis afflictis, req. fortuna, fide sustinendis. QVASI *sumptos*] de industria a maleuolis. DIES] qui cognoscendae, & iudicandae Postumi causae tribuentur. AD *labefactandam illius dignitatem.*] quae agitur in amici iudicio. AVT *facile restituat.*] nouis rebus gestis. QVOD *posse speret recuperari.*] amissae enim damnum honestatis, quae res est, quae sarcire vmquam possit: magis igitur de Postumi laborat honestate, quam de sua dignitate.

ORATIO

SAtis multa hominibus non iniquis haec esse debent, nimis etiam multa vobis, quos aequissimos esse confidimus. sed vt omnium vel suspicioni, vel maleuolentiae, vel crudelitati satisfiat: occultat pecuniam Postumus, latent regiae diuitiae; ecquis est ex tanto populo, qui bona C. Rabirij Postumi nummo sestertio sibi addici velit? sed, miserum me, quanto haec dixi cum dolore. hem Postume, tu ne es Curij filius, C. Rabirij iudicio, & voluntate filius, natura sororis filius? tu ne ille in omnes tuos liberalis? cuius multos bonitas locupletauit, qui nihil profudisti, nihil vllam in libidinem contulisti? tua, Postume, nummo sestertio a me addicuntur? o meum miserum, acerbumq. praeconium. at hoc etiam optat miser, vt condemnetur a vobis; ita bona veneant, vt solidum suum cuique soluatur: nihil iam aliud, nisi fidem, curat: nec vos huic, si iam obliuisci vestrae mansuetudinis volueritis, quid quā praeterea potestis eripere. quod, iudices; ne faciatis, oro, obtestorq. vos, atque eo magis, si aduentitia pecunia petitur ab eo, cui sua non redditur, nam in eum, cui misericordia opitulari debeat, inuidia quaesita est. sed iam, quoniam, vt spero, fidem, quam potui, tibi praestiti, Postume, reddam etiam lacrumas, quas debeo: quas quidem ego tuas in meo casu plurimas vidi. versatur ante oculos luctuosa nox meis omnibus, cum tu totum te cum tuis copijs ad me detulisti. tu comitibus, tu praesidio, tu etiam tanto pondere auri, quantum tempus illud postulabat, discessum illud sustentasti. tu numquam meis me absente liberis, numquam coniugi meae defuisti. possum excitare multos reductos tristes liberalitatis tuae: quod saepe audiui patri tuo, qui id fecisset, magno adiumento iudicio capitis fuisse. sed iam omnia timeo: bonitatis ipsius inuidiam reformido. iam indicat tot hominum fletus, quam sis carus tuis: & me dolor debilitat, includitq. vocem. vos obsecro, iudices, vt huic optimo viro, quo nemo melior vmquam fuit, nomē equitis R. & vsuram huius lucis, & vestrum conspectum ne eripiatis. hic vos aliud nihil orat, nisi ut rectis oculis hanc vrbem sibi intueri, atque in hoc foro uestigium facere liceat: quod ipsum fortuna eripuerat, nisi unius amici opes subuenissent.

EXPLANATIO

OCCVLTAT *pecuniam Postumus.*] fatebor quod obijcitur, occultari pecuniam a Postumo, latere apud cū regis diuitias, ideſt, ingentem pecuniae vim cū fallacibus, fucosisq. mercibus missam. NVMMO *sestertio sibi addici velit?*] qui ea velit emere vel minima pecunia, minimo pretio? Sic enim veteres loquebantur. Epitome Liuiana lib. LV. Sestertio nummo venijt. Pedianus etiā bona Milonis, propter aeris alieni magnitudinem, venisse ait semuncia: ideſt minimo: nā semuncia est vigesima quarta pars assis. Et Valerius Max lib. v. c. 2. in funere Hirtij, & Pansae ait eos, qui libitinā exercebāt, petiisse, vt exsequiarum apparatus sestertio nummo ipsis praebentibus addiceretur. Vitruuius quoque, vbi de Salapia loquitur: Areas diuisit, nummoq. sestertio singulis municipibus mancipio dedit.

Landesbibliothek Oldenburg

CVRII] Dixi iam, duos Postumo patres fuisse, a quibus etiam duo ei lauta, & copiosa patrimonia relicta sunt, Curium naturalem, adoptiuum Rabirium, matris fratrem: a quo praenomen, & nomen accepit: vt in adoplionibus mos erat. NIHIL *profudisti, nihil vllam in libidinem contuliſti?*] supra: Non libidine, non turpibus impensis cupiditatum, atque iacturis, sed experientia patrimonij amplificandi labentem excepit. PRAECONIVM.] nam in auctione addicuntur a praecone bona. Hoc *etiam optat miser, vt condemnetur*] Non arbitror eum velle de crimine obiecto condemnari: quod in orationis fine deprecatur, sed tantum, vt, auctione facta bonorum suorum, solidum suum cuique soluatur. itaque subijcit Cicero: Nec vos huic, si iam obliuiſci vestrae manſuetudinis volueritis, [quidquam praeter ea potestis eripere. SI *iam obliuiſci vestrae manſuetudinis volueritis,*] Si vestrae manſuetudinis obliti, condemnare velitis eum illius pecuniae nomine, quam a Gabinio ad eum peruenisse dixit accusator. nam, & si, quantam pecuniam Gabinio datam credidistis, tantam ex eius bonis recipi nō licuit: non ideo tamen sequitur, vt, quae pecunia non inuenitur, ad Postumum peruenerit. tantūq. abest, vt haec aduenticia pecunia, de qua reus est, ab eo peti debeat, vt nec ea, quā ipse regi credidit, ei reddita sit. Quare condemnari, & venire cupit sua bona, non vt ex ijs redacta pecunia soluatur populo, quae non debetur; quandoquidem nihil ex ea Postumus accepit, quam Gabinio datam esse iudicatum est; sed vt amicis suis, a quibus mutuā sumpsit, vt regi crederet, omnino satisfiat. laborat enim nulla de re, praeterquam de fide sua. IN *meo casu*] cum eiectus est iniustissima Clodij rogatione. MVLTOS] non enim testis vnus ego sum liberalitatis tuae. REDVCTOS] qui non adsunt, sed alibi alius rem suam agit. possum, igitur, testes multos excitare, & in iudicium reducere, vt de tua liberalitate testimonium dicant. PATRI *tuo,*] naturali, non adoptiuo. MAGNO *adiumento*] apparet absolutum esse. absolutionis autem magnam fuisse causam, quod multos in iudicium adduxerit testes liberalitatis suae. NOMEN *equitis &c.*] eques enim Romanus, equestrem ei censum si eripueritis, non erit. VSVRAM *huius lucis,*] domicilium vrbis Romae. damnatus enim a vobis, ibit in exsilium. VESTRVM *conspectum*] hoc addidit ad commouendam ex Postumi in eos amore misericordiam. Qui carere inquit, vestro conspectu sine summo dolore non potest, cur eum a vobis eijciendum putetis? RECTIS *oculis*] vt aspicere sibi hanc vrbem praesenti non respicere liceat absenti. QVOD *ipsum*] caruisset enim publico, equestri censu amisso nisi C Caesar eum illi conseruasset. supra. Nisi. C. Caesaris, summa in omnes, incredibilis in hunc eadem liberalitas exstitisset, nos hunc Postumū iampridem in foro non haberemus. Et post: Nihil huic eripi potest, praeter hoc simulacrum pristinae dignitatis, quod Caesar solus tuetur, & sustinet. FORTVNA] & hoc ad mouendam misericordiam pertinet multi enim sua nequitia, suisq. vitijs bona perdiderunt: quibus misericordia nō debetur. Postumo autem non turpes impensae cupiditatum, atque iacturae, sed experientia patrimonij amplificādi, damno, atque exitio fuit. quam culpam fortuna sustinet, OPES] supra: Equitem Romanum, veterem amicum suum, labentem excepit, corruere non siuit, fulsit, & sustinuit re, fortuna, fide.

IN ORA-



IN ORATIONEM CICERONIS PRO M. MARCELLO.

PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS.

ARGVMENTVM

M. Claudius Marcellus, plebeij generis, (nam & Claudij, Pulchrorum, Neronumq. cognomine, patricij fuere) nobilis tamen ex maioribus, & sua virtute clarus, gesto consulatu cum Ser. Sulpicio Rufo, iurisconsulto celeberrimo, ciuili bello Pompeium secutus est: victusq. Pharsalica pugna, neque cum ijs, qui bellum in Africa renouandum putarunt, sua consilia coniunxit, neque ad Caesarem victorem, impetrandae veniae caussa, supplex ire voluit: Mitylenas, vrbē a bello, & a belli suspicione remotam, se contulit: ibi satis diu, nullo reuertendi in patriam studio, commoratus, cum in publica calamitate conscientia se mentis optimae consolaretur, & in litteris viueret, reditum ei senatus a Caesare impetrauit quo beneficio gratiae sunt a multis actae: Cicero autem, Marcelli amātissimus, luculenta, quae exstat, oratione, & gratias egit, & ita Caesarem laudauit, vt accedere nihil posset. Qua de re non alienum uidetur ea recitare, quae ad Sulpicium scripsit his uerbis. Fecerat hoc senatus, ut, cum a L. Pisone mentio esset facta de Marcello, & cum C. Marcellus se ad Caesaris pedes abiecisset, cunctus consurgeret, & ad Caesarem supplex accederet. noli quaerere: ita mihi pulcher hic dies uisus est, ut speciem aliquā uidere uiderer, quasi reuiuiscentis reip. itaque, cum omnes ante me rogati gratias Caesari egissent, ego rogatus mutaui meum consilium. nam statueram, non mehercule inertia, sed desiderio pristinae dignitatis, in perpetuum tacere. fregit hoc meum consilium & Caesaris magnitudo animi, & senatus officium. itaq. plurib. uerbis egi Caesari gratias. Hic de Marcelli summa eloquē-

tia,

tia, quia non pertinet ad orationis argumentum, nihil addam. illud omittendum non videtur, cum in patriam rediret, a P. Magio Chilone, familiari suo, interfectum esse. de quo Sulpicij ad Ciceronem exstat epistola. Et quamquam propter Marcellum habita oratio sit: ad conciliandam tamen, & colligendam Caesaris beneuolentiam digreditur Cicero in eam partem, vt de querella eius, & de suspicione, qui se insidias metuere dixerat, accurate disputet: ac primum, non esse timendum, ostendat; cum nemo tam ingratus, tamque iniustus esse possit, qui, cuius in anima resp. consistit, & a cuius vita omnium vita pendet, eum exstinctum velit: deinde & suo, & reip. nomine hortetur, atque obsecret, vt suae vitae consulat: postremo non excubias modo, custodiasq. bonorum ciuium pro salute illius, verum etiam laterum, & corporum oppositus contra vim pollicea-tur. Habita est, Caesare III. & M. Lepido cos. victis iam iterum in Africa cum Iuba rege Pompeianis.

M. TVL-

M·TVLLII·CICERONIS

PRO. M. MARCELLO

ORATIO. XL

DIVTVRNI silentij, P. C. quo eram his temporibus vsus, non timore aliquo, sed partim dolore, partim verecundia, finem hodiernus dies attulit, idemq. initium, quae vellem, quaeq. sentirem, meo pristino more dicendi. tantam enim mã suetudinem, tam inusitatam inauditamq. clementiam, tantum in summa potestate rerum omnium modum, tam denique incredibilem sapientiam, ac paene diuinam tacitus praeterire nullo modo possum. M. enim Marcello vobis, P. C. reiq. pub. reddito, non solum illius, sed meam etiam vocem, & auctoritatem & vobis, & reip. conseruatam, ac restitutam puto. dolebam enim, P. C. ac vehementer angebar, cum viderem, virum talem, qui in eadẽ caussa, in qua ego, fuisset, non in eadem esse fortuna: nec mihi persuadere poteram, nec fas esse ducebam, versari me in nostro vetere curriculo, illo, aemulo atque imitatore studiorum ac laborum meorum quasi quodam socio a me & comite distracto. ergo & mihi meae pristinae vitae consuetudinem, C. Caesar, intercluſam aperuisti, & his omnibus ad bene de omni rep. sperandum quasi signum aliquod sustulisti. intellectum est enim mihi quidem in multis, & maxime in me ipso, sed paullo antè omnibus, cum M. Marcellum senatui, populoq. R. & reip. concessisti, commemoratis praesertim etiam offensionibus, te auctoritatem huius ordinis, dignitatemq. reip. tuis vel doloribus, vel suspicionibus anteferre. ille quidem fructũ omnis ante actae vitae hodierno die maximum cepit cum summo consensu senatus, tum praeterea iudicio tuo grauissimo, & maximo. ex quo profecto intelligis, quanta in dato beneficio sit laus, cum in acceptο tanta sit gloria. est vero fortunatus ille, cuius ex salute non minor paene ad omnes, quam ad illum ventura sit, laetitia peruenerit. quod quidem ei merito, atque optimo iure contigit. quis enim illo aut nobilitate, aut probitate, aut optimarum artium studio, aut innocentia, aut vllo laudis genere praestantior? nullius tantum est flumen ingenii, nulla dicẽdi, aut scribendi tanta vis, tanta copia, quae, non dicam exornare, sed enarrare, C. Caesar, res tuas gestas possit; tamen affirmo, & hoc pace dicam tua, nullam in his esse laudem ampliorem, quã eam, quam hodierno die consecutus es. soleo saepe ante oculos ponere, idq. libenter crebris vsurpare sermonibus; omnes nostrorum imperatorum, omnes exterarum gentium potentissimorumq. populorum, omnes clarissimorum regum res gestas, cum tuis nec contentionum magnitudine, nec numero proeliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum posse conferri; nec vero disiunctissimas terra citius cuiusquam passibus potuisse peragrari, quam tuis, non dicam cursibus, sed victoriis lustratae sunt. quae quidem ego nisi ita magna esse fatear, ut ea vix cuiusquam mẽs, aut cogitatio capere possit, amens sim: sed tamen sunt alia maiora. nam bellicas laudes solent quidam extenuare uerbis, easq. detrahere ducibus, communicare cum militibus, ne propriae sint imperatorum: & certe in armis militum uirtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus multum iuuant: maximam uero partem quasi suo iure fortuna sibi iudicat. & quid quid est prospere gestum, id paene omne ducit suum. at uero huius gloriae, C. Caesar, quam es paullo ante adeptus, socium habes neminem; totum hoc, quantumcũque est, quod certe maximum est, totũ est, inquam, tuũ; nihil sibi ex ista laude centurio, nihil praefectus, nihil cohors, nihil turma decerpit; quin etiam illa ipsa rerum humanarum domina Fortuna in istius societatem gloriae se non offert; tibi concedit, tuam esse totam, & propriam fatetur; numquam enim temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur. domuisti gentes, immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes: ea tamen uicisti, quae & naturam, & condicionem, ut uinci possent, habebant. nulla est enim tanta uis, tanta copia, quae non ferro, ac uiribus debilitari, frangiq. possit. uerum, animum uincere, iracundiam cohibere, uictoriam temperare, aduersarium nobilitate, ingenio, uirtute praestantem non modo extollere iacentem, sed etiã amplificare eius pristinam dignitatem, haec qui faciat, non ego eum cum summis uiris comparo, sed simillimũ deo iudico. itaque, C. Caesar, bellicae tuae laudes celebrabuntur illae quidem non solum nostris, sed paene omnium gentium litteris, atque linguis; neque ulla umquam aetas de tuis laudibus conticescet: sed tamen eiusmodi res nescio quo modo, etiam dum audiuntur, aut dũ leguntur, obstrepi clamore militum uidentur, & tubarum sono. at uero, cum aliquid clementer, mansuete, iuste, moderate, sapienter factum, in iracundia praesertim, quae est inimica consilio, & in uictoria, quae natura insolens, & superba est, aut audimus aut legimus, quo studio incendimur non modo in gestis rebus, sed etiam in fictis? ut eos saepe, quos numquam uidimus, diligamus. te uero, quem praesentem intuemur, cuius mentem, sensusque, & os cernimus, ut, quidquid belli fortuna reliquum reip. fecerit, id esse saluum uelis, quibus laudibus efferemus? quibus studijs prosequemur? qua beneuolentia complectemur?

EXPLA-

Landesbibliothek Oldenburg

EXPLANATIO

DIVTVRNI *silentij, P.C.*]prima orationis verba ad senatum reliqua ad Caesarem omnia dirigunt̃ habenda enim ratio fuit ordini amplissimi tu dignitatis gratia, tum etiam,quia,cum ageretur de Marcello,supplex ad Caesarē cunctus accesserat & reditum precibus impetrauerat.Diuturni silentij: quia perpetuo tacuerat in senatu,a quo tempore,impetrata a Caesare venia,in vrbem redierat. NON *timore aliquo,*]captat Caesare beneuolentiam,cum se non timuisse ostendit, ne liberius de rep.loquens,eum offenderet.in quo clementiam eius, animiq. magnidinem declarat.Quod aũt hic dicit,Non timore aliquo scribit ad Sulpiciũ.Non mehercule inertia. & quod hic subiungit,Partim dolore ibi, Desiderio pristinae dignitatis: ex quo nascebatur dolor. VERECVNDIA,]contra quem enim armis pugnassem,eo praesente in senatu verba facere verecundia prohibebat.hodiernus aũt dies,Marcello restituto,quasi reuiuiscens rep. mihi animũ reddidit; non solũ ne posthac taceam,verũ etiam,vt pro meo sensu, quemadmodũ antea solebam,libere loquar.MANSVETVDINEM]humanitatẽ.id ostendunt illa verba pro lege Manilia:Humanitatem iam tanta est,vt difficile dictu sit,vtrum hostes magis virtutem eius pugnantes timuerint, an mansuetudinem victi dilexerint.TAM *inusitatam,inauditamq. clementiam,*]vt ignoscatur ei primum, qui contra pugnauerit;deinde ei,qui victus ad clementiam victoris confugere noluerit,malueritq. in externis locis,quã in patria procul a suis vitam ducere.MODVM,]quem enim de medio pro summa potestate facile potest tollere,incolumem esse vult.SAPIENTIAM,]in cognoscenda Marcelli virtute; qua diutius carere non posse remp. intelligit.AC *paene diuinam*]hic nõ omnino quod est deorũ homini tribuit,sed similitudinẽ quandã:alibi tamẽ humana bona cũ diuinis confert,vt lib. 2.de Nat.de. Diuina liberalitas:pro Milone Diuina mente:lib.1.de Orat.Homo diuinus in dicendo.AVCTORITATEM]temporũ calamitatem ademptam.de qua scripsit ad Sulpicium: statueram,non mehercule inertia,sed desiderio pristinae dignitatis,in perpetuum tacere.NON *in eadem esse fortuna:*]non mecũ simul patria frui.IMIDATORE hoc vtitur verbo quia Marcellus aetate minor.DISTRACTO.]dolorẽ significat,ex dirempta superiorum temporum coniunctionem,IN *nostro ueteri curriculo.*]in dicenda de rep.sententia.INTELLECTVM *est enim mihi quidem in multis & maxime in me ipso,sed paullo ante omnibus,*]ratio cur proxime dixerit:His omnibus ad bene de omni rep. sperandũ quasi signum aliquod sustulisti,Quod ad me attinet,inquit:iam intellexeram,cum in multis a te restitutis,tum in me ipso maxime,te auctoritatem huius ordinis,dignitatemq. reip. tuis vel doloribus,vel suspicionibus anteferre:sed quod ego aliquanto ante in multis,& in me ipso,idem hodierno omnes die in salute Marcelli intellexerunt cum enim eum,qui se tibi inimicum nõ modo in bello, sed ẽt,postea quã victus est,ita esse ostenderit,vt veniam a te petere & se tibi,sicut multi, credere noluerit; quae pertinacia summi index odij videbatus.senatui populoq. Romano,& reip.cõcesseris:plus a te senatui,& reip. quam tuis vel doloribus,vel suspicionibus tribui oẽs intellexernnt.Hoc sensu, cũ antea legeretur, In omnibus,particulã,In delendam putaui:vt ad illud,Mihi quidem in multis, referatur hoc, sed paullo ante omnibus,cum M.Marcellũ senatui,populoq. Romano & reip.concessisti.REIP.]quae senatum,populumq. Romanum,praeterea imperium omne complectitur.OFFENSIONIBVS,]iniurijs a Marcello acceptis,praesertim quod ei se,armis iam victus deddere recusasset. quo facto cum acerbior in Caesarem esse, tũ de clementia eius & fide male sentire videbatur. Eandẽ rẽ scribit ad Sulpiciũ his verbis.Ipse Caesar,accusata acerbitate Marcelli,(sic enim appellabat)laudataq.honorificentissime & aequitate tua & prudentia & repente praeter spem dixit se senatui roganti de Marcello ne hominis quidẽ caussa negaturũ.DIGNITATEMQ *reip.*]quae,Marcello,cõsulari viro,restituto,consetuari & augeri videretur.DOLORIBVS]propter superiorum temporũ offensiones. SVSPICIONIBVS]ne restitutis ijs,qui contra te pugnassent,ipse tibi ex occulta aliqua coniuratione periculũ creares.CVM *in accepto tanta sit gloria.*]gloriã cum salute Marcellus a te restitutus adipiscitur:quia quod in eum rogante senatu beneficium cõtulisti,virtutis illius esse fructu oẽs intelligunt.VENTVRA *sit*]quia Marcello nondum cognita res erat. quo enim die Caesar senatui roganti Marcellum concessit,eo ipso die gratias ei Cicero,cum sententiam suo loco rogatus est,egit hac oratione.ATQVE *optimo iure*]auget,põt enim aliquid alicui merito contingere,non tamẽ optimo iure.NOBILITATE]contestata maiorũ virtute Dixi iã,plebeij generis homines,item vt patricios,nobiles uocari propter maiorũ honores & magna in remp merita.nã Decij,Domitij,Publilij.Bruti,Metelli,Marcelli,nobiles,& plebeij tamen generis paullo post nobilissimã uocat Marcellorum familiã. INNOCENTIA,]uidetur plus aliquid innocentia significare, quã probitas. nã cum Cicero probitatem iã Marcello tribuerit,rursus eidem,quasi priore laude non contentus,innocentiã tribuit.NVLLIVS *tãtum est flumen ingenii,*]nullius hominis, non,nullius ingenij nã quod secundo casu duae simul res ponantur,inusitatũ non est,Phil.14.Ad bellũ profectus A.Hirtius:cuius imbecillitatẽ valetudinis, animi uirtus,& spes uictoriae confirmauit.RES *tuas gestas*]discat lector, unde laudandi materiam sumat.sumet enim,hoc adductus exẽplo,non ex ipsa tantum proposita re,sed aliarum quoque rerũ quae magnae putentur,comparatione NEC *uero disiunctissimas terras citius cuiusquam passibus potuisse peragrari*]

peragrari,] sim illud pro lege Manilia: Qui saepius cum hoste conflixit, quam quisquam cum inimico concertauit: plura bella gessit, quam ceteri legerunt: plures prouincias confecit, quam ceteri concupiuerunt. NON *dicam cursibus,*] nam id mirum non esset opponit cursus passibus. LVSTRATAE *sunt.*] obitae sunt. nam, lustrare, interdum est circuire: vt lib. 1. de Nat. de. Mercurij stella anno fere vertente signiferum lustrat orbem Ididem lib. 2. Totam licet animis, tamquam oculis, lustrare terram. Lustrare autem plus est, quam peragrare. nam qui peragrat, pertransit: qui lustrat, ambit: quo plus temporis requiritur. SVNT *alia maiora.*] vt clementiae laus. MAXIMAM *vero partem quasi suo iure fortuna sibi vindicat,*] comparationē propriae laudis cum ijs rebus quae a fortuna dantur, ab Isocrate sumpsit: aut similitudine diuini ingenij in eandem sententiam incurrit. ille sic: οὕτω παραγραμματικῶς τοὺς μὲν τοιούτων ἔργων, ὁσαμετὰ κινδύνων πέπρακται, τὸ πλεῖστον ἂν τις μέροσι τῇ τύχῃ μεταδοίη: τῆς δ' εἰς ἡμᾶς αὐτὸς μετρίο τητος οὐδεὶς ἂν ἀλλ' ἢ τὴν ἡμετέραν γνώμην αἰτιάσαιτο. NIHIL *sibi ex ista laude centurio, nihil praefectus,*] hic equitum, ille peditum dux. NIHIL *cohors, nihil turma decerpit.*] cohors, peditum sexcentorum, auctore apud Gellium Cincio in libro de re militari: turma, equitum triginta. DOMVISTI *gentes*] locus amplificandi ex comparatione. IMMANITATE *barbaras,*] Gallos Germanos, Britannos. MVLTITVDINE *innumerabiles,*] hoc ad Gallos maxime, pertinet: qui saepe in Italiam, cum suis capisedibus non possent, irruperunt. OMNI *copiarum genere* peditatu, ijs etiam, vt in Britannia, qui ex essedis pugnarent. ET *naturam, & condicionem, vt vinci possent,*] communem omnium gentium naturam, propriam illarum condicionem. OBSTREPI] festiue: minus enim auditur in strepitu. parum tamen, vt mihi videtur, vsitate, Obstrepi res videntur. SONO.] clangore. QVAE *est inimica consilio.*] Horatius. Ira furor breuis est. animum rege: qui nisi paret. „ Imperat: hunc fraenis, hunc tu compesce catenis. QVAE *natura insolens, & superba est.*] ad Sulpicium: Nec id victoris vitio, quo nihil moderatius, sed ipsius victoriae quae ciuilibus bellis semper est insolens. Ad eundem: Miserius nihil quam ipsa victoria: quae etiam si ad melio, res venit, tamen eos ipsos ferociores, impotentioresq. reddit,

ORATIO

PArietes mediusfidius, C. Caesar, vt mihi videtur, huius curiae tibi gratias agere gestiunt, quod breui tempore illa futura sit auctoritas in his maiorum suorum & suis sedibus. equidem, cum C. Marcelli, viri optimi, & commemorabili pietate ac virtute praediti, lacrumas modo vobiscum viderem, omnium Marcellorum meum pectus memoriam effodit. quibus tu etiam mortuis, M. Marcello conseruato, dignitatem suam reddidisti; nobilissimamq. familiam, iam ad paucos redactam paene ab interitu vindicasti. hunc tu igitur diem tuis maximis, & innumerabilibus gratulationibus iure antepones. haec enim res vnius est propria Caesaris: ceterae duce te gestae, magnae illae quidem, sed tamen multo magnoq. comitatu: huius autem tu idem & dux es, & comes: quae quidem tanta est, vt trophaeis, & monumentis tuis nonnulla vmquam allatura sit finem aetas: nihil enim est opere, aut manu factum, quod aliquando non conficiat, & consumat vetustas: at vero haec tua iustitia, & lenitas animi floreſcet quotidie magis, ita, vt, quantum operibus tuis diuturnitas detrahet, tantum afferat laudibus.

EXPLANATIO

GRATIAS *agere gestiunt,*] dat sensum rebus inanimis, poetica licentia: de quo diximus pro lege Manilia, in eo loco: Qua celeriter, Pompeio duce belli impetus nauigauit. BREVI *tempore*] tacita ad Caesarem cohortatio pro salute bonorum ciuium. IN *his maiorum suorum, & suis sedibus.*] hunc locum vacare mendo, vix mihi quisquam persuadebit. qui sunt enim isti maiores? si parietum: quid absurdius? quorum igitur? Praeterea. Maiorum suorum, vnde pendet? si enim coniungatur cum. Illa auctoritas; quod postulare sententia videtur: illud per se nō consistet, Et suis sedibus. nam particula, Et, exigit hunc ordinem, In his sedibus maiorū suorum, & suis. magna sane perturbatio. nisi siquis dicat, cum sensus tribuatur parietibus in eo, Gratias tibi agere gestiunt. ijsdem posse tribui, Maiorū suorū. C. MARCELLI,] qui se ad Caesaris pedes abiecerat. Is est, qui cum L. Lentulo consul fuit anno primo ciuilis belli. alter autem C. Marcellus. M. Marcelli frater patruelis, non germanus, vt Suetonius docet, consulatum gesserat anno proximo superiore cum L. Paullo. EFFODIT:] acerbo dolore percussit: quod eorum gentilem pro salute optimi fratris lacrumantem viderem. FAMILIAM,] non gentem. nā gens in plures familias diuiditur, vt Claudia in Pulchros, Nerones, Marcellos, Cornelia in Scipiones, Lentulos, Sullas, Cinnas, Dolabellas, Merulas, GRATVLATIONIBVS] ob victorias. COMITATV:] nemo enim solus vincit. HAEC *tua iustitia,*] clementiam iustitiam appellat, habita ratione virtuti & dignitatis M. Marcelli: quem si Caesar, talem, tantumq. virum carere patria, & in illa misera fortuna diutius esse pateretur, iniuste faceret. LENITAS *animi*] nondū clementiam nominat: ne Caesar hosti pepercisse videatur, & veterum inimicitiarum memoria renouetur. sed paullo post, cū eam nominari necesse esset, propter verbum, Occidissemus; dixit, Clementia tuae iudicio. LAVDIBVS] nam opera non sunt laudes sed monumenta laudum: iustitia autē, & lenitas animi laudes vere sunt.

ORATIO

ET ceteros quidem omnes victores bellorum ciuilium iam ante aequitate, & misericordia viceras; hodierno vero die te ipsum vicisti. vereor, ne vt hoc, quod dicam, perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse cogitans sentio. ipsam victoriam vicisse videris, cum ea ipsa, quae illa erat adepta, victis remisisti. nam, cum ipsius victoriae condicione iure omnes victi occidissemus, clementiae tuae iudicio conseruati sumus. recte igitur vnus inuictus es, a quo etiam ipsius victoriae condicio uisq. de victa est. atque hoc C. Caesaris iudicium, P. C. quam late pateat, attendite.

EXPLANATIO

VEREOR *ut hoc dicam.*] quod alibi docuimus, tota sententia differunt, vereor vt, &, vereor ne. vereor vt, de re dicitur, quam cupimus contingere, sed veremur, ne non contingat: vt ad Terentiam; sin homo amens diripiendam vrbem daturus est; uereor, vt Dolabella ipse satis vobis prodesse possit. Vereor ne, de re dicitur, quae si eueniat, doleamus; sed veremur, ne eueniat: vt ad Caecinã: Vereor, ne desideres officium meum. Lego igitur hic cũ vno Cardinalis Borromaei, & altero Maffeiorum libro, Vereor, vt hoc, quod dicam, perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse intelligens sentio. Nec aliter legit, hunc locum recitans, in Diuin. Pedianus. Fuluij Vrsini liber dissentit in verbis, non tamen in sententia: habet enim: Vereor, ne hoc quod dicam, nõ perinde, quod idem valet. nam, ne non, sunt pro vt. IPSAM *uictoriam uicisse uideris.*] durum hoc videri possit, nisi antecedentibus leniatur. quod de genere quid senserit Asconius, ostendam. nam cum illud in Diuin interpretaretur. Etiã si tacent, satis dicunt: subiunxit: Tale illud est: cum tacent, clamant: &, Victoriam ipsam vicisse videris: &, Philosophandũ est, etiam si non est philosophandum. Haec in loco nec ὀξύμορα, nec κακόξηλα iudicanda sunt: aut enim inferioribus dictis, aut supra positis leniuntur: vt est illud: Vereor, vt hoc, quod dicam, perinde intelligi possit auditu, atque ego ipse cogitans sentio. QVAE *illa erat adepta,*] fortunas, patriam, vitamq. multorum, quae cum victoriae essent, uictis tamen a te remissa & restituta sunt. OCCIDISSEMVS,] magna uis in hoc uerbo. factum enim dicit, quod ipsius uictoriae condicione fieri facile potuit. quo plus additur ad Caesaris laudem, qui conseruet eos, qui iam occiderant'. CLEMENTIAE *tuae iudicio*] ne repente, nullo consilio, Caesar ad ignoscendum adductus esse uideatur, clementiam cum iudicio coniunxit: quod ideo clementia sit usus, quia talibus uiris, qui sua dignitate auctoritatem & speciem reip. sustinerent, ignoscendum esse iudicarit. A QVO *etiam ipsius victoriae uis, condicioq. deuicta est.*] & hoc ad leniendum illud spectat, ipsam uictoriam uicisse uideris. QVAM *late pateat,*] ne quis illud ad unum spectare Marcellum existimet.

ORATIO

OMnes enim, qui ad illa arma fato sumus nescio quo reip. misero funestoq. compulsi, etsi aliqua culpa tenemur erroris humani, a scelere certe liberati sumus. nam, cũ M. Marcellum, deprecantibus vobis, reip. conseruauit, memet mihi & item reip. nullo deprecante, reliquos amplissimos viros & sibi ipsis, & patriae reddidit, quorũ & frequentiam, & dignitatem hoc ipso in cõsessu videtis; non ille hostes induxit in curiam, sed iudicauit a plerisque ignoratione potius, & falso atque inani metu, quam cupiditate, aut crudelitate bellum esse susceptum. quo quidem in bello semper de pace agendum, audiendumq. putaui; semperq. dolui, non modo pacem, sed orationem etiam ciuium pacem efflagitantium repudiari. neque enim ego illa, nec vlla vnquam secutus sum arma ciuilia: semperq. mea consilia pacis, & togae socia, non belli, atque armorum fuerunt. hominem sum secutus priuato officio, non publico: tantumque apud me grati animi fidelis memoria valuit, vt nulla non modo cupiditate, sed ne spe quidem, prudens & sciens tamquam ad interitum ruerem uoluntarius. quod quidem meum consilium minime obscurum fuit. nam & in hoc ordine, integra re, multa de pace dixi; & in ipso bello eadem etiam cum capitis mei periculo sensi. ex quo nemo erit tam iniustus rerum aestimator, qui dubitet, quae Caesaris de bello voluntas fuerit, cum pacis auctores conseruandos statim censuerit, ceteris fuerit iratior. atque id minus mirum videretur fortasse tum. cum esset incertus exitus, & anceps fortuna belli: qui uero uictor, pacis auctores diligit, is profecto declarat, maluisse se non dimicare, quã uincere. atque huius quidem rei M. Marcello sum testis.

EXPLANATIO

FATO] non in Caesarem odio, sed fato reip. & fato nescio quo, & fato misero, funestoque nec adducti, sed compulsi. quae omnia mitigant, excusatione quadam, iram Caesaris, cũ praesertim sequatur culpae confessio: quã tamen non criminis, sed erroris humani culpã uocat, ac ne culpã quidẽ simpliciter, sed aliquam culpam. A. SCELERE *certe liberati sumus*] liberati a Caesare: qui si nos

Landesbibliothek Oldenburg

nos hostium loco habuisset, non induxisset in curiam: induxit: scelere igitur liberauit: ostendit enim, de nostro facto quid sentiret. NVLLO *deprecante*,] auget Caesaris beneficium, oratorie potius, quã vere: nam gener eius Dolabella deprecatus est: vt in ep. ad Att. Et ad Marcellum: Nos cura, & dolore proximi sumus, precibus tardiores, quod ius adeundi, cum ipsi deprecatore eguerimus, non habemus. IGNORATIONE] quae peccatum excusat ignoratione autem causae Caesaris & Pompeij: cum eam, quam defenderunt, optimam, eam, quam oppugnarunt, pessimam putant. METV,] Caesaris. quem, si vinceret, crudelem fore putabãt: cum eum esse lenissimum, & clementissimum, res ipsa docuerit infra: Non enim tua culpa est, si te aliqui timuerunt. CVPIDITATE] honorum opum, earum rerum, quas qui sine nobis rebus assequi si posse diffidunt ciuile bellum excitant. CRVDELITATE] vt occiderent, quos oderant. hac enim spe maxime ciuilia arma capiuntur. SEMPERQ. *dolui, non modo pacem, sed orationem etiam ciuium pacem effugitantium repudiari.*] tacite Pompeiano, vt bellandi cupidos, accusat: & Caesari gratificatur. nec tamẽ dicit, quod non esset. nam ad Sulpicium, ineideram, inquit, in hominum pugnandi cupidorum insanias. Ad Plancium Qui me, hęc praedicentem, malebant nimium timidum, quam satis prudentem existimari. Ad Varronem: Vidi nostros amicos cupere bellũ, hunc autem non tam cuperet quam non timere. Ad Tironem: incidi in ipsam flammam ciuilis discordiae, vel potius belli: cui cum cuperem mederi, &, vt arbitror, possem, cupiditates certorum hominum impedimento nihil fuerunt. PRIVATO *officio, non publico*:] quia Pompeio debebam: non quia Caesaris caussam condemnarem. Et hoc ad colligendum Caesaris beneuolentiam. PRVDENS *& sciens tamquam ad interitum ruerem voluntarium*.] caussam scribit ad Marcellum: Non enim ijs rebus pugnabamus, quibus valere poteramus, consilio, auctoritate, caussa, sed lacertis, & viribus, quibus pares non eramus. victi sumus igitur. Ad Torquatum: Docebam pilis, & gladijs, non consilijs, neque auctoritatibus nostris de iure publico disceptari. Ad Caecinam: Vel officio, vel fama bonorum, vel pudore victus, vt in fabulis Amphiaraus, sic ego prudens & sciens ad pestem ante oculos positam sum profectus. quo in bello nihil aduersi accidit non praedicente me. Ruerem: impulsus accepti beneficij memoria. INTEGRA *re*,] ante bellum. ETIAM *cum capitis mei periculo*,] propter hominum pugnandi cupidorum insanias. CAESARIS *de bello voluntas*] aliena fuit a bello, siquidem eos, qui bellum dissuaserunt, conseruat. CETERIS *fuerit iratior*.] quibus nondum ignouit, quia scit eos auctores belli fuisse. CVM *esse incertus exitus, & anceps fortuna belli*:] apparet, hoc tempore confectum fuisse bellum Africanum. HVIVS *rei*] optimae de pace voluntatis.

ORATIO

NOSTRI *enim sensus, vt in pace semper, sic tum etiam in bello congruebant. quoties ego eum, & quanto cum dolore vidi cum insolentiam certorum hominum, tum etiam ipsius victoriae ferocitatem extimescentem? quo gratior tua liberalitas, C. Caesar, nobis, qui illa vidimus, debet esse. non enim iam caussae sunt inter se, sed victoriae comparandae. vidimus tuam victoriam praeliorum exitu terminatam, gladium vagina vacuum in vrbe non vidimus. quos amisimus ciues, eos vis Martis perculit. non ira victoriae: vt dubitare debeat nemo, quin multos, si fieri posset, C. Caesar ab inferis excitaret, quoniam ex eadem acie conseruat quos potest. alterius vero partis nihil amplius dicam, quam, id quod omnes uerebamur, nimis iracundam futuram fuisse victoriam quidam enim non modo armatis, sed interdum etiam otiosis minabantur; nec, quid quisque sensisset, sed ubi fuisset, cogitandum esse dicebant: vt mihi quidem uideantur dij immortales, etiam si poenas a populo R. ob aliquod delictum expetiuerunt, qui ciuile bellum tantum, & tam luctuosum excitauerint, vel placati iam, vel etiam satiati aliquando, omnem spem salutis ad clementiam uictoris, & sapientiam contulisse.*

EXPLANATIO

CERTORVM *hominum*] qui bellum paci praeferebant. L. Lentulum, L. Domitium Ahenobarbum significat: ut in ep. ad Toranium. IPSIVS *victoriae*] etiam si Pompeiani uicissent. Ad Marcellum: An tu non uidebas mecum simul, quam illa crudelis esset futura uictoria? TVA *liberalitas*] in largienda salute. NON *enim iam caussae sunt inter se, sed victoriae comparandae.*] non distinguo caussas, nec, utra melior fuerit, decerno. de uictorijs hoc dico, tuam proeliorum exitu terminatam, illam nimis iracundam futuram fuisse. GLADIVM *vagina vacuum*] pro nudum. nam uagina gladius includitur, non gladio uagina, sed maluit, Gladium uagiua uacuum, quam uaginam gladio uacuam. quod erat frigidius. ARMATIS] Caesarianis. OTIOSIS] qui neutram partem sequi uellent. Ad Varronem: Crudeliter otiosis minabantur: eratq. ijs & tua inuisa voluntas, & mea oratio. Et ad Att. Omnes, qui in Italia remanserant, hostium numero habebantur. QVID *quisque sensisset*,] etiam si optime de rep. sensisset. VBI *fuisset*,] si fuisset in Italia procul a bello. OB *aliquod delictum*] non quia perditam rem uellent. uicit enim is eorum beneficio, cuius in clementia, ac sapientia omnia posita spes salutis esset.

ORATIO

QVARE gaude tuo isto tam excellenti bono, & fruere cum fortuna, & gloria, tum etiam natura, & moribus tuis: ex quo quidem maximus est fructus, iucunditasq. sapienti cetera cum tua recordabere. etsi persaepe virtuti, tamen plerumque felicitati tuae gratulabere, de nobis, quos in rep. tecum saluos esse voluisti, quoties cogitabis, toties de maximis tuis beneficijs, toties, de incredibili liberalitate, toties de singulari sapientia tua cogitabis, quae non modo summa bona, sed nimirum audebo vel sola dicere. tantus est enim splendor in laude vera, tãta in magnitudine animi & consilij dignitas, vt haec a virtute donata, cetera a fortuna commodata esse videantur. noli igitur in conseruandi, bonis viris defatigari, nõ cupiditate praesertim, aut prauitate aliqua lapsis. sed opinione officij, stulta fortasse, nõ improba certe, specie quadam reip. non enim tua vlla culpa est. si te aliqui timuerunt; contra q. summa laus, quod minime timendum fuisse senserunt.

EXPLANATIO

FELICITATI *tuae.*] in bellica re, ubi plurimũ fortuna ualet: DONATA,] ut propria nostra sint. COMMODATA] ut eadem quae dedit auferre tamquam sua possit. nam commodata redduntur: donata retinentur. AVT *prauitate,*] supra, Aut cupiditate. SPECIE *quadam reip.*] Ad Torquatum: Quoddam nobis officium, iustum, & pium, & debitum reip. nostra eq. dignitati uidebatur. SENSVRENT,] post uictoriam a te conseruati.

ORATIO

NVNC venio ad grauissimam querellam. & atrocissimam suspicionem tuam; quae non tibi ipsi magis, quam cũ omnibus ciuibus, tum maxime nobis, qui a te conseruati sumus, prouidenda est. quam etsi spero esse falsam, numquam tamẽ verbis extenuabo. tua enim cautio, nostra est; & si in alterutro peccandum sit, malim videri nimis timidus, quam parum prudens. Sed quisnam est iste tam demens? de tuis ne? tam etsi, qui magis sunt tui, quam quibus tu salutem insperantibus reddidisti? an ex eo numero, qui vna tecum fuerunt? non est credibilis tantus in vllo furor, vt, quo duce summa omnia sit adeptus, huius uitam non anteponat suae.

EXPLANATIO

PROVIDENDA *est.*] ne vera sit. prouidenda autem curis, consilijsq. nostris. NVMQVAM *tamen verbis extenuabo.*] Nã si extenuarem, cauendi curã imminuerẽ. cauere autẽ ideo te volumus, quia, tibi dũ caues nobis caues. a te enim conseruati, nostrã salutem in tua salute positam existimamus. IN *alterutro*] vel nimium cauendo, uel parum. MIMIS *timidus*] nimium cauẽdo. PARVM *prudens.*] parum cauendo. similiter ad Plancium: Qui me haec praedicentem, atque optime consulentem saluti suae, malebant nimium timidum, quam satis prudentem, existimari. TAN *demens*] qui cõtra tuam salutem cogitet? DE *tuis ne?*] de ijs, qui ciuili bello tuarũ partium fuerunt. AN *ex eo numero, qui vna tecũ fuerunt?*] quia cõfuse dictum uidebatur, De tuis ne? cum id pertinere ad omnes plane uideretur, non modo ad eos, qui pro eo pugnauerant: nunc distinguit, & definit, clarius exponens, quod sub obscure dixerat. quamquam hoc totum ab artificio sumptum, ut Caesaris gratiam aucupetur, cum & se, & alios, ab eo conseruatos, non minus esse suos demonstret, quam qui eum ciuili bello secuti sunt. HVIVS *vitam non anteponat suae.*] cum dicturus uidetur, insidias tuae uitae paret, odiosa uerba uitauit, sermonemq. conuertit ad mitiorem sentẽtiam, Caesaris auribus multo gratiorem, nam si furor est, quo duce omnia summa simus adepti, eius uitam nostrae non anteponere: quanto magis, eum uita priuare uelle? non igitur credibilis tantus in ullo furor.

ORATIO

AT, si tui nihil cogitant sceleris, cauendum est, ne quid inimici. qui? omnes enim qui fuerunt, aut sua pertinacia uitam amiserunt, aut tua misericordia retinuerunt: vt aut nulli supersint de inimitis, aut, qui superfuerunt, amicissimi sint. sed tamen cum in animis hominum tantae latebrae sint, tãti recessus, augeamus sane suspicionem tuam: simul enim augebimus dili immortalis esse debeat. eam in unius mortalis anima consistere. si uero ad humanos casus, incertosq. euentus uagentiam. nã quis est omnium tam ignarus rerum, tam rudis in rep. tua nihil umquam nec de sua, nec de communi salute cogitans, qui non intelligat tua salute contineri suam, & ex unius tua uita pendere omnium? equidem dies noctesq. de te, ut debeo, cogitans, casus dumtaxat humanos, & incertos euentus ualetudinis, & naturae communis fragilitatem extimesco, doleoq. cum resp. letudinis, sceleris etiã accedat insidiarumq. consensio, quem deum, etiam si cupiat, opitulari posse reip. credamus?

EXPLA-

EXPLANATIO

AT. *si tui*] in verbo, Tui, obscuritatem iam non timet, cum dixerit, eos a se significari, qui vna cũ illo fuerant. INIMICI.] qui fuerant in praesidijs Pompeij SVA *pertinacia*] quia bellum in Africa renouare, quam ad tuam misericordiam confugere, maluerunt. VT *aut nulli supersint de inimicis*,] dilẽma. De inimicis, aut nulli supersunt, aliqui si nulli, nihil timendum: sin aliqui, cur timeas, causſae nihil est, cum ij, salute a te praeter spem accepta, amicissimi sint. CVM *in animis hominum tantae latebrae sit, tanti recessus*,] redit ad illud, quod dixerat: Quam etsi spero esse falsam, numquam tamen verbis extenuabo. tua enim cautio nostra est. & si in alterutro peccandum sit, malim videri nimis timidus, quã parũ prudens. Primũ igitur in eam partem disputauit, non esse timendum: deinde alteram aggreditur, quasi timeatur, ita cauendum. vtraque summi amoris index. Quod autem dicit in animis hominum tantae latebrae tanti recessus idem scripsit ad M. Brutum: Non soleo. mi Brute, temere affirmare de altero: est enim periculosum, propter occultas hominum voluntates multiplicesq. naturas. SIMVL *enim augebimus diligentiam.*] in conseruanda salute. QVIS *est omnium tam ignarus rerum*,] ignoratio nem cum stultitia coniunxit. Ignorationis autem duo genera primum, si quis omnium rerum ignarus est: alterum, si quis est, non ille quidem omnium ignarus rerum, verumtamen in rep. rudis sequitur stultitiae vitium: Tam nihil vmquam nec de communi salute cogitans in quo maior est vituperatio Ex *vnius tua*] sermo familiaris & Ciceroni, & Terentio. VITAM *pendere omnium?*] hoc refertur ad illud: Nec de communi salute cogitans. VT *debeo*,] pro tuo summo erga me beneficio, cum mihi salutem reddideris insperanti. CASVS *dumtaxat humanos*,] quibus vita homini saepe ante diem eripitur. INCERTOS *euentus valetudinis*,] factum hoc esse dicit Cornelius Tacitus in oratione morientis Germanici. quo fortasse etiam spectauit Virgilius in illo versu „ Sed quia nec fato, merita nec morte peribat. CVM *resp. immortalis esse debeat*,] argumentum pro dolore suo. Resp. debet immortalis esse: deberes tu quoque, cuius in aĩa resp. ipsa consistit. Tu mortalis: illa te erepto, quo modo erit immortalis? est igitur cur doleã, nõ tua magis, quã reip. causſa. ANIMA] dum aĩa est, uiuimus est, enim spiritus ille, quo sustinemur, atque alimur. vnde, profundere, agere animam pro mori. SCELERIS *etiam accedat, insidiarumq. consensio*: vt per scelus illata morte intereas. QVEM *deum*,] nedum hominem. ETIAM *si cupiat*,] non modo si velit, verum etiam si cupiat. REIP.] quae tecum simul penitus interiret.

ORATIO

OMNIA *sunt excitanda tibi, C. Caesar, vni, quae iacere sentis, belli ipsius impetu, quod necesse fuit, perculsa, atque prostrata: constituenda iudicia, reuocanda fides, comprimendae libidines, propaganda soboles; omnia, quae dilapsa iam defluxerunt. seueris legibus vinciẽda sunt. non fuit recusandum in tanto ciuili bello, tanto animorum ardore, & armorum, quin passata resp. quicũque belli euentus fuisset, multa perderet & ornamenta dignitatis, & praesidia stabilitatis suae, multaq. vterque dux faceret armatus, quae idem togatus fieri prohibuisset. quae quidem nunc tibi omnia belli vulnera sananda sunt; quibus, praeter te, mederi nemo potest. itaque illam tuam praeclarissimam, & sapientissimam vocem inuitus audiui, Satis diu vel naturae vixi, vel gloriae. satis, si ita vis. natura fortasse; addo etiã, si placet, gloriae; at quod maximum est, patriae certe parum. quare omitte, quaeso, istam doctorum hominum in contemnenda morte prudẽtia: noli nostro periculo sapiens esse. Saepe enim venit ad aures meas, te idem istud nimis crebro dicere, vixisse te satis. credo; sed tum id audirem, si tibi soli viueres, aut si tibi soli natus esses: nunc, cum omnium salutem ciuium, cunctamq. rempublicam tuae gestae complexae sint, tantum abes a perfectione maximorum operum, vt fundamenta quae cogitas, nondum ieceris. hic tu modum tuae vitae non salute reip. sed aequitate animi definies?*

EXPLANATIO

OMNIA *sunt excitanda, tibi C. Caesar vni*,] callide locum esse vidit aptum ad commendandam rẽp. quae si eius in anima consistit: vtendum vitae beneficio, operoq. danda, vt, dum viuit, eam cõstituat: quod nisi ipse faciat, praestare nemo possit propterea dixit, Vni. Et subiecit paullo post: Quae quidem nunc tibi omnia belli vulnera sananda sunt; quibus, praeter te mederi nemo potest. Excitanda autem, subleuanda, tollenda, erigenda. QVAE *iacere sentis*,] pulcherrima translatio pluribus absoluta verbis, Excitanda, Iacere, Belli impetu, Perculsa, Prostrata. BELLI *ipsius impetu*,] non tua voluntate. QVOD *necesse fuit*.] & hic Caesarẽ excusat. PERCVISA, *atque prostrata*:] superlata verba dicuntur: ideo enim, prostrata, quia perculsa. Perculsa autem ab ipso bello, non a Caesare. CONSTITVENDA *iudicia*,] nouis legibus: cum veteres parum obseruentur. REVOCANDA *fides*,] de foro sublata. nam si iudicia iacent, creditae pecuniae non soluuntur. qui solet exitus esse bellorum ciuilium. Hoc pendet ex eo, constituenda iudicia. nisi enim constituantur, creditores nõ soluent. ita fides non reuocabitur. COMPRIMENDAE *libidines*,] lege de matrimonio lata, quã Caesar tulit. PROPAGANDA *soboles*:] cum hominum multa millia bellum ciuile sustulerit. OMNIA.] boni mores, & probata maiorum instituta. DEFLVXERVNT,] abierunt, praeterierunt: vt ad Paetum: Vbi salutatio deflexit, litteris me inuoluo. SE-

VERIS

VERIS *legibus*] nunc enim propter belli ciuilis licentiam delictorum poena non timetur. VINCIENDA ne dilabi posthac possint. translatio, Dilapsa, Defluxerunt, Vincenda. NON *fuit recusandum in tanto ciuili bello tanto animorum ardore, & armorum*, mirus est in excusando Caesare, & ab eo culpa remouenda. Non fuit recusandum fieri enim aliter non potuit. QVICVMQVE *belli euentus fuisset.*] etiam si Pompeius vicisset. haec enim non hominum vitia sunt, sed bellorum ciuilium. de quo statim: Multaq. verte dux faceret armatus, quae idem toga tus fieri prohibuisset. ORNAMENTA *dignitatis, & praesidia stabilitatis suae*,] ornamenta pacis praesidia belli: vt pro lege Manilia: Aguntur certissima populi R. vectigalia, & maxima, quibus amissis & pacis ornamenta & subsidia belli requiretis. Or. 2. in Rullū; Vnū ne fundum pulcherrimum populi R. caput vestrae pecuniae, pacis ornamentum, subsidium belli, fundamentum uectigalium. horreum legionum, solatium annonae, disperire patiemini? PRAECLARISSIMAM,] summo dignam viro, qui mortem contemnat. SAPIENTISSIMAM a maximo consilio profectam. qui enim ea gesserit, quae tu gessisti; superiore vita contentus erit; usuram lucis non admodum expetendam putabit. NATVRAE annos enim, cum tertium consulatum collega M Lepido gessit, agebat LV. si Suetonio credimus. GLORIAE,] cum nihil gerere maius posset, quā id, quod gessit. quamquam postea cum Pōpeij liberis in Hispania magno uitae discrimine pugnauit. PATRIAE *certe parum.*] quam si saluam esse uis, agenda sunt illa superiora: Constituenda iudicia; reuocanda fides; comprimendae libidines, omnia quae dilapsa iam defluxerunt, seueris legibus uinciēda sunt. DOCTORVM *hominum* ut Socratis qui uitam deprecari ab iniustis iudicibus noluit: aut Stoicorum, quibus ipsa per se uita iucunda non fuit. NIMIS *crebro*] quo satis intelligitur, te eadem sentire, quae dicis. AVDIREM,] probarem, uerum esse dicerem nam audio, apud comicos, & ipsum Ciceronem assentientis est. SI *tibi soli viueres*,] in hoc propriam Caesaris consuetudinem, in eo; quod sequitur, Si tibi soli natus esses, communem omnium condicionem significat, e sententia Platonis, qui nasci nos patriae, parentibus, amicis, in epistola ad Dionem scripsit. NVNC,] pro sed, ut in ea pro Archia: Nunc insidet quaedam in optimo quoque uirtus, quae noctes & dies animum gloriae stimulis concitat. CVM *omnium salutem ciuium, cunctamq. remp. res tuae gestae complexae sint*,] cum propter ea, quae gessisti, ad te vnum reducta sit omnia, & ex tua vnius nita salus omnium ciuium, cunctaq. resp pendeat. TANTVM *abes a perfectione maximorum operum*,] quae ad omnium salutem ciuium cunctamq. remp. pertinent. QVAE *cogitas*,] vitat arrogantiae suspicionem: & ait, Quae cogitas, ne videatur admonere non cogitantem de salute reip. HIC *tu*] modus placide obiurgandi, vt ad Lucceium: Hic tu ea me abesse vrbe miraris, in qua domus nihil delectare possit, summum sit odium temporum, hominum fori, curiae?

ORATIO

QVID, *si istud ne gloriae quidem tuae satis est? cuius te esse auidissimum, quamuis sis sapiens, non negabis. Parum ne igitur, inquies, gloriam magnam relinquemus? immo vero alijs, quamuis multis, satis tibi vni parum. quidquid enim est, quamuis amplum sit, id certe est parum tum, cum est aliquid amplius. quod si rerum tuarum immortalium, C. Caesar, hic exitus futurus fuit, ut, deuictis aduersarijs, remp. in eo statu relinqueres, in quo nunc est: vide, quaeso, ne tua diuina virtus admirationis plus sit habitura, quam gloriae; si quidem gloria est illustris, ac peruagata multorum, & magnorum vel in suos, vel in patriam, uel in omne genus hominum fama meritorum. haec igitur tibi reliqua pars est, hic restat actus, in hoc elaborandum est, vt remp. constituas, eaq. tu in primis cum summa tranquillitate, & otio perfruare. tum te, si voles, cum & patriae, quod debes, solueris, & naturam ipsam expleueris satietate viuendi. satis diu uixisse dicito. quid est enim omnino hoc ipsum. Diu. in quo est aliquid extremum, quod cum venerit, omnis voluptas praeterita pro nihilo est, quia postea nulla futura sit? quāquā tuus iste animus numquā hic angustijs, quas natura nonis ad uiuendum dedit, contentus fuit, semper immortalitatis amore flagrauit. nec uero haec tua uita dicenda est, quae corpore & spiritu continetur: illa, illa, inquam, uita est tua, Caesar, quae uigebit memoria saeculorum omnium. quam posteritas alet, quā ipsa aeternitas semper tuebitur. huic tu inseruias, huic te ostentes oportet: quae quidem, quae miretur, iampridem multa habet; nunc, etiam quae laudet, exspectat.*

EXPLANATIO

NE *gloriae quidem tuae satis est?*] cum ad eam addere multum possis. Ad hanc sententiam spectat illud quod infra subijcitur: Vide, quaeso, ne tua diuina virtus admirationis plus sit habitura, quā gloriae. QVAMVIS *sis sapiens*;] sapiens enim gloriam quae virtutis fructus est, non quaerit, ipsa virtute contentus. ADMIRATIONIS] ob victoriam. QVAM *gloriae.*] quae non tam in vincendis aduersarijs, quam in stabilienda rep. consistit. HIC *restat actus*,] tamquam fabulae; qui debet esse vltimo loco perfectissimus. qua sententia scripsit ad fratrem. Illud te ad extremum & oro, & hortor, vt, tamquam poetae boni, & actores industrij solent sic tu in extrema parte, & conclusione muneris, ac negotij tui diligentissimus sis, vt hic tertius annus imperij sui, tamquam tertius actus, perfectissimus, atque ornatissimus fuisse uideatur. TV *in primis*] ut quam diligentiam in constituenda rep. po-

fueris;

fueris, eius diligentiae fructum capias. CVM *summa tranquillitate & otio*] nam adhuc tranquillitate Caesar & otio caruerat, perpetuis bellis Pharsalico Alexandrino, Africano vexatus. IN *quo est aliquid extremum*,] diuturnum dici spaciū non debet, quod sequenti tempore excipitur, idest, quo praeterita voluptas amittitur itaque, Diu te vixisse, nunc ne dicas, licet vel naturae satis, vel gloriae iam vixeris: tunc dicito cū ea, quae à te vno resp. postulat absolueris, tempus enim non prolixo vitae spatio, sed rebus gestis, & ipsa potissimum reip. salute metiri decet. QVOD *cum venerit*,] post illud, quod vocamus diu. QVAMQVAM *tuus iste animus*] correctio: ne superioribus Caesar offendatur. TVEBITVR.] conseruabit, sustinebit: tueri exspectationem. HVIC] futurae vitae, posteritati. INSERVIAS,] operam dies. OSTENTES,] qualis, quantusq. sis. QVAE *miretur*,] maximas res in bello gestas. Hoc refertur ad illud: Vide, quaeso, ne tua diuina virtus admirationis plus sit habitura, quam gloriae.

ORATIO

OBSTVPESCENT *posteri certe, imperia, prouincias Rhenum, Oceanum, Nilum, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias, monumenta, numera, triumphos audientes, & legentes tuos: sed nisi haec vrbs stabilita tuis consilijs, & institutis erit, vagabitur modo nomen tuum longe, atque late, sedem quidem stabilem, & domicilium certum non habebit. erit inter eos etiam, qui nascentur, sicut inter nos fuit, magna dissensio; cum alij laudibus ad caelum res tuas gestas efferent, alij fortasse aliquid requirent, idq. vel maximum, nisi belli ciuilis incendiū salute patriae restinxeris, vt illud fati videatur, hoc fuisse consilij. Serui igitur ijs etiam iudicibus, qui multis post saeculis de te iudicabunt, & quidem haud scio an incorruptius, quam nos: nam & sine amore, & sine cupiditate, & rursus sine odio, sine inuidia iudicabunt. id autem, etiam si tunc ad te, vt quidam falso putant, non pertinebit, nunc certe pertinet, te esse talem, vt tuas laudes obscuratura nulla vmquam sit obliuio. diuersae voluntates ciuium fuerunt, distractaeq. sententiae. non enim cōsilijs solum, & studijs, sed armis etiam, & castris dissidebamus: erat autem obscuritas quaedam, erat certamen inter clarissimos duces. multi dubitabant, quid optimum esset; multi, quid si sibi expediret; multi, quid deceret; nonnulli etiam, quid liceret. perfuncta resp. est hoc misero fatali. bello: vicit is, qui non fortuna inflammaret odium suum, sed bonitate leniret; neque omnes, quibus iratus esset, eosdem etiam exsulio, aut morte dignos iudicaret. arma ab alijs posita, alijs erepta sunt. ingratus est, iniustusque ciuis, qui, armorum periculo liberatus animum tamen retinet armatum: vt iam ille sit melior, qui in acie cecidit, quam qui in causa animum profudit. quae enim pertinacia quibusdam, eadem aliis constantia videri potest. sed iam omnis fracta dissensio est armis, exstincta aequitate victoris restat, ut omnes unum uelint qui modo habent aliquid non solum sapientiae, sed etiam sanitatis. quia, nisi te, C. Caesar, saluo, & in ista sententia, qua cum antea, tum hodie vel maxime vsus es, manente, salui esse non possumus.*

EXPLANATIO

RHENVM,] Germanos a te victos. OCEANVM,] Britannos. NILVM,] Alexandrinos. MONVMENTA,] a te exstructa. MVNERA,] a te publice data. SEDEM *quidem stabilem, & domicilium certum non habebit.*] habebit autem in hac vrbe, si tu eam stabilieris tuis consilijs, & institutis. RES *tuas gestas*] bellicas. FATI] non tuae uirtuti tribuent, quod viceris, sed fato. HOC] belli ciuilis incendiū patriae salute restinctum. VT *quidam falso putant*,] mori cum corpore animam credentes. NON *pertinebit.*] amisso sensu. NVNC *certe*] dū viuis, & cogitatione ac spe futurae gloriae frui potes. NON *enim consilijs solum, & studijs*,] ne mirere, quod dixerim: Diuersae voluntates ciuium fuerunt, distractaeq. sententiae. non enim hoc solum fuit, vt consilijs, & studijs sed illud etiam, vt armis, & castris dissideremus. Consilijs, ad sententias refertur: Studijs, ad voluntates. Quoq haec liberior eo venia dignior confessio est. ita consequitur, vt haec tota oratio, mirabili artificio condita. Caesarem delectet. OBSCVRITAS *quaedam*,] cum non appareret quid esset optimum factu. Excusatio peccati. INTER *clarissimos duces*:] Caesarem & Pompeium. QVID *optimum esset*:] utrum conueniret magis, tecum esse, an cum Pompeio. Hoc ad gratiam Caesaris. nam ad Rufum aliter scripsit. Quid iectum sit apparet: quid expediat, obscurum est. QVID *deceret*,] pro gestis honoribus. nam in castris Pompeij, vbi consules, & reliqui magistratus erant, ipsa quoque resp. videbatur esse. QVID *liceret*.] alijs enim cum Pompeio, alijs cum Caesare propter inimicitias esse non licebat. PERFVNCTA] liberata: vt, perfunctis propria molestia, ad Luccium. Pro Cluentio: Quod se perfunctos arbitrantur, cum de reo iudicarent, cetera attendunt negligentius. defungor, idem valet. Virgilius: O magnis pelagi defunctae periclis. Coelius ad Cic. Hoc mēdacio, si qua pericula tibi impenderent, vt defungeremur, optaui. QVI *non fortuna inflammaret odium suum*,] quod victoriae solet esse vitium. MORTE] praeter vnū Faustum, L. Sullae filium, & Afranium, & L. Caesarem iuuenem, victor Caesar neminem occidit. Suetonius: Acie Pharsalica proclamauit, ut ciuibus parceretur: deincepsque nemini non suorum, quem nellet unum, partis aduersae seruare concessit: nec ulli perisse, nisi in praelio reperiuntur, exceptis dumtaxat Afranio, & Fausto, & L. Caesare iuuene: ac ne hos quidem uoluntate ipsius interemptos putant. Quorum tamen & Afranius & Faustus priores post impetratam ueniam rebellauerunt, &, Cęsaris libertis seruisq. eius ferro, & igni crudelem in modum enectis, bestias quoq; ad mu-

nus

nus populi comparatas contrucidauerant. Denique tempore extremo, etiã quibus nondũ ignoue-rat cunctis in Italiam redire permisit, magistratusq. & imperia capere. POSITA] statim post Pharsa-licam pugnam, ut ab ipso Cicerone, a Marcello a Lacho, a Varrone. ERepta *sunt.*] iterum in Afri-ca victis. INGRATVS *est iniustusq. ciuis,*] loquitur de conseruatis a Caesare. Ingratus: in eum, a quo vi-ctam accepit. Iniustus: nam quod vnicuique debetur, iustitia tribuit: id quod non facit is, qui armorũ periculo liberans, animum tamen retinet armatum. RETINET] in ipsa vrbe. Redit ad extenuãdam suspicionem Caesaris. nam admonitus erat a suis, ut caueret insidias. ARMATVM:] nocendi cupidũ, item vt in bello. IN *caussa*] in eodem sensu, eademq. mente, qua fuit ante victoriam Caesaris. non enim debet iam idem sentire de vetere caussa, victus a Caesare, & ab eodem conseruatus. ANIMAM *profudit.*] qui sensit idem, quod antea, usq. ad exitum uitae. QVAE *enim pertinacia quibusdam,*] recte iu-dicantibus. Pertinacia, inquit, est, in caussa animã profundere; sed quae nobis pertinacia, eadem alijs, male iudicantibus, constãtia uideri potest, ijs ipsis praesertim, qui profundere animam in caussa ma-lunt, quam pristinum sensum dimittere. FRACTA] sublata, spoliata uiribus. ÆQVITATE] clementia: quia se victor aequum omnibus praebuit. ut nulla iam dissensio supersit. Et hoc ad Caesaris animũ cura liberandum pertinet. SANITATIS,] sanae mentis. multi enim sana mente sunt, sapientes pauci.

ORATIO

QVARE *omnes te qui haec salua esse uolumus, & hortamur, & obsecramus, vt vitae tuae, & saluti consulas: omnesq. tibi, vt pro alijs etiam loquar, quod de me ipso sentio, quoniam subesse aliquid putas, quod cauẽ-dum sit, non modo excubias & custodias, sed etiam late-rum nostrorum oppositus & corporum pollicemur. Sed ut, unde est orsa, in eodem terminetur oratio mea; maxi-mas tibi omnes gratias agimus, C. Caesar, maiores etiã habemus. nã omnes idem sentiunt, quod ex omnium pre-cibus, & lacrumis sentire potuisti: sed, quia non est stan-tibus omnibus necesse dicere, a me certe dici uolunt. cui necesse est quodam modo, & quod uolunt, & quod, M. Marcello a te huic ordini, populoq. R. & reip. reddito praecipue id a me fieri debere intelligo. nam, laetari om-nes, non ut de unius salute, sed vt de communi omnium sa-lute, sentio. quod autem summae benevolentiae est, quae mea erga illum omnibus semper nota fuit, ut uix C. Mar-cello, optimo, & amantissimo fratri, praeterea quidem cederem nemini: cum id sollicitudine, cura, labore tam-diu praestiterim quam diu est de illius salute dubitatum, certe hoc tempore magnis curis, molestus, doloribus libe-ratus praestare debeo itaque, C. Caesar, sic tibi gratias ago, ut, omnibus me rebus a te non conseruato solum, sed etiam ornato, tamen ad tua innumerabilia in me unum merita, quod fieri iam posse non arbitrabar, maximus hoc tuo facto cumulus accesserit.*

EXPLANATIO

QVI *haec salua esse volumus,*] quae, nisi te incolumi, salua esse non possunt. salus enim reip. a tua sa-lute pendet. ET *hortamur & obsecramus,*] tantum abest, ut remitti a te diligentia quidquam ue limus, falsa sit, ut & cupimus, & speramus tua suspicio: quia tamen tua cautio, nostra cautio est, hor-tamur, & obsecramus, vt omni ratione tuam vitam ab omni periculo tuearis, atque defendas. SVB-ESSE] latere: ut in epistola Planci: Non possum non exhorrescere, si quid intra cutem subest vulne-ris, quod prius nocere potest, quam sciri, curariq. possit. LATERVM *nostrorum oppositus, & corporum*] ut ad tuũ corpus nulla uis, nisi per corpora nostra, peruenire possit. MAIORES *etiam habemus.*] plus enim animus comprehendit, quam quod exsequi uerbis liceat. STANTIBVS *omnibus*] stans enim ip-se hoc dicebat, ceteri sedebant senatores. non necesse est, inquit, ut omnes id quod ego facio, stantes dicebant; solus haec ex eorum voluntate dico. PRAECIPVE *id a me fieri*] propter meam in illum sin-gularem benevolentiam. LAETARI *omnes,*] hoc ad illud refertur, Quod ipsi uolunt. nam, quia lae-tantur; ideo uolunt. PRAETEREA *quidem cederem nemini:*] quam sententiam sic expressit in ep. ad M. Marcellum, Hic te unius sollitudines, vniius etiam multae & assiduae lacrumae C. Marcelli, fratris optimi, deprecantur: nos cura & dolore proximi sumus. Et ad eundem: Mihi salus tua tantae curae est, vt Marcello fratri tuo aut par, aut certe proximus sim. HOC *tempore*] nam si, dubia Marcelli sa-lute, omnem sollicitudinem, curam, laborem sustinui: nunc, eo conseruato, & reip. reddito, statuo mearum esse partium, ut tibi gratias agam. ORNATO,] quae ornamenta a Caesare acceperit, osten-dit his uerbis in ea pro Ligario: Qui ad me ex Aegypto litteras misit, ut essem idem, qui fuissem qui cum ipse imperator in toto imperio populi Romani unus esset, esse me alterum passus est: a quo, hoc ipso C. Pansa mihi nuncium perferente, concessos fasces laureatos tenui, quòad tenendos putaui: qui mihi tum denique se salutem putauit reddere, si eam nullis spoliatam ornamentis redderet. AD *tua innumerabilia in me unum merita,*] uis est in singulis uerbis. primum, Merita, uocat; quae maiora sunt quam studia, officia, beneficia: deinde addit, Innumerabilia: postremo, In me unum haec au-geri non uidentur posse, augentur tamen subiectis verbis, Maximus cumulus accesserit. non enim aliquid, ait accessisse sed cumulum, nec simpliciter cumulum, sed maximum. Eodem id pertinet, Quod fieri iam posse non arbitrabar. Nec illud fine iudicio prolatum, Hoc tuo facto. nam, hoc tuo merito languidius esse uidebatur, praesertim cum dixisset, Ad tua innumerabilia in me vnum me-ita; quae Marcelli salute vehementer aucta significat.

IN-

IN. ORATIONEM. CICERONIS
PRO. Q. LIGARIO
PAVLLI. MANVTII
COMMENTARIVS

ARGVMENTVM

IPsa Ciceronis verba argumentum ex magna parte suppeditant. sic enim incipit narrare. Q. Ligarius, cum esset adhuc nulla belli suspicio, legatus in Africam cum proconsule C. Considio profectus est: qua in legatione & ciuibus, & socijs ita se probauit, vt decedens Considius prouincia, satisfacere hominibus non posset, si quemquam alium prouinciae praefecisset. itaque Q. Ligarius, cum diu recusans nihil profecisset, prouinciam accepit inuitus: cui sic praefuit in pace, vt & ciuibus, & socijs gratissima esset eius integritas, & fides. bellum subito exarsit; quod, qui erant in Africa, ante audierunt geri, quam parari. quo audito, partim cupiditate inconsiderata, partim caeco quodam timore, primo salutis causa, post etiam studij sui, quaerebant aliquē ducem. tum Ligarius domum spectans, & ad suos redire cupiens, nullo se implicari negotio passus est. interim P. Accius Varus, qui praetor Africam obtinuerat, Vticam venit. ad eum statim concursum est: atque ille non mediocri cupiditate arripuit imperium, si illud imperium esse potuit, quod ad priuatum, clamore multitudinis imperitae, nullo publico consilio deferebatur. itaque Ligarius, qui omne tale negotium cuperet effugere, paullum aduentu Vari conquieuit. Haec ille. Sed ante Vari aduentum, sortitus ex S. C. Africam prouinciam, initio belli ciuilis, L. Aelius Tubero, Q. Tuberonis accusatoris pater, serius in Africam venit, a Varo iam occupatam. Varo deuicto, cum reliquis Pompeianarum partium ducibus, qui bellum renouauerant, exsul aliquandiu Ligarius procul a patria vixit. quo tempore Q. Tubero, Caesaris clementia simul cum patre restitutus, accusauit eum

de ui, eum tamen nihil aliud obijceret, quam eum in Africa Caesarianis partibus inimicum fuisse. quamquam odij Tuberonis in Ligariũ caussam esse constaret, quod receptus in Africam non esset, vel a Ligario iussu Vari imperatoris, vt haec oratio significare videtur, vel ab ipso Varo, vt lib. 1. bell. ci. auctor est Caesar. Defendit Ligarium Cicero tanta ui & animi, & ingenij, vt iratus Ligario Caesar, ei tamen, eloquentia victus, ignouerit, auctore Plutarcho in Cicerone. Habita oratio est iisdem cos. quibus ea pro Marcello: quod ipsa declarat. De die non constat: quamquam eruditi, & exquisitae diligentiae viri habitam credunt ad 11. Kal. Interkalares, adducti in hanc sententiam testimonio Ciceronis epistolae ad Ligarium, in qua sunt haec: Cum ad 11. Kal. interkalares priores rogatu fratrũ tuorum venissem mane ad Caesarem; atque omnem adeundi, & conueniendi illius indignitatem, & molestiam pertulissem; cum fratres, & propinqui tui iacerent ad pedes; & ego essem locutus, quae caussa, quae tuum tẽpus postulabat; non solum ex oratione Caesaris, quae sane mollis, & liberalis fuit, sed etiam ex oculis, & vultu, & multis praeterea, signis, quae facilius perspicere potui, quam scribere, hanc in opinionem discessi, vt mihi tua salus dubia non esset. Quae ego verba perpendens, & cum ipsa oratione conferens, diuersa tempora significari plane video. De Ligarij caussa, priuatim intra domesticos parietes apud Caesarem acta, licet ex his verbis conijcere: Cum, rogatu fratrum tuorum, ad Caesarem venissem, atque omnem adeundi, & conueniendi illius indignitatem, & molestiam pertulissem. Quae pertinent ad impetrandum Ligario reditum ex Africa, non ad eum liberandum illo crimine, quo reus factus erat a Tuberone. de quo crimine, non domi Caesar, sed in foro tamquam iudex audiebat. inde illa verba: Quanto hoc durius, quod domi petimus, id a te in foro oppugnari, & in tali miseria multorum perfugium misericordiae tollere?

Landesbibliothek Oldenburg

M. TVLLII. CICERONIS
PRO. Q. LIGARIO
ORATIO. XLI

NOVVM crimen, C. Caesar, & ante hunc diem inauditum propinquus meus ad te Q. Tubero detulit, Q. Ligarium in Africa fuisse: idq. C. Pansa, praestanti vir ingenio, fretus fortasse ea familiaritate, quae est ei tecum, ausus est confiteri, itaque, quo me vertam, ne scio: paratus enim veneram, cum tu id neque per te scires, neque audire aliunde potuisses, vt ignoratione tua ad hominis miseri salutem abuterer. sed quoniam diligētia inimici inuestigatum est, quod latebat: confitendum est, vt opinor; praesertim cum meus necessarius C. Pansa fecerit, vt id iam integrum non esset: omissaq. controuersia omnis oratio ad misericordiam tuam conferenda est, qua plurimi sunt cōseruati, cum a te non solum liberationem culpae, sed errati veniam impetrauissent. Habes igitur, Tubero, quod est accusatori maxime optandum, confitentem reū, sed tamen ita confitentē, se in ea parte fuisse, qua te, Tubero, qua virum omni laude dignū, patrem tuum. itaque prius de vestro delicto confiteamini, necesse est, quam Ligarij vllam culpam reprehendatis.

EXPLANATIO

NOVVM *crimen, C. Caesar, & ante hunc diem inauditum*] totum exordium ironia conditum est, ad infirmādam accusatoris cotentionem. qui, quod obijceret Ligario, hoc vnum attulerat fuisse in Africa in partibus Pompeij. Vidit, & notauit artificiū Quintilianus: ego, singula verba vt ostendam, in quibus ironia est, operam dabo. Prima sunt, Nouum crimē & ante hūc diem inauditum. aut enim crimen nullū est, in Africa fuisse; aut eiusmodi, vt exsulij poena satis sit; quod autem praeter exsulium Tubero quaerit, & iudicio ac sententia tua, Caesar, consequi vult, id priuati odij, summae iniustitiae, summaeq. crudelitatis argumentum esse videatur. PROPINQVVS *meus*] affinis, non cognatus: vt infra patet. Propinquitatem appellat; ne cum inimico homine disputare videatur; & vt eo maior orationi fides accedat; quod Ligarij innocentiam, & causſae bonitatem propinquitatis Tuberonis anteponendam censuerit. AD *te*] cuius maxima potestas est: quasi maxima res agatur, & nouū quoddam inauditumq. sua diligentia repererit. huc illud spectat, quod paullo post per ironiā subijcitur: diligentia inimici inuestigatum, est, quod latebat. IN *Africa fuisse*:] quod cuiusmodi sit, ex eo liquet, quia tu multis iam, qui & in Pharsalia, & in Africa contra te dimicarunt, vitam tamen, & patriā reddidisti; aut eis praeter exsulium, nullam poenam imposuisti. C. PANSA,] Vibiae gentis, plebeij generis. FRETVS *fortasse*] perspicua ironia: quasi confiteri non esset ausus, nisi illa familiaritas, quae est ei tecum, animum illi dedisset. AVSVS *est*] tamquam de atroci, occultaue re. qui enim negat? aut quis ignorat? QVO *me vertam, nescio*:] quid dicā, non habeo. Fingit, obiecto, & probato nouo crimine, ereptam sibi facultatem ea dicendi quae domi commentatus erat. PARATVS *enim veneram*] qui nescire te putarem, in Africa Ligarium fuisse, defensionis meae spem in tua ignoratione collocabā: nunc quando crimē hoc Ligarij accusator ad te detulit, idq. C. Pansae testimonio probauit; quo me vertam, nescio. CVM *tu id neque per te scires, neque audire aliunde potuisses*,] a contrario sensu. nam & per se Caesar id scire, & aliunde audire potuit. perspicua igitur ironia. INVESTIGATVM *est*,] tamquam aliquid occultum: quod tamen & per se facile scire, & aliunde intelligere potuit. VT *opinor*;] hoc addit, tamquam confiteretur inuitus id, quod negare non posset propter Pansae testimonium: cū tamen significet, Pansae testimonium in re manifesta, Caesariq. notissima necessarium non fuisse. OMISSAQ. *controuersia*] ad quam paratus veneram. OMNIS *oratio ad misericordiam tuam conferenda est*,] cū tanti criminis defensionem nullam inueniam. NON *solum liberationem culpae*,] non solum quia iudicaueris eos carere culpa, sed si quos etiam errasse iudicasti, conseruare enim eū, qui culpā non commiserit, cuius misericordiae est? eum uero, qui commiserit, misericordiae summae laus est. SED *errati veniam*] distinguit eratum a culpa, ut minuat peccatum suum, aliorumque, qui pro Pompeio pugnauerant. erratum enim appellat. non culpam. Ad hanc sententiam pertinet illud pro Marcello: Oēs enim, qui ad illa arma fato sumus nescio quo reip. misero funestoq. compulsi, etsi aliqua culpa tenemur erroris humani, a scelere certe liberati sumus. Quo loco nō simpliciter culpā uocat, sed aliquā culpā & erroris humani, in quē homines incidere oēs possunt. Ibidē paullo post ignorationē uocauit, & metū. Non ille, inquit, hostes induxit in curiā sed iudicauit a plerisque ignoratione potius, & falso, atque inani metu, quam cupiditate, aut crudelitate bellū esse susceptum. QVA *te Tubero*,] aut igitur Ligarij crimen nō est, in Pōpeij partibus fuisse: aut, si est, cōmune tecū est. & cū patre tuo. itaq.

si Ligarij crimen illud non est, accusari eũ non oportet: si est, accusator esse tu certe nõ debes: nisi si te quo que, patremq. tuum, simul cum eo condemnari vis. DE *vestro delicto*] delicti vocabulũ graue, culpae leuius est. cõfert igitur in Tuberones delictum, in Ligarium culpam. VLLAM *culpam*] nã si culpa Ligarij est in Africa fuisse; minor fit, quia, cũ vellet, discedere nõ potuit: quod infra dicitur.

ORATIO

QVID IGITVR *Ligarius, cum esset adhuc nulla belli suspicio, legatus in Africam cum proconsule C. Cõsidio profectus est: qua in legatione & ciuibus, & socijs ita se probauit, vt decedens Considius prouincia, satisfacere hominibus non posset, si quemquã alium prouinciae praefecisset. itaque Q. Ligarius, cum diu recusans nihil profecisset, prouinciam accepit inuitus: cui sic praefuit in pace, vt & ciuibus, & socijs gratissima esset eius integritas, & fides. bellum subito exarsit; quod, qui erant in Africa, ante audierũt geri, quam parari. quo audito, partim cupiditate inconsidera, partim caeco quodam timore, primo salutis caussa, post etiam studij sui, quaerebant aliquem ducem. tum Ligarius domum spectans, & ad suos redire cupiens, nullo se implicari negotio passus est. interim P. Accius Varus, qui praetor Africam obtinuerat, Vticam venit. ad eum statim concursum est: atque ille non mediocri cupiditate arripuit imperium, si illud imperium esse potuit, quod ad priuatum, clamore multitudinis imperitae, nullo publico consilio, deferebatur. itaque Ligarius, qui omne tale negotium cuperet effugere, paullum aduentu Varij conquieuit.*

EXPLANATIO

CVM *esset adhuc nulla belli suspicio,*] incipit liberare Ligarium culpa, qui profectus in Africam sit, non, vt eius accusator Tubero, exorto ciuili bello, sed cum adhuc nulla belli suspicio esset. IN *Africam*] maritimam Africae partem, quae prouincia erat populi Romani. CVM *proconsule C. Considio.*] Considius hic consul numquam fuit & proconsul tamen vocatur; quia proconsulari imperio post praeturam in Africam iusset. nec pauci praeterea, nullo gesto consulatu, proconsules appellantur. CIVIBVS,] in Africam negotiantibus, vt in ceteris prouincijs. DECEDENS] annuo imperio absoluto. HOMINIBVS] vniuersae prouinciae, & socijs, & ciuibus. QVEMQVAM *alium*] quaestor enim relinqui solebat, qui honore legatis praestabat. propterea, cum Q. Thermus praeficere legatos potius, quam quaestorem, prouinciae vellet, consilium improbans, ad eum Cicero scripsit his verbis: Mihi magis magisq. quotidie de rationibus tuis cogitanti, placet illud meum consilium, quod initio Aristoni nostro, vt ad me venit, ostendi; graues te susceptũ inimicitias si adolescens potẽs, & nobilis a te ignominia affectus esset. & hercle sine dubio erit ignominia. habes enim neminẽ honoris gradu superiorẽ. ille aũt, vt omittã nobilitatẽ, hoc ipso vincit viros optimos, hominesq. innocẽtissimos, legatos tuos, quod & quaestor est, & quaestor tuus. INTEGRITAS, *& fides.*] Integritas, in oĩ re: Fides, intuenda iustitia. iustitiae enim fundamentum est fides: vt off. lib. 1. EXARSIT] proprie de bello, quo tamquam flamma consumuntur omnia. itaque ad Tironem, incidi, inquit, in ipsam flammã ciuilis discordiae, vel potius belli. QVOD, *qui erant in Africa, ante audierunt geri, quam parari.*] non igitur in Africa remansit Ligarius vt Caesaris partes opugnaret. CVPIDITATE *inconsiderata.*] gerendi belli. CAECO *quodam timore,*] timebant Caesarem, sed, cur timerent, caussae nihil videbant. de qua re dixit pro Marcello, Falso, atque inani metu. SALVTIS *caussa,*] quod a Caesare timerent. STVDII *sui.*] cupiditatis belli gerendi. iterat enim quod dixerat, cupiditate inconsiderat. DOMVM *spectans,*] non vt ad bellum iret, sed vt in patria remaneret. quod qui fecere, Caesar eos amicorum. Pompeius hostium numero duxit. auctor Suetonius, & Cicero ipse in epistolis. Gratiam igitur Caesaris accupatur, cum dixit, Domum spectans, & ad suos redire cupiens; vt significet eandem illi mentem fuisse, quae fuit fratribus eius, qui in patria remanserunt ciuilibus armis abstinẽtes. NVLLO *se implicari negotio passus est.*] cum dux esse posset. P. ACCIVS *Varus,*] Varrus hic cum Sex. Pompeio, & Labieno ex Africana pugna, deuictis Scipione, Pompeij socero, & Iuba Mauritanae rege, in Hispaniam profugit: vbi renouato simul cum Pompeij liberis bello Mundensi proelio a Caesare victus interijt. Accius, hic scribo ex antiquis libris. Attij autem sunt, quibus Balbi cognomen fuit: & Augusti mater Attia, M. Attij Balbi filia, ita scribitur: de quo diximus Phil. III. QVI *praetor Africam obtinuerat,*] qui praetoriae prouincia praeesset, & praetor, & propraetor dicebatur: procõsul etiam interdum, vt paullo ante ostendimus. AD *eum statim concursum est:*] quia iam antea eidẽ prouinciae praefuerat. ARRIPVIT *imperium,*] quo imperio postea praefuit legionibus, & cum Iubae regis copijs fudit exercitum C. Curionis. NVLLO *publico consilio.*] Tubero enim ex S. C. sortitus erat Africam, sed tardius venit, prouincia iam a Varo occupata. de quo infra: Vna est profectus cum ijs, quorum erat vna caussa: tardius iter fecit; itaque in Africam venit iam occupatam. PAVLLVM *conquieuit,*] non, omnino conquieuit, mutata sententia, sed, Paullum conquieuit; nec sua sponte, sed, Aduentu Vari, qui & imperium, & fasces repente arripuerat: vt ei tamquam proconsuli parere cogeretur.

ORATIO

ORATIO

ADHVC, C. Caesar, Q. Ligarius omni culpa vacat, domo est egressus non modo nullum ad bellum, sed ne ad minimam quidem suspicionem belli: legatus in pace profectus, in provincia pacatissima ita se gessit, vt ei pacem esse expediret. profectio certe animum tuum non debet offendere: num igitur remansio? multo minus: nam profectio voluntatem habuit non turpem, remansio etiam necessitatem honestam. ergo haec duo tempora carent crimine; vnum, cum est legatus profectus; alterum, cum efflagitatus a provincia, praepositus Africae est. tertium est tempus, quo post aduentum Vari in Africa restitit. quod si est criminosum, necessitatis crimen est, non voluntatis. an ille, si potuisset illinc vllo modo euadere, Vticae potius, quam Romae; cum P. Accio, quam cum concordissimis fratribus; cum alienis esse, quam cum suis maluisset? cum ipsa legatio plena desiderij, ac sollicitudinis fuisset propter incredibilem quendam fratrum amorem, hic aequo animo esse potuit belli dissidio distractus a fratribus?

EXPLANATIO

OMNI *culpa vacat.*] cum & iuerit in prouinciam, nulla suscipione belli; & remanserit inuitus; &, cum dux quaereretur, nullo se tamen implicari negotio fit passus. VT *ei pacem esse expediret.*] male enim qui se gesserunt. iis bellum expedit esse potius, quam pacem. NECESSITATEM] quia, cū decedens Considius, eum Africae praeponeret diu recusans proficere nihil potuit. HONESTAM.] quia proconsuli suo paruit, praesertim efflagitāte prouincia. AN *ille si potuisset illinc vllo modo euadere,*] argumentum a verisimili. aeque enim vtitur orator verisimilibus atque veris. IPSA *legatio,*] ante bellū administrata. DESIDERII, quia fratribus haud libenter careret. SOLLICITVDINIS] ortae ex desiderio, quod erat maximum. non enim omnia desideria cum sollicitudine sunt.

ORATIO

NVLLVM *igitur habes, Caesar, adhuc in Q. Ligario signum alienae a te voluntatis. cuius ego caussam, animaduerte quaeso, qua fide defendam, cum prodo meam. o clementiam admirabilem, atque omni laude, praedicatione, litteris, monumentisq. decorandam. M. Cicero apud te defendi alium, in ea voluntate non fuisse, in qua se ipsum confitetur fuisse; nec tuas tacitas cogitationes extimescit; nec, quod tibi, de alio audienti, de ipso occurrat, reformidat. vide, quam non reformidē: vide, quanta lux liberalitatis, & sapientiae tuae mihi apud te dicenti oboriatur: quantum potero, voce contendam, vt hoc populus R. exaudiat. Suscepto bello, Caesar, gesto etiam ex magna parte, nulla vi coactus iudicio meo ac voluntate ad ea arma profectus sum, quae erant sumpta contra te. apud quem igitur hoc dico? nempe apud eum, qui cum hoc sciret, tamen me, ante quam vidit, reip. reddidit: qui ad me ex Aegypto litteras misit, vt essem idem, qui fuissem: qui cum ipse imperator in toto imperio populi R. vnus esset, esse me alterum passus est: a quo, hoc ipso C. Pansa mihi nuncium perferente, concessos fasces laureatos tenui, quoad tenendos putaui: qui mihi tum denique se salutem putauit reddere, si eam nullis spoliatam ornamentis redderet.*

EXPLANATIO

ALIENAE *a te voluntatis.*] nedum odij & inimici animi vt obijcit accusator. CVM *prodo meam,*] caussam. videor enim prodere, cum in ea voluntate me fuisse confiteor, in qua Ligarium fuisse nego, me scilicet accusans, illum excusans. O. CLEMENTIAM *admirabilem.*] propter suam confessionem dicit, non propter vllam. Ligarij culpam: in quo nullum fuisse signum alienae a Caesare voluntatis, iam dixit. OMNI *laude,*] diuidit laudem in tria genera, praedicationem, ideſt vocem; litteras, ideſt scripta; monumenta, ideſt ea, quae laudis memoriam quam diutissime conseruant. vt aedificia, simulacra, trophea, arcus, & similia. M. CICERO,] tertia persona, quae haec dicat, maiorem habet vim, quam si prima eadem dicat. NEC *tuas tacitas cogitationes extimescit;*] non timet vt ei tacitus irascare. DE *alio*] de Q. Ligario. OCCVRRAT,] in mentem veniat. potest enim tibi in mētem venire, dum Ligarium defendo, me quoque vnum ex ijs fuisse, qui tuam caussam improbauerint. LIBERALITATIS.] benigni, clementisq. animi. ET *sapientiae*] ne parum considerata liberalitas fuisse videatur, sapientiae nomen addit. sic pro Marcello: Toties de incredibili liberalitate, toties de singulari sapientia tua cogitabis. OBORIATVR:] verbum luci accomodatum: pro ante oculos oriatur: vt pro Rabirio Perd. Mors ob oculos mihi saepe versata est. VT *hoc populus Romanus exaudiat.*] caussa igitur in foro agebatur, non intra domesticos parietes. GESTO *etiam magna ex parte,*] pulso ex Italia Pompeio. nam in Italia Cicero non sumpsit arma contra Caesarē. de quo sic Tironem: Ego adhuc orae maritimae praesum a Formijs. nullū maius negotiū suscipere volui, quo plus apud illū meae literae, cohortationesq. ad pacē valeret. Ad Caecinā: Susceptū bellū est, quie-

scente

scente me: depulsum ex Italia, manente me quoad potui. Et ad ipsum Caesarem: Qui & illi semper, & senatui, cũ primum potui, pacis auctor fui; nec, sumptis armis, belli vllam partem attigi. NVLLA *ui coactus, iudicio meo,*]quo maior culpa fuit. quã cũ non dissimulat, sed ingenue fetetur, longe maiorem esse Caesaris clementiam, quam suam culpam. significat. quod est artificium conciliandae benevolentiae, ANTE *quam uidit,*]post Pharsalicam pugnam. REIP. *reddidit:*] remp. enim priuatis offensionibus antepositi. ME *esse alterum passus est:*] concessis fascibus laureatis, insignibus imperij. Hoc *ipso C. Pansa*]qui aderat, vnus fortasse ex iudicum numero: vel aderat, vt Caesaris familiaris, vix enim arbitror Caesarem in foro, ex praetorum consuetudine, de ui cum consilio iudicasse. sic de praesentibus loquitur in ea pro Deiotaro: Hoc Ser. Sulpicio, Hoc T. Torquato. Huic Blesamio: & in alijs orationib. NVLLIS *spoliatam ornamentis*]pro Marcello, in fine. Omnibus me rebus a te non conseruato solum, sed etiam ornato.

ORATIO

VIDE *quaeso, Tubero, ut, qui de meo facto non dubitem dicere, de Ligarij non audeam confiteri. atque haec propterea de me dixi, ut mihi Tubero, cũ de se eadem dicerem, ignosceret. cuius ego industriae, gloriaeq. faueo, uel propter propinquam cognationem, uel quod eius ingenio, studijsq. delector, uel quod laudem adolescẽtis propinqui existimo etiam ad meum aliquem fructum redundare. sed hoc quaero, quis putet fuisse crimẽ, esse in Africa Ligarium? nempe is, qui & ipse in eadẽ Africa esse noluit, & prohibitum se a Ligario queritur, & certe contra ipsum Caesarem est congressus armatus. quid enim, Tubero, tuus ille districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quae tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? nimis urgeo: commoueri uidetur adolescens: ad me reuertar. ipsidem in armis fui. quid autem aliud egimus, Tubero, nisi ut, quod hic potest, nos possemus? Quorum igitur impunitas, Caesar, tuae clementiae laus est, eorum ipsa rum ad crudelitatem te acuet oratio?*

EXPLANATIO

VIDE *quaeso, Tubero, ut, qui de meo facto non dubitem dicere, de Ligarii non audeam confiteri.*]sensus est: Vide, quaeso an verisimile sit, non audere me de Ligarij facto confiteri, qui de meo dicere nõ dubitem. cur igitur non confiteor? quia confiteri non debeo, quod non est. ego enim ad ea arma sũ profectus, quae sumpta erant contra Caesarem: Ligarius aũt, tum in Africã iuit, cum adhuc belli suspicio nulla esset. Considio decedente, manfit inuitus exorto bello. nullo se implicari negotio passus est. id supra quoque Cicero dicit his verbis: M. Cicero apud te defendit alium in ea voluntate non fuisse, in qua se ipsum confitetur fuisse. CVM *de se eadem dicerem,*] cum dicerem eum ad ea profectum fuisse arma, quae erant, sumpta contra Caesarem. INDVSTRIAE,]in agendis causis. GLORIAE]quae nascitur ex industria. PROPINQVAM *cognationem.*]miror, cognationem, appellari cum dicat infra: Militiae contubernales, post affines. solet enim alijs in locis affinitas a cognatione distingui. INGENIO *studiisq.*]Ingenium naturae bonum est, studia, voluntatis. AD *meum aliquem fructum*]talis enim cum sit, aliquem ex eo fructũ sperare possum. REDVNDARE.]ex eo quod supereſt]. sic orat. 2. in Rullum: Plerique hoc perficiunt, vt tantum maioribus eorum debitum esse videatur. vnde, ẽt quod posterius solueretur, redundaret. Nec tantum res ipsae cũ in magna copia sunt, verum homines quoque, cum abundant rebus, redundare dicuntur, vt ad Appium: Cum tu omnibus vel ornamentis, vel praesidijs redundares: illi (vt leuissime dicam) multa deessent. CONTRA *ipsum Caesarem est congressus armatus.*]in Pharsalia: quod Ligarius non fecit, qui tantũ in Africa fuit, arma non intulit. QVID *enim, Tubero, tuus ille districtus in acie Pharsalica gladius agebat?*]hoc loco Caesaris animũ ita Cicero commouit, vt libellos, quos manu tenebat, ei ecerit, quasi se victum fateretur. Quinctilianus. QVI *sensus erat armorum tuorum?*]explanatur sequentibus verbis, Quae tua mens? armis autem sensum tribuit amplificandi gratia, poetico more. COMMOVERI *uidetur adolescens:*]cui similia fortasse per aetatem audire nondum licuit. QVID *autem aliud egimus, Tubero,*] dat Tuberoni quasi facultatem respirandi, cum eum proprio amplius non vrget crimine. sed suum factum cum illius facto cõmunicat. QVORVM *igitur impunitas,*]Tuberones significat, quibus, Pompeiũ secutis, Caesar ignouerit. Impunitas: eum ipse Q. Tubero, & pater eius, qui contra te pugnarunt, nulla affecti a te poena sint.

ORATIO

ATQVE *in hac causa non nihil equidem, Tubero, etiam tuam, sed multo magis patris tui prudentiam desidero; quod homo cum ingenio, tum etiam doctrina excellens, genus hoc causae quod esset, non uiderit. nam si uidisset, quouis profecto, quam ista modo a te agi maluisset. arguis fatentem: non est satis. accusas eum, qui causam habet aut, ut ego dico, meliorem, quam tu, aut, vt tu uis, parem. haec non modo mirabilia sunt, sed prodigiis similia, quae dicã. non habet eam uim ista accusatio, ut Q. Ligarius condemnetur, sed ut necetur. hoc egit ciuis R. ante te nemo. externi isti mores usque ad sanguinem incitare solent odium aut leuium Graecu-*

rum,

rum, aut immanium barbarorum. nam quid aliud agis? ut Romae ne sit? ut domo careat? ne cum optimis fratribus, ne cum hoc T. Broccho, auunculo suo, ne cum eius filio, consobrino suo, ne nobiscum uiuat? ne sit in patria? nũ in patria est? num potest magis carere his omnibus, quam caret? Italia prohibetur, exsulat. non tu ergo hunc patria priuare, qua caret, sed uita uis. at istud ne apud eum quidem dictatorem, qui omnes, quos oderat, morte multabat, quisquam egit isto modo. ipse iubebat occidi, nullo postulante: praemiis etiam inuitabat. quae tamen crudelitas ab hoc eodem aliquot annis post, quem tu nunc crudelem esse uis, uindicata est.

EXPLANATIO

PATRIS *tui*] L. Tuberonis. GENVS *hoc causae quod esset non uiderit.*] non enim vidit, id a se agi hac in caussa, vt ciuis Romanus, nullo suo crimine, morte multetur. Id ostenditur sequentibus verbis. VT *tu uis,*] quia dicis eum contra Caesarem arma sumpsisse. PRODIGIIS *similia,*] quae perquam raro contingunt. SED *ut necetur.*] hoc prodigij simile. quis enim ante te contendit, vt ciuis Romanus necaretur? LEVIVM *Graecorum,*] proprie leuitas tributa Graecis hominibus est: quos exagitat cum alibi, tum in oratione pro Flacco. ITALIA *prohibetur,*] non modo Romae non est, neque cum suis viuit, sed & tota prohibetur Italia. VITA *uis.*] mira vis in numero. solet enim Cicero, quae sunt acerbiora, breuiter concludere: vt illud quoque proximum, Italia prohibetur, exsulat. APVD *eum dictatorem,*] apud L. Sullam, qui proscripsit inimicos suos. PRAEMIIS] proscripti enim ciues proposito praemio necabantur. ita, praemij spe, multis quaerentibus, pauci necem effugere potuerunt. AB *hoc eodem*] a C. Caesare. VINDICATA *est.*] quia Sullanos multos Caesar occidit, in ijs Faustum, L. Sullae filium: & quia proscriptorum a Sulla filijs, contra legem ab eo latam facultatem restituit petendorum magistratuum. quo in numero fuit A. Hirtius, auctore Dione.

ORATIO

EGo uero istud non postulo, inquies. Ita mehercule existimo, Tubero: noui enim te, noui patrem tuum, noui domum, nomenq. vestrum; studia denique generis ac familiae uestrae uirtutis, humanitatis, doctrinae, plurimarum artium, atque optimarum, nota sunt mihi omnia: itaque certo scio, uos non petere sanguinem: sed parum attenditis: res enim eo spectat, ut ea poena, in qua adhuc Q. Ligarius sit, non uideamini esse contenti. quae est igitur alia praeter mortem? si enim in exsulio est, sicuti est: quid amplius postulatis? an ne ignoscatur? hoc uero multo acerbius, multoq. est grauius. quod uos domi petimus precibus & lacrumis prostrati ad pedes, non tam nostrae caussae fidentes, quam huius humanitati; id ne impetremus, pugnabis? & in nostrum fletum irrumpes? & nos iacentes ad pedes supplicum uoce prohibebis? si, cum hoc domi faceremus, quod & fecimus, &, ut spero, non frustra fecimus, tu de repente irrupisses & clamare coepisses; C. Caesar caue credas, caue ignoscas, caue te fratrum pro fratris salute obsecrantium misereat: non ne omnem humanitatem exuisses? quanto hoc durius, quod nos domi petimus, id a te in foro oppugnari, & in tali miseria multorum perfugium misericordiae tollere?

EXPLANATIO

PARVM *attenditis:*] notat imprudentiam & patris, & filij, qui quod genus hoc caussae fuerit, non viderint. NON *uideamini*] vos, vt arbitror, Ligarij mortem non quaeritis: quid refert? quaerere tamen videmini, cum sic agitis. desidero igitur prudentiam vestram. AN *ne ignoscatur?* an vt patria perpetuo careat? vt perpetuo exsulet? hoc vero ipsa morte multo acerbius, multoq. est grauius. QVOD *nos domi petimus*] vt rem ante oculos ponat, Petimus, inquit, pro, Petiuimus. non enim nunc domi petere poterant, cum in foro caussa ageretur. itaque subijcit paullo post: si, cum hoc domi faceremus, quod & fecimus, &, vt spero, non frustra fecimus. PRAECIBVS,] *& lacrumis prostrati ad pedes,*] haec mouent singula; & cum dici videant contra Tuberonem, ad ipsum tamen Caesarem spectant: vt eorum precibus, & lacrumis commoueatur, qui prostrati ad pedes eius, vt ignoscat Ligario, petunt. HVIVS *humanitati;*] maioribus in culpis cognitae, atque perspectae. PVGNABIS?] cur tu, cuius ad humanitatem nos confugimus, eum crudelem esse vis? captat eodem tempore beneuolentiam Caesaris, & in odium Tuberonem adducit. IRRVMPES?] vt eum impedias ne quid proficiat. SVPPLICVM *uoce prohibebis?*] supplicare nobis per te non licet, cum accusas eum, cuius pro salute supplicamus. CAVE *te fratrum pro fratris salute obsecrantium misereat:*] pro, obsecrantium misereat, ex eorum librorum auctoritate, quos Priscianus ante mille annos habuit, quibus hodie similes non habemus, lego Precantium misereatur. sic enim ille lib. IIX. Miseret, &, Miseretur, impersonalia. Cicero pro Ligario: Caue te fratrum, pro fratris salute precantium, misereatur. Vnde Terentius in Phor. Misertum est. IN *tali miseria multorum*] multis cum Ligario exsulantibus.

ORATIO

Landesbibliothek Oldenburg

ORATIO

Dicam plane, C. Caesar, quod sentio. si in hac tanta tua fortuna lenitas tanta non esset, quantam tu per te, per te, inquam obtines: (intelligo, quid loquar) acerbissimo luctu redundaret ista uictoria. quam multi enim essent de uictoribus, qui te crudelem esse uellent, cum etiam de uictis reperiantur? quam multi, qui, cum a te nemini ignosci uellent, impedirent clementiam tuam, cum etiam ij, quibus ipse ignouisti, noluut te in alios esse misericordem? quod si probare Caesari possemus, in Africa Ligarium omnino non fuisse; si honesto, & misericordi mendacio saluti ciuis calamitosi consultum esse uellemus: tamen hominis non esset, in tanto discrimine, & periculo ciuis, refellere, & coarguere nostrum mendacium: &, si esset alicuius, eius certe non esset, qui in eadem causa, & fortuna fuisset. sed tamen aliud est, errare Caesarem nolle, aliud misereri. diceres: caue, Caesar, credas: fuit in Africa Ligarius: tulit arma contra te: nunc quid dicis? caue ignoscas. haec nec hominis, nec ad hominem uox est: qua qui apud te C. Caesar, utetur, suam citius abijciet humanitatem, quam extorquebit tuam. At primus aditus, & postulatio Tuberonis haec, ut opinor, fuit uelle se de Q. Ligary scelere dicere. Non dubito, quin admiratus sis; uel quod de nullo alio quisquam; uel quod is, qui in eadem causa fuisset, uel quidnam noui facinoris afferret. Scelus tu illud uocas, Tubero? cur? isto enim nomine illa adhuc causa caruit. alij errorem apellant, alij timorem; qui durius, spem, cupiditatem, odium, pertinaciam; qui grauissime, temeritatem; scelus praeter te, adhuc nemo. ac mihi quidem, si proprium & uerum nomen nostri mali quaerantur, fatalis quaedam calamitas incidisse uidetur & improuidas hominum mentes occupauisse; ut nemo mirari debeat, humana consilia diuina necessitate esse superata. liceat esse miseros: quamquam hoc uictore non possumus. sed non loquor de nobis: de illis loquor, qui occiderunt. fuerint cupidi, fuerint irati, fuerint pertinaces: sceleris uero crimine, furoris, parricidij liceat Cn. Pompeio mortuo, liceat multis alijs carere. quando hoc quisquam ex te, Caesar, audiuit aut tua quid aliud arma uoluerunt, nisi a te contumeliam propulsare? quid egit tuus ille inuictus exercitus, nisi ut suum ius tueretur, & dignitatem tuam? quid? tu cum pacem esse cupiebas, id ne agebas, ut tibi cum sceleratis, an ut cum bonis ciuibus cōueniret? mihi uero, Caesar tua in me maxima merita tanta certe non uiderentur, si me ut sceleratum a te conseruatum putarem. quomodo autem tu de rep. bene meritus esses, si tot sceleratos incolumi dignitate esse noluisses? secessionem tu illam existimauisti, Caesar, initio, non bellum; non hostile odium, sed ciuile dissidium, utrisque cupientibus remp. saluam, sed partim consilijs, partim studijs a communi utilitate aberrantibus. principum dignitas erat paene par, non par fortasse eorum, qui sequebantur: causa tum dubia; quod erat aliquid in utraque parte, quod probari posset: nunc melior certe ea iudicanda est, quam etiā dii adiuuerunt. cognita uero clementia tua, quis non eam uictoriam probet, in qua occiderit, nemo, nisi armatus?

EXPLANATIO

INTELLIGO, *quid loquar*)] tacite significat, socios eius victoriae non aeque lenes esse, ipsum autem sua sponte, adhortante nemine, lenē esse. CVM *etiam de victis reperiantur?*] & hic & in sequentibus Tuberonem accusat HOMINIS *non esset*,] homo non esset Tubero, si in tanto discrimine, & periculo ciuis, refellere, & coarguere nostrum mendacium conaretur. SI *esset alicuius*,] si concederetur, vt aliquis id faceret, tamen Tuberoni, qui in eadem caussa, & fortuna fuisset, non concederetur.] ALIVD *est errare Caesarem nolle*:] in eo Tuberonis culpa minor esset si nostro mēdacio falli, & errare Caesarē nollet. ALIVD, *nollo misereri*.] quod multo est iniquius. CAVE *ignoscas*.] caue, tamquā a culpa: cū tamen misericordia sit virtus, & hominis maxime propria. CITIVS] potius, sic enim interdum accipitur, vt off. lib. 1. Vicinum citius adiueneris in fructibus percipiendis quam fratrem. Et. Phil. 2. citius dixerim iactasse se aliquos. EXTORQVEBIT] vt insitam & naturalem. vtimur enim hoc verbo de rebus, quae non facile mouentur, vt, extorquere clauā de manu Herculis. cuius generis apud Ciceronem plurima. SCELERE] quasi scelus fuerit, in Africa fuisse: cū tu Caesar eos ipsos, qui cōtra te arma tulerint, scelere liberaueris. de quo sic pro Marcello: omnes enī, qui ad illa arma fato sumus nescio quo reip. misero funestoq. compulsi etsi aliqua culpa tenemur erroris humani a scelere certe liberati sumus. VEL *quod de nullo alio quisquam*;] ita locutus est. VEL *quod is, qui in eadem causa fuisset*;] subaudi, scelus tamen appellauit. VEL *quidnam noui facinoris afferret*.] cum ita exorsus esset, velle se de Q. Ligarij scelere dicere. nouū enim facinus exspectabas: cum tu Ligariū in Africa fuisse non ignorares, nec id scelus esse duceres. IMPROVIDAS] quid ageretur, ignorantes. DIVINA *necessitate*] fatum refert ad deos: &, si quis fatum definire velit, recte dicet hoc exemplo, Diuina necessitas est. LICEAT *esse miseros*:] liceat per te, Tubero, in exsulium, ac miseriam Ligarium viuere: sed, cū isto modo agis, non licet: aliquid enim vltra exsulij miseriam quaeris. QVAMQVAM *hoc victore non possumus*] correctio, propter spem clementiae Caesaris. NON *loquor de nobis*:] cum dixerit, Hoc victore non possumus, loqui uisus est de Pompeianis omnibus: hic distinguit, nec de omnibus loquisse significat, cum Caesar multos iā conseruauerit, sed de ijs qui occiderunt: quos ei conseruare, vt sceleris expertes, non licet. FVERINT *cupidi fuerint irati*,] iuerint ad bellū, quia res nouas cuperent; iuerint, quia tecū inimicitias gererent. FVERINT *pertinaces*:] hoc in eos maxime cōfertur, qui be lū in Africa renouarūt. FVRORIS *parricidii*]

parricidii] quae vocabula de patriae hostibus vsurpantur: vt exemplis intelligitur. Cn. *Pompeio*] non dubitat Pompeiũ, praesente Caesare, nominare, cũ ipse Caesar numquã eum, nisi honorificẽtissime appellaret, de quo ad Caecinam: Admirari soleo grauitatẽ, & iustitiã, & sapientiã Caesaris numquã nisi honorificentissime Pompeiũ appellat. at in eius persona multa fecit asperius, armorum ista, & victoriae sunt facta, non Caesaris. Ni *si a te contumeliam propulsare.*] quod eripi tibi diceres inimicorũ iniuria beneficium, a populo Romano datũ, idest quod tibi non liceret absenti alterum consulatũ petere, quẽadmodum iusserat. Ad Caecinã: Rationẽ haberi absentis non tam pugnauit vt liceret, quã vt quando, ipso consule pugnante, populus iusserat, haberetur. Et ad Atticum: Idẽ tertio consulatu, (loquitur de Pompeio) postquã esse defensor reip coepit, contendit, vt decẽ tribuni pl. ferrent, vt absentis ratio haberetur. Et ad ipsum Caesarẽ: Iudicaui te eo bello violari, contra cuius honorẽ, populi Romani beneficio cõcessum, inimici, atque inuidi niterentur. Et Caesar ipse lib. 1. bel ci. Doluisse se, quod populi Romani beneficium sibi per contumeliã ab inimicis extorqueretur: ereptoq. semestri imperio, in vrbẽ retraheretur: cuius absentis rationẽ haberi, proximis comitijs populus iussisset Vt *suum ius tueretur,*] ius populi Romani. multi enim ex ijs, qui cũ Caesare militabant, suffragiũ tulerant in illa lege, quae absenti Caesari cõsulatus petendi potestatẽ dabat. Cvm *pacem esse cupiebas*] spretas a Pompeio Caesaris de pace condiciones, historiae narrant. quod ipse quoque Cicero non vno loco scriptum reliquit. Si *tot sceleratos incolumi dignitate esse voluisses?*] idem pro Marcello: Non ille hostes induxit in curiam, sed iudicauit a plerisque ignoratione potius, & falso, atque inani metu, quam cupiditate aut crudelitate bellum esse susceptum. Partim *consiliis, partim studiis*] consilijs, sententijs: studijs, voluntatibus pro Marcello: Diuersae voluntates ciuium fuerunt, distractaeq sententiae non enim consilijs solum, & studijs, sed armis etiam, & castris dissidebamus. A. commvni *vtilitate aberrantibus.*] nam in vtraque parte fuerant, qui paci bellum praeferrent. Ad Tironem: Incidi in ipsam flammam ciuilis discordiae, vel potius belli: cui cum cuperem mederi, &, vt arbitror possem; cupiditates certorum hominum (nam ex vtraque parte sunt, qui pugnare cupiant) impedimento mihi fuerunt. Principvm *dignitas erat paene par,*] Caesarem, & Pompeium significat: & cum dicat, Paene relinquit in dubio, vtrius maior dignitas fuerit. nam si dixisset, Par, Caesaris fortasse animũ offendisset: cum dicat, Paene par, existimare Cæsar potest, plus sibi tribui, quam Pompeio, de ijsdem pro Marcello: Erat certamen inter clarissimos duces. Non *par fortasse eorum, qui sequebantur:*] hic certe Pompeianos Caesarianis dignitate praefert. consularis enim Caesare vt arbitror, nemo fuit, cum Pompeio multi, praeter ipsos consules, & magistratus. Tvm *dubia;*] hominibus, non dijs immortalibus: qui caussam Caesaris probare magis visi sunt, quod eum vincere voluerunt. Cognita *vero clementia tua,*] cui fortasse Pompeianorum, si vicissent, similis non fuisset.

ORATIO

Sed, vt omittam communem caussam, veniamus ad nostram; vtrum tandem existimas facilius fuisse, Tubero, Ligarium ex Africa exire, an vos in Africam non venire? poteramus ne inquies, cum senatus censuisset: si me consulis, nullo modo. sed tamen Ligarium senatus idem legauerat, atque ille eo tempore paruit, cum parere senatui necesse erat: vos tunc paruistis, cum paruit nemo, qui voluit, reprehendo igitur? minime vero: neque enim licuit aliter vestro generi, nomini, familiae, disciplinae. sed hoc non concedo, vt, quibus rebus gloriemini in vobis, easdem in alijs reprehendatis. Tuberonis sors coniecta est ex s. c. cum ipse non adesset, morbo etiam impediretur: statuerat se excusare. haec ego noui propter communes necessitudines, quae mihi sunt cum L. Tuberone: domi vna eruditi, militiae contubernales, post affines, in omni denique vita familiares: magnum etiam vinculum, quod ijsdem semper studijs usi simus. Scio igitur Tuberonem domi manere voluisse: sed ita quidam agebant, ita reip. sanctissimum nomen opponebant, vt etiam si aliter sentiret, verborum tamen ipsorum pondus sustinere non posset. cessit auctoritati amplissimi viri, vel potius paruit: vna est profectus cum ijs, quorum erat vna caussa: tardius iter fecit: itaque in Africam venit iam occupatam. hinc in Ligarij crimen oritur, vel ira potius. nam, si crimen est, prohibere illum voluisse, non minus magnum est, vos Africam omnium prouinciarum arcem, natam ad bellum contra hanc vrbem gerendum, obtinere voluisse, quam aliquem se imperatorem esse maluisse. atque is tamen aliquis Ligarius non fuit. Varus imperium se habere dicebat: fasces certe habebat.

EXPLANATIO

ANuos *in Africam non uenire?*] vobis, Tubero, facilius fuit in Africam non venire, (quid enim coegit?) quam Ligario exire. Cvm *parere senatui necesse erat:*] nondum exorto ciuili bello. Tvnc *paruistis,*] suscepto bello. Vestro *generi,*] antiquo, & nobili. Nomini,] Aeliorum. Familiae,] Tuberonum. Disciplinae.] qua estis ad laudem exculti. Qvievs *rebus gloriemini in uobis,*] vt, cum senatui vos paruisse gloriemini, Ligarium, quia paruerit, reprehendatis. Tvberonis] Lucij, non Quincti, eius filij, qui tamquam patris iniuriam vlciscens, Ligarium accusauit. Non *adesset,*] in senatu. Se *excusare.*] sibi per morbum in prouinciam exire non licere. Cvm *L. Tuberone:*] Quincti patre. Militiae *uero clementia tua,* bello Marsico. quo

in bello miles eo anno Cicero fuit, quo tribunus militum Q. Hortensius vt in Bruto. ETIAM *si aliter sentiret,*] medetur vulneri iam illato. nam supra dixerat, Existimas facilius fuisse, Tubero Ligarium ex Africa, an vos in Africam non venire? AMPLISSIMI *viri*] Cn. Pompeij, hortantis vt iret in Africam, & sanctissimum reip. nomen opponentis. VEL *potius paruit;*] correctio. nam, credere, voluntatis est: Parere, obseruantiæ. CVM *iis,*] cum Pompeianis. TARDIVS *interfecit:*] propter morbum. IAM *occupatam.*] a P. Accio Varo. VEL *ira potius*] quia te Africa excluserit. PROHIBERE *illum uoluisse,*] prohibitum Tuberonem a Varo, cuius erat imperium, non a Ligario, scripsit Caesar lib. 1. bell. ci. Tubero, inquit, cum in Africam venisset, inuenit in prouincia cum imperio Accium Varum, qui ad Auximum vt supra demonstrauimus, amissis cohortibus, protinus ex fuga in Africam prouenerat, atque eam sua sponte vacuam occupauerat; delectuq. habito, duas legiones effecerat, hominum, & locorum notitia, & vsu eius prouinciae nactus aditus ad ea conanda, quod paucis ante annis ex praetura eam prouinciam obtinuerat: huc venientem Vticam cum nauibus Tuberonem portu, atque opido prohibet, neque affectum valetudine filium exponere in terram patitur; sed, sublatis anchoris, excedere eo loco cogit. VOS] patrem tuum, & te, qui cum eo profectus es. OMNIVM *prouinciarum arcem.*] quod in ea summae vires. NATAM *ad bellum contra hanc urbem gerendum*] hoc dicit propter Punica bella. ALIQVEM *se imperatorem esse uoluisse.*] quod in Ligarium Tubero conferebat: cum tamen, vt supra demonstratum est, penes Varum imperium esset, Ligarius autem negotium omne recusasset. ATQVE *is tamen aliquis Ligarius non fuit.*] argute: cum dixerit. Aliquem se imperatorem esse maluisse, similiter pro Deiotaro. Nihil a me arbitror esse praetermissum, sed aliquid ad extremam caussae partem reseruatum, id autem aliquid est, te vt plane Deiotaro reconciliet oratio mea. DICEBAT:] nam reuera non habebat. supra: Ille non mediocri cupiditate arripuit imperium si illud imperium esse potuit, quod ad priuatum, clamore multitudinis imperitae, nullo publico consilio deferebatur. FASCES] quibus non vtitur extra vrbem, nisi qui imperium habet.

ORATIO

SEd quoquo modo sese illud habet, haec querella vestra, Tubero, quid valet? recepti in prouinciam non sumus. quid si essetis? Caesari ne eam tradituri fuissetis, an contra eum retenturi? Vide quid licentiae Caesar, nobis tua liberalitas det, vel potius audaciae. si respondevit Tubero, Africam, quo fenatus eam forsq; miserat, tibi patrem tuum transeuntem fuisse: non dubitabo apud ipsum, te, cuius ita cũ facere interfuit, grauissimis verbis eius consilium reprehendere. non enim si tibi ea res grata fuisset, esset etiam probata. sed iam hoc totum omitto, non tam vt ne offendam tuas patientissimas aures, quam ne Tubero, quod numquam cogitauit, facturus fuisse videatur. Veniebatis igitur in Africam, prouinciam vnã ex omnibus huic victoriae maxime infestam: in qua erat rex potentissimus, inimicus huic caussae, aliena voluntas, conuentus firmi, atque magni. quaero, quid facturi fuissetis? quamquam quid facturi fueritis, non dubitem, cum videam, quid feceritis. Prohibiti estis in prouincia vestra pedem ponere, vt perhibetis, summa cum iniuria. quo modo id tulistis? acceptae iniuriae querellam ad quem detulistis? nempe ad eum, cuius auctoritatem secuti, in societatem belli veneratis. quod si Caesaris caussa in prouinciam veniebatis; ad eum profecto, exclusi prouincia, venissetis: venistis ad Pompeium: quae est ergo apud Caesarem querella, cũ eum accusetis, a quo queramini vos prohibitos contra Caesarem bellũ gerere? atque in hoc quidem uel cum mendacio, si vultis, gloriari per me licet nos prouinciam fuisse Caesari transdituros, etiam si a Varo & quibusdam aliis prohibiti essetis: ego autem confitebor culpam esse Ligarii, qui nostrae laudis occasione priuauerit. sed vide quaeso, C. Caesar, constantiam ornatissimi uiri, L. Tuberonis: quam ego, quamuis ipse probarem, vt probo, tamen non commemorarem, nisi a te cognouissem in primis eam virtutem solere laudari. quae fuit igitur vmquam in vllo homine tanta constantia? constantiam dico? nescio, an melius patientiam possem dicere: quotus enim istud quisque fecisset, vt, a quibus partibus in dissensione ciuili non esset receptus, esset q. etiam cum crudelitate eiectus, ad eas ipsas rediret? magni cuiusdam animi, atque eius viri est, quem de suscepta caussa, propositaq. sententia nulla contumelia, nulla uis, nullum periculum posset depellere. ut enim cetera paria Tuberoni cũ Varo fuissent, honos, nobilitas, splendor, ingeniũ, quae ne quaquam fuerunt; hoc certe praecipuum Tuberonis fuit, quod iusto cum imperio ex S. C. in prouinciã suam venerat. hinc prohibitus, non ad Caesarem, ne tratus, non domum, ne iners, nõ aliquam in regionem, ne condemnare caussam illam, quam secutus esset, uideretur; in Macedoniam, in Cn. Pompeii castra uenit, in eam ipsam caussam, a qua erat reiectus cum iniuria. quid? cũ ista res nihil commouisses eius animum, ad quem ueneratis: languidiore, credo, studio in caussa fuistis. tantumne modo in praesidiis eratis, animi uero a caussa abhorrebant? an, vt fit in ciuilibus bellis, nec in nobis magis, quam in reliquis, omnes uincendi studio tenebamur? patis equidem semper auctor fui, sed tũ sero: erat enim amentis, cum aciem uideres, pacem cogitare. omnes, inquam, uincere uolebamus, tu certe praecipue, qui in eum locum uenisses, ubi tibi esset pereundum, nisi uicisses. quamquam, vt nunc se res habet, non dubito, quin hanc salutem anteponas illi victoriae. Haec ego non dicerem, Tubero, si aut nos constantiae uestrae, aut Caesarem beneficii sui paeniteret.

EXPLA-

EXPLANATIO

QVOQVO *modo se se illud habet,*] siue imperium Ligarius, siue Varus habuerit. VESTRA,] patris & tua. EVM] ad patrem refertur, non ad filium. CVIVS *id eum facere interfuit*] tua enim interfuit, prouinciam tibi Tuberonem tradere. EIVS *consilium*] si tibi traditurus prouinciam fuit. GRATA,] ideo grata fuisset, quia vtilis. PROBATA,] ideo tibi non probata, quia parum honesta. NON *tam vt ne offendam tuas patientissimas aures*] non quia verear, ne tuas, quae patientissimae sunt, aures offendam, si Tuberonis in tradenda tibi prouincia consilium reprehendam. Hoc refertur ad illud: Vide, quid licentiae, Caesar, nobis tua liberalitas, det, vel potius andaciae. QVOD *numquam cogitauit.*] non modo non voluit; sed ne cogitauit quidem. HVIC *victoriae*] Caesaris MAXIME *infestam.*] bellum enim renouauit. REX *potentissimus,*] Iuba, quem Caesar cum Scipione deuicerat. INIMICVS *huic causſae,*] Cn. Pompeij beneficio qui patrem eius Hiempsalem, Mauritaniae regem constituerat. AIIENA *voluntas.*] prouincialium. CONVENTVS ciuium Romanorum, qui Pompeianis partibus fauebant. FIRMI, *atque magni.*] Firmi, ad opes Magni, ad multitudinem, refert. CVM *videam, quid feceritis.*] video enim vos, Africa prohibitos in Graeciam ad Pompeium iuisse. AD. EVM,] ad Pompeium. CVIVS *auctoritatem secuti.*] neque hoc artificio vacat. latenter enim id significat: Auctoritas amplissimi viri, non causſa, vos ad belli societatem adduxit. QVAE *est ergo apud Caesarem querella,*] queri vobis apud Caesarem de Ligario non licet, quia vos Africa prohibuerit id est quia fecerit, ne bellum in Africa contra Caesarē gerere possetis. Cur eum, inquit, apud Caesarem accusatis, qui vos contra Caesarem bellum gerere prohibuit, cum in Africam non recepit? ETSI *a Varo, & quibusdam aliis prohibiti essetis:*] a Ligario, non a Varo prohibiti estis. sed si prohibiti essetis a Varo, & quibusdam alijs Vari similibus, tunc quoque concederē, vos prouinciam nisi prohibiti essetis, Caesari tradituros fuisse. id enim verisimilius gloriari videremini: quia Varum Caesaris inimicissimum fuisse, & contra ducem eius Curionem pugnasse, constat. idq de vobis Caesar libentius audiret. CONFITEBOR] vel cum mendacio, si vultis. TANTAE *laudis occasione*] occasionis tradendae Caesari prouinciae. Laudem appellat ex persona Tuberonum, qui videri vellent prouinciam se Caesari tradituros fuisse: cum, id eos ne cogitasse quidem, perspicue demonstret. CONSTANTIAM] in tuenda Pompeij causſa. NON *commemorem,*] cum ea Tubero sit vsus contra te. CONSTANTIAM *dico?*] correctio rei parum explicatae. qua figura vsus est lib. 1. in Verrem. Dictum hoc est in Cn. Dolabellae iudicio: dictum? etiam aestimatum. Pro Plancio: Nihil est enim, mihi crede Laterensis, de te detractum: detractum dico? si mehercules vere, quod accidit, interpretari velis, est aliquid etiam de virtute significatum tua. Et in ep ad Lentulum: Erat hoc mihi dolendum, sed multo magis illud quod inimicum meum, meum autem? immo vero legum, iudiciorum, otij, patriae, bonorum omnium, sic amplexabantur. &c. CVM *crudelitate eiectus,*] simile illud supra: Prohibiti estis in prouincia vestra pedem ponere, vt perhibetis, summa cum iniuria. NE *iratus,*] iis partibus, a quibus prohibitus esset in prouincia sua pedem ponere. non enim ideo, a Pōpeianis eiectus, ad Caesarē trāsijt. CAVSSAM *illam,*] Pōpeianam. QVAM *secutus esset;*] cum in Africam profectus est. ISTA *res*] iniuria, a Ligario vobis illata. NIHIL *commouisset*] cum nullū Pompeius propter istam rem alienatae a Ligario voluntatis signum dedisset; non tamen ideo vos minus acriter pro eo pugnastis. IN *eum locum*] in ipsa Pompeij castra. nam Cicero, cum in Pharsalia dimicatum est, abfuit, Dyrrhachij cum M. Varrone, & M. Catone commoratus. de Diuin lib. 1. VEI *tibi esset pereundum.*] pro, vbi tibi pereundum putares. id enim erat timendum. quamquā secus accidit: nam victus est, nec tamen perijt. VT *nunc seres habet,*] cognita Caesaris liberalitate, & sapientia. HANC *salutem*] a Caesare acceptam. ILLI *victoriae.*] de cuius crudelitate timebamus. CONSTANTIAE *vestrae,*] in Pompeiana causſa. BENEFICII *sui*] erga vos, quorum constantiam non ignorabat. Auget Caesaris clementiam, & simul Tuberones carpit, cum eos non pœnitere constantiae suae dicit.

ORATIO

NVnc quaero, vtrum vestras iniurias, an reip. persequamini. si reip. quid de vestra in ea causſa perseuerantia respondebitis? si vestras; videte, ne erretis, qui Caesarem vestris inimicis iratum fore putetis, cum ignouerit suis. itaque num tibi videor, Caesar, in causſa Ligarii occupatus esse? num de eius facto dicere? quidquid dixi, ad vnam summam referri volo, vel humanitatis, vel clementiae, vel misericordiae tuae.

EXPLANATIO

SI REIP.] eius, quae nunc est, & Caesaris consilio, ac sapintia gubernatur. PERSEVERANTIA] contra hanc remp. OCCVPATVS *esse?*] prolixa, & ex multis argumentis deprōpta defensioue. quam omitto, spem omnem reponens vel in humanitate, vel in clementia, vel in misēricordia tua.

Landesbibliothek Oldenburg

QVIDQVID *dixi,*] defendendi causſa non dixi, ſed ſpectaui ſemper & naturam tuam, & perpetuam ignoſcendi conſuetudinem.

ORATIO

CAuſſas, Caeſar, egi multas, & quidem tecum, dum te in foro tenuit ratio honorum tuorum: certe numquam hoc modo, Ignoſcite iudices, errauit, lapſus eſt, non putauit, ſi vmquam poſthac. ad parentem ſic agi ſolet: ad iudices, Non fecit, non cogitauit, falſi teſtes, fictum crimen. dic te, Caeſar, de facto Ligarij iudicem eſſe: quibus in praeſidijs fuerit, quaere. taceo. ne haec quidem colligo, quae fortaſſe valerent etiam apud iudicem: legatus ante bellum profectus, relictus in pace, bello oppreſſus, in eo non acerbus, tum etiam fuit totus animo & ſtudio tuus. ad iudicem ſic agi ſolet. ſed ego ad parentem loquor: errauit, temere feci, paenitet, ad clementiam tuam confugio, delicti veniam peto, vt ignoſcas oro: ſi nemo impetrauit, arroganter; ſi plurimi, tu idem fer opem, qui ſpē dediſti. an ſperandi Ligario cauſſa non ſit, cum mihi apud te ſit locus etiam pro altero deprecandi? quamquam neque in hac oratione ſpes eſt poſita cauſſae, nec in eorum ſtudiis, qui a te pro Ligario petunt: tui neceſſarii. vidi enim, & cognoui, quid maxime ſpectares, cum pro alicuius ſalute multi laborarent, cauſſas apud te rogantium gratiores eſſe: quam preces; neque ſpectare, quam tuus eſſet neceſſarius is, qui te oraret; ſed quam illius, pro quo laboraret. itaque tribuis tu quidem tuis ita multa, vt mihi beatiores illi eſſe videantur interdum, qui tua liberalitate fruuntur, quam tuipſe, qui illius tam multa concedis. ſed video tamen apud te cauſſas, vt dixi, rogantium valere plus, quam preces, ab iisque te moueri maximè, quorum iuſtiſſimum dolorem videas in petendo. in Q. Ligario conſeruando multis tu quidem gratum facies neceſſariis tuis: ſed hoc, quaeſo, conſidera, quod ſoles. poſſum fortiſſimos viros Sabinos, tibi probatiſſimos, totumq. agrum Sabinum, florem Italiae, robur reip. proponere. noſti optime homines. animaduerte horum omnium maeſtitiam, & dolorem. huius T. Brocchi, de quo, non dubito, quid exiſtimes, lacrumas, ſqualoremq. ipſius, & filii vides. quid de fratribus dicam? noli, Caeſar, putare de vnius capite nos agere. aut tres Ligarii in ciuitate retinendi ſunt, aut tres ex ciuitate exterminandi. quoduis exſulium his eſt optatius, quā patria, quam domus, quam dii penates, vno illo exſulante. ſi fraterne, ſi pie, ſi cum dolore faciunt, moueant te horum lacrumae, moueat pietas, moueat germanitas; valeat tua vox illa, quae vicit: te enim dicere audiebamus, nos, omnes aduerſarios, putare, niſi qui nobiſcum eſſent; te omnes, qui contra te non eſſent, tuos. vides ne igitur hunc ſplendorem omnem, hanc Brocchorum domum, hunc L. Marcium, C. Caeſetium, L. Cornificium, hoſce omnes equites R. quid adſunt veſte mutata, non ſolum notos tibi, verum etiā probatos viros, qui tecum fuerunt? atque his maxime iraſcebamur, & hos requirebamus, & his nonnulli etiam minabantur. conſerua igitur tuis ſuos, vt, quemadmodū cetera, quae dicta ſunt a te ſic hoc veriſſimum reperiatur. quod ſi penitus perſpicere poſſes concordiam Ligariorum; omnes fratres tecum iudicares fuiſſe. an poteſt quiſquam dubitare, quin, ſi Q. Ligarius in Italia eſſe potuiſſet, in eadem ſententia futurus fuerit, in qua fratres fuerunt? quis eſt, qui horum conſenſum conſpirantem, & paene conflatum, in hac prope aequalitate fraterna non nouerit? qui hoc non ſentiat, quiduis prius futurum fuiſſe, quam vt hi fratres diuerſas ſententias, fortunasq. ſequerentur? voluntate igitur omnes tecum fuerunt, tempeſtate abreptus eſt vnus: qui ſi conſilio id feciſſet, eſſet eorum ſimilis, quos tu tamen ſaluos eſſe voluiſti. ſed ierit ad bellum; diſſenſerit non a te ſolū verum etiam a fratribus: hi te orant tui. equidē, cum tuis omnibus negotijs intereſſem, memoria teneo, qualis tum T. Ligarius, quaeſtor vrbanus, fuerit erga te, & dignitatem tuam. ſed parum eſt me hoc meminiſſe: ſpero etiam te, qui obliuiſci nihil ſoles, niſi iniurias, quoniā hoc eſt animi, quoniā etiam ingenii tui, te aliquid de huius quaeſtoris officio cogitantem, etiam de aliis quibuſdam quaeſtoribus reminiſcentē recordari. hic igitur T. Ligarius, qui tum nihil egit aliud, (neque enim haec diuinabat) niſi vt tu cum ſtudioſum, & bonum virum indicares, nunc a te ſupplex fratris ſalutem petit. quam, huius admonitus officio, cum vtriſque his dederis; tres fratres optimos, & integerrimos non ſolum ſibi ipſos, neque his tot, ac talibus viris, neque nobis neceſſariis ſuis, ſed etiā reip. condonaueris. fac igitur, quod de homine nobiliſſimo, & clariſſimo, M. Marcello reſtituto feciſti nuper in curia, nunc idem in foro de optimis, & huic omni frequētiae probatiſſimis fratribus. vt conceſſiſti illum ſenatui, ſic da hunc populo, cuius voluntatem cariſſimam ſemper habuiſti: &, ſi ille dies tibi glorioſiſſimus, populo R. gratiſſimus fuit, noli obſecro dubitare, C. Caeſar, ſimilem illi gloriae laudem quam ſaepiſſime quaerere. nihil eſt enim tam populare, quam bonitas: nulla de virtutibus tuis plurimis nec gratior, nec admirabilior miſericordia eſt: homines enim ad deos nulla re propius accedunt, quam ſalutem hominibus dando. nihil habet nec fortuna tua maius, quam vt poſſis; nec natura tua melius, quam vt velis conſeruare quamplurimos. Longiorem orationem cauſſa forſitan poſtulat, tua certe natura breuiorem. quare, cum vtilius eſse arbitrer, te ipſum, quam aut me, aut quemquam, loqui tecum, finem iam faciam: tantum te admonebo, ſi illi abſenti ſalutem dederis, praeſentibus his omnibus te daturum.

EXPLANATIO

DVM *te in foro tenuit*] antequam in Galliam Caeſar proficiſceretur. RATIO *honorum tuorum*:] quia magiſtratus in eos a populo confetebantur, quorū agendis in foro cauſſis induſtria probata eſſet. SI *vmquam poſthac.*] ſi poſthac errabit ſi labetur, ne ignoſcite. ANIMO, *& ſtudio*] licet re non oſtenderit. MIHI] qui me confiteor, nulla vi coactum, meo iudicio, ad ea profectum eſſe arma, quae

ma,quæ sumpta erant contra te. CAVSSAS *rogantium valere plus,*] idem scripsit ad Ampium Balbum. Valent tamen apud Cæsare non tam ambitiosæ rogationes, quam necessariæ. SABINOS.] aut in Sabinis natus erat Ligarius,aut e Sabinis originem ducebat. NOS,*omnes aduersarios, putare nisi qui nobiscum essent; te omnes, qui contra te non essent, tuos.*] id etiam Suetonius scriptum reliquit. QVI *tecum fuerunt?*] ex antecedentibus & sequentibus intelligitur,Qui tecũ fuerunt hic dici nõ de ijs qui eum secuti sunt ab bellũ,sed de Q Ligarij fratribus,deq eius auũculo T.Broccho,& alijs,supra nominatis,qui,suscepto ciuil bello,domi remanere,quã a terutram partem sequi,maluerunt.nã eos eque suos Cæsar appellabat, atque illos, qui cũ eo in bello fuerant.dixit enim supra.Te n. dicere audiebamus nos omnes aduersarios putare,nisi qui nobiscum essent: te omnes,qui cõtra te nõ essent,tuos, Eos autẽ significari,qui domi remanserãt,sequẽtibus quoq. uerbis ita cõstat ut dubitare prorsus nemo possit. HIS *maxime irascebamur,*] quia scilicet nostrum consilium secuti non essent. HOS *requirebamus,*]non.Requirebamus.ut eos occideremus.sed,absenter accusabamus.quomodo dicitur, Prudentiam tuam requiro:quia scilicet eam nõ uideo. MINABANTVR.]auget in singulis uerbis, Irascebamur, Requirebamus, Minabantur.idem scripsit ad Varronem. Extremum malorum omnium esse ciuilis belli victoriam quam quidem ego etiam illorum timebã,ad quos veneramus. crudeliter enim otiosis minabantur: eratq. ijs & tua inuisa voluntas,& mea oratio. TVIS.] ijs,qui domi remanserunt.HOC.] omnes,qui contra te non essent,tuos fore. TECVM *iudicares fuisse.*] ideſt domi remansisse. sic enim & supra locutus est. IN *eadem sententia,*] remanendi in vrbe Roma. PAENE *conflatum,*] paene simul genitum, ita similem, vt ea, quæ simul conflantur. translatio est ex eodem fonte ducta. nam, spirare,& flare,idem sunt. SENTENTIAS, *voluntates q. sequerentur?*] idem sensissent,idem voluissent omnes similiter pro Marcello: Diuersae voluntates ciuium fuerunt, distractæq. sententiae. TEMPESTATE] aduersa fortuna, quia domum redire non potuit. repentino bello oppressus. CONSILIO] aliena a te voluntate. EQVIDEM] hactenus de Caesaris clementia: nunc de grati animi laude. vt hoc etiam argumenti genere eius animum commoueat. ANIMI,] magni animi,qui obliuiscitur iniurias. INGENII *tui.*] sapientiæ. quæ laudem & fructum ponit in obliuione iniuriarum. DE *aliis quibusdam quaestoribus*] qui tibi aduersati sunt, initio scilicet ciuilis belli. VT *tu eum studiosum*] aut deest,tui: aut legendum, Vt tui eum studiosum. VTRISQVE *his*] deprecantibus. REIP.] quae simul cum his omnibus deprecatur. NOLI *dubitare,*] nihil te remoretur: nulla res,nulla suspicio,nulla ratio tanti apud te sit.vt a simili te laude remoueat. MISERICORDIA] quæ nihil est aliud quam bonitas. SALVTEM *hominibus dando.*] deorum enim propria beneficentia est: quam cum homines imitantur,deorum similes videri possunt. QVAM *velis*] quæ tua laus est. nam,posse,ad fortunam refertur. TVA *certe natura*] ad ignoscendum, & conseruandum propensa. TEIPSVM *loqui tecum,*] te consilium capere a te ipso. sic ad Curionem: Tecum loquere,te adhibe in consilium,te audi,tibi obtempera. alteri qui melius dare consilium possit,quam tu, non facile inueniri potest: tibi vero ipsi certe nemo melius dabit. TANTVM *te admonebo,*] admonentur homines ijs de rebus, quas non cogitant. Admonebo, inquit,te, Caesar,quod tu fortasse non putas, ita Q.Ligarium his omnibus,qui pro eo deprecantur, carum esse, vt suam salutem in illius salute positam arbitrentur.

IN ORA-



IN. ORATIONEM. CICERONIS

PRO. DEIOTARO. REGE

PAVLLI. MANVTII

COMMENTARIVS

ARGVMENTVM

MAgnae uires, copiaeq. populi Romani, bellica in primis uirtute partae: nec minor clementiae, fidei, iustitiae, quibus uirtutibus parta retinentur, apud omnes gentes opinio, famaq. fuit. nihil esse tam firmum putabatur, quod Romanis armis, potentiaeq. non cederet. nulla tam remota gens, nulla tam barbaris moribus, tam ue suis confidens opibus natio, quae non uim extimesceret, humanitatemq. diligeret, nec praesidij solum, sed ornamenti etiam in amicitia & societate populi Romani plurimum constitueret. Reges ipsi, quorum in terris apud omnes gentes magnum atque sanctum nomen est, suam maiestatē posteriorem populi Romani maiestate ducebant: nec sibi quisquam, qui suis modo fortunis consultum optime uellet, regnare prius uidebatur, quam a senatu rex & socius esset appellatus. Hunc honorem primus, ut arbitror, Syracusarum rex Hiero, post eum Numidiae Massanisa, tum Eumenes, & frater eius Attalus, Asiae, alij deinde, Nicomedes Bithyniae. Cappadociae Ariobarzanes, Ptolemaeus Apio Cyrenarum, Hiempsal, Iubae pater, Mauritaniae, Ptolemaeus Auletes Aegypti, Deiotarus Galatiae, consecuti sunt. Et ut ipsi acceptas interdum a finitimis regibus, aut nationibus iniurias, populi Romani armis ulciscebantur: sic eorum copijs, ubi graue bellum urgeret, populus Romanus utebatur. quo in officio promptior, fidelior, constantior Deiotaro rege, quamdiu uixit, nemo fuit. ille Mithridatico, ille Parthico bello ad extremam usque senectutem pro rep. pugnauit. ciuili bello Caesaris & Pompeij, cum alter utram sequi partem cogeretur, secutus est eam, in qua cum & senatus pene cunctus,

ne cunctus, & consules ipsi, & magistratus reliqui essent, ipsa quoque simul esse resp. videbatur. inde Caesar iratus, cõfecto Alexandrino bello, Pharnace Pontirege, Mithridatis filio, deuicto, & regni partem, & Armeniã ei minorem, a senatu antea donatã, ademit. reliqua, propter superiora in remp. merita, concessit. Quo tempore cum apud eum diuersaretur, nullam humanitatem, nullũ obsequij, officijq genus rege praetermittente; occasio male animatis erga Deiotarum visa peridonea est criminis confingendi, quasi Caesarem quodam die, si in balneũ iuisset, occidere cogitasset. nec tamen statim, sed biennio post, absoluto scilicet Hispaniensi bello, crimen illud Romam ad Caesarem detulerunt, libenter auditurum sperantes, quid quid in eum, a quo ciuilibus armis laesus esset, vere falsoue diceretur. Accusarunt regem nepos ex filia Castor, & a Castore corruptus Philippus medicus, eiusdem regis seruus, qui cum legatis Romam venerat: defendit vnus Cicero. Habita videtur oratio Q. Fabio Max. C. Trebonio cos. cum Caesar IV. consul primis diebus Octobris mensis ex Hispania triumphasset, depositoq. consulatu, Fabium & Trebonium in tres nouissimos anni menses suffecisset, auctoribus Suetonio, & Dione.

M. TVLLII CICERONIS
PRO DEIOTARO REGE
AD C. CAESAREM
ORATIO XLII.

CVm in omnibus caussis grauioribus, C. Caesar, initio dicendi commoueri soleam vehementius, quam videtur vel vsus, vel aetas mea postulare: tum in hac caussa ita me multa perturbant, vt, quantum mea fides studij mihi afferat ad salutem regis Deiotari defendam, tantum facultatis timor detrahat. primum dico pro capite fortunisq. regis: quod ipsum etsi non iniquum est, in tuo tamtaxat periculo tamen est ita inusitatum, regē capitis reum esse, vt ante hoc tempus non sit auditum. deinde eum regem, quem ornare antea cuncto cum senatu solebamus pro perpetuis eius in nostram remp. meritis, nunc cōtra atrocissimum crimen cogor defendere. aceedit vt accusatorum alterius crudelitate, alterius in dignitate perturber.

EXPLANATIO

CVm. In. omnibus caussis grauioribus, C. Caesar, initio dicendi commoueri soleam vehementius, quam uidetur uel usus, uel aetas mea postulare: tum in hac caussa ita me multa perturbant, ut quantum mea fides studii mihi afferat ad salutem regis Deiotari defendendam, tantum facultatis timor detrahat.] Exorditur a timore suo, non temere, sed eo consilio vt laboranti vel iustitia Caesaris, vel clemētia subueniat. timoris autē caussas quinque ponit, vnā naturae, cum, initio dicendi omnibus grauioribus caussis commoueri soleat: alterā a iudicij nouitate ortā, cū pro rege dicat; quod antea numquā contigerit: tertiā ab accusatorū crudelitate, & indignitate; quorū alter nepos auū in iudiciū adduxerit, alter seruus in dominū testimoniū dicat; quartā ab ipso Caesare, qui de suo periculo iudex audiat: quintā a loci ipsius insolentia, quod caussā omniū grauissimā intra domesticos parietes dicat. non, vbi antea solebat, in foro, quo loco magnā dicenti alacritatē populi Romani concursus afferret. Haec de re: verba perpendamus. In. omnibvs. cavssis. gravioribvs.] vitiosus enim in leuioribus caussis timor esset. Initio. dicendi. commoveri. soleam. quod, quia pudentis, ingenuiq. animi signū est, in confessione laudē habet potius, quā vituperationē. propterea cū aduersus Caecilium de loco Verris accusandi disputaret, Ego, inquit, qui, sicut omnes sciunt, in foro iudicijsq. ita versor, vt eius dē aetatis aut nemo aut pauci plures caussas defenderint, & qui omne tēpus quod mihi ab amicorū negotijs datur, in his studijs, laboribusq. cōsumā quo paratior ad vsū forensem, promptiorq. esse possim; tamen ita deos velim mihi propitios, vt, cum illius diei mihi uenit in mentem quo die, citato reo, mihi dicendum sit, non solum commoueor animo sed etiā toto corpore perhorresco. Huius timoris caussam affert lib. 1. de Orat. ex persona L. Crassi, ita dicentis: Mihi etiam quiq. optime dicunt, quiq. id facillime atque ornatissime facere possunt, tamen, nisi timide ad dicendum accedunt & in exordienda oratione perturbantur, paene impudentes uidentur. tametsi id non accidere non potest ut enim quisque optime dicit; ita maxime dicendi difficultatem, uariosq. euentus orationis, hominumq. iudicia pertimescit. qui uero nihil potest dignum re, dignum nomine oratoris, dignum hominum auribus efficere, atque edere; is mihi, etiam si commouetur in dicendo, tamen impudēs uidetur. non enim pudendo, sed non faciendo, id, quod non decet, impudentiae nomen effugere debemus quem uero non pudet; id quod in plerisque uideo; hunc ego non reprehensione solū, sed etiā poena dignum puto. equidē & in uobis animaduertere soleo, & in me ipso saepissime experior, ut exalbescam in principijs dicendi, & tota mente, atque omnibus artubus contremiscā. adolescētulus uero sic in initio accusationis exanimatus sum, ut hoc summum beneficium Q. Maximo deberim, quod consilium continuo dimiserit, simul ac me fractum, ac debilitatū metu uiderit. Vsvs. nam ita natura comparatum, ut noua & insolita re commoueamur, usu cognita, saepe tractata non item. Aetas. rudem enim in agendo adolescentem commoueri initio dicendi, mirum non est: nec datur pudor. Mvlta. infra explicata, noua omnia, unde timor oritur. Mea. fides. cum Deiotarum defendendum susceperim, cui deesse non debeo. Stvdii. plus est, quam uoluntatis multa enim sine studio uolumus: ubi uero studium, ibi uoluntas maxima. Ad. salvtem. regis. deiotari. defendendam. singula pōdus habent. tacite. n. hoc dicit. Vnde nascitur studium meum? non ex leui quapiam re, sed e salute hominis: at cuius hominis? non priuati, sed regis: at cuius regis? non eius, quem regium modo nomen commendet, sed eius, qui perpetuis in remp. meritis excellit. is enim Deiotarus est. Quae te quoque, C. Caesar, commouere, tuamq. mihi, pro rege bene de

rep.

Landesbibliothek Oldenburg

rep. merito dicenti conciliare beneuolentiam debent. FACVLTATIS.] aequare fidem timorem imminuta facultas non potest DETRAHAT. contrarium contrario refert oppositia enim. Afferat. Detrahat. in quibus est animaduertēdum, quod omitterem, si doctis tantum scriberem; sed quia rudiorum aliqua interdum habenda ratio est in iis praesertim, quae ad Latinae linguae proprietatē spectant operae non parco quaeq. fortasse multi sublimia tantum intuentes, respuant, ad ea me, publicae caussa vtilitatis, cum qua nihil confero, non grauate demitto Quod igitur animaduertendū esse dixi, eiusmodi est, verba cōpositia vel suam augere vim, si praeponatur ad, vt in verbo Afferat, vel amittere si de, vt in Detrahat accessus enim in illo, recessus in hoc est. Et, Afferat volenti, cum significatione beneuolentiae, dixit: Detrahat, inuito cū indicio doloris cupit enim pro sua fide regi Deiotaro de capite fortunisq. periclitanti subuenire quod autem cupit, id veretur vt possit, timore facultatem detrahente. Vnicū igitur perfugium Caesaris aequitas, & sapientia. Nā haec eo referūtur omnia. IN *tuo dumtaxat periculo.*] nam si qui est qui cōtra tuam salutem aliquid moliatur, aut cogitet, eum, quicumque est, in iudicium vocari oportere, numquam negauerim. PRO *perpetuis eius in nostram remp. meritis,* omnibus enim Asiaticis bellis remp. Deiotarus enixe admodum iuuit.

ORATIO

CRVDELIS *Castor, ne dicam sceleratum, & impium, qui nepos auum in discrimen capitis adduxerit; adolescentiaeq. suae terrorem intulerit ei, cuius senectutem tueri, & tegere debebat; commendationem ineuntis aetatis ab impietate, & scelere duxerit; aui seruum, corruptum praemiis, ad accusandum dominum impulerit, & a legatorum pedibus abduxerit. fugitiui autem dominum accusantis, & dominum absentem, & dominum amicissimum nostrae reip. cum os videbam, cum verba audiebam; non tam afflictam regiam condicionem dolebam; quam de fortunis communibus eximescebam. nam, cum more maiorum de seruo in dominum ne tormentis quidē quaeri liceat, in qua quaestione dolor veram vocē elicere possit etiam ab inuito: exortus est seruus, qui, quem in equuleo appellare non posset, eum accuser solutus. Perturbat me C. Caesar, etiam illud interdum: quod tamen, tum te penitus recognoui, timere desino; re enim iniquum est, sed tua sapiētia fit aequissimum. nam dicere apud eum de facinore, cōtra cuius vitam consiliū facinoris inisse arguare, si per se ipsum consideres, graue est: nemo enim fere est, qui sui periculi iudex non sibi se aequiorem, quam reo, praebeat: sed tua, C. Caesar, praestans singularisq. natura hunc mihi metum minuit: non enim tam timeo, quid tu de rege Deiotaro, quā intelligo, quid de te ceteros velis iudicare. Moueor etiam loci ipsius insolentia, quod tantam caussam, quanta nulla vmquam in disceptatione versata est, dico intra domesticos parietes, dico extra conuentum, & eam frequentiam, in qua oratorum studia niti solent: in tuis oculis, in tuo ore, vultuq. acquiesco: te vnum intueor: ad te vnum omnis mea spectat oratio: quae mihi ad spem obtinendae veritatis grauissima sunt, ad motum animi, & omnem impetum dicendi, contentionemq. leuiora. hanc enim, C. Caesar, causßam si in foro dicerem eodem audiente, & disceptante te: quantam mihi alacritatem populi R. concursus afferret? quis enim ciuis ei regi non faueret, cuius omnem aetatem in populi R. bellis consumptam esse meminisset? spectarem curiam, intuerer forum, caelum denique testarer ipsum. sic, cum & deorum immortalium, & populi R. & senatus beneficia in regem Deiotarū recordarer, nullo modo mihi deesse posset oratio. quae quoniam angustiora parietes faciunt, actioq. caussae maxime debilitatur loco: tuum est, Caesar, qui pro multis saepe dixisti, quid nunc mihi animi sit ad te ipsum referre, quo facilius tum aequitas tua, tum audiendi diligentia minuat hanc perturbationem meam.*

EXPLANATIO

NE *dicam sceleratum, & impium,*] in alienos crudelitas, in propinquos proprie scelus, & impietas est, NEPOS] exfilia: vt infra: AVI *seruum*] Phidipuum medicum LEGATORVM quae: o Deiotarus ad Caesarem miserat. PEDIBVS quia seruus cum esset, non sedebat cum legatis, cum quibus venerat, sed ad eorū pedes iacebat. ABDVXERIT] corruptum praemijs DOMINVM *accusantis,*] accusare dominum, iniquum est; dominum absentem, iniquius; dominum amicissimum reip. iniquissimum summa igitur est accusantis impudentia. OS] qui talis cum sit, prodire in conspectum hominum audeat CVM *verba audeibam:*] maioris etiam audacia signum. DE *fortunis communibus*] nam si tātum seruo conceditur; timere a seruis nostris omnes debemus. perturbat igitur me non tā Deiotari, quam commune periculum. Locus communis ad mouendum: vt in Verrem lib. v. Ecquis fuit quin lacrumaretur quin ita calamitatem putaret illorum, vt fortunam tamen non alienā, periculum autem commune agi arbitraretur? IN *equuleo*] machinae genus, quo serui torquebātur. ARGVARE,] pro, reus arguatur. exemplum enim secundae personae ad alias transferri solet. QVID *de te ceteros velis iudicare.*] velis de te ceteros iudicare, sapientissimū, & aequissimum iudicem perinde te esse in periculo tuo, ac si de cuiuslibet hominis periculo iudicares. Laudat Caesarem, sed tacite simul admonet talem vt se praebeat, qualem eum esse dicit IN *qua oratorum studia niti solent:*] quam cum oratores intuentur, animos augent, & copiosius, alacriusq. dicunt. studia: dicendi agendarum caussarum. Niti: sic ep. 1. ad Att. in quo vno maxime ambitio nostra nititur. TE *vnum*] & absente populo, & te vno iudicante. LEVIORA. populus enim, qui nunc abest, ingenium excitabat DI

Landesbibliothek Oldenburg

SCEPTANTE] cognoscente : iudicante . haec est enim huius uerbi uis, ut saepe iam docuimus. CVRIAM, *forum caelum*] quorum adspectum parietes adimunt. DEORVM *immortalium*,] hoc referetur ad illud, caelum denique testarer ipsum. ANGVSTIORA] ne possim, vt vellem . de immortalium, deorũ, de populi Romani, de senatus in regẽ Deiotarum beneficijs copiose dicere, adempto adspectu curiae, fori, caeli. QVID *nunc mihi animi sit*,] quam perturbato animo sim. AD *te ipsum referri*,] tecum cogitare. AVDIENDI *diligentia*] ex acquitate orta. MINVAT *hanc perturbationem meam* .] nam si me diligenter, attenteq. audieris, timorem deponam.

ORATIO

SED, *antequam de accusatione ipsa dico, de accusatorum spe pauca dicam. qui cum videantur neque ingenio, neque usu, atque exercitatione rerum valere, tamen ad hanc causam non sine aliqua spe, & cogitatione venerunt. iratum te regi Deiotaro fuisse, non erant nescij: affectum illum quibusdam incommodis, & detrimentis, propter offensionem animi tui, meminerãt: teq. cum hunc iratum, tum sibi amicum cognouerant: cumq. apud ipsum te de tuo periculo dicerent, fore putabant, vt in exulcerato animo facile fictum crimen insideret. quamobrem hoc nos primum metu, C. Caesar, per fidem, & constantiam, & clementiam tuam libera, ne residere in te vllam partem iracundiae suspicemur . per dexteram te istam oro, quam regi Deiotaro hospes hospiti porrexisti; istam, inquam, dexteram, non in bellis, & in proelijs, quam in promissis, & fide firmiorem . tu illius domum uenire, tu vetus hospitium renouare voluisti: te eius dij penates acceperunt: te amicum, & placatum Deiotari regis arae, foci q. viderunt. cum facile exorari Caesar, tum semel exorari soles . nemo vnquã te placauit inimicus . qui vllas resedisse in te simultatis reliquias senserit . quã quam, cui sunt inauditae cum Deiotaro querellae tuae ? numquam tu illum accusauisti, vt hostem, sed vt amici officio parum functum, quod propensior in Cn. Pompeij amicitiam fuisset, quam in tuam . cui tamen ipsi regi veniam te daturum fuisse dicebas, si tum auxilia Pompeio, vel si etiam filium misisset, ipse tamen excusatione aetatis vsus esset. itaque cum maximis eũ rebus liberares, per paruam amicitiae culpam relinquebas. itaque non solũ in eum non animaduertisti, sed omni metu liberauisti; hospitem agnouisti: regem reliquisti. neque enim ille odio tui progressus, sed errore communi lapsus est. is rex, quẽ senatus hoc nomine saepe honorificentissimis decretis appellauisset, quiq. illum ordinem ab adolescentia grauissimum sanctissimumq. duxisset, iisdem rebus est perturbatus, homo longinquus, & alienigena, quibus nos, in media rep. nati, semperq. versati . cum audisset senatus consentientis auctoritate arma sumpta, consulibus, praetoribus, tribunis pl. nobis imperatoribus remp. defendendam datam; mouebatur animo, & vir huic imperio amicissimus de salute populi R. extimescebat, in quã etiam suam inclusam esse videbat: in summo tamen timore quiescendum sibi esse arbitrabatur. maxime vero perturbatus est, vt audiuit consules ex Italia profugisse, oẽsq. consulares, (sic enim nunciabatur) cunctum senatum, totam Italiam esse effusam. talibus enim nuncijs, & rumoribus patebat ad orientem via, nec vlli veri subsequebantur. nihil ille de condicionibus tuis, nihil de studio cõcordiae, & pacis, nihil de conspiratione audiebat certorum hominum contra dignitatem tuam . quae cum ita essent; tamen vsque eo se tenuit, quod a Cn. Pompeio ab eum legati, litteraeq. venerunt . ignosce, ignosce, Caesar, si eius viri auctoritati rex Deiotarus cessit, quem nos omnes secuti sumus; in quem cum dij, atque homines omnia ornamenta contulissent, tum tu ipse plurima, & maxima. neque enim, si tuae res gestae ceterorum laudibus obscuritatem attulerunt, iccirco Cn. Pompeij memoriam amisimus. quantum nomen eius fuerit, quantae opes, quanta in omni genere bellorum gloria, quanti honores populi R. quanti senatus, quanti tui, quis ignorat? tanto ille superiores vicerat gloria. quanto tu omnibus praestitisti. itaque Cn. Pompeij bella, victorias, triumphos, consulatus admirantes numerabamus. tuos enumerare non possumus. ad eum igitur rex Deiotarus venit hoc misero fato aliq. bello, quem ante iustis hostilibusq. bellis adiuuerat. quocum erat non hospitio solum, verum etiam familiaritate coniunctus: & venit vel rogatus, vt amicus, vel accersitus, vt socius; vel euocatus, vt is, qui senatui parere didicisset: postremo venit vt ad fugientẽ, non vt ad insequẽtem. ideo, ad periculi, non ad victoriae societatem. itaque, Pharsalico proelio facto, a Pompeio discessit: spem infinitam persequi noluit: vel officio si quid debuerat, vel errori, si quid nescierat, satisfactum esse duxit: domum se contulit: teq. Alexandriinum bellum gerente, vtilitatibus tuis paruit . ille exercitum Cn. Domitij, amplissimi viri, suis tectis & copijs sustentauit: ille Ephesum ad eum, quem tu ex tuis fidelissimum, & probatissimum omnibus delegisti, pecuniã misit: ille iterum, ille tertio, auctionibus factis, pecuniam dedit, qua ad bellum vtereris: ille corpus suum periculo obiecit, tecumq. in acie contra Pharnacem fuit, tuumq. hostem esse duxit suum . quae quidem a te in eam parte accepta sunt, C. Caesar, vt cum amplissimo regis honore, & nomine afficeris. is igitur non modo a te periculo liberatus, sed etiam honore amplissimo ornatus, arguitur, domi te suae interficere voluisse. quod tu, nisi eum furiosissimum iudicas, suspicari profecto non potes. vt enim omittam, cuius tanti sceleris fuerit, in conspectu deorum penatium necare hospitem; cuius tantae importunitatis, omnium gentium, atque omnis memoriae clarissimum lumen extinguere; cuius tantae ferocitatis, victorem orbis terrarum non extimescere; cuius tam inhumani, & ingrati animi, a quo rex appellatus esset, in eum tyrannum inueniri: vt haec omittam, cuius tanti furoris fuit, omnes reges, quorum multi erant finitimi, omnes liberos populos, omnes socios, omnes prouincias, omnia denique omnium arma contra se vnum excitare? quonam ille modo cum regno, cum domo, cum coniuge, cum carissimo filio distractus esset, tanto scelere non modo perfecto, sed etiam cogitato?

EXPLA-

EXPLANATIO

DE *accusatorum spe*] vt patronus innocētiae suae fama causſae actionem magnopere adiuuat: sic accusator, si is est, de quo non bene homines existiment valde accusationem debilitat. non alienum est igitur, prius quam de accusatione dicatur de accusatoribus ipsis dicere. QVIBVSDAM *incommodis, & detrimētis*] adempta Galatiae parte, & Armenia minore quam ei senatus antea largitus erat. PROPTER *offensionem animi tui*,] vitat mentionem belli ciuilis, quo Caesarem Deiotarus, pro Pompeio pugnans offenderat. SIBI *amicum*] de Castore loquitur non de Phidippo, Deiotari seruo. quae enim Caesari cum seruo amicitia esse potuit? VT *in exulcerato animo facile fictum crimen insideret.*] tacite cohortatur Caesarem ad iustitiam & accusatores in odium adducit, qui fictum crimen detulissent. FIDEM,] quae maxime in iudice requiritur. praeter enim causſam ipsam, spectare nihil debet. CONSTANTIAM.] in tuēda iustitia. quam virtutem ab ipso Caesare laudari solere dixit in ea pro Ligario. IRACVNDIAE] quam in Deiotarum antea ostendisti. NON *in bellis*] bis firmiorem, intelligēdum est, vt ait Priscianus lib. III. sed ex eius sententia lēgendum, Non tam in bellis similis autem illa sententia quae Trebatium Caesari commendat. Totum denique hominem tibi trado de manu, vt aiunt, in manum tuam istam & victoria & fide praestantem. RENOVARE *voluisti*:] quamquam offensus ciuili bello. ARAE, *focique*.] haec tota commemoratio eo pertinet, vt Caesarem per vetus hospitium, per deos penates, per aras focosq. obtestetur, ne Deiotari causſam irato animo audiat. SEMEL *exorari*.] cum semel igitur te Deiotaro placatum praebueris, nullas in te simultatis reliquias timere debemus. AMICI *officio parum functum*] veteris hospitis. nam dixit, vetus hospitium renouare voluisti. MAXIMIS *rebus*] hostili odio. REGEM *reliquisti*.] regni tamen parte multatum. IISDEM *rebus est perturbatus*,] in errorem est adductus. Iisdem rebus: quod in Pompei castris in quibus consules erant, esse resp. videretur. infra, Maxime vero perturbatus est, vt audiuit consules ex Italia profugisse omnesq consulares, (sic enim nunciabatur) cūctum senatum totā Italiā esse effusam. IN *media rep. nati semperq. versati.*] quo minus errare nobis licuit qui tamen errauimus, vel ignoratione, vel metu. CONSVLIBVS, *praetoribus tribunis pl. nobis imperatoribus reip. defendendam datam*;] quod numquam nisi extremis reip. temporibus decerni solebat. de quo queritur Caesar lib. I. bell. ci. Decurritur, inquit, ad illud extremum atque vltimum S.C. quo nisi paene ipso urbis incendio, atque desperatione omnium salutis, latorum audacia, numquam ante discessum est; dent operam consules praetores, tribuni pl. quiq. proconsules sunt ad urbem, ne quid resp. detrimenti capiat. Idem in ep. ad Tironem: Posteaquam senatus consulibus praetoribus, tribunis pl. & nobis qui pro consulibus sumus, negotiū dederat, ut curaremus, ne quid resp. detrimenti caperet: numquam maiore in periculo ciuitas fuit: numquam improbi ciues habuerunt paratiorem ducem. Nobis imperatoribus qui ab urbem erāt, in quibus Cicero ipse ex Cilicia reuersus spe triumphi extra pomerium manens: nec tamen triumphauit, propter ciuile bellum. (SIC *enim nunciabatur*) cum re uera non omnes consulares ex Italia profugissent. remansit enim Ser. Sulpicius, remansit & Cicero ipse aliquandiu. EFFVSAM.] ad bellum contra te gerendum. AD *orientem*] ad regnum Deiotari, in oriente positum. CONDICIONIBVS *tuis*] quas a te concordiae & pacis studio latas. Pompeius repudiauit. CERTORVM *hominum*] L. Domitij, P. Scipionis, M. Bibuli, M. Catonis; quorum alios ad bellum spes rapinarum, alios Caesaris odiū, & priuatae inimicitiae impellebant. NOS *omnes*] quibus tamen salutem reddidisti. TV *ipse*] praesertim posteaquam ei filiam tuam collocasti. AD *eum igitur*] talem tantumq. uirum, deorum immortalium, senatus, populi Romani, tuis etiam beneficijs ornatum. Excusatio Deiotari, a Pompeij laude sumpta. IVSTIS, *hostilibusq. bellis*] contra Mithridatem maxime. FAMILIARITATE] quia simul cum eo in bellis diutissime fuerat, cum Caesarem autem hospitium, non familiaritas fuit. VT *socius*:] qui soleres in bellis Pompeij socius esse. AD *fugientem*,] fugerat enim ex Italia Pompeius. SPEM *infinitam*] belli renouandi, quam alij sunt persecuti. SI *quid debuerat*,] in ea causſa, in qua consules Pompeius ipse, & senatus paene cunctus esset. SI *quid nescierat*,] ignoratione deceptus. VTILITATIBVS *tuis paruit.*] fecit quidquid utilitates tuae postulabant. eodem uerbo usus est ad Plancum lib. XIII. Res familiaris C. Capitonis praesto fuit & paruit & temporibus & fortunae meae. Vtilitates, pro commodis accipiuntur. Ad Tironem. Vtilitatibus tuis possum carere: te ualere, tua causſa primum uolo, tum mea, mi Tiro. CN. *Domitij*,] Caluini qui consul fuerat cum M. Messalla. is cum Caesare, Domitius autem Ahenobarbus cum Pompeio fuit. COPIIS] dedit illi Deiotarus duas legiones, equitesq. centum. Hirtius. SVSTENTAVIT.] quo tempore Caluinus contra Pharnacem, Ponti regem, Mithridatis filium, pro Caesare bellum gessit. ILLE *iterum ille tertio*.] semel Alexandrino, bello: iterū eo, quod contra Pharnacem gestum est, cui Deiotarus ipse cum suis copijs interfuit: tertio, Africano: de quo sic infra: Secutum est Bellum Africanum, graues de te rumores sparsi, qui etiam furiosū illum Coelium excitauerunt. quo tum erga te rex animo fuit, qui auctionatus sit, seseq. & filium suū exspoliare maluerit, quam tibi pecuniam non submini strare? AVCTIONIBVS *factis*.] quo magis eius in te studium patuit, qui, cum pecunia careret, auctiones fecit. AD *bellum*] contra Pharnacem, cui Deiotarus ipse interfuit. TVVMQ *hostem esse duxit suum*.] modus hic loquendi lepore non caret. cui similis ille pro Milone: Caesaris pōtentiā suam potentiā esse ducebat. Et in eadem: Quid habeo,

Landesbibliothek Oldenburg

quod dicam, quod faciam pro tuis in me meritis, nisi vt eam fortunam, quae cumque erit tua, ducā meam? Nec dissimilis ille ad Lentulum: Meumq. inimicum, vnum in ciuitate haberet inimicum, INTERFICERE *voluisse.*] quod verisimile non est; cum eum honore amplissimo tua liberalitas ornauerit, periculo tua clementia liberauerit FVRIOSISSIMVM] propter eas causas, quae infra narrantur IMPORTVNITATIS,] alienissimo tempore exstinguere te clarissimum omnis memoriae lumen voluisse; quis putet? *Vt haec omittam,*] omisisse videtur, quia breuiter dixit, oratoria figura in qua plura verba locum habent, vt agr. 1. Non queror diminutionem vectigalium: praetermitto illa, quae nemo est, quin grauissime, & verissime conqueri possit: praetermitto omnem hanc orationem, & concioni reseruo: de periculo salutis libertatis loquor. CONTRA *se vnum excitare?*] victo enim in Pharsalia Pompeio, quicumque eum ex Asiaticis, vel regibus, vel populis adiuuerant, Caesari se tradiderunt. DISTRACTVS.] diuulsus, regno electus, si nō modo perfectum, sed cogitatum a te scelus illud finitimae gentes cognouissent.

ORATIO

AC, *credo. haec homo inconsultus, & temerarius non videbat. quis consideratior illo? quis tectior? quis prudentior? quamquam hoc loco Deiotarum non tam ingenio, & prudentia, quam fide, & religione vitae defendendum puto. nota tibi est, C. Caesar, hominis probitas, noti mores, nota constantia. cui porro, qui modo populi R. nomen audiuit, Deiotari probitas, integritas, grauitas, virtus, fides non sit audita? quod igitur facinus nec in hominem imprudentem cadere posset, propter metum praesentis exitii, nec in facinorosum, nisi esset idem amentissimus: id vos & a viro optimo, & ab homine minime stulto cogitatum esse confingitis. at quam non modo non credibiliter, sed ne suspiciose quidem. Cū, inquit, in castellum Luceium venisses, & domum regis hospitis tui diuertisses; locus erat quidam, in quo erant ea composita, quibus, rex te muneraret constituerat. huc te a balneo, priusquam accumberes, ducere volebat. ibi enim erant armati, qui te interficerent in eo ipso loco collocati.*

EXPLANATIO

AT, *credo.*] argumentatus est a verisimili, a turpitudine, a damno: nunc a Deiotari sapientia. PROBITAS, *mores, constantia.*] separatae virtutes. potest enim aliquis esse probus, asperior tamen in moribus. potest rursus vt probitate, & moribus excellat, constantia tamē carere. probitatē igitur mores condiunt, vtrisque magnum constantia ornamentum affert. CVI *porro,*] correctio quaedam. quid enim dico probitatem, mores, constantiam Deiotari tibi notam esse; cum nemo sit, qui modo populi Romani nomen audiuerit, cui non eadem audita sint? MINIME *stulto*] exiguam videtur laudem significare, cum tamen summam significet. est enim, Minime stulto pro, sapientissimo. simile illud ad Cassium: Dolabella valde vituperabatur ab hominibus nō insulsis, quod tibi iam cito succederet. Et pro Cluētio: itaque minime amarus is visus est, qui aliquid ex eius sermone speculae degustarat. NE *suspiciose quidem.*] si ab una parte Deiotari uita, ab altera crimen consideretur; tantum abest ut uerisimile crimen uideatur, ut ne suspicioni quidem locum det. CVM *in castellum*] probat illud, quod dixit. Ne suspiciose quidem. MVNERARE Munero, & Muneror, idem ualent: ut alia quoque uerba. PRIVSQVAM *accumberes*] priusquam cenares. accumbentes enim cenabant. idq. post balneum, vt ep. ult. lib. XIII. ad Att.

ORATIO

EN *crimen, en caussa, cur regem fugitiuus, dominum seruus accuset. Ego mehercule, C. Caesar, initio, cum est ad me ista caussa delata, Phidippum, medicum, seruum regium, qui cum legatis missus esset, ab isto ipso adolescente existimaui esse corruptum. hac suspicione fum perculsus: medicum indicem subornabi: finget vt deliceat aliquod crimē veneni. etsi a veritate longe, tamē a consuetudine criminandi non multum res abhorrebat. quid ait medicus? nihil de veneno. at id fieri potuit primo occultius in potione, vel in cibo: deinde etiam impunius fit, quod cum est factum, negari potest. si palam te interemisset, omnium in se gentium non solum odia, sed etiam arma conuertisset; si veneno, Iouis illius quidem hospitalis numen numquam celare potuisset, homines vero fortasse celauisset. quod igitur & occultius conari, & efficere cautius potuit, id tibi, & medico callido, & seruo, ut putabat, fideli, non credidit, de armis, de ferro, de insidiis celare te noluit?*

EXPLANATIO

A *Ipso isto adolescente,*] a Castore, Deiotari nepote. VENENI.] quod per medicum ministrari facile posset. A. CONSVETVDINE *criminandi*] cadit enim in medicum ueneni suspicio. ID *tibi,*] Phidippum medicum alloquitur.

ORATIO

ORATIO

AT, quam festiue crimen contexitur? tua te, inquit, eadem, quae semper, fortuna seruauit. negauisti tum te inspicere velle. quid postea? an Deiotarus, re illo tempore non perfecta, continuo dimisit exercitum? nullus erat alius insidiandi locus? at eodem te, cum cenauisses, rediturum dixeras; itaque fecisti. horam vnam aut duas eodem loco armatos, vt collocati fuerant, retinere magnum fuit? cum in conuiuio comiter, & iucunde fuisses, tum illuc iuisti, vt dixeras, quo in loco Deiotarum talem erga te cognouisti, qualis rex Attalus in P. Africanum fuit: cui magnificentissima dona, vt scriptum legimus, vsque ad Numantiam misit ex Asia, quae Africanus inspectante exercitu accepit. quod cum praesens Deiotarus regio & animo, & more fecisset, tu in cubiculum discessisti.

EXPLANATIO

AT *quam festiue crimen contexitur.*] deridet inuentũ accusatorum, quod referri nullo negotio possit. Tale illud infra: At quam acute collecta crimina. INQVIT, accusator. NEGAVISTI] accusatoris verba. INSPICERE] illa, quibus te Deiotarus munerare constituerat. DIMISIT *exercitum?*] exercitum, figmentum accusatorum deridens, vocat eos qui collocati erant, vt Caesarem interficerent. MAGNVM *fuit?*] ironia pro, nullius negotij fuit. retenti nõ sunt: ergo fictum crimen. ATTALVS] Asiae res, qui moriens populum Romanum heredem instituit. IN *P. Africanum*] Paulli filium. VT *scriptum legimus,*] in ijs libris quibus caret aetas nostra. VSQVE *ad Numantiam*] in Hispaniam, quam vrbem Africanus captam deleuit.

ORATIO

OBSECRO, *C. Caesar, repete temporis illius memoriam: pone illum ante oculos diem: vultus hominem te intuentium, atque admirantium recordare. num quae trepidatio? num qui tumultus? num quid, nisi moderate, nisi quiete, nisi ex hominis grauissimi, & sanctissimi disciplina? quid igitur caussae excogitari potest, cur te lautum voluerit, cenatum noluerit occidere? In posterum, inquit, diem distulit, vt, cum in castellum Luceium ventum esset, ibi cogitata perficeret. Non video caussam loci mutandi: sed tamen acta res crimino se est. Cum, inquit, vomere post cenam velle te dixisses, in balneum te ducere coeperunt. ibi enim erant insidiae. at te eadem tua fortuna seruauit: in cubiculum te ire male dixisti. Dii te perdant fugitiue: ita non modo nequam, & improbus sed & fatuus, & amens es. quid? ille signa aenea in insidiis posuerat, quae e balneo in cubiculum trãsferri non possent?*

EXPLANATIO

HOMINVM *te intuentium,*] qui tum affuerũt in eo loco, vbi te Deiotarus muneratus est. HOMINIS *grauissimi,*] Deiotari. LAVTVM] cum in balneo lauisses. DISTVLIT, Deiotarus. IN *castellum*] opidi pars munitior a Deiotari domo seiuncta. ACTA *res crimino se est.* fingunt id, quod verisimile non est mutare locum Caesarem voluisse: quem non mutauit eo die. inde accusatores crimen in Deiotarũ componũt. Crimino se: vt si verum crimen subesset. VOMERE *post cenam*] quod & antiquis vsitatum fuit, & ipsi potissimum Caesari, vt in ep. ad Att. moris autem erat, vt cum vomere cogitarent, large cenam sumerẽt. DII *te perdant*] absoluta alicuius rei narratione solet orator ad accusatores, aut ad testes, quasi commotus eorum improbitate, orationem conuertere. FATVVS, & *amens*] qui finxeris ea quae non modo verisimilia non sunt, sed a suspicione quoque ipsa longe absunt. SIGNA *aenea*] quae loco non facile mouentur; cum homines e balneo in cubiculum transire facile possint, cum non transierint, nimirum tota res fingitur.

ORATIO

HABES *crimina insidiarum: nihil enim dixit amplius. Horum, inquit, erat conscius. quid tum? ita clemens ille erat, vt eum, quem conscium tanti sceleris habebat, a se dimitteret? Romam etiam mitteret, vbi & inimicissimum sciret esse nepotem suum, & C. Caesarem, cui fecisset insidias, praesertim cum is vnus esset, qui posset de absente se vindicare? Et fratres meos, inquit, quod erant conscii, in vincula coniecit. Cum igitur eos vincire t, quos secum habebat, te solutum Romam mittebat, qui eadem scires, quae illos scire dicis. Reliqua pars accusationis duplex fuit; vno, regem semper in speculis fuisse, cum a te animo esset alieno; altera, exercitum eum contra te magnum comparasse. de exercitu dicam breuiter, vt cetera. Numquam eas copias rex Deiotarus*

iotarus habuit, quibus inferre bellum populo R. posset, sed quibus fines suos ab excursionibus hostium & latrociniis tueretur, & imperatoribus nostris auxilia mitteret. atque antea quidem maiores copias alere poterat nunc exiguas vix tueri potest.

EXPLANATIO

HABES *crimina insidiarum*,] quae, quam leuia sint, vides. Est enim cum aliqua ironia dictum, Habes crimina insidiarum. INQVIT,] Philippus medicus. CVI *fecisset insidias*;] dictum ex persona accusatoris. VNVS] pro summa rerum omnium potestate. SE *uindicare*?] se vlcisci? IN *speculis fuisse*,] occasionem expectasse tui opprimendi. MAIORES *copias*] ante ciuile bellum cohortes xxx quadragenarias Deiotarus habuit, quas in suspicione Parthici belli ad Ciceronem, Ciliciae proconsulem, cum duobus millibus equitum perduxit. ep. 1. lib. VI. ad Att. NVNC] adempta ei regni parte, & Armenia minore.

ORATIO

AT *misit ad Coelium nescio quem, sed eos, quos misit, quod ire noluerunt, in vincula coniecit. Nō quaero, quam verisimile sit, aut non habuisse regem, quos mitteret: aut eos, quos misisset, non paruisse: aut, qui dicto audientes in tanta re non fuissent, eos vinctos potius, quam necatos fuisse. sed tamen, cum Coelium mittebat, vtrum caussam illā victam esse nesciebat, an Coelium istum magnum hominem putabat? quem profecto is, qui optime nostros homines nouit, vel quia non nosset, vel si nosset, contemneret. Addidit etiam illud, equites non optimos misisse tibi, veteres, credo, Caesar; nihil ad tuum equitatum; sed misit ex ijs, quos habuit, electos. Ait nescio quem ex eo numero seruum iudicatum. Non arbitror: non audiui: sed in eo, etiam si accidisset, culpam regis nullam fuisse arbitrarer. Alieno autem a te animo fuit: quo modo? sperauit, credo, difficiles tibi Alexandriae fore exitus propter regionis naturam & fluminis. at eo ipso tempore pecuniam dedit, exercitum aluit: quem Asiae praefeceras, ei nulla in re defuit: tibi victori non solum ad hospitium, sed ad periculum etiam, atque ad aciem praesto fuit. Secutum est bellum Africanum, graues de te rumores sparsi, qui etiam furiosum illum Coelium excitauerunt. quo tum erga te rex animo fuit, qui auctionatus sit, seseq. & filium suum exspoliare maluerit, quam tibi pecuniam non subministrare? Ateo, inquit, tempore ipso Niceam, Ephesumq. mittebat, qui rumores Aphricanos exciperent, & celeriter ad se referrent: itaque, cum esset ei nunciatum, Domitium naufragio periisse, te in castello circumsideri: de Domitio dixit versum Graecum eadem sententia, qua etiam nos habemus Latinum:*

„ *Pereant amici, dum vna inimici incercidant:*

quod ille, si esset tibi inimicissimus, numquam tamen dixisset: ipse enim mansuetus, versus immanis. qui autem Domitio poterat esse amicus, qui tibi esset inimicus? tibi porro inimicus cur esset, a quo, cum vel interfici belli lege potuisset, regem & se & filium suum constitutos esse meminisset?

EXPLANATIO

AD *Coelium nescio quem*,] vt is ducem se copiarum Deiotari contra Caesarem praeberet. NON *quaero*,] pluribus verbis non disputo. attingit enim id, quod omittere se dicit, lepida figura, de qua supra. NON *habuisse regem quos mitteret*,] praeter eos, qui ire noluissent. IN *tanta re*] cum de gerendo contra Caesarem bello cogitaretur. CAVSSAM *illam*] Pompeianam, in qua spes reponi nulla posse videretur. MAGNVM *hominem*,] quem belli ducem diligeret. IS,] Deiotarus. VEL *quia non nosset, vel, si nosset, contemneret.*] duobus modis Coelio detrahit: vno, si Deiotarus eum non nosset, qui Romanos homines optime nosse solitus esset: altero si eū ignoraret: quod vix posset, si magnus quidam homo esset Coelitus. contemneret, tantam ei rem minime ei committendam duceret. simile illud Phil. 2. O miser, siue illa tibi nota non sunt; nihil enim boni nosti; siue sunt, qui apud tales viros tam impudenter loquare. Et in eadem: O miserum te, si intelligis, miseriorem, si non intelligis, hoc litteris mandari. MISISSE *tibi.*] contra Pharnacem. VETERES, *credo*,] eodem, quos habuerat antea. quos enim praeter eos mittere potuit? SERVVM *iudicatum.*] cum seruis militare praesertim equestri loco, non liceret. EXERCITVM] Domitij Caluini. TIBI *victori*] confecti Alexandrino bello. AD *periculum etiam, atque ad aciem*] Pontico bello, contra Pharnacem gesto supra. Ille corpus suum periculo obiecit, tecumq. in acie contra Pharnacem fuit, tuumq. hostem esse duxit suum. EXCITAVERVNT.] in Asia: non dubium est eum loqui de Coelio, vel potius de Coelio. sic enim vbique reponendū censeo: vt sit Q. Caecilius Bassus: de quo sic Phil. xi. Est Q. Caecilij Bassi, priuati, illius quidem, sed fortis, & praeclari viri, robustus, & victor exercitus. In ep. Cassij ad Ciceronem: Legionē quam Q. Caecilius Bassus habuit, ad me venisse cito. Et ad Cornificiū: Quod mihi videor ex tuis litteris intelligere, te nihil cōmissurum esse temere, nec ante, quā scisses quo iste nescio qui Caecilius Bassus erūperet, quidquā constituturum. Notanda est autem hominis ignobilitas, quod vt hic Coe-

lium

lium nescio quem, sic de eodem in ep. ad Cornificium, Nescio qui Caecilius Bassus, Cicero dixit. Quae pertinent ad eum locum: Vel quia non nosset, vel, si nosset, contemneret. Hanc historiā Strabo narrat lib. VI. Appianus lib. IV. Dio lib XLVII. DOMITIVM] Caluinum. PERIERANT *amici*,] quia amicus Domitio esset: vt paullo post. Graecus versus, mihi quidem nondum compertus: Latinus quoque cuius poetae sit, ignorare me fateor. opto feliciores esse alios. QVOD *ille*,] argumentatur a verisimili.

ORATIO

QVID *deinde furcifer? quo progreditur? ait, hac laetitia Deiotarum elatum, vino se obruisse, in conuiuio q. nudum saltauisse. Quae crux huic fugitiuo potest satis supplicij offerre? Deiotarum saltantem quis quam aut ebrium vidit umquam? omnes sunt in illo regiae virtutes, quod te Caesar ignorare non arbitror, sed praecipue singularis & admiranda frugalitas: etsi hoc verbo scio laudari reges non solere. frugi hominem dici, non multum habet laudis in rege: fortem, iustum, seuerum, grauem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem, haec sunt regiae laudes; illa priuata est. vt volet, quisque accipiat: ego tamen frugalitatem, id est modestiam, & temperantiam, virtutem esse maximam iudico. haec in illo est ab ineunte aetate tum a cuncta Asia, tum a magistratibus legatisq. nostris, tum ab equitibus R. qui in Asia negotiati sunt perspecta, & cognita. multis ille quidem gradibus officiorum erga rempub. nostram ad hoc regium nomen adscendit: sed tamen quicquid a bellis populi R. vacabat, cum hominibus nostris consuetudines, amicitias, res, rationes q. iungebat: vt non solum tetrarcha nobilis, sed optimus paterfamilias, & diligentissimus agricola, & pecuarius haberetur. quid igitur adolescens, nondum tanta gloria praeditus, nihil vmquam nisi seruientissime & grauissime fecerit, is ea existimatione, eaq. aetate saltauit?*

EXPLANATIO

FVRCIFERE?] iniquus seruus, seruili vocabulo notatus. PRIVATA *est*.] non modo ingenuorum, verā etiam libertorum. habet autē frugalitas laudē quia repellit illa vitia in quae facile incidit, qui prodigus est. notus est Piso Frugi. cuius cognomen in posteros transiit. frugi quoque Decium quendam librarium ideſt libertum, Cicero appellat in ep. ad Sestium. NEGOTIATI *sunt*.] redemptis vectigalibus. GRADIBVS *officiorum erga rempub. nostram ad hoc regium nomen descendit*.] sic Pro Milone: Hanc deniq; esse, cuius gradibus etiam homines in caelum videantur adscēdere. Et in Parad. Quibus gradibus Romulus adscendit in caelum. RATIONESQ.] negotia. TETRARCHA] Gallograeciae, quae & Galatia dicitur. non enim vniuersae Gallograeciae rex fuit. OPTIMVS *paterfamilias, & diligentissimus agricola, & pecuarius haberetur*.] tribus modis frugalitatem ostendit, quam hic laudat, tempori seruiens, in epistola uero ad Dolabellam subaccusat his uerbis: Oratiunculam pro Deiotaro, quam requirebas habebam mecum: quod non putaram: itaque eam tibi misi. uelim sic legas, ut causam tenuem, & inopem, nec scriptione magnopere dignam. sed ego hospiti ueteri, & amico munusculum mittere uolui leuidense Crasso filo, cuiusmodi ipsius solent esse munera. EA *existimatione*,] praeclara M. Bruti sententia in quadam epistola: Fateor duriorem esse condicionem spectatae uirtutis, quam incognitae. beneficia pro debitis exigimus. quae fraliter eueniunt; ut decepti ab his, infesto animo reprehendimus. A quo sensu non discrepat illud Matij lib. XI. fam An quod adolescens praestiti, cum etiam errare cum excusatione possem; id nunc aetate praecipitata, commutem, ac me ipse retexam?

ORATIO

IMITARI *potius, Castor, avi tui mores, disciplinā q. debebas, quam optimo & clarissimo viro fugitiui ore maledicere, quod si saltatorem auum habuisses, neq. eum virum, vnde pudoris, pudicitiae q. exempla peterentur: tamen hoc maledictum minime in illam aetatem conueniret. quibus ille studijs ab ineunte aetate se imbuerat; non saltandi, sed bene vt armis, optime vt equis vteretur, ea tamen illum cuncta, iam aetate exacta, defecerant. itaque Deiotarum cum plures in equū sustulissent, quod haerere in eo senex posset, admirari solebamus. hic vero adolescens, qui meus in Cilicia miles, in Graecia commilito fuit, cum in illo nostro exercitu equitaret cum suis delectis equitibus, quos vna cum eo ad Pompeium pater miserat, quos concursus facere solebat? quam se ostentare? quam nemini in illa causa studio & cupiditate concedere? cum vero, exercitu amisso, ego, qui pacis auctor semper, post Pharsalicum proelium suasor fuissem armorum non deponendorum, sed abiciendorum, hunc ad meam auctoritatem non potui adducere; quod & ipse ardebat studio ipsius belli, & patri satisfaciendum esse arbitrabatur.*

EXPLA-

Landesbibliothek Oldenburg

EXPLANATIO

ADMIRARI *solebamus,*] Pharsalico bello NON *deponendorum,*] deponenda enim fuerant ante bellum. SED *abijciendorum,*] hoc verbo studium suum significat belli finiendi. eodem vsus est ad Marcellum: Tuum consilium nemo potest non maxime laudare, quod cum spe vincendi simul abiecisti certandi etiam cupiditatem, ostendisti q. sapientem & bonum ciuem initia belli ciuilis inuitum suscipere, extrema libenter non persequi. similiter ad Paetum: omnem nostram de remp. curam, cogitationem de dicenda in senatu sententia, cōmentationem caussarum abiecimus. Vsurpatur vbiq. tāquam in odiosa re, cum suis compositis. Virgilius lib. VI. Proijce tela manu, sanguis meus. AD *meam auctoritatem,*] vt arma deponeret, quemadmodum ego deposui. Aculeus in Castoris pertinaciam: quae cum a Caesaris odio nasceretur, nunc tamen, vt eius vitae maxime studiosus, auum accusaret, quamquam nec vero crimine, nec verisimili. PATRI] Pompeianis partibus fauenti.

ORATIO

FELIX *ista domus, quae non impunitatem solum adepta sit, sed habet etiam accusandi licentiam: calamitosus Deiotarus, qui ab eo, qui in isdem castris fuerit, non modo apud te, sed etiam a suis accusetur. vos vestra secunda fortuna, Castor, non poteritis sine propinquorum calamitate esse contenti. sint sane inimicitiae, quae esse non debebant. rex enim Deiotarus vestram familiam abiectam, & obscuram e tenebris in lucem vocauit. quis tuum patrem antea, qui esset, quam cuius gener esset, audiuit? sed quamuis ingrate & impie necessitudinis nomen repudiaretis, tamen inimicitias hominum more gerere poteratis, non ficto crimine insectari, non expetere vitam, non capitis arcessere. esto, concedatur haec quoque acerbitatis, & odij magnitudo. adeone, vt etiam omnia vitae, salutis q. communis, atque etiam humanitatis iura violentur? seruum sollicitare verbis, spe, praemijsq. corrumpere, abducere domum, contra dominum armare, hoc est, non vni propinquo, sed omnibus familys bellum nefarium indicere. nam iste corruptela serui si non modo impunita fuerit, sed etiam a tanta auctoritate approbata; nulli, nulli parietes nostram salutem, nullae leges, nulla iura custodient. vbi enim id, quod intus est, atque nostrum, impune euolare potest, contra q. nos pugnare; fit in dominatu seruitus, in seruitute dominatus.*

EXPLANATIO

VESTRA] id est tua; qua contentus vt sis, nisi auum perdas, impetrare a te non potes. QVAM *cuius gener esset,*] coepit esse notus ex affinitate Deiotari regis. INGRATAE, & *impie*] ingratae, in eum, qui summa in vos beneficia cōtulit: Impie in hominem vobis propinquitate coniunctissimū. INIMICITIAS *hominum more gerere*] mitius agere, vt in propinquum. A. TANTA *auctoritate*] C. Caesaris. APPROBATA?] quod speratis: cum ea, non dicam probanda, sed punienda omnino sit. NVLLI, *nulli*] vis additur, iterato verbo, vt Phil. 2. Tu, tu istas faces incendisti, Antoni. Et pro Fonteio: Fuit, fuit illis iudicibus diuinum, ac singulare iudices consilium. Argumentatur a communi periculo. supra: Non tam afflictam regiam condicionem dolebam, quam de fortunis communibus extimescebā. Praedicit eadem agraria 2. ad timorem populo Rom inferendum. Committite, inquit vos nunc, Quirites, his hominibus haec omnia, quos odorari hunc decemuiratum suspicamini: reperietis, partem esse eorum quibus ad habendum, partem, quibus ad consumendum nihil satis esse videatur. Et in ea pro Domo: Probate genus adoptionis: iam omnium sacra interierint quorem custodes vos, esse debetis, iam patricius nemo relinquetur. In eadem: Date hanc tribuno pl. licentiā, & intuemini paullis per animis iuuentutem, & eos maxime, qui imminere iam cupiditate videntur in tribuniciam potestatē: collegia medius fidius tribunorum pl. tota reperientur, hoc iure firmato, quae coeant de hominum locupletissimorum bonis, praeda praesertim populari, & spe largitionis oblata. Et in eadem: Date de hac religione aditum, pontifices: iam nullum fortunis communibus exitum reperietis. Bimembris, vt ita dicem, & bipartita sententia est: cuius prima pars indignantis, altera prope minantis est.

ORATIO

O TEMPORA, o mores: *Cn. Domitius ille, quem nos pueri consulem, censorem, pontificem maximum vidimus cum tribunus pl. M. Scaurum, principem ciuitatis, in iudicium populi vocauisset, Scauriq. seruus ad eum clam domum venisset, & crimina in dominum delaturum se esse dixisset, comprehendi hominem iussit, ad Scaurumq. deduci. vide, quid interest, etsi inique Castorem cum Domitio comparo. sed tamen ille inimico seruum remisit, tu ab auo abduxisti: ille incorruptum audire noluit, tu corrupisti: ille adiutorem seruum contra dominum repudiauit, tu etiam accusatorem adhibuisti.*

EXPLA-

EXPLANATIO

O TEMPORA.]mutata. O MORES:]iis,qui fuerunt,dissimiles. Vtrunque probat comparatione Domitij,& Castoris. CN. *Domitius*] pater L. Domitii Ahenobarbi: qui ciuili bello Pompeium secutus,acie Pharsalica perijt. CONSVLEM,*censorem,pontificem max*]consul censorq. fuit cum L. Crasso oratore. Sic in ea pro Domo: Cn. Domitium nos pueri consulem, censorem, pontificem max. vidimus. ETS *inique Castorem cum Domitio comparo.*]rem ipsam narrat, dissimilium comparationem excusat. quod fecit etiam in Pisonem. nam cum Q. Metelli celeris, qui cõsul designatus consul fieri passus esset, vituperaret, haec interposuit; (facio iniuriam fortissimo viro mortuo, qui illũ, cui pares paucos haec ciuitas tulit, cum importuna bellua conferam(ILLE *inimico seruum remisit, tu ab auo abduxisti.*]ornamentum ex contrariorum collatione quaesitum. simile illud in Verrem lib. IV. Conferte hanc pacem cum illo bello, huius praetoris aduẽtum cum illius imperatoris uictoria, huius cohortem impuram cum illius exercitu inuicto, huius libidines cum libidines cum illius cõtinentia: ab illo, qui cepit, conditas ab hoc, qui constitutas accepit, captas dicetis Syracusas. Occurrunt alia eiusdem generis apud hunc nostrum vel plurima.

ORATIO

AT *semel iste est corruptus a vobis? non ne, cum esset productus testis, & cum tecum fuisset, refugit ad legatos? non ne etiam ad hunc Cn. Domitium venit? non ne, audiente hoc Ser. Sulpicio, clarissimo viro, qui tum casu apud Domitium cenabat, & hoc T. Torquato, optimo adolescente, se a te corruptum, tuis promissis in fraudem impulsum esse confessus est? quae est ista tam impudens, tam crudelis, tam immoderata inhumanitas? iccirco in hanc urbem uenisti, ut huius urbis iura, & exempla corrumperes, domesticaq. tua inhumanitate nostrae ciuitatis humanitatem inquinares?*

EXPLANATIO

AD *hunc Cn. Domitium*]qui aderat. Hoc *Ser. Sulpicio,*]Et Sulpicium,& Torquatum, infra nominatum, Cicerone causam agente, affuisse crediderim. cum de utroque dicatur, Hoc: ut infra, Huic Blesamio: & pro Ligario, Hoc C. Pansa. CLARISSIMO *viro,*]consul fuerat cum M. Marcello, & in iure ciuili primas obtinebat. ICCIRCO *in hanc urbem uenisti,*]hac ad accusatorem apostrophe nihil efficacius. nam ut bonus ciuis, conseruandae cupidus humanitatis urbanae, in barbarum hominem invehitur.

ORATIO

AT *quam acute collecta crimina. Blesamius, inquit (eius enim nomine, optimi hominis, nec tibi ignoti, maledicebat tibi) ad regem, inquit, scribere solebat, te inuidiose tyrannum existimari: statua inter reges posita animos hominum uehementer offensos: plaudi tibi non solere. Nõne intelligis, Caesar, ex urbanis maleuolorum sermunculis haec ab istis esse collecta? Blesamius tyrãnum Caesarem scriberet? multorum enim ciuium capita uiderat. multo iussu Caesaris uexatos, uerberatos, necatos: multas afflictas & euersas domos: armatis militibus refertum forum: quae semper in ciuili uictoria sensimus, ea te uictore non uidimus. solus, inquam, es, C. Caesar, cuius in uictoria ceciderit nemo, nisi armatus: & quem nos liberi, in summa reip. libertate nati, non modo non tyrannum, sed etiam clementissimum in uictoria uidemus ducem, is Blesamio, qui uiuit in regno, tyrannus uideri potest? nam, de statua qui queritur, una praesertim, cum tam multas uideat? ualde enim inuidendum est eius statuae, cuius trophaeis non inuidemus. nam si locus affert inuidiam: nullus locus est, ad statuam quidem, Rostris clarior. De plausu autem quid respondeam? qui nec desideratus umquam a te est, & nõnumquam, obstupefactis hominibus ipsa admiratione, compressus est, & fortasse eo praetermissus; quia nihil uulgare te dignum uideri potest.*

EXPLANATIO

AT *quam acute collecta crimina.*]ironia, accusationem infirmans, ut illud supra. At quam festiue crimen contexitur. BLESAMIVS,]homo Gallo graecus, qui Deiotari legatus aderat. AD *regem, inquit,*]aut inquit, abundat, cum dixerit iam, Blesamius inquit; aut, propter ea, quae sunt interposita, iteratũ est. SCRIBERE *solebat,*]ex urbe. INVIDIOSE]cum odio ciuitatis. STATVA *inter reges posita, animos hominum uehementer offensos;*]quasi rex ipse quoque esse uellet. Suetonius:

Praegrauāt tamē cetera facta dictaq; eius vtabusus dominatione, & iure caesus aestimetur. nō enim honores modo nimios recepit vt continuū consulatū, perpetuā dictaturā, praefecturamq; morū, in super praenomen imperatoris cognomē patris patriae, statuā inter reges, suggestū in orchestra. & ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est. PLAVDI *tibi non solere.*] theatrum ingredienti: quod infensi animi signum videretur. SERMVNCVLIS] inanissimis, a maleuolentia profectis. COLLECTA?] ab accusatore & collecta, studiose quaesita. cum cetera deessent. SENSIMVS,] Mario, Cinna, Sulla dominantibus. QVI *viuit in regno.*] pro, viuere consueuit. tunc enim aderat, Cicerone dicente In regno: vbi tyrannidis potius imaginem aliquam, quam in vrbe Romana, videre potest: quae cum ferre consueuerit, cur tyrannum Caesarem appellet, in quo tyranni nihil simile? TROPHEIS] qui maiorem illi laudem afferūt, quam vna statua. ROSTRIS *clarior.*] cum regum statuae in Capitolio, non in Rostris, essent: vt ex Asconio licet intelligere. PRAETERMISSVS,] a populo.

ORATIO

NIHIL *a me arbitror praetermissum, sed aliquid ad extremam causae partem reseruatum. id autem aliquid est, te vt plane Deiotaro reconciliet oratio tua. non enim iam metuo, ne tu illi succenseas: illud vereor, ne tibi illum succensere aliquid suspicere. quod abest longissime, mihi crede, Caesar. quid enim retineat per te, meminit, non quid amiserit: neque se a te multatum arbitratur: sed, cum existimaret multis tibi multa esse tribuenda, quo minus a se, qui in altera parte fuisset, ea summeres, non recusauit. etenim si Antiochus, magnas ille rex Asiae, cum postea quam a Scipione deuictus, Tauro tenus regnare iussus esset, omnemq. hanc Asiam, quae est nunc nostra prouincia, amisisset: dicere est solitus, beneficio sibi a populo R. esse factum, quod, nimis magna procuratione liberatus, modicis regni terminis vteretur: potest multo facilius se Deiotarus consolari. ille enim furoris multam sustinuerat, hic erroris. omnia tu Deiotaro, Caesar, tribuisti: cum & ipsi, & filio nomen regium cō-cessisti. hoc nomine retento, atque conseruato, nullum beneficium populi R. nullum iudicium de senatus imminutum putat. magno animo, et erecto est, nec vnquā succumbet inimicis, ne fortunae quidem. multa se arbitratur & peperisse antea factis, & habere in animo, atque virtute, quae nullo modo possit amittere. quae enim fortuna, aut quis casus, aut quae tanta possit iniuria omnium imperatorum de Deiotaro decreta delere? ab omnibus enim est ornatus, qui, postquam in castris esse potuit per aetatem, in Asia, Cappadocia, Ponto, Cilicia, Syria bella gesserunt. senatus vero iudicia de illo tam multa, tamq. honorifica, quae publicis populi R. litteris monumentisq. consignata sunt, quae vmquam vetustas obruet, aut quae tanta delebit obliuio? Quid de virtute eius dicam? quid de magnitudine animi, grauitate, constantia? quae omnes docti, atque sapientes summa, quidā etiam sola bona esse dixerunt, hisq. non modo ad bene, sed etiam ad beate viuendum contentam virtutem esse.*

EXPLANATIO

ID *autem aliquid*] concinna iteratio eiusdem verbi: vt pro Ligario: Nam si crimen est prohibere illum voluisse, non minus magnum est, vos Africam, omnium prouinciarum arcem, natam ad bellum contra hanc vrbem gerendum obtinere voluisse, quam aliquem se imperatorem esse maluisse. atque is tamen aliquis Ligarius non fuit. NON *enim iam metuo,*] tua fretus humanitate, clementia, constantia. TIBI *illum succensere*] propter ademptā regni partem. ABEST *longissime,*] minime verum est. MVLTIS] socijs victoriae tuae. A SCIPIONE] L. Scipione Africani maioris fratre. QVAE *est nunc nostra prouincia,*] ab Attalo, Eumenis fratre, cui populus Romanus bene de rep. merito, Antiocho regi ademptam donauerat, testamento legata. ERRORIS.] quo lapsus est nobiscū simul PVTAT.] putaret autem, si tu regium illi nomē ademisses. HABERE *in animo atque virtute,*] haec duo coniungit vt & velle eum res magnas, & praestare posse significet. OMNIVM *imperatorum*] qui bellum in Asia gesserunt, Sullae, Murenae, Luculli, Pompeij. CILICIA,] potest & P. Seruilium designare, qui e Cilicia de Isauris triumphauit, vnde Isaurici cognomen: potest & se ipsum; qui cum Ciliciam procōsul administraret. Deiotari copijs vsus est. POPVLI *Romani litteris,*] aut ego prorsus alucinor: aut hic, Populi Romani, locum non habet. QVAE *vmquam vetustas obruet, aut quae tanta delebit obliuio?*] temporis vetustas, hominum obliuio. SVMMA,] summa esse bona dixerunt Peripatetici, sola Stoici.

ORATIO

HAEC *ille reputans, & dies & noctes cogitans, non modo tibi non succenset: (esset enim non solum ingratus, sed etiam amens) verum omnem tranquillitatem, & quietem senectutis acceptam refert clementiae tuae. quo quidem animo cum antea fuerit; tum non dubito, quin tuis litteris, quarum exemplum legi. quas ad eū Tarracone huic Blesamio dedisti. se magis etiam erexerit, ab omniq. sollicitudine abstraxerit. iubes enim eū bene sperare, & bono esse animo: quod scio te nō frustra scribere solere: memini enim tisdē fere verbis ad me te scribere; meq. tuis litteris bene sperare non frustra esse iussum. laboro equidem regis Deiotari caussa, quocum*

quo cum mihi amicitiam resp. conciliauit, hospitium voluntas vtriusque coniunxit, familiaritatem consuetudo attulit, summam vero necessitudinem magna eius officia in me, & exercitum meum effecerunt: sed cum de illo laboro tum de multis amplissimis viris, quibus semel esse ignotum a te oportet, nec beneficium tuum in dubium vocari, nec haerere in animis hominum sollicitudinem sempiternam, nec accidere, vt quisquam te timere incipiat eorum, qui semel a te sint liberati timore.

EXPLANATIO

AMENS] succenseret enim nulla ratione adductus. TARRACONE] Hispaniae vrbe. HVIC *Blesamio*] legato praesenti. TVIS *litteris*] Alexandriam missis. IN *me, & exercitum meum*] quo tempore Ciliciae praefui. QVI *semel a te sunt liberati timore*,] quorum in numero Deiotarus erat.

ORATIO

NOn debeo, C. Caesar, quod fieri solet in tantis periculis, tentare, quonammodo dicendo misericordiam tuam commouere possim: nihil opus est: occurrere ipsa solet supplicibus, & calamitosis nullius oratione euocata. propone tibi duos reges, & id animo contemplare, quod oculis non potest: dabis profecto misericordiae, quod iracundiae negauisti. multa sunt tuae clementiae monumenta. sed maxime eorum incolumitates, quibus salutem dedisti. quae si in priuatis gloriosa sunt, multo magis commemorabuntur in regibus. semper regium nomen in hac ciuitate sanctum fuit, sociorum vero regum & amicorum sanctissimum. quod nomen hi reges ne amitterent, te victore timuerunt: retentum vero, & a te confirmatum, posteris etiam suis transdituros esse confido. corpora vero sua pro salute regni suorum hi legati tibi regij trādunt, Hieras & Blesamius, & Antigonus, tibi nobisq. omnibus iam diu noti, eadēq. fide, & virtute praeditus Dorylaus, qui nuper cū Hiera legatus est ad te missus; tum regum amicissimi, tum tibi etiam, vt spero, probati. exquire de Blesamio, num quid ad regem contra dignitatem tuam scripserit. Hieras quidem causam omnem suscipit, & criminibus illis pro rege se supponit reum: memoriam tuam implorat, qua vales plurimum; negat vnquam se a te in Deiotari tetrarchia pedem discessisse: in primis finibus tibi se praesto fuisse dicit, vsque ad vltimos prosecutum; cum e balneo exisses, tecum se fuisse; cum illa munera inspexisses cenatus; cum in cubiculo recubuisses; eandemq. assiduitatem tibi se praebuisse postridie. quamobrem, si quid eorum, quae obiecta sunt, cogitatum sit, non recusat, quin id faciuus suum iudices. Quocirca, C. Caesar, velim existimes, hodierno die sententiam tuam aut cum summo dedecore miserrimam pestem importaturam esse regibus, aut incolumem famam cum salute: quorum alterum optare, illorum crudelitatis est; alterum conseruare, clementiae tuae.

EXPLANATIO

OCCVRRERE *ipsa solet*] impellente natura tua, ad clementiam vehementer propensa. EVOCATA,] translata verba. Commouere, Occurrere, Euocata, eodem spectantia. PROPONE *tibi duos reges*,] patrem, & filium. QVOD *iracundiae negauisti*.] perdere Deiotarum, licet iratus, noluisti. SANCTVM] putantur enim in tutela deorum esse reges. vnde illa Caesaris verba apud Suetonium in oratione qua matrem mortuā laudauit: Quaestor Iuliam amitam, vxoremq Corneliam laudauit e more pro rostris. Sed in amitae quidē laudatione, de eius, ac patris sui vtraque origine sic refert: Amitae meae Iuliae maternum genus ab regibus ortum, paternum cum dijs immortalibus coniunctum est. nam ab Anco Marcio sunt Marcij reges; quo nomine fuit mater: a Venere Julij; cuius gentis familia est nostra. Est ergo in genere & sanctitas regum, qui plurimum inter homines pollent; & caerimonia deorum quorum ipsi in potestate sunt reges. TRADVNT,] ad poenam, si modo Deiotarus a te poena dignus existimetur. NVPER] reliqui enim duo Blesamius, & Antigonus ante eos Romam venerant. CRIMINIBVS *illis*] ab accusatore obiectis. SE *supponit reum*:] non recusat, vt tu in illum animaduertas, si quam in te culpam Deiotarus admisit. AVT *cum summo dedecore*] non est dissimilis illa sententia in orationis clausula pro Ligario: Tantum te admonebo, si illi absenti salutem dederis, praesentibus his omnibus te daturum. Augetur beneficium Caesaris ex communicatione multorum; vt calamitas, ex communi peste. OPTARE,] vt optent, crudelitas accusatorum facit: ne sperare possint, clementia tua. CONSERVARE,] vt reges incolumi fama cum salute fruantur. CLEMENTIAE *tuae*] libentius clementiam implorat, quam iustitiam; vel quod ea potissimum delectari laude Caesarem intelligeret; vel quod vereretur, ne memoriam eius temporis aliquam Caesar seruaret, quo Deiotarus contra eum in Pharsalia pro Pompeio pugnauerat, cui vulneri clementia potius quam iustitia, medebatur.

Landesbibliothek Oldenburg



IN . PRIMAM

M . TVLLII . CICERONIS PHILIPPICAM

PAVLLI . MANVTI COMMENTARIVS

ARGVMENTVM

INterfecto idibus Mart. C. Caesare, M. Antonius, collega eius in cõsulatu, sibi metuens, non solum eo die latuit, verum etiam texit aliquandiu consilia sua, simulatione ad tempus accommodata. postridie idus actum est cum eo de communi concordia per consulares viros. post diem tertium, qui fuit XVI. Kal. Apr. in aedem Telluris conuocato senatu, Cicero, quantum in ipso fuit, iecit fundamenta pacis, discordiarumq. memoriam omnem, vetere Athenienſium exemplo, obliuione sempiterna delendam censuit. quo die praeclare de rep. locutus Antonius, consequentibus etiam diebus non dubia suae voluntatis argumenta dare visus est. misso paruulo filio, pacis obside, in capitolium, C. Cassium ipse, M. Brutũ Lepidus, pontifex max. alij alios ex tyrannoctonis, qui post Caesaris necem, populi, & Antonij maxime consulis metu, in Capitoliũ se contulerant, cenae adhibuerunt. Sed fictam personam sustinere diu nemo potest. Cum Caesarem, quamquã in libera ciuitate, singulari potestate vsum, funere tamen efferri placuisset: qui fons malorum omnium fuit: (sic enim, tyrannum non fuisse, iudicabatur: nam tyrannorum corpora proijciuntur inhumata) laudauit eũ de more Antonius in foro: commemoratisq. rebus ab eo gestis, maximisq. erga remp. meritis, explicata demũ cruenta veste, in qua caesus fuerat, multis pugionũ ictibus perfoßa, conuertit orationem ad miserationem commouẽdam,

dam, populumq. iam dolore incensum, in eam iracundiam, furoremq. impulit, ut statim a funere ad domum Bruti, & Cassij cum facibus accurrerit: unde aegre repulsus est. Brutus, & Cassius, uitato praesenti periculo, concitatae multitudinis vim timentes, Antonijq perfidiam iam satis experti, Antium, & Lanuuium aufugerunt, eo consilio, ut inde in prouincias a senatu decretas proficiscerentur, decreuerat autē senatus, postridie quam e Capitolio Caesaris interfectores descenderūt, Bruto Cretam, Cassio Africam Trebonio Asiam, Cimbro Bithyniā; D. Bruto Galliam citeriorem, datam a Caesare antea, confirmauit. Idem tamen, quasi ad sanitatem reuocatus, reliquis diebus in Capitolio praeclara S. C. fecit, primum illud e Ser. Sulpicij sententia, ne qua post idus Mart. immunitatis tabula, ne ue cuius beneficij figeretur: deinde, ut dictaturae nomen in perpetuum e rep. tolleretur. Lux quaedam oblata uidebatur: erecti erant, spe libertatis, & otij bonorum animi: constituta resp. putabatur. sed cito ille simulationem sustulit, suiq. similis uisus est. habito enim kalendis Iun. senatu, non eum, quem antea, de rep. sensum, nec superiorum dierum actis consentientem uoluntatem ostendit. nihil deinde ad senatum referebat: per populum, id est per infimam, corruptamq. plebem, cōtempta amplissimi ordinis auctoritate, agebat omnia contra S. C. quod ipse fieri uoluerat, tabulas figebat: ciuitatem, immunitatesq. dabat: exsules reducebat; eaq. se facere omnia dicebat ex legibus Caesaris, aut ex eius commentarijs. Tum Cicero, desperata prorsus, Antonio consule libertate urbem reliquit, in Graeciam iturus, ea mente, ut kalendis Ian. quo die Pansa & Hirtius consulatum inituri erant, adesset. nec tamē inter illud absoluit, nā Leucopetrae aduersa tempestate detentus, ab ijs, qui ab urbe uenerant, & concionem accepit Antonij, quam ualde probauit; & ea cognouit, unde reuertendi consilium cepit. Post reuersionem, de uia languens, in senatum, qui kalendis Sept. ut Phil. v. legitur, in aede Concordiae habebatur, non uenit. quo grauiter commotus Antonius, fabros se missurum, & domum eius disturbaturum, audiente senatu, dixit. Postridie, idest, 1v. nonas Sept. in senatum uenit, absente Antonio: & hac oratione, primam exposuit consilium profectionis, & reuersionis suae: deinde questus est grauiter de Antonij hesterna iniuria: tum leges illius reprehendit: postremo utrumque consulem, absentem Antonium, praesentem Dolabellam, quem sibi, profecturus ad bellum Parthicum, Caesar suffecerat, hortatur, ut ueram, solidamque gloriam sequantur; diligi a suis ciuibus malint, quam metui; rempub. omni ratione complectantur. Genus orationis demonstratiuum est: nam in accusando Antonio potissimum uersatur. non enim tam Ciceroni σκοπὸς est, ut consilium exponat

prose-

profectionis, reuersionisq. suæ: quamquam id omnino fieri decuit, ne boni ciuis officium deseruisse uideretur: quam ut Antonij queratur iniuriam, & eius acta, non modo ut iniusta, sed etiam ut Cæsaris actis contraria, reprehendat. Admista quædam uidentur, quæ ad deliberationem pertineant: ut cum acta Cæsaris, præsertim leges ab eo latas, defendenda esse censet, non ferendas autem promulgatas ab Antonio leges, quæ Cæsaris actis aduersentur.

IN · M · ANTONIVM
PHILIPPICA
LIBER . PRIMVS
ORATIO . XLIII

ANTE *quam de rep. P. C. dicam ea, quae dicenda hoc tempore arbitror; exponam vobis breuiter consilium & profectioni, & reuersionis meae. Ego cum sperarem aliquando ad vestrum consilium auctoritatemq. remp. esse reuocatam, manendum mihi statuebam quasi in vigilia quadam consulari, ac senatoria: nec vero vsquam discedebam, nec a rep. deijciebam oculos ex eo die, quo in aedem Telluris conuocati sumus. in quo templo, quantum in me fuit, ieci fundamenta pacis: Atheniensiumq. renouaui vetus exemplũ; Graecum etiam verbum vsurpaui, quo tum in sedandis discordijs vsa erat ciuitas illa; atque omnem memoriam discordiarum obliuione sempiterna delendã censui. praeclara tum oratio M. Antonii, egregia etiã voluntas: pax denique per eum, & per liberos eius cum praestantissimis ciuibus confirmata est. utque his principiis reliqua consentiebant, ad deliberationes eas, quas habebat domi de rep. principes ciuitatis adhibebat: ad hunc ordinem res optimas deferebat; nihil tũ in C. Caesaris commentariis, nisi quod erat notum omnibus, reperiebatur: summa constantia ad eã, quae quaesita erãt, respondebat. num qui exsules restituti? vnum aiebat, praeterea neminem. num immunitates datae? nullae, respondebat. assentiri etiam nos Ser. Sulpicio clarissimo viro, voluit, ne qua tabula post idus Mart. vllius decreti Caesaris, aut beneficii figeretur. multa praetereo, eaq. praeclara: ad singulare enim M. Antonii factũ festinat oratio. Dictaturam, quae vim iam regiae potestatis obsederat, funditus ex rep. sustulit. de qua ne sententias quidem diximus. scriptum S. C. quod fieri vellet, attulit. quo recitato, auctoritatem eius summo studio secuti sumus, eiq. amplissimis verbis per S. C. gratias egimus. lux quaedam videbatur oblata, non modo regno, quod pertuleramus, sed etiam regni timore sublato: magnumq. pignus ab eo reip. datum, se liberam ciuitatem esse velle, cum dictatoris nomen, quod saepe iustum fuisset, propter perpetuae dictaturae recẽtem memoriam, funditus ex rep. sustulisset. liberatus caedis periculo paucis post diebus senatus: vncus impactus est fugitiuo illi, qui in C. Marii nomen inuaserat.*

EXPLANATIO

REVERSIONIS *meae.*] propriae. nam reuersio differt a reditu. est enim reditus eius, qui, quo statuerat, peruenit: reuersio autem eius, quem ex itinere caussa aliqua reuocat, ac reducit ad eundem locum, vnde a principio discesserat. quod Ciceroni in Graeciam proficiscenti contigisse, ostendunt ea quae infra narrantur. propterea, cum hac ipsa de re ad Atticum scriberet, Dij immortales inquit, quam valde ille reditu, vel potius reuersione mea laetatus. Hic igitur proprie loquitur, vt dici: quia reuersio fuit illa potius, quam reditus nõ enim in Graeciam Cicero peruenit. interdum tamen confunduntur, & reuersio capitur pro reditu: vt lib 2. de Fin. Vt omnium siderum eodem, vnde profecta sunt, fiat ad vnum tempus reuersio. Reditus autem pro reuersione, vt Phil. 2. Qui vero Narbone reditus? non, Quae Narbone reuersio? cum tamen reuersio illa potius Antonij fuerit, quam reditus. profectus enim ab vrbe, vt in Hispaniam iret, Narbone dies aliquot mansit, deinde mutato consilio, Romã reuertit. ALIQVANDO] interfecto Caesare. AD *vestrum consilium,*] quae fuerat in vnius potestate. AVCTORITATEMQ.] nam quae senatorum esse potuit auctoritas, Caesare ad suum arbitrium omnia reuocante? IN *vigilia quadam*] vt in bello fieri solet. CONSVLARI, *ac senatoria:*] erat enim & senator, & consularis. maior autem a cõsulari, quam a senatore, vigilia, & defendendae reip. cura postulatur. NEC *vero vsquam discedebam,*] dixerat, Manendum mihi statuebã. NEC *a rep. deijciebam oculos*] pergit in translatione. qui enim vigiliae munus, curamq. suscipit, is oculos deijcere non debet. IN *aedem Telluris*] quo senatũ Antonius biduo post Caesaris necem vocauit: vt in argumẽto diximus. VETVS *exemplum;*] in sedandis discordij. GRAECVM *ẽt verbum vsurpaui,*] vtrũ, quo vsus est Thrasybulus, cum hortaretur populũ Athenienssem, ne superiorũ temporũ iniurias, quibus aut a triginta primum, aut a decẽ postea tyrannis affectus erat memoriã retineret; an, quo psephisma, in eius sententiã scriptum appellari voluerunt? Thrasybuli verbum fuit, μὴ μνησικακεῖν: psephismatis nomen, ἀμνηστία, diuersa sunt omnino, sed alterum tamen ex altero deriuatũ nã quia, μὴ μνησικακεῖν, probatum est: ideo publicis decreta litteris ἀμνηστία, est. quod si consulimus historiã, & veterum testimonia perscrutamur: malim edere, Ciceronem ἀμνηστίαν, quod erat nomẽ psephismati, idest, verbũ ciuitatis, nõ Thrasybuli, nominasse potius, quã illud, vnde natũ est psephisma, μὴ μνησικακεῖν, atque hoc Aemilij Probi, siue Cornelij Nepotis, vt placet nonnullis, verba cõfirmant, Praeclarũ, inquit, hoc quoque Thrasybuli, quod recõciliata pace, cũ plurimũ in ciuitate posset,

set legem tulit, ne quis anteactarum rerum accusaretur, neve multaretur. eamq. illi legem obliuionis appellarunt. consentit Iustinus, cum ait lib. v. Nequa dissensio ex anteactis nasceretur, omnes iureiurando obstringuntur, discordiarum obliuionem fore. Vterque ἀμνησίαν non obscure descripsit. Planissime autem Valerius lib. IV. c. 1. Plebiscitum interposuit, nequa preterea rerum mentio fieret. haec obliuio, quam Athenienses ἀμνησίαν vocant, concussum, & labantem ciuitatis statum in pristinum habitum reuocauit. Et in Cicerone Plutarchus; κικέρων δ' ἐ πολλὰ πρὸς τὸν καιρὸν διελθὼν, ἔπεισε τὴν σύγκλητον, ἀθηναίους μισαμένην, ἀμνησίαν τῶν ἐπὶ καίσαρι ψηφίσασθαι. Idem ἐν τοῖς παραγγέλμασι, οἷόν ἐστι τὸ ψήφισμα τὸ τῆς ἀμνησίας ἐπὶ τοῖς τριάκοντα. Appianus quoque lib. 2. bel. ciu. ἔγωγε ἔσεσθαι τὴν εἰρήνην μὴ γενομένης αὐτοῖς ἀμνησίας. & infra. κικέρων πολὺ τῆς ἀμνησίας ἐγκώμιον ἐ πέλαγεν & lib. 4. de Antonio, ὑπερεῖδε τῆς ἄρτι ἐπιψηφισμένης ἀμνησίας. Accedit Vopisci minime dubium testimonium. Ἀμνηστία, inquit in Aureliano, etiam sub eo decreta est, de exemplo Athenienſium: cuius rei etiam Tullius in Philippicis meminit. loqui Tullium ait περὶ τῆς ἀμνηστίας, non περὶ τοῦ μὴ μνησικακεῖν: quod verbum Graecis vsitatum satis est. exemplum habemus apud Xenophontem in extremo secundo ἑλληνικῶν. apud Andocidem saepe: apud Dionem lib. XLIV. similiter in Phocione Plutarchus, in Diodoro lib. XIV. in Aeschine, ἐν τῷ τῆς παραπρεσβείας, CENSVI.] S. C. in eius sententiam esse factum, ait Velleius: idq. indicant verba Appiani supra recitata, de Antonio: ὑπερεῖδε τῆς ἄρτι ἐπιψηφισμένης ἀμνηστίας & Velleius lib. 2. illud decreti Athenienſium celeberrimi exemplum, relatum a Cicerone, obliuionis praeteritarum rerum decreto parum comprobatum est. PRAECLARA *tum oratio M. Antonij,*] infra: te autem M. Antoni, absente appello: vnum illum diem, quo in aede Telluris senatus fuit, non omnibus ijs mensibus, quibus te quidam, multum a me dissentientes, beatum putant, anteponis? quae fuit oratio tua de concordia? quanto metu, quanta sollicitudine ciuitas tum a te liberata est? & Phil. 2. Post diem tertium veni in aedem Telluris. & quidem inuitus, cum omnes aditus armati obsiderent. qui tibi dies ille, M. Antoni, fuit? qui tu vir dij immortales & quantus fuisses, si illius diei mentē seruare voluisses? PER *liberos eius*] sic Velleius: Consul, velut pacis auctor, liberos suos obsides in Capitolium misit fidemq. descendendi tuto interfectoribus Caesaris dedit. Vnus tamen Antonij filius significatur, nam infra: Reip. tuus paruulus filius, in Capitolium a te missus, pacis obses fuit & Phil. 2. Pacem haberemus, quae erat facta per obsidem puerum nobilem, Bambalionis nepotem. liberos etiam dixit pro lege Manilia, cum de M. Antonij oratoris filia loqueretur. NIHIL *tum*] nunc autem reperiri multa fingit. infra: An in commentatiolis, & chirographis, & libellis, se vno auctore prolatis, ac ne prolatis quidem, sed tantummodo dictis, acta Caesaris firma erunt: quae ille in aes inci dit, in quo populi iussa, perpetuasq. leges esse voluit, pro nihilo habebuntur? & Phil. 2. Quid ego de cōmentarijs infinitis, quid de innumerabilibus chirographis loquar? RESTITVTI?] in commentarijs a Caesare. VNVM] Sext. Clodium de vi damnatum, Pompeio III. consule, quod eo auctore P. Clodij, a Milone interfecti, corpus in curiam illatum, ibiq. crematum esset. Pedianus: Populus, duce Sex. Clodio scriba, corpus P. Clodij in curiam intulit, cremauitq. subsellijs, & tribunalibus, & mensis, & codicibus librariorum. quo igne ipsa quoque curia flagrauit. Exstat Antonij consulis ad Ciceronem epistola, lib. XIV. ad Att. in qua sunt haec. A Caesare petis, vt Sex. Clodium restitueret: impetraui. erat mihi in animo etiam tum, sic vti beneficio eius, si tu cōcessisses. quo magis laboro, vt tua voluntate id perme facere nunc liceat. NVLLAE,] quas tamen ipse postea multis dedit. Phil. 2. Meministi ipse, de exsulibus, scis de immunitate quid dixeris. & paullo post mutationem ostendit Antonij inspectantibus vobis, toto Capitolio tabulae figebantur, neque solum singulis veniebant immunitates, sed etiam populis vniuersis. ASSENTIRI *etiam nos Ser. Sulpicio voluit*,] narrationis perpetuus ordo non est. nam ante hoc S. C. Antonius laudauit Caesarem in funere, populumq. sic dolore & iracundia incendit, vt ad domos Bruti, & Cassi cum facibus accurrerit. quod ideo praeterijt Cicero quia non omnia, quae fecerit Antonius, sed eius tantum recte facta hoc loco sibi commemorāda statuit. idem in Phil. 2. cum de paruulo Antonij filio, pacis obside, in Capitolium misso locutus esset, subiunxit statim de illa funebri laudatione, deq. illis concitati ab Antonio populi facibus. Postea mentionem facit huius S. C. nequa tabula post idus Mart. vllius decreti Caesaris, aut beneficij figeretur. statimq. addidit illud: Optimum vero, quod dictaturae nomen in perpetuum sustulisti. Perpetuus igitur earum rerum ordo, quae Caesaris necem consecutae sunt, vel bonum ciuem simulante Antonio, vel pro ipsius libidine cuncta administrante, ex Phil. 2. petendus est. NE *qua tabula figeretur.*] tamquam ex commentarijs Caesaris hoc S. C. Antonius fieri voluit, nec tamen seruauit: vt ex Phil. 2. proxime demonstratum est. LVX *quaedam videtur oblata,*] dicit idem alijs verbis Phil. 2. statim post mentionem sublatae dictaturae: constituta resp. videbatur, mihi vero nullo modo qui omnia, te gubernante, naufragia metuebam. QVOD *saepe iustum fuisset,*] saepe ad singularem dictatoris potestatem difficillimis temporibus resp. tamquam ad salutare remedium confugit. CAEDIS] quae impendebat ab homine audacissimo, infimae plebis duce, qui se C. Marij, septies consulis, filium simulabat. Appianus, epitome. VNCVS *impactus est*] vnco tractus in Gemonias scalas, & in Tiberim deiectus est. FVGITIVO *illi*] humillimae enim sortis cum esset, in Mariam gentem, atque adeo in ipsius C. Marij nomen inuaserat. verum autem eius nomen, dissentientibus Valerio, Appiano, epitome, certum non est.

ORATIO

ORATIO

ATQVE *haec omnia communiter cum collega. alia porro propia Dolabellae. quae, nisi collega abfuisset, credo eis fuisse futura communia. nam, cum serperet in urbe infinitum malum, idq. maneret in dies latius, idemq. bustum in foro facerent, qui illam insepultam sepulturam effecerant; & quotidie magis magisq. perditi homines cum sui similibus seruis tectis, ac templis urbis minarentur, talis animaduersio fuit Dolabellae cum in audaces sceleratosq. seruos, tum in impuros, & nefarios liberos talisq. euersio illius execratae columnae, vt mihi mirum videatur, tam valde reliquum tempus ab illo uno die dissensisse. ecce enim Kalendis Iun. quibus vt adessemus, edixerat, mutata omnia: nihil per senatum, multa & magna per populum, & absente populo, & inuito. Cõsules designati se audere negabant in senatum venire: patriae liberatores vrbe carebant ea, cuius a ceruicibus iugum seruile deiecerant: quos tamen ipsi consules & in cõcionibus & in omni sermone laudabãt. veterani, qui appellabantur, quibus hic ordo diligentissime cauerat, non ad conseruationem earum rerum, quas habebant, sed ad spem nouarum praedarum incitabantur. quae cum audire mallem, quam videre, haberemq. ius legionis liberũ; ea mente discessi, ut adesse m Kalendis Ian. quod initium senatus cogendi fore videbatur.*

EXPLANATIO

DOLABELLAE.] cum quo in gratiam eo die rediit Antonius concordiae causſae, quo in aede Telluris senatus fuit. infra. IDEMQ.] & scelerati homines de plebe infima, & serui. BVSTVM *in foro facerent,*] Caesari, vti crematus erat in foro constituerent. QVI *illam insepultam [pulturam fecerant,*] cremauerant enim Caesaris corpus in foro, vt ait Suetonius, aridis virgultis, subsellijs, ac tribunalibus cum in campo Martio rogus extructus esset Insepultam sepulturam vocat vel quia seruata cremandi, & sepelliendi consuetudo non est: vel quia vt infra dicitur, sepulcrum Caesaris nusquam exstaret. CVM *in audaces sceleratosq. seruos,* in cruce egit, quod erat seruile supplicũ: liberos de rupe Tarpeia deiecit, in ep ad Att. O mirificum Dolabellam meum: antea mihi crede, subdubitabam magnã res habet de saxo, in crucem: columnam tollere, locum illum sternẽdum locare. Extat Ciceronis luculenta ad Dolabellam epistola, qua illum, de hoc facto gratulans, vehementer laudat. Et in ep. ad C. Cassium. mandabat illud malum vrbanum, & ita corroborabatur quotidie, ut ego quidem & urbi, & otio diffiderem urbano: sed ita compressum est, ut mihi uideamur omne iam ad tempus, ab illo dumtaxat sordidissimo periculo, tuti futuri, ILLIVS *execratae columnae,*] Suetonius. Plebs solidam columnam, prope uiginti pedum, lapides Numidici, in foro statuit, scripsitq. PARENTI *patriae.*] apud eandem longo tempore sacrificare, uota suscipere, controuersias quasdam, interposito per Caesarẽ iureiurando, distrahere perseuerauit. KALIVN.] sollemnes legitimi senatus habendi dies fuére. Kal. nonae, idibus, quod quidem in antiquorum scriptis obseruauerim. sed interfecto idibus Mart. Caesare, senatum eo die in posterum haberi nõ licuit Suetonius, & Dio. VT. ADESSEMVS, Phil. 2. Kalendis Iun. cum in senatu, ut erat constitutum uenire uellemus, metu praeteriti repente diffugimus. MVLTA, *& magna*] quae narrantur Phil. 2. ET *absente populo, & inuito.*] non enim ex perditis ciuibus populus constat. CONSVLES *designati*] Pansa, & Hirtius. PATRIAE *liberatores* Brutus, & Cassius quos metu plebis, ab Antonio, funebri Caesaris laudatione cõcitata, Antium, & Lanuuium aufugisse diximus. APPELLABANTVR,] ab Antonio in concionibus quorum tamen commodis agrorum assignatione, senatus cauerat. AD *spem nouarum praedarum.*] quod cum audissent Brutus & Cassius, ad Antonium ita scripserunt. Petimus a te, facias nos certiores tuae uoluntatis in nos: putes ne nos tutos fore in tanta frequentia ueteranorum; quos etiam de reponenda ara cogitare audimus.

ORATIO

EXPOSVI, *P. C. profectionis consilium; nunc reuersionis, quae plus admirationis habet, breuiter exponam. Cum Brundisium, iterq. illud, quod tritum in Graeciam est, non sine causſa uitauissem; Kalendis Sext. veni Syracusas, quod ab ea vrbe transmissio in Graeciam laudabatur. quae tamen vrbs, mihi coniunctissima, plus vna me nocte cupiens retinere non potuit, ueritus sum, ne meus repentinus ad meos necessarios aduentus suspicionis aliquid afferret, si essem commoratus. cum autem me ex Sicilia ad Leucopetram, quod est promontorium agri Rhegini, venti detulissent: ab eo loco conscendi, vt transmitterem: nec ita multum proiectus, reiectus austro sum in eum ipsum locum, unde conscenderam. cumq. intempesta nox esset; mansissemq. in villa P. Valerij, comitis, & familiaris mei; postridieq. apud eundem. uentum expectans manerem: municipes Rhegini complures ad me venerunt, ex his quidam Roma recentes: a quibus primum accipio M. Antonij concionem: quae mihi ita placuit, vt, ea lecta, de reuersione primum coeperim cogitare. nec ita multo post edictum Bruti affertur, & Cassii. quod quidem mihi, fortaſse quod eos plus etiam reip. quam familiaritatis gratia, diligo, plenum aequitatis videbatur. addebant praeterea, (fit enim plerumque, vt ij, qui boni quid volunt afferre, affingant aliquid, quo faciant id, quod nunciant, laetius (rem comperiuram, Kalendis Sext. senatum frequentem fore, Antonium, repudiatis malis suasoribus, remissis prouincijs Gallis, ad auctoritatem, senatus esse redituru m. tum vero tanta sum*

Landesbibliothek Oldenburg

cupiditate incensus ad reditū, vt mihi nulli neque remi, neque venti satisfacerent: non quo me ad tempus occursurum putarem, sed ne tardius, quam cuperem reip. gratularer. atque ego celeriter Veliam deuectus Brutum vidi, quanto meo dolore, non dico, turpe mihi ipsi videbatur in eam vrbem me audere reuerti, ex qua Brutus excederet; & ibi velle tuto esse, vbi ille non posset. neque vero illum similiter, atque ipse eram, commotum esse vidi. erectus enim maximi, ac pulcherrimi facti conscientia, nihil de suo casu, multa de nostro querebatur. ex quo primū cognoui, quae kalendis Sext. in senatu fuisset L. Pisonis oratio, qui quamquam parum erat, (id enim ipsum a Bruto audieram) a quibus debuerat, adiutus: tamen & Bruti testimonio, quo quid potest esse grauius? & omnium praedicatione, quos postea vidi, magnam mihi videbatur gloriam consecutus. hunc igitur vt sequerer, properaui, quē praesentes non sunt secuti: non vt proficerem aliquid, (neque enim sperabam id, neque praestare poteram) sed vt, si quid mihi humanitus accidisset, (multa autem impendere videntur, praeter naturam, praeterq. fatum) huius diei vocem testem reip. relinquerem meae perpetuae erga se voluntatis. Quoniam vtriusque consilij caussa, P. C. probatam vobis esse confido; prius, quam de rep, dicere incipio, pauca quaerar de hesterna M. Antonij iniuria: cui sum amicus: idq: non nullo eius officio debere, etiam prae me semper tuli.

EXPLANATIO

NON *sine caussa vitauissem;*] vitauit metu quattuor legionum Antonij, quae erant Brundisij; ep. 2. & 4. lib. XVI. ad Att. VENTI *detulissent:*]nam etsiae, quasi boni ciuis relinquentem officium. prosequi noluerunt. vide ep. 25. lib. XII. ad Cornificium, & ep. 4. lib. XVI. ad Att. MVNICIPES *regni*] ciues Romani erant, & in tribu suffragium ferebant. itaque tribules Cornificij vocat eos Cicero in quadā epistola. & in Verrem lib V, Quam nos Reginis quorum ciuitati inuidetis, ciuibus Romanis ostendere soletis. REM *conuēturam.*]haec tota res in eadem ad Att. ep. explicatur. REMISSIS *prouincijs Gallijs,*] auget oratorie. nam vnam Galliam citeriorem, quam postea inuasit, pro Macedonia ei a senatu iam decreta, optabat Antonius. AD *tempus*]iam enim Kalendae sext. praeterierant; eoq. die se venisse Syracusas, Cicero dixit. L. PISONIS]Caesaris soceri. ORATIO]inuectus est in Antonium nemine assentiente. Phil. 5. At ille homo vehemens, & violentus, qui hanc consuetudinem libere dicendi excluderet, (fecerat hoc etiam maxima cum laude L. Piso XXX. diebus ante) inimicitias mihi denunciauit. BRVTI *testimonio,*]in ep. ad Att. sic de Bruto. Maxime dolebat, me Kalendis sext. in senatu non fuisse: Pisonem ferebat in caelum: Et ad Cassium. Ita nec Pisoni, qui in eum primis inuectus est nullo assentiente, nec mihi qui idem tricesimo die feci, nec P. Seruilio, qui me est consecutus tuto in senatum venire licet. SI *quid mihi humanitas accidisset;*] si mortuus essem, si quid mihi. vt homini, contigisset. Idem erat, si quid mihi accidisset: vt pro Milone: Praeclare vixero, si quid mihi acciderit, prius, quam hoc tantum mali videro. Et lib. 2. de Inuent. Si quid pupillo accidisset. Quod Graeci dicunt. MVLTA] multa violentae mortis genera. vide quae diximus in ep. Sulpicij, lib. IV. PRAETER *naturam, praeterq. fatum:*]sumpsit a Demosthene. vide Gellium. NONNVLLO *eius officio,*] quod eum Antonius, post pugnam Pharsalicam, nondum impetrata a Caesare venia, Brundisij commorantem, cum interimere iure posset noluit Phil. 2. Et Antonius ipse in ep. qua scripsit ad eum de Sex Clodio, Meo inquit, iure te hoc beneficium rogo. nihil enim non tua caussa feci. vt omittam, quod P. Clodium stricto gladio, vt eum occideret, insecutus erat. quod in oratione pro Milone scriptum est.

ORATIO

QVID *tandem erat caussae, cur in senatum hesterno die tam acerbe cogerer? solus ne aberam? an non saepe minus frequentes fuistis? an ea res agebatur, vt etiam aegrotos deferri opporteret? Hannibal, credo, erat ad portas, aut de Pyrrhi pace agebatur: ad quam caussam etiam Appium illum, & caecum, & senem, delatum esse, memoriae proditum est. de supplicationibus referebatur: quo in genere senatores deesse non solent: coguntur enim non pignoribus, sed eorum, quorum de honore agitur, gratia. quod idem fit, cum de triumpho refertur. ita sine cura consules sunt: vt paene liberum sit senatori non adesse. qui cum mihi mos notus esset; cumq. de via languerē, & mihimet displicerem: misi pro amicitia, qui hoc ei diceret. at ille, vobis audientibus, cum fabris se domum meam vēturum esse dixit. nimis iracunde hoc quidem, & valde intemperanter. cuius enim maleficij tanta ista poena est, vt dicere in hoc ordine auderet, se publicis operis disturbaturum publice ex senatus sententia aedificatam domum? quis autem vmquam tanto damno senatore coegit? aut quid est vltra pignus, aut multam? quod si scisset, quam sententiam dicturus essem; remisisset aliquid profecto de seueritate cogendi. An me censetis, P. C. quod vos inuiti secuti estis decreturum fuisse, vt parentalia cum supplicationibus miscerentur? vt inexpiabiles religiones in remp. inducerentur? vt decernerentur supplicationes mortuo? nihil dico, cui. fuerit ille Brutus, qui & ipse dominatu regio remp. liberauit, & ad similem virtutem & simile factū stirpem prope iam quingētesimum annum propugnauit: adduci tamen non possem, vt quemquam mortuum coniungerem cum deorum immortalium religione; vt, cuius sepulcrum nusquam exstet, vbi parentetur, ei publice supplicetur. ego vero eam sententiam dixissem, vt me aduersus populum R. si qui accidisset grauior reip. casus, si bellum, si morbus, si fames, facile posem defendere: quae partim iam sunt, partim timeo ne impendeant. sed hoc ignoscant dij immortales, velim, & populo R. qui id nō probat; & huic ordini, qui decreuit inuitus. Quid de reli-*

quis

quis reip. malis? licet ne dicere? mihi vero licet, & semper licebit dignitatem tueri, mortem contemnere. potestas modo veniendi in hunc locum sit: dicendi periculum non recuso. atque vtinam, P. C. Kal. Sext. adesse potuissem: non quo profici potuerit aliquid, sed ne vnus modo consularis, quod tum accidit, dignus illo honore; dignus rep. inueniretur. qua quidem ex re magnum accipio dolorem, homines, amplissimis populi R. beneficijs vsos L. Pisonem ducem optimae sententiae non secutos. iccirco ne nos populus R. consules fecit, vt in altissimo gradu dignitatis locati remp. pro nihilo haberemus? non modo voce nemo L. Pisoni consularis, sed ne vultu quidem assensus est. quae (malum) est ista voluntaria seruitus? fuerit quaedam necessaria. nec ego hoc ab omnibus ijs desidero, qui sententiam consulari loco dicunt. alia caussa est eorum, quorum silentio ignosco; alia eorum, quorum vocem requiro. quos quidem doleo in suspitionem populo R. venire non modo metus, quod ipsum esset turpe, sed alium alia de caussa deesse dignitati suae. quare primū maximas gratias & habeo, & ago L. Pisoni, qui non quid efficeret posset in rep. cogitauit, sed quid facere ipse deberet: deinde a vobis P. C. peto, vt etiam si sequi minus audebitis orationem, atque auctoritatem meam, benigne me tamen, vt adhuc feciſtis, audiatis.

EXPLANATIO

HESTERNO *die*] Kalendis sept. vt Phil. 5. DE *supplicationibus*] Caesari mortuo decernendis, Phil. 5. NON *pignoribus*] quae auferri solebant senatoribus, qui in senatū vocati nō venissent. infra: quid est vltra pignus aut multam. HIHIMET *displicerem*:] tristior essem. VENTVRVN] missurum fabros, nō pulso Cicerone euerrerat. eam senatus, eodem restituto aedificandam censuit, ep. 2. lib. VI. ad Attic. Velleius quoque lib. 2 cuius, inquit, domus quam infeste a Clodio disiecta erat tam speciose a senatu restituta est. PARENTALIA] quae tulissem: vt vero supplicationes mortuo simul decernerentur, id vero nunquam tulissem PROPACAVIT.] cum eum imitatus tyranno semp. M Brutus liberauerit. Sciēdum a L. Bruto originem non duxisse M. Brutum, ille enim patricius hic plebei generis: nec ille filios reliquit. CVM *immortalium*] opponit immortales mortuo. ST. QVI *accidisset grauior reip. casus*] laesos illo S. C. deos immortales, quo parentalia supplicationibus Caesari decreta sunt, videtur existimare, & ideo grauius aliquid timendum. VT *me aduersus populum Romanum facile possem defendere.*] non enim mihi posset obijcere, mali quidquam reip. ex mea sententia contigisse. nihil decreuissem, quo deorum immortalium ira prouocaretur: non in remp. inexpiabiles induci religiones passum essem. NECESSARIA.] dominante Caesare QVORVM *silentio ignosco*:] silentibus propinquis ignosco, vt L. Caesari, Antonij auunculo, ALIVM *alia de caussa*] amare dictum in consulares. nam si metu siluerunt est id quidem turpe: sed oritur suspicio turpioris etiam caussae, qualis esset, male de rep. sentire, Antonio libentius, quam patriae fauere, aut ab eo etiam praemia exspectare.

ORATIO

PRIMVM *igitur acta Caesaris seruanda censeo: non quo probem: quis enim id quidem potest? sed quia rationem habendam maxime arbitror pacis, & otij. vellē, adesset Antonius, modo sine aduocatis. sed, vt opinor, licet ei minus valere: quod mihi heri per illum nō licebat. doceret me, vel potius nos, P. C. quemadmodum ipse Caesaris acta defenderet. an in commentariolis & chirographis & libellis, se vno auctore prolatis, ac ne prolatis quidem, sed tantummodo dictis, acta Caesaris firma erunt: quae ille in aes incidit, in quo populi iussa, perpetuasq. leges esse voluit, pro nihilo habebuntur? equidem existimo nihil esse tam in actis Caesaris, quam leges Caesaris. an, si cui quid ille promisit, id erit fixum? quod idem facere non potuit: vt multis multa promissa non fecit. quae tamē multo plura, illo mortuo, reperta sunt, quam viuo beneficia per omnes annos tributa, & data. sed ea non muto: non moueo: summo etiam studio praeclara illius acta defendo. pecunia vtinam ad Opis maneret, cruenta illa quidem, sed his temporibus, cum ijs, quorum est, nō redditur, necessaria. quamquam ea quoque sit effusa, si ita in actis fuit. et quid est, quod tam proprie dici possit actum eius, qui togatus in rep. cum potestate, imperioq. versatus sit, quam lex? quaere acta Gracchi; leges Sempronias proferentur: quaere Sullae; Corneliae. quid? Cn. Pompeij tertius consulatus in quibus actis consistit? nempe in legibus. de Caesare ipso si quaereres, quidnam egisset in vrbe, & in toga: leges multas, respondere se, & praeclaras, tulisse: chirographa uero aut tantaret, aut non daret, aut, si dedisset, non istas res in actis suis duceret. Sed haec ipsa cōcedo, quibusdam in rebus etiam conniueo: in maximis uero rebus, id est legibus, acta Caesaris dissolui, ferendum non puto. quae lex melior, vtilior, optima etiam rep. saepius flagitata, quam ne praetoriae prouinciae plus quā quam annum, neue plus quam biennium consulares obtinerentur? hac lege sublata, videntur ne vobis Caesaris acta seruari? quid? ea lege, quae promulgata est de tertia decuria iudicum, nō ne omnes iudiciariae leges Caesaris dissoluuntur? & uos acta Caesaris defenditis, qui leges eius euertitis? nisi forte si quid memoriae caussa retulit in libellum, id numerabitur in actis, &, quamuis iniquum & inutile sit, defendetur: quod ad populum centuriatis comitijs tulit, id in actis Caesaris non habebitur.*

Landesbibliothek Oldenburg

EXPLANATIO

SINE *aduocatis*.] sine militibus; quibus, a quo primum die senatum habuit, post Caesaris interitum, vel praesidij sui caussa, uel ut metum senatoribus inijceret eoq. facilius, quae uellet, obtineret, curiam circumdare solitus est Phil. 2. post diem tertium ueni in aedem Telluris & quidem inuitus cum omnes aditus armati obsiderent. LICET *ei minus valere*:] apparet, hoc die in senatu non uenisse Antonium ualetudinis caussa. quod infra quoque intelligitur ex eo: Nec erit iussor P. C. in senatum non ueniendi morbi caussa quam mortis. HERI Kalendis Sept. QVEMADMODVM *ipse Caesaris acta defenderet*. si Caesaris acta, ut simulat, probat Antonius: doceat nos quemadmodum ea defendat. qui enim defendit, cum leges Caesaris legibus aduersantes promulgat? at ego, cum ea non probem, defendo tamen pacis, otij. q. caussa. SE *uno auctore prolatis, ac ne prolatis quidem, sed tantummodo dictis*,] Phil. 5. Regna, ciuitates, immunitates in aes, accepta pecunia, iubebat incidi: haec se ex commentarijs Caesaris, quorum ipse auctor erat agere dicebat. AN *si cui quid ille promisit, id erit fixum? ἀναγκαῖον*, nisi fallor hic est, alterum enim membrum omnino requirere sententia uidetur, hoc uidelicet, aut simile. Quod autem in aes incidit, id ratum non erit? Sed, quod hic omittitur: quia sta tim interponuntur multa, quae ad Caesaris promissa pertineant: id infra assumitur ex ijs uerbis; Ecquid est, quod tā proprium dici possit actum eius, qui togatus in rep. cum potestate, imperioq. uersatus sit, quam lex? QVOD *idem facere non potuit*:] idem Caesar, qui promisit, efficere tamen non potuit, ut quicquid promisit, fixum esset. multis enim multa promisit, quae non fecit. VT] particula exemplum inducens promissi non seruati. REPERTA *sunt*,] ab Antonio qui reperta simulauit, re autem uera non reperit. SED *ea non muto*:] leges Caesaris, quae proprie sunt illius acta, cur tollunt? PRAECLARA] si quid ille egit e rep. nā praeclara nō sunt, quaecūque aut aegi aut ab eo acta dicūtur. PECVNIA *vtinā ad Opis maneret*.] in Opis aede septies millies H-S. quae sunt nummo nostro ducenties decies centena scutatorum millia. Caesar deposuerat. eam omnem pecuniam Antonius abstulit partim sibi, ut aes alienum grande dissolueret, partim Dolabellae, collegae suo, ipsi quoq graui aere alieno obstricto. partim alijs, quos a tuendae reip. cura ad suas partes traduxit. Phil. 2. ubi est septies millies, quod est in tabulis, quae sunt ad Opis? tu autem quadringenties H-S, quod idibus Mart. debuisti. quonam modo ante Kal. Apr. debere desiisti? Phil. 5. Illa uero dissipatio pecuniae publicae ferenda nullo modo est, per quam septies millies falsis perscriptionibus donationibusq. euertit. Phil. 7. Cuius ut omittam innumerabilia scelera urbani consulatus; in quo pecuniam publicam maximam dissipauit, exsules sine lege restituit, &c. Velleius lib. 2. H-S septies millies depositum a C. Caesare, ad aedem Opis occupatum ab Antonio. Pecuniam ab Antonio Dolabellae datam, ambigui ioco significat Cicero in ep: Saepius, lib. XIV. ad Att. O hominem pudentem (loquitur de Dolabella) Kalendis Ian: debuit: adhuc non soluit, praesertim cum se maximo aere alieno Faberij manu liberarit, & opem ab eo petierit. CRVENTA] de bonis caesorū in acie Pōpeianorū exacta propterea funesta pecunia uocatur. Phil. 2. HIS *temporibus necessaria*] posset enim nos a tributis uindicare. Hoc ipse Cicero narrat Phil. 2. SED. HAEC *ipsa concedo*:] chirographa. supra; sed ea nō muto nō moueo. ETIAM *conniueo*:] scripta esse a Caesare in commentarijs, quae scripta non sint singo me credere. OPTIMA *etiam rep.*] ergo tulit eam Caesar rerum potitus. NE *praetoriae prouinciae plus quam annum, ne ve plus quam biennium, consulares obtinerentur*?] cōsularium annua tantum fuerat administratio; vt diximus in oratione De prouincijs. HAC *lege sublata*,] hic Antonium non nominat; non enim ipse legem tulit de prouincijs, sed a duobus tribunis pl. quorū vnus fortasse fuit Lucius, frater eius, ferri voluit. Phil. 5. Trib. pl. tulerunt de prouincijs contra acta Caesaris, ille biennium, hic sexennium. DE *tertia decuria iudicum*,] in qua homines de plebe iudicabant, in prima senatores, in secunda equites: quod C. Aurelius Cotta praetor Pompeio II. Crasso II. cos lege sanxit; cum antea soli senatores lege Cornelia L. Sullae iudicarent. Asconius

ORATIO

AT *quae est ista tertia decuria? centurionum, inquit? isti ordini iudicatus lege Iulia, etiam ante Pompeia, Aurelia non patebat? census praefiniebatur, inquit. non centurioni quidem solum, sed equiti etiam R. itaque viri fortissimi, atque honestissimi, qui ordines duxerunt, res & iudicant, & iudicauerunt. Non quaero, inquit, istos: quicumque ordinem duxit, iudicet. at, si ferretis, quicumque equo meruisset, quod est laudatius; nemini probaretis. in iudice enim spectari & fortuna debet, & dignitas. Nō quaero, inquit, ista: addo etiā iudices manipulares ex legione. A laudarum: aliter enim nostri negant posse se saluos esse. o contumeliosum honorem ijs, quos ad iudicandum nec opinantes vocatis. hic enim est legis index: vt ij res in tertia decuria iudicent, qui libere iudicare non audeāt. in quo quantus error est, dij immortales, eorum qui istam legem excogitauerunt? vt enim quisque fordidissimus videbitur, ita libētissime seueritate iudicandi sordes suas eluet, laborabitque, vt honestis decuriis potius dignus videatur, quam in turpem iure coniectus.*

EXPLA.

EXPLANATIO

AVRELIA] de qua proxime diximus. Ordo hic est. Tulit Cotta de iudicijs primus, alter Pompeius iterum consul, vt oratio in Pisonem docet, tertius Caesar ciuili bello victor. CENSVS *praefinieba tur.*] amplissimus, lege Pompeia infra. QVI *ordines duxerunt*] centuriones. QVI *res iudicant,*] pro qui iudicant. sic veteres loquebantur paullo post: Hic est legis index, vt ij res in tertia decuria iudicent. Phil. 5. Nec debere eodem tempore Romae, & Athenis res iudicare, Phil 2. Quorum res iudicatas irritas fecimus Pro Postumo. Si quis ob rem iudicatam pecuniã cepisset Coelius in ep. ad Cic. In hac discordia video Cn. Pompeium senatum, quiq. res iudicant secum habiturũ. Asconius in Pis. ISTOS] quorum census superioribus legibus praefinitur. QVICVMQVE *ordinem duxit,*] etiam si legitimo censu careat. QVICVMQVE *equo meruisset.*] vt iudicaret, licet amplissimo censu non esset: quo legi oportebat omnes iudices lege Pompeia. MEMINI *probaretis.*] nemo sententiam vestram probaret. FORTVNA] res familiaris. Pompeius in consulatu secundo promulgauit, vt examplissimo censu, ex centurijs, aliter, quam antea, lecti iudices, aeque tamen ex illis tribus, res iudicarẽt. Pedianus. DIGNITAS.] quae maxime homines in officio continet. MANIPVLARES] qui ordines non duxerint. Ex *legione Alaudarum:*] maior turpitudo, quam si ex legione Romana lecti essent. Alaudae enim Galli transalpini erant quo Caesar, victo Pompeio, ciuitate donauit. Phil. 5. ad augendam turpitudinẽ dixit: Et manipulares, & Alaudas iudices. Suetonius in Iulio, Qua fiducia ad legiones, quas a rep. acceperat, alias publico alias priuato sumptu addidit, vnam etiam ex transalpinis conscriptã, vocabulo quoque Gallico: Alauda enim appellabatur: quam disciplina, cultuq. Romano institutam, & ornatam, postea vniuersam ciuitate donauit. Plinius lib. xi. c. 37. Ab illo galerita appellata quondam, postea Gallico vocabulo etiam legioni nomen dederat Alauda. Phil. 5 & 13. ALITER *enim nostri negant posse se saluos esse.*] nisi iudices habeant manipulares Nostri: amici, & familiares, omnium scelerum affines. Loquitur ex persona Antonij. HIC *enim est legis index*] hoc indicat lex, ideo centuriones, & manipulares etiam ad iudicandum vocatos, quia, conscij scelerum suorum, libere iudicare non audeant itaque contumelia potius, quam honore, affecit eos Antonius. IN *quo quantus error est eorum,*] valde in hoc errauit Antonius, cum hanc legem ideo excogitauit, vt amici sui, omnibus inquinati vitijs facile poenam vitarent; itaque supra dixit: Aliter enim nostri negant posse se saluos esse: errauit inquam, cum hoc putauit Antonius. nam quo sordidiores erunt iudices, eo seueriores in iudicando: vt boni viri videantur, & digni potius prima, & secunda decuria, quam tertia. IN *turpem*] in tertiam. IVRE] iure coniectus in eam videretur, si turpiter iudicaret. iudicabit autem seuere, ne iure coniectus in eam videatur. CONIECTVS.] ignominiosum verbum: quasi coniectus probri, & contumeliae caussa, non honoris.

ORATIO

ALTERA *promulgata lex est, vt & de vi, & de maiestate damnati, ad populum prouocent, si velint. haec utrum tandem lex est, an legum omnium dissolutio? quis enim est hodie, cuius interesit istam legem manere? nemo reus est legibus illis; nemo, quem futurũ putemus. armis enim gesta, numquam profecto in iudicium vocabuntur. At res popularis. Vtinam quidem aliquid velletis esse popularе. omnes enim iam ciues de reip. salute vna & mente, & voce consentiunt. quae est igitur ista cupiditas legis eius ferendae, quae turpitudinem summam habeat, gratiam nullam? quid enim turpius, quam qui maiestatem populi R. minuerit per vim, eum damnatũ iudicio, ad eam ipsam vim reuerti, propter quam sit iure damnatus? Sed quid plura de lege disputo? quasi vero id agatur, vt quisquam prouocet. id agitur, id fertur, ne quis omnino vmquam istis legibus reus fiat. quis enim aut accusator tam amens reperietur, qui reo condemnato, obijcere se multitudini conductae velit; aut iudex, qui rem damnare audeat, vt ipse ad operas mercenarias statim protrahatur? non igitur prouocatio ista lege datur; sed duae maxime salutares leges, quaestionesq. tollũtur. quid est aliud hortari adolescentes, vt turbulenti, vt seditiosi, vt pernicioſi ciues velint esse? quam autem ad reip. pestẽ furor tribunicius impelli nõ poterit, his duabus quaestionibus, de vi, & de maiestate sublatis? Quid quod obrogatur legibus Caesaris, quae iubent, ei qui de vi, itemque maiestatis damnatus sit, aqua & igni interdici? quibus cum prouocatio datur, non ne acta Caesaris rescinduntur? quae quidem ego, P.C. qui illa numquam probaui, ita conseruanda concordiae causa arbitratus sum, vt nõ modo, quas viuus Caesar leges tulisset, infirmandas hoc tẽpore non putarem, sed ne illas quidem quas post mortem Caesaris prolatas esse, & fixas videtis. de exsulio reducti a mortuo: ciuitas data non solum singulis, sed nationibus, & prouincijs vniuersis a mortuo: immunitatibus infinitis sublata vectigalia a mortuo. ergo haec, vno, viro optimo auctore, domo prolata, defendimus: eas leges, quas ipse, vobis inspectantibus, recitauit, pronunciauit, tulit, quibus latis gloriabatur, ijsq. legibus rem p. contineri putabat, de prouincijs, de iudicijs, eas, inquam, Caesaris leges nos, qui defendimus acta Caesaris, euertendas putamus? Ac de ijs tamen legibus, quae promulgatae sunt, saltem queri possumus: de ijs, quae iam latae dicuntur, ne illud quidem licuit. illae enim nulla promulgatione latae sunt ante, quam scriptae.*

EXPLA-

Landesbibliothek Oldenburg

EXPLANATIO

CVIVS *interfit istam legem manere?*]reis enim de vi & de maiestate,qui nec vlli nunc sunt, nec futuri videntur,opem nullam ferent.nam quae vis armis est illata ciuili bello,ea certe numquam in iudicio vocabitur. AT *res popularis.*]populo grata;quia prouocatio populi potestatem auget. AD *eam ipsam reuerti,*]quo modo reuertitur ad vim?reuertitur potius ad maiestatem populi Romani, qua iā laesa damnatus est.itaque,Vim,arbitror abundare. MVLTITVDINI *conductae*]ad quam prouocabitur, id enim spectat Antonius,vt in posterum,nullo iudicij metu,& vim inferre, & minuere maiestatem liceat AD *operas mercenarias*]ad multitudinem conductam. QVID *est aliud,hortari adolescentes.*]vsitatū loquendi genus,Phil. 2. Quid est aliud,omnia ad bellum ciuile hosti arma largiri? Phil. 10. Quid est aliud,librarium Bruti laudare non Brutum? Phil.12. Quid est aliud, non pacem facere, sed differre bellum?In Pisonem: Quid est aliud,furere,nisi non cognoscere homines, non cognoscere leges,nō senatum non ciuitatem? QVAM *autem ad pestem*]vel reip.vel priuatorum hominum. LEGIBVS *Caesaris,*]de vi,& de maiestate. DE *exsulio reducti a mortuo:*]iocosa, & eadem tamen acerba narratio. mortuorum enim actio nulla est:at Caesar mortuus exsules reduxit:ciuitatem,immunitates dedit. nam Antonius ijs de rebus leges protulit,& in Capitolio fixit,vt Caesaris leges.Phil. 2. De exsulibus legē, quam fixisti,Caesar tulit: Phil.5:Rectituebantur exsules quasi lege sine lege PROVINCIIS]ad Atticum: Antonius accepta grandi pecunia,fixit legem,a dictatore comitijs latem, qua Siculi ciues Romani:cuius rei vtio illo mentio nulla. VERVM *optimo,*]Antonio:ironia. DOMO *prolata,*]scripsit ipse domi suae,non in commentarijs Caesaris reperit. NOS, *qui defendimus acta Caesaris,euertenda putamus?*] in Antonium cōfertur hoc. Tu,qui defendis vt ais,acta Caesaris,leges eius euertendas putas? QVAE *iam late dicuntur.*]non enim reuera latae,promulgatione nulla.

ORATIO

QVAERVNT, *quid sit,cur aut ego,aut quisquam vestrum, P.C.bonis tribunis pl. leges malas metuat, paratos habemus,qui intercedant; paratos,qui remp.religione defendant:vacui metu esse debemus. Quas tu mihi,inquit,intercessiones?quas religiones? eas scilicet,quibus reip.salus continetur. Negligimus ista & nimis antiqua,& stulta ducimus.forum saepietur:omnes claudentur aditus: armati in praesidijs multis locis collocabuntur. Quid tum? quod erit ita gestum,id lex erit;& in aes incidi iubebitis?cedo illa legitima:Consules populum iure rogauerunt, (hoc enim a maioribus accepimus ius rogandi) populusq. iure sciuit.qui populus? is ne,qui exclusus est? quo iure? an eo, quod vi & armis omne sublatum est? atque ego hoc dico de futuris:quod est augurum,antedicere ea,quae vitari possunt:quae si facta non erunt,refelletur oratio mea. loquor de legibus promulgatis; de quibus est integrum vobis.demonstro uitia:tollite.denūcio vim: arma remouere.*

EXPLANATIO

QVAERVNT,]putant nonnulli,timendum non esse,ne leges malae,cum boni tribuni pl. sint,ferantur:& paratos esse dicunt,qui intercedant,& qui de caelo seruent.id enim est,quod ait:Qui remp. religione defendant. QVAS *tu mihi,inquit,intercessiones,quas religiones?*]subaudi,narras. Antonij verba sunt,vt illa Verris,in re simili lib. IV. Quam mihi religionem narras? quam poenam?quem se natum? QVIRVS *reip.salus continetur.*]in Vatinium: Num quem post vrbem conditam scias tribunum pl. egisse cum plebe,cum constaret seruatum esse de caelo? NEGLIGIMVS *ista,*] & hoc ex Antonij persona FORVM *saepietur:*]ne cui sit aditus,qui velit intercedere,aut obnunciare. Ita tulit Antonius, vt Phil.5. docet,legem de iudicibus:eamq. legem senatus postea, tamquam per vim latam, sustulit: vt ex eadem,& ex XI. Phil. cognoscitur. CONSVLES *populum iure rogauerunt,*]principium hoc erat legū antiquarum, exemplum habemus apud Frontinum de aquae duct. T. Quinctius Crispinus cōsul populum iure rogauit,populus iure sciuit. HOC INE]hoc vestrum:quod ab illo vetere longissime distat. legem enim vocatis,& in aes incidi iubetis,quae,foro saepto,omni aditu clauso, armata multitudine in praesidijs collocata,lata sit. QVOD *amicorum,*]itaque mihi irasci non debetis. DE *quibus est integrum vobis*]nondum enim latae sunt. DEMONSTRO *vitia:*]quae iam dixit;Forum saepietur:omnes aditus. DENVNCIO *vim:*]fore praedico,vt eae leges per vim ferantur.

ORATIO

IRASCI *te quidem mihi, Dolabella,pro rep. dicenti, non oportebit. quamquam te quidem id facturum non arbitror: noui facilitatem tuam. collegam tuum audiunt in hac sua fortuna: quae bona ipsi videtur, mihi ne grauius quippiam dicam, auorum & auunculi sui consulatum si imitaretur, fortunatior videretur; sed eum iracundum*

Landesbibliothek Oldenburg

cundum audio factum. video autem, quam sit odiosum habere eundem iratum, & armatum, cum tãta praesertim gladiorum sit impunitas. sed proponam ius, vt opinor, aequum: quod M. Antonium non arbitror repudiaturum. Ego, si quid in vitam eius, aut in mores cum contumelia dixero: quo minus mihi inimicissimus sit, non recusabo. sin consuetudinem meam, quam in rep. semper habui, tenuero, ideſt, si libere, quae sentiam de rep. dixero: primũ deprecor, ne irascatur: deinde, si hoc non impetro, peto, vt sic irascatur, vt ciui: armis vtatur, si ita necesse est, vt dicit, sui defendendi causſa, iis, qui pro rep. quae ipsis visa erunt, dixerint, ista arma ne noceant. quid hac postulatione dici potest aequius? quod si, vt mihi a quibusdam eius familiaribus dictum est, omnis cum, quae habetur cõtra voluntatem eius, oratio grauiter offendit, etiam si nulla ineſt contumelia: feremus amici naturã. sed idem illi ita mecum: Non idem tibi aduersario Caesaris, licebit, quod Pisoni socero, & simul admonet quiddam, quod cauebimus; nec erit iustior, P. C. in senatum non ueniendi morbi causßa, quã mortis. Sed per deos immortales: te enim intuens, Dolabella qui es mihi cariſſimus, non possum de utriusq; uestrum errore reticere. credo enim vos, nobiles homines, magna quaedã spectantes, non pecuniã, vt quidam nimis creduli suspicantur, quae semper ab amplissimo quoque, clarissimoq. contẽpta est, non opes uiolentas, & populo R. minime ferendam potentiã, sed caritatem ciuium, & gloriam concupisse. est autẽ gloria, laus recte factorum. magnorumq. in rem p. fama meritorum, quae cum optimi cuiusque, tum etiã multitudinis testimonio comprobatur. dicerem, Dolabella, qui recte factorũ fructus esset, nisi te praeter ceteros paullisper esse expertum viderem. quem potes recordari in uita tibi illuxisse diem laetiorem, quam cum, expiato foro, dissipato concursu impiorum, principibus sceleris poena affectis, vrbe incẽdio, & caedis metu liberata, te domum recepisti? cuius ordinis, cuius generis, cuius denique fortunae studia tũ laudi, & gratulationi tuae se non obtulerunt? quin mihi etiam, quo auctore te in iis rebus vti arbitrabantur, & gratias boni viri agebant, & tuo nomine gratulabãtur. recordare, quaeso, Dolabella consensum illũ theatri, cum omnes, earũ rerum obliti, propter quas tibi fuerãt offensi, significarũt se nouo beneficio memoriã veteris doloris abiecisse. hãc tu, P. Dolabella (magno loquor cũ dolore) hanc tu, inquam, potuisti aequo animo tantã dignitatẽ deponere?

EXPLANATIO

AVORVM,] paterni, M. Antonij oratoris; materni, L. Caesaris qui cum P. Rutilio Lupo consul, cũ P. Crasso censor fuit. AVVNCVLI] L. Caesaris. ADVERSARIO *Caesaris*,] qui Pompeium ciuili bello secutus est. QVOD *Pisoni socero*,] cui licuit, quae de rep. sentit, libere dicere, & in ipsum Antoniũ consulem inuehi. QVOD *cauebimus*;] mortem scilicet. MORBI *causſa*,] quae si iusta est Antonio non ueniẽdi hodie in senatum, non minus iusta uideri poterit, si ego non ueniam metu mortis. NIMIS *creduli*] iocus est. nam putabant. quod uerum esse constabat, eos & pecuniam, in opes uiolentas, & infinitam potentiam spectasse. EXPIATO *foro*,] euersa columna, apud quam sacrificare perditi homines solebãt totam hanc rẽ uide supra. GRATIAS *boni viri agebant*,] quasi alumnus esses disciplinae meae; meisq. praeceptis, & consilijs obtemperans praestantissimum te ciuem, & singularem consulem praeberes. Extat hac de re ad Dolabellam epistola. THEATRI in quo gladitores pugnarunt, ab urbano praetore M. Bruto dati. infra. PROPTER *quas*] a te tribuno pl. uiuo Caesare commissus quarum ea maxime perniciosa. quod legem tulit de tabulis nouis. TANTAM *dignitatem deponere*?] deposuisti, cum Antonij pernicioſa reip. consilia sequi coepisti.

ORATIO

TE autem, *M. Antoni*, absentem appello: vnum illum diem, quo in aede Telluris senatus fuit, nõ omnibus iis mensibus, quibus te quidam, multam a me dissentientes, beatum putant, anteponis? quae fuit oratio tua de concordia? quanto metu veterani, quanta sollicitudine ciuitas tum a te liberata est? collegam tuum, depositis inimicitijs, oblitus auspiciorum, a te ipso augure populo R. nunciatorum, illo primum die collegam tibi esse voluisti: reip. tuus paruulus filius, in Capitolium a te missus, pacis obses fuit. quo senatus die lactior? quo populus Romanus? qui quidem nulla in concione vmquam frequentior fuit. tum denique liberati per viros fortissimos videbamur; quia, vt illi voluerant, libertatem pax consequebatur. proximo, altero, tertio, denique reliquis confectis diebus non intermittebas quasi donum aliquod quotidie afferre reip. maximum autem illud, quod dictaturae nomen sustulisti. haec iniusta est a te, a te inquam, mortuo Caesari nota ad ignominiam sempiternam. vt enim, propter vnius *M. Manlij* scelus, decreto gentis Manliae, ne minem patricium *M. Manlium* vocari licet: sic tu, propter vnius dictatoris odium, nomen dictatoris funditus sustulisti. Num huiusce, cum pro salute reip. tanta gessisses, fortunae te, num amplitudinis, num claritatis, num gloriae paenitebat? vnde igitur subito tanta ista mutatio? non possum adduci, vt suspicer, te pecunia captum. licet, quod cuique libet, loquatur: credere non est necesse, nihil enim vmquam in te sordidum, nihil humile cognoui. quamquam solent domestici deprauare nõnumquam. sed noui firmitatem tuam. atque vtinam, vt culpam, sic etiam suspicionem vitare potuisses. illud magis vereor, ne, ignorans verum iter gloriae, glorioſum putes, plus te vnum posse, quam omnes: & metui a ciuibus tuis, quam diligi, malis. quod si ita putas, totam ignoras viam gloriae. carum esse ciuem, bene de rep. mereri, laudari, coli, glorioſum est: metui vero, & in odio esse, inuidioſum, detestabile, imbecillũ, caducum: quod videmus etiam in fabulis ipsi illi, qui, Oderunt dum metuant, dixerit, pernicioſum fuisse. vtinam, *Antoni*, aliquando tuum meminisses: de quo tamen audisti multa ex me, eaq. saepissime. putas ne illum immortalitatem mereri voluisse, vt

propter

propter armorum habendorum licentiam metueretur? illa erat vita, illa secunda fortuna, libertate esse parem ceteris, principem dignitate, itaque, vt omittam res aui tui prosperas, acerbissimum eius supremum diem malim, quam L. Cinnae dominatum, a quo ille crudelissime est interfectus.

EXPLANATIO

IN *aede Telluris*] biduo post Caesaris necem VETERANI,] hoc dele. vitij nihil erit in sententia. OBLIVIVS *auspiciorum*,] cum tu ipse, creato comitijs centuriatis consule Dolabella, obnunciasti, & quod ad te attinet vitiosum consulem fecisti. Phil. 2. ILLO *primum die*] cum antea propter obnunciationē tuam esse consulem negares. COLLEGAM *tibi esse noluisti:*] ut non amplius uitiosum, PROPTER *vnius M. Manly scelus*,] qui contra patriam consilia iniuerat. quibus patefactis, de rupe Tarpeia deiectus est. Liuius lib. VI. NEMINEM *patricium*] nam & plebeij Manlij fuere. DOMESTICI] latenter auaritiam carpit Fuluiae, Antonij uxoris quae C. Curionis, & P. Clodij uxor quoque fuerat in eandem sic Phil. 3 At uero huius domi inter quas Sulla pendebatur aurum numerabatur pecunia: vna in domo omnes, quorum intereat totum imperium populi Romani nundinabantur. Et Phil. v. Mulier. sibi felicior, quam iuris, auctionem prouinciarum regnorumq. faciebat ILLVD *magis vereor*,] ne potentiae potius immoderatae, quam pecuniae cupiditates pecces. IPSI *illi*,] Atreo, Pelopis filio Agamemnonis. & Menelai patri is fratri suo Thyesti, quia stupraisset uxorem suam, filium epulandum apposuit. OFFERINT,] *dum metuant*.] apud Accium poetam hoc dicit Atreus. PERNICIOSVM *fuisse*.] quia regno pulsus est. AVVM *tuum*] M. Antonium oratorem.

ORATIO

SED *quid oratione te flectam? si enim exitus C. Caesaris efficere non potuit, vt malis carus esse, quam metui: nihil cuiusquam proficiet, nec ualebit oratio. quē qui beatum fuisse putant, miserrimi ipsi sunt. beatus est nemo, qui ea lege viuit, vt non modo impune, sed etiam cū summa interfectoris gloria interfici possit. quare flecte te, quaeso & maiores tuos respice; atque ita gubernа remp. vt natum esse te ciues tui gaudeant, sine quo nec beatus, nec clarus esse quisquam potest. populi quidem R. iudicia multa ambo habetis; quibus vos non satis moueri, permoleste fero. quid enim, gladiatoribus clamores innumerabilium ciuium? quid populi versus? quid Pompeij statuae plausus infinitis? quid ijs tribunis pl. qui uobis aduersantur? parum ne haec significant incredibiliter consentientem populi R. vniuersi voluntatem? quid? Apollinaribus ludis plausus, vel testimonia potius, & iudicia populi R. vobis parua videbantur? o beatos illos, qui, cum adesse ipsis propter vim armorum non licebat, aderant tamen, & in medullis populi R. ac visceribus haerebant, nisi forte Accio tum plaudi, & sexagesimo post anno palmam dari, non Bruto, putabatis; qui ludis suis ita caruit, vt in illo apparatissimo spectaculo studium populus R. tribuerit absenti, vt desiderium liberatoris sui perpetuo plausu, & clamore leniret. equidem is sum, qui istos plausus cum a popularibus ciuibus tribuerentur, semper cōtemserim: idemq. cum a summis, mediis, infimis, cum denique ab vniuersis hoc idem fit; cumq. ij, qui ante sequi populi consensum solebant, fugiunt; non plausum, sed iudicium puto. Sin haec leuiora vobis videntur, quae sunt grauissima: num etiam hoc contemnitis, quod sensistis tā caram populo R. vitam A. Hirtij fuisse? satis enim erat, probatum illum esse populo R. vt est; iucundum amicis, in quo vincit omnes; carum suis, quibus est carissimus: tantam solitudinem bonorum, tantum timorem in quo meminimus? certe in nullo. Quid igitur? hoc uos, per deos immortales. quale sit, non interpretamini? quid eos de nostra vita cogitare censetis, quibus eorum, quos sperant reip. consuli uos, uita tam cara sit? Cepi fructum P. C. reuersionis meae; quoniam & ea dixi, vt, quicumque casus consecutus esset, extaret conscientiae meae testimonium; & sum a uobis benigne, ac diligenter auditus quae potestas si mihi saepius sine meo vestroq. periculo fiet, vtar si minus, quantum potero, non tam mihi me, quam reip. reseruabo. mihi fere satis est quod vixit, vel ad aetatem, vel ad gloriam: huc si quid accesserit, non tam mihi, quam vobis, reip. publicae accesserit.*

EXPLANATIO

CVM *summa interfectoris gloria*.] totum hoc ad gloriam pertinet eorum, qui Caesarem occiderat. POMPEII *statuae*] quae fuit in eius theatro, in quo, ut diximus gladiatores pugnarunt. APPOLLINARIBVS *ludis*] a C. Antonio praetore datis, nomine absentis M. Bruti praetoris urbani: ad quē horū ludorū cura pertinebat. ACCIO poetae, cuius agebatur fabula, Brutus, iusctipta: SEXAGESIMO *post anno*] quā obierat. PALMAM *dari*,] rectius fortasse, Plausū dari. A SVMMIS, *mediis, infimis*,] nō modo a popularib. FVGIVNT;] quia plausū illū bonis uiris dari vidēt. TAM *carā populo R. vitā A. Hirtij*, Hirtio cōsule designato, grauiter aegrotāte, populus Romanus, quia speraret eū in consulatu remp defensurū pro eius incolumitate uota suscepit. Phil 7 Aequū, credo, putauit, quā vitā populi R. uotis retinuisset pro libertate populi R in discrimen adducere. Et Phil. 10. Quid habuit virium, id in eorum libertatē defendendā contulit, quorum votis iudicauit se a morte reuocatum. AD *aetatem*] annum agebat sexagesimum tertium; natus enim Caepione, Serrano cos.

IN



IN. SECVNDAM

M. TVLLII. CICERONIS PHILIPPICAM

PAVLLI. MANVTII COMMENTARIVS

ARGVMENTVM

HAbita a Cicerone IV. non. Sept. oratio prima in Antonium, ille se in uillam Tiburtinam contulit, ibiq. dies septem decim, quod Ciceroni responderet, cõmentatus est. XIII. Kal. Oct. habito senatu in absentem Ciceronem, qui se tuto adesse non posse intelligebat, quae cogitauerat, euomuit. ei Cicero hac oratione respondit: quo die, si quaeritur: eo, dicam, qui quartum diem ludorum Romanorum in circo proximus est consecutus, id Circero ipse docet his uerbis. Nescis, heri quartum in circo diem ludorum Romanorum fuisse? te autem ipsum ad populum tulisse, ut quinctus praeterea dies Caesari tribueretur? cur nõ sumus praetextati? Is igitur dies, ut ex Romano uetere kalendario liquet, XIII. Kal. Oct. fuit. quo ipso die in Ciceronem Antonius est inuectus. ita uidetur praesens praesenti Cicero respondisse. quod ipse negat. Phil. 3. Hunc ego, inquit, diem expectans M. Antonij scelerata arma uitaui, tum, eum ille in me absentem inuehens non intelligebat, quod ad tempus me, & meas uires reseruarem: si enim tum illi, caedis a me initium quaerenti, respondere uoluissem; num reip. consulere non possem. Et Phil. 2. Adesse, inquit, in senatu iussit ad XIII. kal. Oct. ipse inter ea septemdecim dies de me in Tiburtino Scipionis declamitauit. cũ is dies, quo me adesse iusserat uenisset: tum uero agmine quadrato in eadem concordiae uenit, atque in me absentem orationem ex ore impurissimo euomuit. quo die si per amicos mihi cupienti in senatum uenire licuisset; caedis initiũ

fecisset a me: sic enim statuerat. Et ep. 2. lib. XII. ad Cassium. Caedem gladiator quærit, eiusq. initium ad XIII. kal. Oct. a me se facturum putauit. at quam paratus uenerat, cum in uilla Metelli complures dies commentatus esset. Cũ igitur & affuisse in senatu XIII. kal. Oct. & idẽ non affuisse uideatur: quærenda ratio est, quomodo pugnantes inter se loci conciliari possint. Cum se non affuisse dicit, uere dicit: Saluti enim consulendum censuit. Rursus, eum affuisse uidetur, imago quædam ueritatis, non ipsa ueritas quæritur: ut, quæ oratio domi per otium scripta est, non in senatu habita, in ea legantur illa ipsa, quae Cicero, si in senatum uenisset, Antonio respondens locutus esset. Putemus igitur id quod res est fictam esse hanc orationem, sed ita legatur tamquam uera. ita omnis dubitatio de die, quo sit habita, cum habita numquam sit, auferetur. Genus idem est, quod superioris. Purgat se primum aduersus Antonij calumniam, & ita purgat, ut omni eum loco non leuiter pungat: deinde singulas eius uitæ partes, a puerili prætexta exorsus, uehementer exagitat. nam illa breuis adhortatio, ut respiscat, postremo loco reseruata, diffidentis est, ab officio boni ciuis erga remp. profecta, minima tamen, uel nulla potius cum spe coniuncta.

IN M.

IN · M · ANTONIVM
PHILIPPICA
LIBER · SECVNDVS
ORATIO · XLIV

QVONAM *meo fato, P. C. fieri dicam, vt nemo his annis viginti reip. hostis fuerit, qui non bellum eodem tempore mihi quoque indixerit? nec vero necesse est a me quemquam nominari: vobis cum ipsi recordemini. mihi poenarum illi plus, quam optarem, dederunt. te miror, Antoni, quorum facta imitere, eorum exitus nō perhorrescere. atque hoc in alijs minus mirabar, nemo illorum mihi inimicus fuit voluntarius: omnes a me reip. causſa lacessiti: tu, ne verbo quidem violatus, vt audacior, quam Catilina, furiosior, quam Clodius, viderere, vltro maledictis me lacessisti, tuamq. a me alienationem, commendationem tibi ad impios ciues fore putauisti. quid putem? contemptum ne me? non video: nec in vita, nec in gratia, nec in rebus gestis, nec in hac mea mediocritate ingenij quid dispicere possit Antonius. an in senatu facillime de me detrahi posse credidit? qui ordo clarissimis ciuibus bene gestae reip. testimoniū multis, mihi vni conseruatae dedit. an decertare mecum voluit contentione dicendi? hoc quidem beneficium est. quid enim plenius, quid uberius, quam mihi & pro me, & contra Antonium dicere? illud profecto est. non existimauit sui similibus probari posse, esse se hostem patriae, nisi mihi esset inimicus, cui prius, quam de ceteris rebus respondeo, de amicitia, quam a me violatam esse criminatus est, quod ego grauissimum crimen iudico, pauca dicamus.*

EXPLANATIO

IIS. ANNIS *viginti*] anni plane sunt viginti a Catilinae coniuratione ad hoc tēpus si numerandi sumatur initium ab ipso consulatu Ciceronis, finis autē fiat in Antonio consule. MIHI *poenarum illi plus quam optarem, dederunt.*] caesi enim sunt Catilina, & Clodius lib. 2. de leg. Plus poenarum habui, quam petiui. MIHI *vni conseruatae dedit.*] supplicatio significatur, quam ei consuli, coniuratione Catilinae patefacta, togato senatus decreuit. quod antea contigerat nemini. itaque Phil. 14. Mihi, inquit, consuli supplicatio, nullis armis sumptis, non ob caedē hostium, sed ob cōseruationem ciuium, nouo, & inaudito genere decreta est. In epistola vero ad catonem: Tu idem supplicationem mihi decreuisti togato, non vt multis rep. bene gesta sed vt nemini rep. cōseruata.

ORATIO

CONTRA *rem suam me nescio quando venisse, questus est. An ego non venirem contra alienum pro familiari, & necessario? non venirem contra gratiā non virtutis specie, sed aetatis flore collectam? non venirem contra iniuriam? quam iste intercessoris iniquissimi beneficio obtinuit, non iure praetorio. sed hoc iccirco commemoratum a te puto, vt te infimo ordini commendares, cum te omnes recordarentur libertini generum, & liberos tuos, nepotes Q. Fabii, libertini hominis, fuisse. At enim te in disciplinam meam transdidisti, (nam ita dixisti) domum meam ventitaras. Nae tu, si id fecisses, melius famae, melius pudicitia tuae consuluisses: sed nec fecisti, nec, si cupieres, tibi id per C. Curionem facere licuisset. Auguratus petitionem mihi te concessisse dixisti. O incredibilem audaciam: o impudentiam praedicandam. quo enim tempore me augurem, a toto collegio expetitum, Cn. Pompeius, & Q. Hortensius nominauerunt. (neque enim licebat a pluribus nominari) tu nec soluendo eras, nec te vllo modo, nisi euersa rep. fore incolumen putabas. poteras autem eo tempore auguratum petere, cum in Italia Curio non esset? aut tum, cum es factus, vnam tribum sine Curione ferre potuisses? cuius etiam familiares de vi condemnati sunt, quo tui nimis studiosi fuissent. At beneficio sum vsus tuo. quo? quamquam illud ipsum, quod commemoras, semper prae me tuli. malui me tibi debere confiteri. quā cuiquam minus prudenti non satis gratus videri. sed quo beneficio? quod me Brundisii non occideris? quem ipse victor, qui tibi, vt tute gloriari solebas, detulerat ex latronibus suis principatum, salum esse voluisset, in Italiam ire iussisset, eum tu occideres? fac potuisse. quod est aliud, P. C. beneficium latronum, nisi vt commemorare possint, ijs se dedisse vitam, quibus non ademerint? quod si esset beneficium, numquam, qui illum interfecerunt, a quo erant seruati, quos tu ipse clarissimos viros appellare soles, tantam essent gloriam consecuti. quale autem beneficium est, quod te abstinueris nefario scelere? qua in re non tam iucundum videri mihi debuit, non interfectum a te; quam miserum, te id impune facere potuisse. sed sit beneficium; quandoquidem maius accipi a latrone nullum potuit. in quo potes me dicere ingratum? an de interitu reip. queri non debui, ne in te ingratus viderer? at in illa querella, misera quidem, & luctuosa, sed mihi pro gradu, in quo me senatus populusq. R. collocauit, necessaria, quid est dictum a me cum contumelia? quid non moderate? quid non amice? & quidem cuius temperantiae fuit*

de M. Antonio querentem obtinere maledicto? praesertim cum tu reliquias reip. dissipauisses: cum domi tuae turpissimo mercatu omnia essent uenalia; cum leges, eas, quae numquam promulgatae essent, & de te & a te latas confiterere: cum auspicia augur, intercessionem consul sustulisses: cum esses foedissime stipatus armatis: cum omnes impuritates pudica in domo quotidie susciperes, vino lustrisq. confectus. at ego, tamquam mihi cum M. Crasso contentio esset, quotum multae, & magnae fuerunt, non cum uno gladiatore nequissimo, de rep. grauiter querens, de homine nihil dixi. itaque hodie perficiam vt intelligat, quantum a me beneficium tum acceperit

EXPLANATIO

VENISSE.] in iudicium, vt familiarem meum defendere. Iudiciale verbum, vt Phil. 8. cum fuo magno esset beneficio venisse eum cõtra se. Pro Q. Roscio: Quid tu, saturi qui cõtra hunc venis, existimas alter? lib. 2. in Verrem. Quid si omnium mortaliũ Sthenio nemo inimicior quam hic C. Claudius; tum semper, cũ in his ipsis rebus & temporibus fuit? si de litteris corruptis cõtrauenit? Et pro Murena, si turpe existimas te aduocato illum ipsum veneris causſa cadere. ALIENVM cui litiganti fauebat Antonius, obsceni amoris causſa. sequitur enim: An ego non venirem contra gratiã, non virtutis specie, sed aetatis flore collectam? ISTE.] Antonius. INTERCESSORIS.] tribuni pl. NON *iure praetoris.*] quod obtineri a praetore non poterat, vt familiari meo fieret iniuria, id a tribuno pl. obtinuit, vt intercederet. VT *te infimo ordini commendares.*] quia confugisses ad auxilium tribuni pl. Q. FABII.] Bambalionis Phil. 3. C. CVRIONEM qui turpiter amauit Antonũ: vt infra. EXPETITVM.] consularem, & clarum rebus gestis. Ad Catonem sacerdotium cum non difficillime consequi posse, non appetiui. idem post iniuriam acceptam studui qua ornatissima senatus populiq. Romani de me iudicia intercedere, itaque, & augur postea fieri volui: & eum honorẽ qui a senatu tribui rebus bellicis solet, neglectum a me olim, nunc mihi expetendum puto. NEC *tu soluendo eras.*] nõ erat vnde solueres id, quod debebas. off. lib. In pecunijs creditis occultat siue gaudium ne videatur non fuisse soluendo. Sic apud Liuium lib. xxxi. Nec tamen soluendo aeri alieno resp. sufficeret. Similiter idem lib. 2. Qui ferendo neri essent: lib. iv. sit ne aliquis plebeius ferendo magno honori, valet igitur esse sufficere. CVM *in Italia Curio non esset.*] erat in Asia quaestio: vt ex epistolis, quas ad eam Cicero scripsit, intelligitur. VNAM *tribum ferre.*] vnius tribus suffragijs creari. Erant enim eo tempore penes populum sacerdotum cooptandorum potestas Domitia lege. SINE *Curione.*] qui tunc tribunus pl. erat, amicissimus Antonij, quem turpiter amauerat adolescentem. Plutarchus in Antonio BRVNDISII.] quo se post aciem Pharsalicam nondum impetrata a Caesare venia, satis temere contulit. NON *occideris?*] quod licuisse tibi putas iure belli. infra. Victore Thessalia Brundisini cum legionibus reuertisti: ibi me non occidisti magnum beneficium: potuisse enim fateor. PRINCIPATVM.] post pugnam Pharsalicam Italiae praefuit Antonius. IRE *iussisset.*] non iusserat Caesar, sed Ciceronis genero Dolabellae dixerat, vt ad eum scriberet, vt in Italiam quam primũ veniret. ep. 7. lib. xi. ad Att. NVNQVAM.] si beneficium est, non adimere vitam: cur Brutus, & Cassius, & caeteri qui Caesarem occiderunt, quibus ille, cum posset, vitam non ademerat, tantam sunt gloriam cõsecuti? fit enim ex eo perspicuum beneficiũ illud non fuisse, quod eos victor Caesar nõ interfecisset. nam si fuisset, gloriam tantã ex eius nece non essent adepti. TVRPISSIMO *mercatu infra.*] cuius domus quaestuosissima est falsorũ commentariorum & chirographorum officina agrorum opidorũ, immunitatum, vectigalium flagitiosissimae nundinae. Et Phil. 7. vna in domo omnes quorum intererat, totum imperium populi Romani nũdinabãtur. ET *de te.*] quis enim de se ipso leges fert? quod leges vetabant, Licinia, & Abutia: vt in agraria 2. CVM *auspicia augur.*] non auspicatus est, nec auspicijs paruit, cum leges ferret. quod turpe cuiuis auguri longe turpius. Phil. 5. Quam legem si augur dicit tulisse non modo tonante loue. INTERCESSIONEM *sustulisses:*] sed prope caeleste clamore prohibente hanc dubitabit contra auspicia latam confiteri. INTERCESSIONEM *sustulisses:*] non enim interdum potuit, cum promulgatae non sint. promulgabantur enim leges, vt ex eo sciri posset, probandae ne, an improbandae essent. PVDICA *in domo*] non Antonij, sed Pompeij, in qua habitabant, infrà. At idem aedes etiam, & hortos. Oaudaciam immanem. tu ingredi illam domum ausus es? tu illud sanctissimum limen intrare?

ORATIO

AT etiam litteras, quas me sibi misisse diceret, recitauit, homo & humanitatis expers, & vitae communis ignarus. quis enim vmquam, qui paullulum modo bonorum consuetudinem nosset, litteras, ad se ab amico missas, offensione aliqua interposita, in medium protulit, palamq; recitauit? quid est aliud, tollere e uita uitae societatem? tollere amicorum colloquia absentium? quam multa ioca solent esse in epistolis, quae, prolata si sint, inepta esse videantur? quam multa seria, neque tamen vllo modo diuulganda? sit hoc inhumanitatis: stultitiam incredibilem videte. Quid habes, quod mihi opponas, homo diserte? vt Mustelae Tarnisio, & Tironi Numisio videris. qui cum hoc ipso tempore stent cum gladijs in conspectu senatus, ego quoque te disertum putabo, si ostenderis, quo modo sis eos interficarios defensurus. sed quid opponas tandem, si negem me vmquam istas litteras ad te misisse? quo me teste conuinces? an chirographo? in quo habes scientiam quae stuosam. qui possis? sunt enim

enim librarij manu. iam inuideo magistro tuo, qui te tanta mercede: quantam iam proferam, nihil sapere docuit. quid enim est minus, non dico oratoris, sed hominis, quam id obijcere aduersario, quod ille si verbo negarit, longius progredi non possit, qui obiecerit? at ego non nego, teq. in isto ipso conuinco non inhumanitatis solum, sed etiam amentiae. quod enim verbum in istis litteris est non plenum humanitatis, officij, beneuolentiae? Omne autem crimen tuum est, quod de te in his litteris non male existimem, quod scribam tamquam ad ciuem, tamquam ad bonum uirum, non tamquam ad sceleratum, & latronem. At ego tuas litteras, etsi iure poteram, a te lacessitus, tamen non proferam: quibus petis, vt tibi per me liceat quendam de exsulio reducere: adiurasque, id te inuito me non esse facturũ. idq. a me impetras: quid enim me interponerem audaciae tuae; quem neque auctoritas huius ordinis, neque existimatio populi R. neque leges vllae possent coercere? verum tamen quid erat, quod me rogares, si erat is, de quo rogabas, Caesaris lege reductus? sed videlicet meam gratiam voluit esse: in quo ne ipsius quidem vlla esse poterat, lege lata.

EXPLANATIO

MVSTELLAE,] infra gladiatorum principem vocat, vtrumque nominat Phil. 8. INTER *sicarios*] cum stent in conspectu senatus cum gladijs. quod leges vetant. SCIENTIAM *quaestuosam.*] quia chirographa fingis, quasi a Caesare scripta. MAGISTRO *tuo*] Sex Clodio siculo, vt ait Suetonius de clar. rhet. TANTA *mercede*] duobus millibus iugerum agri Leontini, Phil. 2. OMNE *autem crimen tuum est.*] dele tuum: concinnior sententia videbitur. hoc enim ad Att. dicet: omne meum crimen est in eo, quod de te in his litteris non male existimem, &c. QVENDAM Sex Clodium scribam, non rhetorem proxime nominatum. extant hae litterae Antonij lib. IV. ad Att hoc initio: occupationibus est factum meis. CAESARIS *lege reductus?*] is est de quo sic in Phil. 1. Num qui exsules restituti? vnum aiebat praeterea neminem. SED *videlicet meã gratiam voluisset esse:*] videtur ideo voluisse ad me scribere de Sex. Clodio, vt eo mihi beneficio, tamquam permittente me restitutus plurimum Clodius deberet. si hoc spectauit, stulte fecit. tãtum enim abest, beneficium illud meum esset, vt ne ipsius quidem esse posset, lege iam a Caesare lata LEGE *lata.*] nam si lege Caesaris reditum in patriam impetrauerat, Antonij beneficium in eo restituendo nullum erat.

ORATIO

SEd, *cum mihi, P. C. & pro me aliquid, & in M. Antonium multa dicenda sint; alterum peto a vobis, vt me pro me dicentem benigne, alterũ ipse efficiam, vt contra illum cum dicam, attente audiatis. simul illud oro: si meam cum in omni vita, tum in dicendo moderationem, modestiamq. cognostis, ne me hodie, cum isti, vt prouocauit, respondebo, oblitum esse putetis mei. non tractabo vt consulem: ne ille quidem me vt consularem. & si ille nullo modo consul, vel quod ita viuit, vel quod ita remp. gerit, vel quod ita factus est consul: ego sine vlla controuersia consularis. Vt igitur intelligeretis, qualem ipse se consulem profiteretur, obiecit mihi consulatum meum. qui consulatus verbo meus, P. C. reuelter fuit. quid enim ego constitui, quid gessi, quid egi, nisi ex huius ordinis consilio, auctoritate, sententia? haec tu homo sapiens, non solum eloquens, apud eos, quorum consilio, sapientiaq. gesta sunt, ausus es vituperare? quis autem meum consulatum, praeter P. Clodium, qui. vituperaret, inuentus est? cuius quidem te fatum sicuti C. Curionem, manet: quoniam id domi tuae est, quod fuit illorum vtrique fatale. non placet M. Antonio consulatus meus: at placuit P. Seruilio; vt eum primum nominem ex illius temporis consularibus, qui proxime est mortuus: placuit Q. Lutatio Catulo; cuius semper in hac rep. viuet auctoritas: placuit duobus Lucullis, M. Crasso, Q. Hortẽsio, C. Curioni, M'. Lepido, C. Pisoni M'. Glabrioni, L. Volcatio, C. Figulo, D. Silano, L. Murenae, qui tũ erant cõsules designati: placuit idem, quod consularibus, M. Catoni: qui cum multa, vita excedens, prouidit, tum, quod te consulem non vidit. maxime vero consulatum meum Cn. Pompeius probauit: qui, vt me primum decedens ex Syria vidit, complexus. & gratulans, meo beneficio patriam se visurum esse dixit. sed, quid singulos commemoro? frequentissimo senatui sic placuit, vt esset nemo, qui mihi non vt parenti gratias ageret, qui mihi non vitam suam, fortunas, liberos, remp. referret acceptam. sed quoniam illis, quos nominaui, tot & talibus viris, resp. orbata est: veniamus ad eos, qui duo de consulari numero reliquis sunt. L. Cotta, vir summo ingenio, summaq. prudentia, rebus ys gestis, quas tu reprehendis, supplicationem decreuit verbis amplissimis; eiq. illi ipsi, quos modo nominaui, consulares, senatusq. cunctus assensus est. qui honos post conditam hanc vrbem habitus est togato ante me nemini. L. Caesar, auunculus tuus, qua oratione, qua constantia, qua grauitate sententiam dixit in sororis suae virum, vitricum tuum? hunc tu cum auctorem & praeceptorem omnium consiliorum, totiusq. vitae debuisses habere, vitrici te similem, quam auunculi, esse maluisti. huius ego alienus consiliis consul vsus sum: tu, sororis filius, ecquid ad eum vmquam de rep. retulisti? at ad quos refert, dij immortales? ad eos scilicet, quorum nobis etiam dies natales audiendi sunt. hodie non descendit Antonius: cur? dat natalicia in hortis: cui? neminem nominabo. putate tum Phormioni alicui, tum Gnathoni, tum etiam Rallioni. o foeditatẽ hominis flagitiosam: o impudentiam, nequitiam, libidinem non ferendam. tu, cum principem senatorem, ciuem singularem, tam propinquum habeas, ad eum de rep. nihil referas, referas ad eos, qui domum suam nullam habent, tuam exhauriunt, tuus videlicet salutaris consulatus, pernicios⟨us⟩ meus? adeo*

adeo ne pudorem cum pudicitia perdidisti, vt hoc in eo templo dicere ausus sis, in quo ego senatum illum, qui quondam florens orbi terrarum praesidebat, cõsulebam, tu homines perditissimos cum gladij collocauisti?

EXPLANATIO

ALTERVM *ipse efficiam,*] qua magis in rebus versabitur oratio mea. NE *ille quidē me vt consularem.*] sic L. Crassus, orator ille summus, consulem sibi esse negabat L. Crassum, cui consularis ipse non esset, lib. III. de orat. ITA *factus est consul:*] factus enim tyranni beneficio non liberi populi iuditio. PROFITERETVR,] improbum profitetur, cum eius consulatum vituperat, qui sine senatus consilio, auctoritate, sententia, nihil egit. TE *fatum sicuti C. Curionem manet:*] alij libri. Tibi factū sicuti C. Curioni manet. quod non repudio. nam & praestolor te, & praestolor tibi veteres dicebant. QVONIAM *id domi tuae est, quod fuit illorum vtrique fatale,*] fato praescriptum, videtur, vt qui vxorē Fuluiā ducant omnes immatura morte intereant. sic primus eius vir Clodius, sic secundus Curio caesus est: tertium te manet idem fatum. infra. DVM *istis consilijs vteris, non potes, mihi crede, esse diuturnus.* etenim ista tua minime aura coniux nimium diu debet populo Romano tertiam pensionem. Ideſt mortem tuam: cum duas iam populo Romano satis mature soluerit, vnam Clodij alteram Curionis morte. quod enim populo Romano debet, in eo persoluendo auara esse nō solet. nunc solutionem ab ea tam diu differri iure homines mirantur. P. SERVILIO] Isaurico, eius patri, qui cum Caesare consulatum gesserat. D. SILLANO, *L. Murenae,* miror omissum esse L. Torquatum, quem earū rerum, quas in consulatu pro patriae salute gessit, participem, adiutoremq. sibi praecipuum fuisse, fatetur in oratione pro Sulla M. CATONI:] tribuno pl. designato. MEO *beneficio,* quia tyrannide eam Catilinae liberasse. off. lib. III. Mihi quidem vir abundans bellicis laudibus Cn. Pompeius, multis audientibus, hoc tribuit, vt diceret, frustra se tertium triumphum deportaturum fuisse, nisi meo in remp. beneficio, vbi triumpharet esset habiturus. QVI *duo de consulari numero reliqui sunt.*] consulares plures, quam duo, viuebat: sed eos persequitur, qui consulares erant ipso consule quorum duo tantum viuebant, L. Cotta, L. Caesar. QVI *honor*] idem oratione IV. in Catilinam. SORORIS *suae virum*] P. Lentulum praetorem, qui consulatum tamen antea gesserat: sed eiectus senatu a censoribus vt iure magistratus in curiam rediret praeturam petiuit. VITRICVM *tuum?*] Antonij mater Iulia, post obitum, prioris viri, P. Lentulo nupsit, qui cum ei Catilina in patriam coniurauit. EGO *alienus*] nulla cū cognatione, aut affinitate attingens. sic infra: In multas pecunias alienissimorum hominum eiectis ueris heredibus, tamquam heres esset inuasit. QVORVM *nobis etiam dies natales audiendi sunt.*] quia, cum Antonium consulem in forum exspectamus, audimus eum ideo non descēdere, quia dat natalicia in hortis. HODIE *non descendit Antonius;*] in forum. nam in collibus nobiliores habitabant. hoc sensu verbum, descendere, saepe usurpat Cicero, vt Phil. 8. consul se cum praesidio descensurum esse dixit. Phil. 14. Scitis per hos dies creberrimū fuisse sermonem me cum fascibus descensurum fuisse. Ad Att. lib. IV. cum sacra via descenderem. DAT *natalicia*] non suum natalicum, sed amicorum suorum. dabat enim ipse cum ij dare solerent, quorum natales erant proximae: Quorum nobis etiam dies natales audiēdi sunt. TVM *Phormioni, tum Gnathoni,*] parasitorum nomina apud Terentium: quorum similimis hominibus natalicia dabat Antonius. TAM *etiam Ballioni.*] non modo parasitis, verum etiam Lenonibus. nam Ballio apud Plantum in Pseudolo leno est: de quo in orat. pro Q. Roscio. Ballionem illum improbissimum, & periurissimum Lenonem cum agit, agit Cheream. TAM *propinquum*] auunculum, L. Caesarem, QVI *suam rem nullam habent.*] lusit in vocabulo res. cur ad eos, inquit, refers de rep. qui suam ipsi rem nullam habent, tuam perdūt? PVDOREM *cum pudicitia*] pudor est animi, pudicitia corporis. Tu igitur, Antoni, qui pūdicitiam perdideras, parum de pudore laborasti. qui enim impudicus fuerit, eum impudentem esse, quis miretur? COLLOCAVISTI?] oratorie, vt auguret odium in Antonium, dixit homines perditissimos ab eo cum gladijs in senatu collocatos; quos circa senatū potius fuisse, infra ostēdit his verbis: Cur armatorū co.ona senatus saeptus est?

ORATIO

AT *etiam ausus es (quid autem est, quod tu non audeas?) cliuum Capitolinum dicere me consule plenum seruorū armatorum fuisse. vt illa, credo, nefaria S. C. tum fierent. vim afferebam senatui, o miserum, siue illa tibi nota nō sunt, nihil enim boni nostis; siue sunt, qui apud tales viros tam impudenter loquare, quis enim eques R. quis, praeter te, adolescens nobilis, quis vllius ordinis, qui se ciuem esse meminisset, cum senatus in hoc templo esset, in cliuo Capitolino non fuit? quis nomen non dedit? quamquā nec scribae sufficere, nec tabulae nomina illorum capere potuerunt. etenim, cum homines nefarij de patriae parricidio confiterētur, conciorum iudicijs, sua manu, voce paene litterarum coacti, se vrbem inflammare, ciues trucidare, vastare Italiam, delere rēp. consensisse: quis esset, qui ad salutem communem defendendam non excitaretur? praesertim cum senatus populusq. R. haberet ducem, qualis qui nunc esset, tibi idem, quod illis accidit, contigisset.*

EXPLA-

EXPLANATIO

CLIVVM *Capitolinum*] vnde illa Gabinij consulis vox: Equites Romanos daturos illius diei poenas, quo me consule, cum gladijs in cliuo Capitolino fuissent Pro Sextio. NEFARIA] ironia, nam praeclarissima fuere contra coniuratos. PLENVM *seruorum armatorum fuisse.*] quod plenum fuerat equitum Romanorum. O MISER,] sententia similis infra: O miserum te, si intelligis, si non intelligis & Phil. 13. O miser cum re, tum hoc ipso, quod non intelligis. ADOLESCENS *nobilis,*] adolescens nobilissimus vocatur in ea pro Milone. Plebeij erant Antonij, non patricij: sed nobilitas ex magistratibus egregie gestis, plebeijs quoque tribuitur. IN *hoc templo*] in coella concordiae, dicit paullo post. DVCEM,] me scilicet consulem.

ORATIO

AD sepulturam corpus vitrici sui negat a me datum. hoc vero ne P. quidē Clodius dixit vmquam quem quia iure ei inimicus fui, doleo a te iam omnibus vitiis esse superatum. Qui autem tibi venit in mentem, redigere in memoriam nostram: te domi P. Lentuli esse educatum? an verebare, ne non putaremus natura te potuisse tam improbū euadere, nisi accessisset etiam disciplina? tam autem eras excors, vt tota in oratione tua secum ipse pugnares; vt non modo non cohaerentia inter se diceres, sed maxime disiuncta, atque contraria: vt non tanta mecum, quanta te cum tibi, esset contentio. Vitricum tuum fuisse in tanto scelere fatebare, poena affectum querebare. ita, quod proprie meum est, laudasti, quod totum senatus est, reprehendisti nam comprehensio sontium mea, animaduersio senatus fuit. homo desertus non intelligit eum, quem contra dicit, laudari a se; eos, apud quos dicit, vituperari.

EXPLANATIO

DOLEO *a te iam omnibus vitijs esse vituperatum*] modus vituperandi ex comparatione: vt in oratione de prou. Piso autem, alio quodam modo, gloriatur se breui tempore perfecisse, ne Gabinius vnus omnium nequissimus existimaretur. Festiue & illud, nec omnino dissimiliter, in Vatinium. Die dicta ab eo, quem tu vnum improbiorem esse, quam te, nonnumquam soles confiteri.

ORATIO

IAm illud cuius est, non dico audaciae, (cupit enim se audacem dici) sed, quod minime uult, stultitiae, qua uincit omnes; cliui Capitolini mentionem facere? cum inter subsellia nostra uersentur armati; cum in hac cella Concordiae, o dii immortales, in qua me consule salutares sententiae dictae sunt, quibus ad hanc diem uiximus, cum gladiis homines collocati stent. accusa senatum: accusa equestrem ordinem, qui tum cum senatu copulatus fuit: accusa omnes ordines, omnes ciues, dum confiteare hunc ordinē hoc ipso tempore ab Ithyreis circumsideri. haec tu non propter audaciam dicis tam impudenter sed quia tantarum rerum repugnantiam non uideas. nihil profecto sapis. quid est enim dementius, quam, cum reip. perniciosa arma ipse ceperis, obiicere alteri salutaria?

EXPLANATIO

A *Ithyreis*] barbaris, ab ithyra urbe in tauro monte,

ORATIO

AT etiam quodam loco facetus esse uoluisti. quam id te, dii boni, non decebat: in quo est tua culpa nonnulla: aliquid enim salis ab uxore mima trahere potuisti. Cedant arma togae. quid? tum non ne cesserunt? at postea tuis armis cessit toga. quaeramus igitur, utrum melius fuerit, libertati populi R. sceleratorum arma, an libertatem nostra m armis tuis cedere. nec uero tibi de uersibus respondebo: tantum dicam breuiter, neque illos, neque ullas te omnino litteras nosse, me nec reip. nec amicis umquam defuisse, & tamen omni genere monumentorum meorum perfecisse operis succisiuis, ut meae uigiliae, meaeq. litterae & iuuentuti utilitatis, & nomini R. laudis aliquid afferrent. sed haec non huius temporis: maiora uideamus.

EXPLA-

Landesbibliothek Oldenburg

EXPLANATIO

NON *decebat*:] hominem iracundum, omnis leporis expertem. A B *uxore mima*] a Cytheride, amica sua: quam secum vel in Castra ducebat. vnde Virg. Tua, Galle, Lycoris Perq. niues aliũ, perq. horrida Castra secuta est. Cytheridem significat, vt ait Probus: quae & Volumnia vocabatur, quod eum Volumnius Eutrapelus, antequam Antonius, amauit vide infra, & ep. vlt. lib. IX. fam. & apud Plutarchum. Vxor erat Fuluia: sed vxorem appellauit mimam ob assiduam consuetudinem. CEDANT *arma togae*.] Ciceronis versus de se gloriantis oppressa coniuratione, irrisus & ab aliis vt elegantia carens. In Pis.

ORATIO

P. *Clodium meo consilio interfectum esse dixisti, quid nam homines putarent, si tum occisus esset, cum tu illum in foro, inspectante populo R. gladio stricto insecutus es: negotium q. transegisses, nisi se ille subscalas tabernae librariae coniecisset, bisq. oppilatis impetum tuum compressisset? sed quid? ego fauisse me tibi fateor; suasisse, ne tu quidem dicis. at Miloni ne fauere quidem potui: prius enim rem transegit, quam quisquam eum facturum id suspicaretur. At ego suasi. scilicet is animus erat Milonis, vt prodesse reip. sine suasore non posset. At laetatus sum, quid ergo? in tanta laetitia cunctae ciuitatis me vnum tristem esse oportebat? quamquam de morte P. Clodii fuit quaestio non satis prudenter illa quidem constituta. quid enim attinebat noua lege quaeri de eo, qui hominem occidisset, cum esset legibus quaestio constituta? quaesitum est tamen. quod ergo, cum res agebatur, nemo in me dixit, id tot annis post, tu es inuentus, qui diceres?*

EXPLANATIO

CONSTITVTA. non a senatu, vt in legitur pro Milone, sed a Milone tertium consule.

ORATIO

QVod vero dicere ausus, es, id q. multis verbis, opera mea Pompeium a Caesaris amicitia esse disiunctum, ob eamq. causam culpa mea ciuile bellum esse natum; in eo non tu quidem tota re, sed, quod maximum est, temporibus erasti ego M. Bibulo, praestantissimo ciue, consule nihil praetermisi, quantum facere, enitiq. potui, quin Pompeium a Caesaris coniunctione auocarem. in quo Caesar fuit felicior: ipse enim Pompeium a mea familiaritate disiunxit. postea vero quam se totum Pompeius Caesari transdidit, quid ego illũ ab eo distrahere conarer? stulti erat sperare, suadere, impudentis. duo tamen tempora inciderunt, quibus aliquid cõtra Caesarem Pompeio suaserim: ea velim reprehendas, si potes: vnum, ne quinquennii imperium Caesari prorogaret: alterum, ne pateretur ferri, vt absentis eius ratio haberetur. quorum si vtrumuis persuasissem, in has miserias numquam incidissemus. atque idem ego, cum iam omnes opes & suas, & populi R. Pompeius ad Caesarem detulisset, seroq. ea sentire coepisset, quae ego multo ante prouideram; inferriq. patriae bellum nefarium viderem; pacis, concordiae, compositionis auctor esse non destiti: meaq. illa uox est nota multis: Vtinam Cn. Pompei, cum C. Caesare societatem aut nunquam coisses, aut numquam diremisses. fuit alterum grauitatis, alterum prudentiae tuae. haec mea, M. Antoni, semper & de Pompeio, & de rep. consilia fuerunt, quae si ualuissent, resp. staret, tu tuis flagitiis, egestate, infamia concidisses.

EXPLANATIO

QVIN *Pompeium a Caesaris coniunctione auocarem.*] Caesar enim consul eodẽ anno, quo Bibulus, Pompeium sibi, collocata ei filia sua, quasi certo pignore coniunxit. PROROGARET:] in secundo consulatu, lege Trebonia. Plutarchus & alij. RATIO *haberetur.*] consularibus comitijs. priuatus enim Caesar ad vrbem ire, metu inimicorum suorum, non audebat. Suetonius Plutarchus, alij. EA *sentire*] potentiorem Caesarem esse factum, quam vt resp. ferre posset. VTINAM *Cn. Pompeii,*] eadem referuntur in ep. ad Caecinam. Plurimi sunt testes, me & initio, ne coniungeret se cum Caesare, monuisse Pompeium, & postea, ne seiungeret. coniunctione frangi senatus opes, disiunctione ciuile bellum excitari videbam.

ORATIO

ORATIO

SED haec vetera, illud vero recens, Caesarem meo consilio interfectum. Iam vereor, P. C. ne quod turpissimum est, praevaricatorem mihi apposuisse videar, qui me non solum meis laudibus ornaret, sed etiam oneraret alienis. quis enim meū in ista societate gloriosissimi facti nomen audiuit? cuius autem, qui in eo numero fuisset, nomen est occultatum? occultatum dico? cuius non statim diuulgatum? citius dixerim iactasse se aliquos, vt fuisse in ea societate viderentur, cum conscij non fuissent: quam vt quisquam celari vellet, qui fuisset. quam verisimile porro est in tot hominibus partim obscuris, partim adolescentibus, neminem occultantibus, vacuum nomen latere potuisse? etenim, si auctores ad liberandam patriam desiderarentur, illis auctoribus Brutos ego impellerem? quorum vterque L. Bruti imaginem quotidie videret, alter etiam Ahalae. his igitur maioribus orti, ab alienis potius consilium peterent, quam a suis? & foris potius quam domo? Quid? C. Cassius, in ea familia natus, quae non modo dominatum, sed ne potentiam quidem cuiusquam ferre potuit, me auctorem, credo, desiderauit: qui etiam sine his clarissimis viris hanc rem in Cilicia ad ostium fluminis Cydni confecisset, si illo ad eam ripam, quam constituerat, non adcontrariam, naues appulisset. Cn. Domitium non patris interitus, clarissimi viri, non auunculi mors, non spoliatio dignitatis ad recuperandam libertatem, sed mea auctoritas excitauit. An C. Trebonio persuasit, cui ne suadere quidem ausus essem? quo etiam maiorem ei resp. gratiam debet, qui libertatem populi R. vnius amicitiae praeposuit, depulsoq. dominatus, quam particeps, esse maluit. an L. Tullius Cimber me est auctorem secutus? quem ego magis feciſſe illam rem fum admiratus, quam factum putaui: admiratus fum autem ob eam causſam, quod immemor beneficiorum, memor patriae fuisset. Quid duos Seruilios, Cascas dicā an Ahalas? & hos auctoritate mea censeris excitatos potius, quam caritate reip.? longum est persequi ceteros: idq. reip. praeclarum, fuisse tam multos, ipsis gloriosius est. At, quemadmodum me coarguerit homo acutus, recordamini. Caesare interfecto, inquit, statim cruentum alte extollens M. Brutus pugionem Ciceronem nominatim exclamauit, atque ei recuperatam libertatem est gratulatus. cur mihi potissimum? qui sciebam? vide ne illa causſa fuerit appellandi me, quod, cum rem gessisset consimilem rebus ijs, quas ipse gesseram, me potissimum testatus est, se aemulum mearum laudum exstitisse. tu autem, omnium stultissime, non intelligis, si id, quod me arguis, voluisse interfici Caesarem, crimen sit, etiam laetatum esse morte Caesaris crimen esse. quid enim interest inter suasorem facti, & probatorem? aut quid refert, vtrum voluerim fieri, an gaudeam factum? ecquis est igitur, exceptis ijs, qui illum regnare gaudebant, qui illud aut fieri noluerit, aut factum improbarit? omnes ergo in culpa. etenim omnes boni, quantum in ipsis fuit, Caesarem occiderunt: alijs cōsilium, alijs animus, alijs occasio defuit, voluntas nemini. sed stuporem hominis, vel dicam pecudis, attendite, sic enim dixit: M. Brutus, quem ego honoris causſa nomino, cruentum pugionem tenens, Ciceronem exclamauit; ex quo intelligi debet, eum conscium fuisse. ergo ego sceleratus appellor a te, quem tu suspicatum aliquid suspicaris; ille, qui stillantem prae se pugionem tulit, is a te honoris causſa nominatur? esto: sic in verbis tuis hic stupor: quanto in rebus sententijsq. maior? constitue hoc consul aliquando, Brutorum, C. Cassis, Cn. Domitij, C. Trebonij, reliquorum quam velis esse causſam: edormi crapulam, inquam, & exhala: an facies admouendae sunt, quae te excitent tantae causſae indormientem: num quam ne intelligis staduendum tibi esse, vtrum illi, qui istam rem gesserunt, homicidae sint, an uindices libertatis? attende enim paullisper, cogitationumque sobrij hominis ad punctum temporis suscipe. ego, qui sum illorum, ut ipse fateor, familiaris; ut a te arguor, socius; nego quidquam esse medium; confiteor eos, nisi liberatores populi Rom. conseruatoresque reip. sint, plus quam sicarios, plus quam homicidas, plus etiam quam parricidas esse: siquidem est atrocius, patriae parentem, quam suum, occidere. tu, homo sapiens, & considerate, quid dicis? si parricidae, cur honoris causſa a te sunt & in hoc ordine, & apud populum Rom. semper appellati? cur M. Brutus, te ferente, legibus est solutus, si ab vrbe plus quam decem dies abfuisset? cur ludi Apollinares incredibili M. Bruti honore celebrati? cur prouinciae Bruto, & Cassio datae? cur quaestores additi? cur legatorum numerus actus? atque haec acta per te, non igitur homicidae. Sequitur, vt liberatores tuo iudicio sint: quandoquidem tertium nihil potest esse. Quid est? num conturbo te? non enim fortasse satis, quae distinctius dicuntur, intelligis. sed tamen haec est summa conclusionis meae; quoniam scelere a te liberati sunt, ab eodem te ampliſſimis praemijs dignissimos iudicatos. itaque iam retexo orationem meam: scribam ad illos, ut, si qui forte, quod a te mihi obiectum est, quaerent, sit ne verum, ne cui negent, etenim uereor, ne aut, celatum me, illis ipsis non honestum. aut, inuitatum refugisse, mihi sit turpissimum. quae enim res vnquam, pro sancte Iuppiter, non modo in hac vrbe, sed in omnibus terris est gesta maior? quae glorioſior? quae commendatior hominum memoriae sempiternae? in huius me consilij societatem, tamquam in equum Troianum, includi cum principibus non recuso. ago etiam gratias quoquo animo facis. tanta enim res est, ut inuidiam istam, quam tu in me uis concitare, cum laude non comparem. quid enim beatius illis, quos tu expulsos a te praedicas, & relegatos? qui locus est aut tam desertus, aut tam inhumanus, qui illos, quo accesserint, non affari, atque appetere videatur? qui homines tam agrestes, qui se, cum eos adspexerint, non maximum cepisse uitae fructum putent? quae uero tam immemor posteritas, quae tam ingratae litterae reperientur, quae eorum gloriam non immortalitatis memoria prosequātur? tu uero adscribe me talem in numerum. sed unam rem, uereor, me non probes: si enim fuissem, non solum regem, sed regnum etiam de rep. sustulissem: & si meus stylus ille fuisset, ut dicitur; mihi crede, non solum vnum actum sed totam fabulam confecissem. quamquam si, interfici Caesarem voluisse, crimen est: uide, quaeso, Antoni, quid tibi futurum sit, quem & Narbone hoc consilium cum C. Trebonio cepisse notissimum est: & ob eius consilij societatem, cum interficeretur Caesar, tum te a Treboni

vidimus seuocari. Ego autem, (vide, quam tecum agam non inimice) quod bene cogitasti aliquando, laudo; quod non indicasti, gratias ago; quod nō feci sti, ignosco. virum res illa quaerebat. quod si te in iudiciura quis adducat, vsurpet q. illud Cassianum; Cui bono fuerit: vide, quaeso, ne haereas. quāquam illud quidem fuit, vt tu dicebas, omnibus bono, qui seruire nolebant; tibi tamen praecipue, qui non modo non seruis, sed etiam regnas; qui maximo te aere alieno ad aedem Opis liberasti; qui per easdem tabulas innumerabilem pecuniam dissipauisti ad quem e domo Caesaris tam multa delata sunt; cuius domus quaestuosissima est falsorum commentariorum, & chirographorum officina, agrorum, opidorum, immunitatum, vectigalium flagitiosissimae nundinae. etenim quae res egestatis, & aeri alieno tuo, praeter mortem Caesaris, subuenire potuisset? nescio quidem conturbatus mihi esse videris. numquid subtimes ne ad te hoc crimen pertinere videatur? libero te metu. nemo credet vmquam non est tuum de rep. aene mereri: habet istius pulcherrimi facti clarissimos viros resp. auctores. ego te tantum gaudere dico. feciss e non arguo.

EXPLANATIO

IACTAS *se aliquos*,] ut C. Octauium, Lentulum Spintherem, qui postea auctore Augusto ostentationis, & iactantiae suae poenas dedere. BRVTOS Marcum & Decimum. ALTER] Marcus, qui maternam originem duceret a Seruilio Ahala, a quo magistro equitum plebis sollicitator & pernicioſe de rep. cogitans Sp. Melius est interfectus. NON *modo dominatum*,] fuit enim in ea familia, qui necari filium voluerit quod agrariam legem tribunum pl. tulisset, quasi de regno cogitaret. PATRIS] L. Domitij Ahenobarbi; quem in acie Pharsalica a M. Antonio interfectum, infra dicit. AVVNCVLI] M. Catonis Vticensis: cuius sororem L. Domitius, alterā M. Bibulus in matrimonio habuit. BENEFICIORVM, quae acceperat a Caesare. CASCAS, *dicam*,] vtrique cognomen Cascae fuit AN *Ahalas*?] Seruilij potius Ahalae, quam Cascae, Videntur appellandi; cum Seruilij illius Ahalae, qui Melium occidit, virtutem sint imitati. GESSERAM, in consulatu, contra domesticos reip. hostes. OMNES *ergo in culpa*.] vt tu quidem sentis. QVAM *velis esse caussam*: bonam an malam. M. BRVTVS,] cui, quia praetor erat ab vrbe plus quam decem dies abesse non licebat, nisi legibus solueretur M. BRVTI] a quo absente dabantur. REGNVM *de rep. sustulissem*: quod quidem te viuo, adhuc manet. TOTAM *fabulam confecissem*.] quasi quinctus & vltimus fabulae actus defuit cum tu nō sis eo die, quo Caesar, interfectus. sed ego si affuissem ad exitum fabulā perduxissem. In ep. ad Trebonium. Quam vellem ad illas pulcherrimas epulas idibus Mart. me inuitasses: reliquiarum nihil haberemus, at nūc cum his tantum est negotij, vt vestrum illud diuinum in remp. beneficium, nonnullam habeat querellam. TVM *te a Trebonio vidimus seuocari*. extra curiam, sermonis simulatione detineri ne ingressus, tamquam studiosissimus Caesaris, qui regium etiam insigne diadema Lupercalibus sedenti in Rostris in sella aurea, gemente populo Romano, imponere voluisset, una cum ipso occideretur. In ep. ad Trebonium: Quod vero a te viro optimo seductus est tuoq. beneficio adhuc viuit haec pestis: interdum, quod mihi vix fas est, tibi subiascor. mihi enim negotij plus relinquisti vni, quam, praeter me, omnibus. CASSIANVM;] L. Cassius, e seueriſſima familia, quaerendum putabat in iudicijs, in quibus de nece hominis quaereretur, cui bono fuisset, caedem illam fieri. VIDE *quaeso ne haereas*.] tibi enim praecipue bono fuit illius interitus, qui nunc regnas; qui tantam illius pecuniam, ad aedem Opis depositam abstulisti, eaq. maximo te aere alieno liberasti &c. PER *eas tabulas*] quibus in tabulis patebat illius pecuniae summa, in ijsdem finxisti scriptum esse, quibus distribuenda esset cum tu arbitratu tuo distribueres, quibus velles. Propterea dixit Phil. 5. septies millies falsis perscriptionibus, donationibusq. auertit. Rationem dispensatae pecuniae perscripserat Antonius in ijs tabulis, quas ad aedem Opis cum pecunia Caesar deposuerat: & ab ipso Caesare aut ab eius scriba Faberio, ita scriptum dicebat, vt quā ipse pecuniam auerterat, ea tamquam iussu Caesaris distributa videretur. ideo Phil. 5. Direptio eius pecuniae, cuius ratio in aede Opis confecta est. hanc tertiam decuriam excogitauit Et Phil. 8. Ne tangantur rationes ad Opis IMMVNITATVM *vectigalium* ne vectigalia soluantur. minuuntur enim vectigalia, cum immunitates dantur. Phil. 1. Immunitatibus infinitis sublata vectigalia mortuo. NVNDINAE. Phil. 3. Vna in domo omnes, quorum intererat, totum imperium populi Romani nundinabantur. Et infra: Earumq. rerum omnium domesticum mercatum instituerit.

ORATIO

RESPONDI *maximis criminibus: nunc etiam reliquis respondendum est. Castra mihi Pompeij, atque illud omne tempus obiecisti. quo quidem tempore si, vt dixi, meum consilium, auctoritasq. valuisset; tu hodie egeres, nos liberi essemus, resp. non tot duces, & exercitus amisisset. fateor enim me, cum ea, quae acciderunt, prouiderem futura, tanta in maestitia fuisse, quanta cetari optimi ciues, si idem prouidissent, fuissent. dolebam, dolebam, P. C. remp. vestris quondam, meisq. consilijs conseruatam, breui tempore esse perituram: neque vero eram tam indoctus, ignarusq. rerum, vt frangerer animo propter vitae cupiditatem, quae me manēs conficeret angoribus, dimissa molestijs omnibus liberasset. illos ego praestantissimos viros, lumina reip. viuere volebam, tot consulares, tot praetorios, tot honestissimos senatores, omnem praeterea florem nobilitatis, ac iuuentutis,*

tutis, tum optimorum ciuium exercitus: qui si viuerent, quamuis iniqua condicione pacis, (mihi enim omnis pax cum ciuibus bello ciuili vtilior videbatur) remp. hodie teneremus. quae sententia si valuisset; ac non y maxime mihi quorum ego vitae consulebam, spe victoriae elati obstitissent: ut alia omittam, tu certe numquam in hoc ordine, vel potius numquam in hac vrbe mansisses.

EXPLANATIO

SI *idem prouidissent,*] quia non prouiderunt, iccirco bellum paci temere praetulerunt.

ORATIO

AT *vero Cn. Pompeij voluntatem a me alienabat oratio mea. An ille quemquam plus dilexit? cum illo aut sermones, aut consilia contulit saepius? quod quidem erat magnum, de summa rep. dissidentes; in eadem consuetudine amicitiae permanere. ego quid ille, & contra ille quid ego sentirem, & spectarem, videbat. ego incolumitati ciuium primum, vt postea dignitati posseмus, ille praesenti dignitati potius consulebat. quod autem habebat vterque, quid sequeretur; iccirco tolerabilior erat nostra dissensio. quid vero ille clarissimus vir, ac paene diuinus de me senserit, sciunt, qui eum Pharsalica fuga Paphum profecuti sunt. numquam ab eo mentio de me, nisi honorifica, nisi plena amicissimi desiderij: cum me vidisse plus fateretur, se speraussе meliora. & eius viri nomine me infectari audes, cuius me amicum, te sectorem esse fateare? sed omittatur bellum illud, in quo tu nimium felix fuisti.*

EXPLANATIO

AT *vero Cn. Pompeij voluntate a me alienabat oratio mea.*] hoc quoque Ciceroni obiecerat Antonius SECTOREM] cum Pompeij bona in auctione venirent, solus ea emere Antonius ausus est.

ORATIO

NE *iocis quidem respondebo, quibus me in castris vsum esse dixisti. erant illa quidem castra plena curae: verumtamen homines, quamuis in turbidis rebus sint, tamen, si modo homines sunt, interdum animis relaxantur. Quod autem idem maestitiam meam reprehendit, idem iocos; magno argumento est, me in vtroque fuisse moderatum. Hereditates mihi negauisti venire: vtinam hoc tuum verum crimen esset: plures amici mei, & necessarij viuerent. sed qui istuc tibi venit in mentem? ego enim amplius* HS *ducenties acceptum hereditatibus retuli. quamquam in hoc genere fateor feliciorem esse te. me nemo, nisi amicus, fecit heredem; vt cum illo commodo, si quod erat, animi quidam dolor ingeretur: te is, quem numquam vidisti, L. Rubrius Casinas fecit heredem. & quidem vide, quam te amarit is, qui, albus ater ne fueris, ignorans, fratris filium praeterijt; Q. Fufi, honestissimi equitis R. suiq. amicissimi, quem palam heredem semper facitarat, ne meminit quidem; te, quem numquam viderat, ac ne numquam salutauerat, fecit heredem. Vt enim, mihi dicas, nisi molestum est, L. Turselius qua facie fuerit? qua statura? quo municipio? qua tribu? nihil scio, inquies, nisi quae praedia habuerit. igitur fratrem exheredans, te faciebat heredem. In multas praeterea pecunias alienissimorum hominum, electis veris heredibus, tamquam heres esset, innasit. quamquam hoc maxime admiratus sum, mentionem te hereditatum ausum esse facere, cum ipse hereditatem patris non adisses. Haec vt colligeres, homo amentissime, tot dies in aliena villa declamasti? quamquam tu quidem, vt tui familiarissimi dictitant, vini exhalandi, non ingenij acuendi caussa declamitas. & vero adhibes ioci caussa magistrum suffragio tuo, & compotorum tuorum rhetorem: cui concessisti, vt in te, quae vellet, diceret. falsum omnino hominem: sed materia facilis, in te, & in tuos dicta dicere. vide autem, inter te, & auum tuum quid interfit. ille sensim dicebat, quod caussae prodesset: tu cursim dicis aliena. at quanta merces rhetori data est? audite, audite, P.C. & cognoscite reip. vulnera: duo millia iugerum campi Leontini Sex. Clodio rhetori assignasti. & quidem immunia, vt pro tanta mercede nihil sapere diseres. num etiam hoc, homo audatissime, ex Caesaris commentarijs? sed dicam alio loco & de Leontino agro, & de Campano: quos iste agros, ereptos reip. turpissimis possessoribus inquinauit. Iam enim, quoniam criminibus eius satis respondi, de ipso emendatore, & correctore nostro quaedam dicenda sunt. nec enim omnia effundam: vt, si saepius decertandum sit, vt erit, semper nouus veniam: quam facultatem mihi multitudo istius vitiorum, peccatorumq. largitur. vis ne igitur, ne inspiciamus a puero? sic opinor, a principio ordiamur.*

Landesbibliothek Oldenburg

EXPLANATIO

In vtroque fuisse moderatum.]nec semper maesticiae, nec semper iocis deditum fuisse. NEGASTI]vt ostenderes, quam pauci sint, a quibus vere diligar. NAM *hoc tuum*]malim, Hoc vnum. H-S DVCENTIES]sexcenta scutatorum millia sunt. FECIT *heredem.*]ironia: vt Antonium non a Rubrio seda se ipso heredem esse factum significet falso scilicet supposito testamento. ALBVS, *ater ne fueris,*]sic & Catullus in Caesarem, Nil nimium studeo, Caesar, tibi velle placere, Nec scire vtrum sis albus an ater homo. EQVITIS *Romani.*]hoc addit, vt a Q. Fufio senatore, Pansae, consulis designati, socero distinguat. NE *meminit quidem;*]suspectus mihi locus: vel quia verbo, memini, numquā in hoc sensu, quod sciam, cum gerandi casu Cicero vtis est: vel quia Faernus ipse Nominat, non Meminit, ait esse scriptum in suo peruertere libro; vt maioris fortasse modestiae fuerit reponere, Q. Fufium nō nominat IGITVR *fratrem exheredās, te faciebat heredem.*]id est: quod igitur, quae illae praedia possideret, scie bas, ideo heres esse voluisti, eadem scilicet fraude, qua Q. Rubrij Casinatis. ALIENISSIMORVM] nullo propinquitatis iure bona tamen eorum tamquam heres occupauit. supra: Huius ergo alienus cōsilijs consul vsus sum: tu, sororis filius ecquid ad eum vmquam de rep. retuliſti? NON *adisses.*]quia nulla erat. TOT *dies*]septemdecim. Phil. 5. IN *aliena villa*]in Tiburtino Q. Metelli Scipionis, Pompeij Magni soceri: qui cum esset Corneliae gentis, in Caeciliam transijt adoptatus a Q. Metello Pio, Numidici filio. MAGISTRVM, sex. Clodium rhetorem, de quo paullo post. SALSVM]Sex. Clodium. VT *pro tanta mercede nihil sapere disceres.*]idem supra.

ORATIO

TENES *ne memoria, praetextatum te decoxisse? patris inquies, ista culpa est. concedo: etenim est pietatis plena defensio. illud tamen audaciae tuae, quod sedisti in quattuordecim, cū esset lege Roscia decoctoribus certus locus, quamuis quis fortunae vitio, nō suo, decoxisset. Sumpsisti virilem, quam statim muliebrem togam reddidisti. primo vulgare scortum: certa flagitij merces, nec ea parua: sed cito Curio interuenit, qui te a meretricio quaestu abduxit, & tamquam stolam dedisset, in matrimonio stabili, & certo locauit. nemo vmquam puerem ptus libidinis causa tam fuit in domini potestate, quam tu in Curionis. quoties te pater eius domo sua eiecit? quoties custodes posuit, ne limen intrares? cum tamen tu, nocte socia, hortante libidine, cogente mercede, per tegulas dimittere. quae flagitia domus illa diutius ferre non potuit. scis ne me de rebus mihi notissimis dicere? recordare tempus illud, cum pater Curio maerens iacebat in lecto; filius, se ad pedes meos proiicrnens, lacrumans, te mihi cōmendabat; orabat, vt te contra suum patrem, si H S Sexagies peteret, defenderem: tantum enim se pro te intercessisse dicebat. ipse autem, amore ardens, confirmabat, quod desiderium tui dissidij ferre non posset, se in exsulium iturum. quo ego tempore tanta mala floremissimae familiae sedaui, vel potius sustuli: patri persuasi, vt aes alienum filij dissolueret, redimeret adolescentem summa spe & animi, & ingenij praeditum, rei familiaris facultatibus; eumq. a tua non modo familiaritate, sed etiam congressione, patrio iure, & potestate prohiberet. haec tu cum per me acta meminisses, nisi illis, quos videmus, gladijs confideres, maledictis me prouocare ausus esses? sed iam stupra, & flagitia omittamus. sunt quaedam, quae honeste non possum dicere. tu autem liberior, quod ea in te admisisti, quae a verecundo inimico audire non posses, sed reliquum vitae cursum videte: quem quidem celeriter pestringam: ad haec enim, quae in ciuili bello, in maximis reip. miserijs fecit, & ea, quae quotidie facit, festinat animus. quae, peto, vt, quamquam multo notiora vobis, quam mihi, sunt, tamen, vt facitis, attente audiatis. debet enim talibus in rebus excitare animos non cognitio solum rerum, sed etiam recordatio. etsi incidamus, oportet, media, ne nimis sero ad extrema veniamus. Intimus erat in tribunatu Clodio, qui sua erga me beneficia commemorat, eius omnium incendiorum fax: cuius etiā domi iam tum quiddam molitus est: quid dicam, ipse optime intelligit. Inde iter Alexandriam, contra senatus auctoritatem, contra religiones. sed habebat ducem Gabinium, quicum quiduis rectissime facere posset. Qui tum inde reditus, aut qualis? prius in vltimam Galliam ex Aegypto, quam domum. quae autem domus? suam enim quisque domum tum obtinebat, neque erat vsquam tua. domum dico? quid erat in terris, vbi in tuo pedē poneres? praeter vnum Misenum, quod cum socijs tamquam Sisaponem tenebras. Veniſti e Gallia ad quaesturam petendam. aude dicere, prius ad parentem tuum veniſſe, quam ad me. acceperam iam ante Caesaris litteras, vt mihi satisfieri paterer a te: itaque ne loqui quidem sum te passus de gratia. postea cultus sum a te, tu a me obseruatus in petitione quaesturae. quo quidem tempore P. Clodium approbante populo R. in foro es conatus occidere. cumq. eā rem tua sponte conarere, non impulsu meo; tamen ita praedicabas, te non existimare, nisi illum interfecisses, vmquam mihi pro tuis in me iniurijs satis esse factum. in quo miror, cur Milonem impulsu meo rem illam egisse dicas. cum te, vltro mihi idem illud deferentem, numquam sim adhortatus. quamquam, si in eo perseuerares, ad tuam gloriam rem illam referri malebam, quam ad meam gratiam. Quaestor es factus: deinde continuo sine S. C. sine sorte, sine lege ad Caesarem cucurriſti: id enim vnū in terris egestatis, aeris alieni, nequitiae, perditis vitae rationibus perfugium esse ducebas. ibi te cum & illius largitionibus, & tuis rapinis expleuisses; (si hoc est explere, quod statim effundas) aduolasti egens ad tribunatum, vt in eo magistratu, si posses, viri tui similis esse.*

EXPLA-

EXPLANATIO

PRAETEXTATVM]in pueritia, nondum sumpta virili toga. EST *pietatis plena defensio.*]ironia. nam si pius esset Antonius, nequitiae suae culpam in patrem non conferret. IN *quattuordecim*,]gradibus in theatro in quibus equestris ordo sedebat: orchestra, ideſt area theatri, senatorum erant. Antonius autem eques Romanus, nondum senator erat eo tempore. LEGE *Roscia*] Asconius, epitome, nos in lib. deleg. MVLIEREM *togam*]infames & libertini generis toga publicae, & honesto loco natae stola vtebantur. Tibulus ad Cherinthum, lib. IV. Sit tibi cura togae potius, pressumq. quasillo Scortum, quā Seruij filia Sulpicia. TAMQVAM *stolā dedisset*,]tamquā vxorē te duceret, nec amplius te vitam ducere quaestu meretricio, pati posset. H-S SEXAGIES]centum & octoginta scutatorum millia. in Valerio Max. lib. IX. c. I. mendose legitur, Sexcenties, pro Sexagies. INTERCESSISSE]soluturum promisisse. sic alibi Cicero locutus. QVIDDAM molitus est: de stupranda eius vxore. ITER *Alexandriam*,]anno sequenti, cum Gabinio proconsule, ad Ptolomaeum regem armis reducēdum. Plutarchus. CONTRA *senatus auctoritatem*,]nolebat senatus, Sibyllae versibus admonitus, regem cum exercitu restitui. ideo sequitur, Contra religiones. IN *vltimam Galliam*]ad Caesarem: vt mihi te litteris commendaret. quod ille fecit. MISENVM,]maritimam villam in Baiano litore. CVM *sociis*]tui similibus. TAMQVAM *Sisaponem*]cum probo dictum: quasi ciuitatem vitijs infamem, & luxu perditam. Sisapo in Hispania, vbi minium effodiebatur. Plinius. AD *parentem tuum*]suspicor hunc locum esse mendosum. nam Antonij pater multo ante perierat: & post eius obitum nupserat Antonij mater Iulia P. Lentulo, qui cum Catilina coniurauit, & in carcere strangulatus est. quod si tertio nupsisset Iulia; non tamen ad parentem tuum, sed ad vitricum tuum Cicero dixisset: vt Lētulum quoque vitricum Antonij supra vocauit. legendum igitur, Ad parentem tuam, crediderim. VT *mihi satisfieri paterer a te*:]quia, cum intimus in tribunatu Clodio fuisset, aliqua omnino re laesum ab eo Ciceronem, verisimile videtur. potuit etiam inimicus esse Ciceroni Antonius non tam propter vitrici mortem, a senatu decretā, quam ob eius corpus sepolturae negatum: de quo supra. NE *loqui quidem sum te passus de gratia*.]tātum tribui Caesaris litteris, vt statim te sim complexus verbis mihi a te satisfieri non sim passus. OBSERVATVS]obseruare hic est, alicuius inseruire honori, quibus liceat officijs domum eundo, deducendo, & reducendo, sic in ep. ad Gallum. Ego enim te in consulatu obseruaram. QVAMQVAM,]sententia postulat Quoniam. subijcitur enim caussa, cur eum non sit adhortatus. AD *Caesarem cucurristi*:]vt ei quaestor esses in Gallia. infra: cuius tu imperatoris quaestor fueras. VIRI *tui*]C. Curionis, qui tribunus pl. anno superiore fuerat. Virum appellat Antonij quia vsus erat eo tamquam muliere, atque adeo tamquam coniuge: vnde supra. Sed cito Curio interuenit, qui te a meretrico quaestu abduxit, &, tamquam stolam dedisset, in matrimonio stabili, & certo locauit. SIMILIS *esses*.]improbitate, & consilijs a communi salute auersis.

ORATIO

ACCIPITE *nunc, quaeso, non ea quae ipse in se, atque in domesticum dedecus impure, atque intemperanter, sed quae in nos, fortunasq. nostras, ideſt, in vniuersam remp. impie, ac nefarie fecerit. ab huius enim scelere omnium malorum principium natum reperietis. Nam cum L. Lentulo, C. Marcello, cos. kal. Ian. labentem, & prope cadentem remp. fulcire cuperetis; ipsi q. C. Caesari, si sana mente esset, consulere velletis: tum iste venditum, atque mancipatum tribunatum consilijs vestris opposuit, ceruicesq. suas ei subiecit securi, qua multi minoribus in peccatis occiderunt. in te, M. Antoni, id decreuit senatus, & quidem incolumis, nondum tot luminibus extinctis, quod in hostem togatum decerni est solitum more maiorum. & tu apud patres conscriptos contra me dicere ausus es; cum ab hoc ordine ego conseruator esßem, tu hostis reip. iudicatus? commemoratio illius tui sceleris intermissa est, non memoria deleta: dura genus hominum, dum populi R. nomen extabit, quod quidem erit, si per te licuerit, sempiternum; tua illa pestifera intercessio nominabitur. quid cupide a senatu, quid temere fiebat, cum tu vnus, adolescens, vniuersum ordinem decernere de salute reip. prohibuisti, neque id semel, sed saepius; neque tu tecum de senatus auctoritate agi passus es? quid autem agebatur, nisi ne delere, & euertere remp. funditus velles? cum te neque principes ciuitatis rogando, neque maiores natu monendo, neque frequens senatus agendo, de vendita, atque addicta sententia mouere potuit. tum illud, multis rebus ante tentatis, necessario tibi vulnus inflictum, quod paucis ante te, quorum incolumis fuit nemo. tum contra te dedit arma hic ordo consulibus, reliquisq. imperijs, & potestatibus. quae non effugisses, nisi te ad arma Caesaris contulisses. tu, tu, inquam, M. Antoni, princeps C. Caesari, omnia perturbare cupienti, caussam belli contra patriam inferendi dedisti. quid enim aliud ille dicebat? quā caussam sui dementissimi consilij, & facti afferebat, nisi quod intercessio neglecta, ius tribunicium sublatum, circumscriptus esset Antonius? omitto, quam haec falsa; quam leuia: praesertim cum omnino nulla causßa iusta cuiquam esse possit contra patriam arma capiendi: sed nihil de Caesare: tibi certe confitendum est, caussam pernicioſissimi belli in persona tua constitisse. o miserum te, si intelligis, miseriorem, si non intelligis, hoc litteris mādari. hoc memoriae prodi, huius rei ne posteritatem quidem omnium saeculorum vmquam immemorem fore, consules ex Italia expulsos, cumq. his Cn. Pompeium, qui*

qui imperij populi R. decus, ac lumen fuit, omnes consulares, qui per valetudinem exsequi cladem illam, fugamque potuissent: praetores, praetorios, tribunos pl. magnam partem senatus, omnem sobolem iuuentutis, unoq. uerbo remp. expulsam, atque exterminatam suis sedibus. ut igitur in seminibus est causa arborum, & stirpium, sic huius luctuosissimi belli semen tu fuisti. Doletis tres exercitus populi R. interfectos? interfecit Antonius. desideratis clarissimos ciues? eos quoque eripuit uobis Antonius. auctoritas huius ordinis afflicta est? afflixit Antonius. omnia denique, quae postea uidimus, (quid autem mali non uidimus?) si recte ratio ineatur, uni accepta referemus Antonio ut Helena Troianis, sic iste huic reip. causa belli, causa pestis, atque exitij fuit. Reliquae partes tribunatus principijs similes. omnia perfecit, quae senatus, salua rep. ne fieri possent, perfecerat. cuius tamen scelus in scelere cognoscite. Restituebat multos calumniosos. in his patrui nulla mentio. si seuerus, cur non in omnes? si misericors, cur non in suos? sed omitto ceteros; Licinium Denticulam, de alea condemnatum, colluforem suum, restituit: quasi uero ludere cum condemnato non liceret: sed ut, quod in alea perdiderat beneficio legis dissolueret. quem attulisti rationem populo R. cur eum restitui oporteret? absentem credo in eos relatum, rem iudicata causa iudicatam, nullum fuisse de alea lege iudicium: ei oppressum, & armis: postremo, quod de patruo tuo dicebatur, pecunia iudicium esse corruptum: nihil horum. at uir bonus, & rep. dignus. nihil id quidem ad rem: ego tamen, quoniam condemnatum esse pro nihilo est, si ita esset, ignoscerem. hominem omnium nequissimum, qui non dubitaret uel in foro aleam ludere, lege, quae est de alea condemnatum, qui in integrum restituit, is non apertissime studium suum ipse profitetur?

EXPLANATIO

SI *sana mente esset.*] si parere senatui vellet, exercitumq. & prouinciam dimittere. in ep. ad Terentiam. CERVICES *tuas extulisset securi.*] suo scelere condemnandum senatui se tradidit. MINORIBVS *in peccatis occiderunt.*] hostes a senatu iudicati sunt cum eorum culpa leuior esset quã tua. QVOD *in hostem iocatum dicemus est solitum more maiorum.* id scilicet: Darent operam consules praetores, tribuni pl. ne quid resp. detrimenti caperet. in ep. ad Terentiam, in oratione pro Deiotaro. Caesar autem lib. 1. bel. ci. Tribuni pl. septimo denique die de sua salute consulere cogitant. O. MISERVM *te si intelligis, miseriorem si non intelligis.*] similiter supta O miserum, siue illa tibi nota non sunt, nihil enim boni nosti; siue sunt, qui apud tales viros tam impudenter loquare. Figura non dissimilis illa pro Deiotaro: Quem profecto is, qui optime nostros homines nouit, vel quia non nosset; vel si nosset, contemneret. TRES *exercitus*] vnum in Thessalia, alterum in Africa, tertium in Hispania. AFFIXIT. *Antonius.*] ornamentum ex repetitione eiusdem verbi sententiam claudentis. Phil. 1. De exsulio reducti a mortuo: ciuitas data non solum singulis, sed nationibus, & prouincijs a mortuo immunitatibus infinitis sublata vectigalia a mortuo. Agr. 2. Quis legem tulit? Rullus. quis maiorem partem populi suffragijs priuauit? Rullus. quis comitijs praefuit? Rullus. Pro Milone: Quis eos postulauit? Appius. qui produxit? Appius. vnde? ab Appio SCELVS *in scelere*] nam & multos, exsulio dignos, reduxit. & patruum tamen suum C. Antonium non reduxit primũ igitur scelus est, dãnatos restituere: alterũ, de patruo mẽtionem nullam facere, & misericordem in alienos esse, in suos non esse. RESTITVIT:] an vt ludere cũ eo posset? quasi vero ludere cum condemnato non liceret. quid enim impediret? nam Denticulae, quamquã lege non restituto, in vrbe tamen licebat esse, tribuno pl. Antonio. PERDIDERAT.] ipse Antonius. BENEFICIO *legis*] vt quod perdiderat, accepta a Denticula pecunia dissolueret: nam aes alienum alea contraxerat. POPVLO *Romano*] cum legem de restituendo Denticula ferres. NIHIL *id quidem ad rem*] quam tu bonus vir esset, ac rep. dignus: quid tamen refert? non enim ideo restituendus. nam res iudicatas rescindi non oportet verumtamen, si ita esset, ideſt, si bonus ille vir esset, ac rep. dignus, ignoscerem. restituendum censerem. quoniam condemnatum esse pro nihilo est; quoniã crimen ipsum aleae, quo damnatus est leue ducitur. STVDIVM *suum*] ludendi alea. quod lex tamẽ verat.

ORATIO

IN *eodem vero tribunatu, cum Caesar in Hispaniam profecturus esset, huic conculcandam Italiam tradidisset, quae fuit eius peregratio istucinum? lustrauit municipiorum? scio me in rebus celebratissimis omnium sermone versari; eaque, quae dico, dicturusq. sum, notiora esse omnibus, qui in Italia tum fuere, quam mihi, qui non fui: notabo tamen singulas res: etsi nullo modo poterit oratio mea satisfacere vestrae scientiae. Ecquod enim vnquam in terris tantum flagitium exstitisse auditum est? tantam turpitudinem? tantum dedecus? vehebatur in essedo tribunus pl. lictores laureati antecedebant: inter quos aperta lectica mima portabatur: quam ex opidis municipales homines honesti obuiam necessario prodeuntes, non noto illo, & mimico nomine, sed Volumniã consalutabant. sequebatur rheda cum lenonibus, comites nequissimi: reiecta mater amicam impuri filij, tamquam nurum, sequebatur. o miserae mulieris fecunditatem calamitosam. Horum flagitiorum iste vestigijs omnia municipia, praefecturas, colonias, totam denique Italiam impressit. Reliquorum factorum eius, P. C. difficilis est sane reprehensio. & lubrica. uersatus in bello est: saturauit se sanguine dissimillimorum sui ciuium: felix fuit, si potest vlla esse in scelere felicitas. sed. quoniam veteranis cautum esse volumus; quamquam dissimilis est militum caussa, & tua: illi secuti sunt, tu quae fisti ducem: tamen, ne apud illos me in inuidiam voces,*

nihil

nihil de belli genere dicam. Victor e Thessalia Brundisium cum legionibus reuertisti: ibi me non occidisti. magnum beneficium: potuisse enim fateor. quamquam nemo erat eorum qui tum tecum fuerunt, qui mihi non censeret parci oportere. tanta enim est caritas patriae, vt vestris etiam legionibus sanctus essem, quod eam a me seruatam esse meminissent. sed fac id te dedisse mihi, quod non ademisti; meq. a te habere vitam, quia non a te sit erepta. licuit ne mihi per tuas contumelias hoc beneficium sic tueri, vt tuebar, praesertim cum te haec auditurum videres? Venisti Brundisium, in sinum quidem, & in complexum tuae mimulae. quid est? num mentior? quam miserum est, id negare non posse, quod sit turpissimum confiteri. si te municipiorum non pudebat, ne veterani quidem exercitus? quis enim miles fuit, qui Brundisii illam non viderit? quis, qui nescierit venisse eam tibi tot dierum viam gratulatum? quis, qui nō indoluerit tam fero se, quam nequam hominem secutus esset, cognoscere? Italiae rursus percursatio, eadem comite mima: in oppida, militum crudelis & miseria deductio: in vrbe, auri, argenti, maximeq. vini foeda direptio. Accessit, vt, Caesare ignaro, si esset ille Alexādriae, beneficio amicorum magister equitum constitueretur. tum existimauit se suo iure cum Hippia viuere, & equos vectigales Sergio mimo transdere. tum sibi non hanc, quam nunc male tuetur, sed M. Pisoni domum, vbi habitaret, legerat. Quid ego istius decreta, quid rapinas, quid hereditatum possessiones datas, quid ereptas proferam? cogebat egestas: quo se verteret, non habebat, nondum ei tanta a L. Rubrio, non a L. Turselio hereditas venerat: nondum in Cn. Pompeij locum, multorumq. aliorum, qui aberant, repentinus heres successerat: erat ei viuendum latronum ritu; vt tantum haberet, quantum rapere potuisset. sed haec, quae robustioris improbitatis sunt, omittamus: loquamur potius de nequissimo genere leuitatis. Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate, tantum vini in Hippiae nuptijs exhauseras, vt tibi necesse esset in populi R. conspectu vomere postridie. rem non modo visu foedam, sed etiam auditu. si inter cenam, in tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidisset, quis non turpe diceret? in coetu vero populi R. negotium publicum gerens, magister equitum, cui ructare turpe esset, is vomens frustis esculentis, vinum redolentibus gremium suum, & totum tribunal impleuit.

EXPLANATIO

VESTRAE *scientiae.*] vos enim plura scitis, quam erunt illa, quae ipse exponam. VEHEBATVR *in esse-do*] muliebri mollitie. TRIBVNVS pl.] quem minime decebat. LICTORES *laureati*] lictoribus, vt ait Plutarchus, tibuni pl. non vtebantur. sed opinor ius vtēdi lictoribus, ijsq: laureatis. Antonio datū a Caesare, vrbe Roma potito. Laureatis autem vtebantur, qui ex aliqua victoria imperatores appellati erant. APERTA *lectica*] quasi flagitium nullum esset, meretricem inter lictores cerni, sequente tribuno pl. MIMA.] Cytheris: de qua supra: Aliquid enim salis ab vxore mima trahere potuisti. VOLVMNIAM quod eam Volumnius Eutrapelus, Antonij familiaris, amaret. ep. vlt. lib. IX. fam. LVBRICA.] vereor enim, ne, si reprehēdam ea, quae tu in bello egisti, veteranos offendam. FELIX *fuit;*] sed omittatur bellum illud, in quo tu nimium felix fuisti. VETERANIS *tantum esse volumus:*] commodis veteranorum consuli senatus, cōcordiae caussa, volebat. vnde illud Phil. I. veterani, qui appellabantur, quibus hic ordo diligentissime canerat. SECVTI *sunt,*] ducem suum Caesarem. PER *tuas contumelias*] quibus affectus a te sum post illud beneficium. SIC *tueri, vt tuebar,*] tanti facere, quanti faciebam. PRAESERTIM *cum te haec auditurum videres?*] hoc videtur dicere: Miror per tuas contumelias non licuisse mihi beneficium illud sic animo & memoria colere, vt colebam: praesertim cum fore videres, vt audires a me: quae meritus es. tu me nouis iniurijs veteris beneficij memoriam abijcere coegisti. MAGISTER *equitum*] dictator enim Caesar erat. EQVOS] quibus magister equitum vtebatur. VECTIGALES *Sergio mimo tradere.*] vt ex ijs quaestum faceret. REPENTINVS *heres*] quorum bona in actione emerat, heres eorum esse videbatur.

ORATIO

SED *hoc ipse fatetur esse in suis sordibus. veniamus ad splendida. Caesar Alexandria se recepit, felix, vt sibi quidem videbatur. mea autem sententia, qui vehementer sit infelix, felix esse nemo potest. hasta posita pro aede Iouis Statoris, bona Cn. Pompeij (miserum me: consumptis enim lacrumis, tamen infixus haeret animo dolor) bona, inquam, Cn. Pompeij Magni voci acerbissimae subiecta praeconis, vna in illa reseruitutis oblita ciuitas ingemuit; seruientibusq. animis, gemitus tamen populi R. liber fuit. expectantibus omnibus, quisnam esset tam impius, tam demens, tam dijs hominibusq. hostis, qui ad illud scelus sectionis auderet accedere, inuentus est nemo, praeter Antonium; praesertim cum tot essent circum hastam illam, qui alia omnia auderent. vnus inuentus est, qui id auderet, quod omnium fugisset, & reformidasset audacia. tantus igitur te stupor oppressit, vel, vt verius dicam, tantus furor, vt primum, cum sector sis, isto loco natus, deinde cum Pompeij sector non te exsecrandum populo Rom. non detestabilem, non omnes tibi deos, non omnes homines & esse inimicos, & futuros scias? at quam insolenter statim beluo inuasit in eius viri fortunas, cuius virtute terribilior erat populus Rom. exteris gentibus, iustitia carior? in eius igitur copias cum se subito ingurgitasset, exsultabat gaudio persona de mimo, modo egens, repente dives. sed, vt est apud „ poetam nescio quem, Male parta male dilabuntur: incredibile, ac simile portenti est, quonam modo illa tam multa, quam paucis, non dico mensibus, sed diebus effuderit.*

effuderit. maximus vini numerus fuit, permagnum optimi pondus argenti, pretiosa vestis, multa, & lauta supellex, & magnifica multis locis, non illa quidem luxuriosi hominis, sed tamen abundantis. horum paucis diebus nihil erat. quae Charybdis tam vorax? Charybdin dico? quae si fuit animal, vnum fuit: Oceanus medius fidius vix videtur tot res, tam dissipatas, tam distantibus in locis positas, tam cito absorbere potuisse. nihil erat clausum, nihil obsignatum, nihil scriptum: apothecae totae nequissimis hominibus condonabantur: alia mimi rapiebant: alia mimae: domus erat aleatoribus referta, plena ebriorum: totos dies potabatur, atque id locis pluribus: suggerebantur etiam saepe (non enim semper ille felix) damna aleatoria: conchyliatis Cn. Pompeij peristromatis seruorum in cellis lectos stratos videres. quamobrem desinite mirari, haec tam celeriter esse consumpta. non modo vnius patrimonium, quamuis amplum, vt illud fuit, sed vrbes, & regna celeriter tanta nequitia deuorare potuisset. At idem aedes etiam, & hortos. o audaciam immanem: tu ingredi illam domum ausus es? tu illud sanctissimum limen intrare? tu illarum aedium dijs penatibus os importunissimum ostendere? quam domum aliquādiu nemo adspicere poterat, nemo sine lacrumis praeterire, hac te in domo tam diu diuersari nō pudet? in qua, quamuis nihil sapias, tamen nihil tibi potest esse iucundum. an tu, illa in vestibulo hostium spolia cum adspexisti, domum tuam te introire putas? fieri non potest. quāuis enim sine mente, sine sensu sis, vt es; tamen & te, & tua, & tuos nosti. nec vero te vnquam neque vigilantem, neque in somnis credo posse mente consistere. necesse est, quamuis sis, vt es, violentus, & furens, cum tibi obiecta sit species singularis viri, perterritum, de somno excitari, furere etiam saepe vigilantem. me quidem miseret parietum ipsorum, atque tectorum, quid enim vnquam domus illa viderat, nisi pudicum, quid nisi ex optimo more, & sanctissima disciplina? fuit enim ille vir, P. C. sicut scitis, cum foris clarus, tum domi admirandus, neque rebus externis magis laudandus, quam institutis domesticis. huius in sedibus pro cubiculis stabula, pro triclinijs popinae sunt. etsi iam negat. nolite quaerere: frugi factus est: illam suam suas res sibi habere iussit ex duodecim tabulis: claues ademit: exegit. quam porro spectatus ciuis, quam probatus, cuius ex omni vita nihil est honestius, quam quod cum mima fecit diuortium. At quam crebro vsurpat, & consul, & Antonius? hoc est dicere, & cōsul, & impudicissimus & consul, & homo nequissimus. quid est enim aliud Antonius? nam si dignitas significaretur in nomine; dixisset aliquando, credo, auus tuus se & consulem, & Antonium. numquam dixit. dixisset etiam collega meus, patruus tuus, nisi tu es solus Antonius.

EXPLANATIO

ISTO *loco natus,*] nobilem enim virum sectorem esse non decet. sed tu hoc non contentus, non modo sector, sed sector etiam Cn. Pompeij esse voluisti. PERSONA *de mimo,*] vt mimus personam mutat, modo hunc agens, modo illum: sic tu fortunam mutasti, ex egente repente dives factus. LVXVRIOSI *hominis,*] Pompeij. SI *fuit animal,*] vt est in fabulis. CONCHYLIATIS] glauci coloris. PERISTROMATIS] stragula veste pretiosa. AEDES *etiam, & hortos.* tenet. ILLAM *suam*] mimam, vt infra. RES *suas sibi habere iussit ex duodecim tabulis:* cum qua diuortium fit, ea suas sibi res habere ex duodecim tabulis iubetur. loquitur de mima tamquā de vxore. & supra, aliquid eum salis ab vxore mima trahere posse dixit. CLAVES *ademit.*] & hoc diuortij signum. claues enim dabantur vxoribus domum ingredientibus: eaedem cum diuortium fieret, adimebantur. Tertullianus in exhortatione ad castitatē: Scio, quibus excusationibus coloremus insatiabilem carnis cupiditate; ex quibus necessitates adminiculorum descendunt; administrandam familiam, regendos loculos, claues custodiendas, lanificium dispensandum, victum procurandum. Ambrosius in ep. ad Syagrium Veronensem episcopum: Mulier offensa claues remisit, domum reuertit.

ORATIO

SED *omitto ea peccata, quae non sunt eorum partium propria, quibus tu remp. vexauisti: ad ipsas tuas partes redeo, ideſt, ad ciuile bellum: quod natum, conflatum, susceptum opera tua est: cui bello cum propter timiditatem tuam, tum propter libidines defuisti. gustaras ciuilem sanguinem, uel potius exsorbueras: fueras in acie Pharsalica antesignanus: L. Domitium, nobilissimum, & clarissimum virum, occideras: multosque praeterea qui de praelio effugerant, quos Caesar, vt nonnullos, fortasse reseruasset, crudelissime persecutus trucidaras. quibus rebus tantis, talibus, gestis, quid fuit causae cur in Africam Caesarem non sequerere, cum praesertim belli pars tanta restaret? itaque quem locum apud ipsum Caesarem post eius ex Africa reditum obtinuisti? quo numero fuisti? cuius tu imperatoris quaestor fueras, dictatoris magister equitum, belli princeps, crudelitatis auctor, praedae socius, testamenti, vt dicebat ipse, filius: appellatus es de pecunia, quam pro domo, pro hortis, pro sectione debebas. primo respondisti plane ferociter: &, ne omnia videar contra te, propemodum aequa, & iusta dicebas. A. me C. Caesar pecuniam? cur potius, quam ego ab illo? an ille sine me vicit? at ne potuit quidem. ego ad illum belli ciuilis causam attuli: ego leges pernicioſas rogaui: ego arma contra consules, imperatoresque populi R. contra senatum, populumque R. contra deos patrios, aras que & focos, contra patriam tuli. num sibi soli vicit? quorum facinus est commune, cur non sit eorum praeda communis? ius postulabat: sed quid ad rem? plus ille poterat. itaque, excussis tuis vocibus, & ad te, & ad praedes tuos milites misit; cum, repente ate praeclara illa tabula prolata, qui risus hominum? tantum esse tabulam, tam varias, tum multas possessiones, ex qui-*

ex quibus praeter partem Miseni, nihil erat quod is, qui auctionaretur, posset suum dicere. auctionis vero miserabilis adspectus. vestis Pompeij non multa, eaq. maculosa, eiusdem quaedam argentea vasa collisa. sordidata mancipia: vt doleremus quidquam esse ex illis reliquijs, quod videre possemus. hanc tamen auctionem heredes L. Rubrij decreto Caesaris prohibuerunt. haerebat vendulo: quo se verteret, non habebat. quan his ipsis temporibus domi Caesaris percussor, ab isto missus, deprehensus dicebatur esse cum sica: de que Caesar in senatu, aperte in te inuehens, questus est. Proficiscitur in Hispaniam Caesar, paucis tibi ad soluendum, propter inopiam tuam, pro rogatis diebus. ne tum quidem sequeris. tam bonus gladiator rudem tam cito accepisti? hunc igitur quisquam, qui in suis partibus, idest, in suis fortunis tam timidus fuerit, pertimescat? profectus est aliquando tandem in Hispaniam, sed tuto, vt ait, peruenire non potuit. quonam modo igitur Dolabella peruenit? aut non suscipienda fuit ista causa, Antoni, aut, cum suscepisses, defendenda vsque ad extremum. ter depugnauit Caesar cum ciuibus, in Thessalia, Africa, Hispania, omnibus affuit his pugnis Dolabella: Hispaniensi etiam vulnus accepit. si de meo iudicio quaeris, nollem: sed tamen consilium a primo reprehendendum, laudanda constantia. Tu vero quid es? Cn. Pompeij liberi primum patriam repetebant. esto: fuerit haec causa communis. repetebant praeterea deos penates patrios, aras, focos, larem suum familiarem, in quae tu inuaseras. haec cum repeterent armis ij, quorum erant legibus: etsi in rebus iniquissimis quid potest esse aequi? tamen erat aequissimum contra Cn. Pompeij liberos Cn. Pompeij pugnare fectorem. an, tu Narbone in mensa hospitum cum vomeres, Dolabella pro te in Hispania dimicaret? qui vero Narbone reditus? Etiam quaerebat, cur ego ex ipso cursu tam subito reuertissem, exposui nuper, P. C. causam reditus mei. volui, si possem, etiam ante Kal. Ian. prodesse reip. Nam, quod quaerebas, quo modo redissem: primum, luce, non tenebris: deinde, cum calceis, & toga, nulli nec gallicis, nec lacerna. At etiam adspicis me, & quidem, vt videris, iratus. nae tu iam mecum in gratiam redeas, si scias, quam me pudeat nequitiae tuae, cuius te ipsum non pudet. ex omnium omnibus flagitijs nullum turpius vidi, nullum audiui, qui magister equitum fuisse tibi videretur, in proximum annum consulatum peteres, vel potius rogares, per municipia, coloniasq. Galliae, a qua nos tum, cum consulatus petebatur, non rogabatur, petere consulatum solebamus, cum gallicis, & lacerna cucurristi. At videte lenitatem. cum hora diei decima fere ad Saxa rubra venisset, delituit in quadam cauponula; atque ibi se occultans perpotauit ad vesperum. in decisio celeriter ad vrbem aductus, domum venit capite inuoluto. ianitor, quis tu? a Marco tabellarius. confestim ad eam, cuius causa venerat, deducitur. eiq. epistolam transdidit. quã cum illa legeret flens, (erat enim amatorie scripta: caput autem litterarum sibi cum illa mima posthac nihil futurum, omnem se amorẽ abiecisse illinc atque in hanc trãsfudisse) cum mulier fieret vberius, homo misericors ferre non potuit, caput aperuit, in collum inuasit. o hominem nequam: (quid enim aliud dicam? magis proprie nihil possum dicere) ergo, vt te catamitum nec opinato cum ostendisses, praeter spem mulier adspiceret, iccirco urbẽ terrore nocturno, Italiam multorum dierum metu perturbasti? & domi quidem causam amoris habuit, foris etiam turpiorem, ne L. Plancus praedes suos venderet. Productus in concionem a tribuno pl. cum respondisses, te rei tuae causa venisse, populum etiam dicacem in te reddidisti.*

EXPLANATIO

EARVM *partium*] Caesaris. AD *ipsas tuas partes*] partes enim tuae vere sunt: quando quidem opera tua natum, conflatum, susceptum est ciuile bellum. PROPTER *libidines*] quae te in vrbe retinebant. TESTAMENTO, *ut dicebas ipse filius*] proba lectio, vitiosa tamen a Faerno iudicata testamento filius, a sermone Latino nihil habet alienum: testamenti filius, cur Faernus maluerit, aduersante praesertim, eo, quo vsus est vetere libro, valde miror. amauit ille, vt opinor, perpetuitatem similitudinis in casibus. quod quam leue sit, quantoq. momenti plus habeat Latinae linguae norma, iudicandum alijs relinquo, PRO *domo, pro hortis*,] Cn. Pompeij, ab hasta emptis. EGO *ad illum belli ciuilis causam attuli*:] praeclara inductio, Caesari sua merita exprobantis Antonij: quae tamen tota ad ipsius Antonij dedecus redundat. TABVLA] qua proscripsit Antonius res suas; vt auctione facta, solueret Caesari, quod debebat. IS, *qui auctionaretur*,] ipse Antonius. HEREDES *L. Rubrij*] repetentes ab Antonio bona Rubrij, quae per fraudem tamquam heres occupauerat DECRETO *Caesaris* apud quem de auctione illa questi erant; cum dicerent, velle nonnulla Antonium vendere pro suis, quae sua nõ essent, sed ad ipsos tamquam L. Rubrij veros heredes attinerent IN *Hispaniam*] contra Pompeij liberos, quos ad Mundam dubia pugna vicit. NE *tum quidem sequeris*.] in Africam secutus non eras. esto salutem secutus esses in Hispaniam, ne hoc quidem facis. RVDEM] indicem libertatis virgam impolitam: qua donati gladiatores, pugnare amplius nõ cogebantur. ea vero donabantur, qui saepe iam praeclare pugnassent. Mordet igitur Antonium, qui, tamquã bonus gladiator accepta rude sibi iam non esse pugnandum pro Caesare constitueret. IN *suis partibus*,] in partibus Caesaris, quas contra Pompeium secutus erat. IDEST, *in suis fortunis*,] suas fortunas omnesa ciuili bello petebat. TAM *timidus*] qui Caesarem nec in Africam, nec in Hispaniam, nisi sero admodum sequi voluerit quamquam in Hispaniã non peruenit, sed Narbone constitit, indeq nõ multo post Romam redijt. infra. TVTO,] quod a latronibus, aut a Pompeianis sibi itinere timeret. VT *ait*,] significat excusationem illam Antonij, quod in Hispaniam nõ peruenisset, falsam, & commenticiã fuisse: nam reuera in Hispaniam ire noluisse. Vt ait vt ipse commentus est. NOLLEM:] nollem, affuisset, pugnauit enim contra remp. A. PRIMO] quod pro Caesare maluerit quam pro rep. dimicare. CON-

STANTIA,] qui, quam semel causſam ſuſceperat, eam defenderit uſque ad extremum. ita uitium aliqua tamen laude corrigitur. Antonius autem dupliciter peccat. primum in causſa ſuſcipienda, deinde in eadem deſerenda. CALCEIS,] calcei, forenſe pedum indumentum: ſoleae, domeſticum. GALLICIS,] caſtrenſe pedum calciamentum. LACERNA.] humiliorum, quibus toga deeſſet, ueſtis. Cicero ad Att. lib. IV. Suetonius in Auguſto. CISIO] uehiculi genere celerrimo, duarum rotarum. AD *eam*,] ad uxorem Fuluiam. TE *catamitum*] impudicum Feſtus: Catamitum pro Ganimede, Iouis concubino, accipiebant. PLANCVS] ad quem ſunt Ciceronis epiſtolae lib. x. fam. PRAEDES *ſuos venderet*.] ne Plancus, cui videtur Caeſar in Hiſpaniam proficiſcens hoc mandaſſe, ut, ſi Antonius intra dies illos, quos ei ad ſoluendū prorogauerat, non ſoluiſſet, bona praedum uenderet. Veteres libri Tuos, mendoſe: niſi ſi pro Habuit, ſupra legatur, Habuiſti. ſed mutatio minor, ſi, Tuos, conuertatur in, Suos. DICACEM] ex ambiguo ſenſu illorum uerborum Rei tuae cauſſa; quod referri etiam ad concubitum poteſt.

ORATIO

SEd nimis multa de nugis. ad maiora veniamus. Caeſari ex Hiſpania redeunti obuiā longiſſime proceſſiſti: celeriter iſti redisti, vt cognoſceret te ſi minus fortem, attamen ſtrenuum. factus es ei rurſus neſcio quo modo familiaris. habebat hoc omnino Caeſar: quem plane perditum aere alieno, egentemque, ſi eundem nequam hominem, audacemq. cognouerat, hunc in familiaritatem libentiſſime recipiebat: his igitur rebus praeclare commendatus, iuſſus eſt renunciari conſul, & quidem cum ipſo. nihil queror de Dolabella, qui tum eſt impulſus, inductus, eluſus. qua in re quanta fuerit vtriuſque veſtrum perfidia in Dolabellam, quis ignorat? ille induxit, vt peteret, promiſſum, & receptum interuertit, ad ſeq. tranſtulit, tu eius perfidiae voluntatem tuam adſcripſiſti. Veniunt kal. Ian. cogimur in ſenatum: inuectus eſt copioſius multo in iſtum, & paratius Dolabella, quam nunc ego. hic autem iratus quae dixit, dii boni? primum, cum Caeſar oſtendiſſet, ſe prius, quam proficiſceretur, Dolabellam conſulem eſſe iuſſurum: quem negant regem, qui & faceret ſemper eiuſmodi aliquid, & diceret: ſed cum Caeſar ita diciſſet, tum hic bonus augur eo ſe ſacerdotio praeditum eſſe dixit, vt comitia auſpiciis vel impedire, vel vitiare poſſet: idq. ſe facturum eſſe aſſeuerauit. in quo primum incredibilem ſtupiditatem hominis cognoſcite. quid enim? iſtuc, quod te ſacerdotii iure facere poſſe dixiſti; ſi augur non eſſes, & conſul eſſes, minus facere potuiſſes? vide, ne etiam facilius: nos enim nunciationem ſolum habemus, conſules, & reliqui magiſtratus etiam ſpectionem. eſto hoc imperite: (nec enim ab homine numquam ſobrio poſtulanda prudentia) ſed videte impudentiam. multis ante menſibus in ſenatu dixit, ſe Dolabellae comitia aut prohibiturum auſpiciis, aut id facturum eſſe, quod fecit. quiſquam ne divinare poteſt, quid vitii in auſpiciis futurum ſit, niſi qui de caelo ſeruare conſtituit? quod neque licet comitiis per leges; & ſi quis ſeruauit, non habitis comitiis, ſed, prius, quam habeantur, debet nunciare. verum implicata inſcitia impudētia eſt: nec ſcit, quod augurem; nec facit, quod pudentem decet. Atque ex illo die recordamini eius vſque ad idus Mart. conſulatum. quis vmquam aparitor tam humilis, tam abiectus? nihil ipſe poterat: omnia rogabat: caput in aduerſam lecticam inſerens, beneficia, quae venderet, a collega petebat. ecce Dolabellae comitiorum dies: ſortitio praerogatiuae: quieſcit. renunciatur: tacet. prima claſſis vocatur: renunciatur. deinde, ita vt aſſolet, ſuffragia. tum ſecunda claſſis. quae omnia ſunt citius facta, quam dixi. confecto negotio bonus augur, (Laelium diceres) Alio die, inquit. o impudentiam ſingularem. quid videras? quid ſenſeras? quid audieras? nec enim te de caelo ſeruaſſe dixiſti, neque hodie dicis. igitur obuenit vitium, quod tu iam kal. Ian. futurum eſſe prouideras, & tanto ante praedixeras. ergo hercule magna, vt ſpero, tua potius, quam reip. calamitate, mentitus ex auſpicia, obſtrinxiſti religione populum R. augur auguri, conſul conſuli obnunciaſti. nolo plura; ne acta Dolabellae uidear conuellere: quae, neceſſe eſt aliquando ad noſtrum collegium deferantur. ſed arrogantiam hominis inſolentiamq. cognoſcite. Quam diu tu uoles, uitioſus conſul Dolabella; rurſus, cum uoles, ſaluis auſpiciis creatus, ſi nihil eſt, cum augur his uerbis nunciat, quibus tu nunciaſti: tot ſitere, te, cum, Alio die, dixeris, ſobrium non fuiſſe; ſin eſt aliqua uis in iſtis uerbis; ea quae ſit, augur a collega requiro. Sed, ne forte ex multis rebus geſtis M. Antonii rem unam pulcherrimam tranſiliat oratio; ad Lupercalia ueniamus.

EXPLANATIO

PROFICISCERETVR,] ad bellum Parthicum. VT *comitia auſpiciis uel impedire, uel uitiare poſſet*:] impedire, ne fierent: vitiare, iam facta. NOS *enim*] qui augures ſumus. NVNCIATIONEM *ſolum habemus*,] nunciant augures, & impediunt, ſi vel tonantem Iouem audierint, vel fulgentem viderint: ſpectionem autem nō habent, ideſt de caelo nō ſeruant: ea enim ſpectio eſt, at magiſtratus & nunciationem habent, vt augures; & ſpectionē qua augures carent. lib. III. de leg. Reliqui magiſtratus, auſpicium iudiciumq. habento. AVT *id facturum eſſe quod fecit*. Ivitiaturū, poſteaquam facta eſſent. infra: Confecto negotio, bonus augur, Alio die inquit. DIVINARE *poteſt*] ſi diuina re nemo poteſt, quid vitij futurū ſit in auſpicijs: cur tu multis ante menſibus dixiſti, aut prohibiturū te auſpicijs Dolabellae comitia, ne fierent, aut facta infirmaturum: quod feciſti. NISI *qui de caelo ſeruare conſtituit*?] qui enim magiſtratus de caelo ſeruare conſtituerat, vt impedimento eſſet, quo minus

lex

lex aliqua ferretur: (nam comitijs magistratuum seruare de caelo leges vetabant. aut ita concedebant, si prius, quam comitia haberentur, non vbi habita iam essent, is, qui de caelo seruauerat, obnunciaret) poterat p̄dicere, aut proscribere, vel multis ante diebus, & quo die & per quot dies de caelo seruaturus esset. quo diuinare videbatur, fore vitium in auspicijs: ita legem eo, die vel per eos dies ferri non posse. Hac diuinatione vsus est Milo tribunus pl. cum impedire vellet aedilicia comitia. proscripsit enim, se per omnes dies comitiales de caelo seruaturum. ep. 3. lib IV. ad Att. QVOD *neque comitiis licet per leges*:] comitia magistratuum significat. nam & legum comitia dicebantur. consules vbi comitia creandis magistratibus habere vellent, cauebunt ab hoc genere impedimenti, proposito edicto, ne quis per eos dies auspicari vellet, Gellius lib. XIII. PRIVSQVAM *habeantur, debet nunciare.*] quo Milonem feciſſe, eadem illa docet epistola. COMITIORVM *dies*] quae Caesar consul, vt sibi Dolabellam surrogaret, ante idus Mart. habuit nam idibus Mart. occisus est. SORTITIO *praerogatiuae*:] centuriae, quae, vt ait Cicero de Diuinatione, omen quoddam erat comitiorum. qui enim illam tulisset, ei ceterae centuriae magistratum deferebant. QVIESCIT.] silet Antonius: non impedit comitia. RENVNCIATVR:] consul Dolabella, praerogatiuae suffragijs. PRIMA *classis uocatur*:] quinque classibus distributus populus Romanus in campum Martium ad comitia veniebat. quot autē centuriae singulis essent in classibus, Liuius & Dionysius docent: hic autem exponere, quaeq. illi scripta reliquerunt, recitare, nostri instituti non est. DEINDE, *vt ossolet, suffragia*. suspicor, hoc post ea, quae proxime sequuntur, verba transferri oportere: vt legatur hoc modo: Tum secunda classis deinde, vt assolet suffragia. ideſt reliquae classes, vt assolet, aut saltem tertia vocatur. fere enim vltra tertiam necessaria suffragatio non erat. CITIVS *facta, quam dixi.*] populi studium erga Dolabellam declarat. ALIO *die*] verba auguris comitia vitiantis. lib. 2. de leg. Quid maius, quam posse a summis imperijs, & summis potestatibus comitia tollere? concilia vel instituta dimittere, vel habita rescindere? quid grauius, quam rem susceptam dirimi, si augur, Alio die, dixerit? QVID *uideras? quid senseras? quid audieras?*] tamquam augur. vt vitiare comitia posses? NEC *enim te de caelo seruasse dixisti*,] tamquam consulem. & si seruasses, non habitis comitijs, sed priusquam haberentur nunciare debuisti. PROVIDERAS,] supra: Quisquā ne diuinare potest, quid vitij in auspicijs futurū sit, nisi qui de caelo seruare constituit? At tu de caelo te non seruasse confiteris: quo modo igitur diuinasti, & auspiciorū vitium tanto ante prouidisti? EMENTITVS *es auspicia*] nihil enim videras, nihil senseras, nihil audieras. OBSTRINXISTI *religione populum Romanum*,] te enim obnunciante, consulem facere Dolabellam non potuit. cum uero fecerit, & Dolabella tamquam consul agat, religione quadam teneri videtur, sed, vt spero, tua potius, quam reip. calamitate: tu enim auspicia ementitus es. AVGVR *auguri, consul consuli obnunciasti.*] Caesari, qui augur & consulerat. NE *acta Dolabellae uideas conuellere*:] conuelluntur enim, & infirmantur, cum eum dico tua obnunciatione uitiorum consulem esse factum. AD *nostrum collegium*] vt nos augures, rata ne sint, an infirma Dolabellae consulis acta, iudicemus. quid enim de tua illa obnunciatione statuendum nobis sit, ualere scilicet debeat, necne, considerabimus. RVRSVS, *cum uoles, saluis auspiciis creatus.*] reconciliatus enim post Caesaris interitum Dolabellae Antonius, vt collegam suum, uerumq. consulem, non ut sua obnunciatione uitiosum, complexus est. Phil. I. collegam tuum deposita inimicitijs, oblitus auspiciorum á te ipso augure populo Romano nunciatorum, illo primū die collegam tibi esse uoluisti. SI *nihil est*,] probare studet, aut numquam uitiosum, aut uitiosum semper esse consulem Dolabellam: cum Antonius, dum ei fuit inimicus, uitiosum esse reconciliatus, non esse uitiosum dixerit. CONFITERE,] saluis auspicijs creatum esse consulem Dolabellam. EA *quae sit*,] dicturus fuit, ergo uitiosus consul Dolabella: sed orationem alio conuertit, vt unum uexet Antonium, Dolabellae parcat. AVGVR *a collega requiro.*] insciti am notat Antonij: putat enim eum, quae sit uis in illis uerbis ignorare. AD *Lupercalia ueniamus.*] celebritas in honorē Panis XV. Kal. Mart. Luperci autem nudi per urbem currebant: inter quos Antonius consul magno suo dedecore, esse uoluit.

ORATIO

NOn dissimulat, *P. C. apparet esse commotum: sudat: pallet, quidlibet, modo ne nauseet, faciat: quod in porticu Minucia fecit. quae potest esse turpitudinis tantae defensio? cupio audire: vt videam, vbi rhetoris tanta merces, vbi campus Leontinus appareat. Sedebat in Rostris collega tuus amictus toga purpurea, in sella aurea, coronatus: adscendis: accedis ad sellam: ita eras Lupercus, vt te esse consulem meminisse deberes. diadema ostendis: gemitus toto foro. vnde diadema? non enim abiectum sustuleras, sed attuleras domo meditatum, & cogitatum scelus. tu diadema imponebas cum plangore populi, ille cum plausu reijciebat. tu ergo vnus, scelerate, inuentus es, qui, cum auctor regni esses, eum, quem collegam habebas, dominum habere velles; idem tentares, quid populus R. ferre, & pati posset. at etiam: misericordiam captabas: supplex te ad pedes abiciebas quid petens? vt seruires? tibi vni peteres, qui ita a puero vixeras, vt omnia paterere, vt facile seruires: a nobis populoq. R. mandatum id certe non habebas. o praeclaram illam eloquētiam tuam, cum es nudus concionatus. quid hoc turpius? quid foedius? quid suppliciis omnibus dignius? num exspectas, dum te stimulis fodiam? haec te, si vllam partem habes sensus, lacerat, haec cruentat oratio. uereor, ne imminuam summorum uirorum gloriam: dicam tamen dolore commotus. quid indignius, quam uiuere eum, qui imposuerit diadema, cum omnes fateantur iure interfectum esse, qui abieceris?*

Landesbibliothek Oldenburg

EXPLANATIO

IN *porticu Minucia.*] in qua vomuit, cum concionaretur. supra. TVRPITVDINIS *tantae*] cum Lupercus diadema Caesari quod regum insigne erat, imponere conatus es. SEDEBAT *in Rostris collegatuus,*] vt honore frueretur a senatu decreto, nam Lupercos, vt ait Suetonius, ei tamquam deo senatus decreuerat. AMICTVS *toga purpurea, in sella aurea,*] hoc primum die Caesar cum veste purpurea processit, & in sella aurea sedit: eoq. die immolanti significata mors est. ea de re Ciceronis haec exstant verba lib. 1. de Diuin. Quod ne dubitare possimus, maximo est argumēto, quod paullo ante interitum Caesaris contigit. qui cum immolaret illo die, quo primum in sella aurea sedit, & cum purpurea veste processit, in extis bouis opimi cor non fuit. CORONATVS laurea corona, qua, propter caluitium, libenter vtebatur. Suetonius. ITA *eras Lupercus,*] vt Lupercus insane aliquid committere poteras, vt consul certe non debebas DIADEMA *ostendis:*] Plutarchus, Appianus, Dio. VT *seruires?*] ideſt, vt ille sibi Diadema imponi pateretur, & rex esse vellet, vnique seruirent ciues vniuersi NVDVS] Lupercus concionem habuit. SVMMORVM *uirorum gloriam:*] cum Caesarem, qui diadema reiecit, occiderint, Antonio, qui imposuit, pepercerint.

ORATIO

AT etiam inscribi iussit in fastis ad Lupercalia, C. Caesari, dictatori perpetuo. M. Antonium, consulem, populi iussu regnum detulisse, Caesarem vti noluisse. iam iam minime miror te otium perturbare, non modo vrbem odisse, sed etiam lucem, cum perditissimis latronibus non solum de die, sed etiam in diem viuere. vbi enim tu in pace consistes? qui locus tibi in legibus, & in iudicijs esse potest, quae tu, quantum in te fuit, dominatu regio sustulisti? ideo ne L. Tarquinius exactus, Spurij Cassius, Melius, M. Manlius necati, vt multis post saeculis a M. Antonio, quod fas non est, rex Romae cōstitueretur? sed ad auspicia redeamus. De quibus rebus idibus Mart. fuit in senatu Caesar acturus, quaero, tum tu quid egisses? audiebam equidem te paratum venisse, quod me de mentitis auspicijs, quibus tamen parere necesse erat, putares esse dicturū. sustulit illum diem fortuna reip. num etiam tuum de auspicijs iudicium interitus Caesaris sustulit? sed incidi in id tempus, quod ijs rebus, in quas ingressa erat oratio, praeuertendum est. Quae tua fuga? quae formido illo praeclaro die? quae propter conscientiam scelerum desperatio vitae: cum ex illa fuga beneficio eorum, qui te, si sanus esses, saluum esse voluerunt, clam te domum recepisti? o mea frustra semper verissima auguria rerum futurarum. dicebam illis in Capitolio liberatoribus nostris, cum me ad te ire vellent, vt ad defendendam remp. te adhortarer; quoad metueres, omnia te promissurum; simul ac timere desisses, similem te futurum tui. itaque, cum ceteri consulares irent, redirent, in sententia manſi, neque te illo die, neque postero vidi; neque vllam societatem optimis ciuibus cum importunissimo hoste foedere vllo confirmari posse credidi. post diem tertium veni in aedem Telluris, & quidem inuitus. cum omnes aditus armati obsiderent. qui tibi dies ille, M. Antoni, fuit? quamquam mihi subito inimicus exstitisti: tamen me tui miseret, quod tibi inuideris. qui tu vir, dij immortales, & quantus fuisses, si illius diei mentem seruare potuisses. pacem haberemus, quae erat facta per obsidem, puerum nobilem, M. Bambalionis nepotem: quamquam te bonum timor faciebat, non diuturnus magister officij; improbum fecit ea, quae, dum timor abest, a te non discedit, audacia. etsi tum, cum optimum te putabant, me quidem dissentiente, funeri tyranni. si illud funus fuit, sceleratissime praefuisti. tua illa pulchra laudatio, tua miseratio, tua cohortatio. tu, tu, inquam, illas faces incendisti, & eas quibus semiustulatus ille est; & eas, quibus incensa L. Bellieni domus deflagrauit. tu illos impetus perditorum, & exma xima parte seruorum, quos nos vi, manuq. repulimus, in nostras domos immisisti. idem tamen, quasi fuligine abstersa, reliquis diebus in Capitolio praeclara S.C. fecisti, ne qua post idus Mart. immunitatis tabula, ne vectigalis beneficij figeretur. meministi ipse, de exsulibus, scis, de immunitate quid dixeris, optimum vero, quod Dictaturae nomen in perpetuum de rep. sustulisti. quo quidem facto tantum te cepisse odium regni videbatur, vt eius omnem propter proximum dictatorem metum tolleres. constituta resp. videbatur alijs, mihi vero nullo modo, qui omnia, te gubernante, naufragia metuebam. num igitur me fefellit? aut num diutius sui potuit esse dissimilis? inspectantibus vobis, toto Capitolio tabulae figebantur, neque solum singulis veniebant immunitates, sed etiam populis vniuersis: ciuitas non iam sigillatim, sed prouincijs totis dabatur. itaque si haec manent, quae stante rep. manere non possunt: prouincias vniuersas, P. C. perdidistis, neque vectigalia solum, sed etiam imperium populi R. huius domesticis nundinis diminutum est. Vbi est septies millies? quod est in tabulis, quae sunt ad Opis? funestae illius quidem pecuniae, sed tamen quae nos, si ijs, quorum erat, non redderetur, a tributis posset vindicare. tu autem quadringenties H-S. *quod idibus Mart. debuisti, quonam modo ante Kal. Apr. debere desijsti?*

EXPLANATIO

NON *solum de die, sed etiam in diem*] de die, luce, palam, omnibus videntibus: in diem, rapto singulis diebus. quod vtrumque turpissimum. CASSIVS, *Melius, M. Manlius* de regno cogitantes.

tes infra & Liuius, Dionysius, alij. IN *senatu acturus*,] vt de Antonij obnunciatione quid sentiret, senatus audiret. PARATVM] ad respondendum. QVIEVS *tamen parere necesse erat*,] quia tu consul eras: & quamquam mentita, valere tamen volebas. DICTVRVM,] ne consulatu Dolabella priuaretur. SVSTVLIT *illum diem fortuna reip.*] quia Caesar est interfectus: itaque de auspicijs eo die agi non potuit. TVVM *de auspicijs iudicium*] actionem illam de auspicijs eo die sustulit Caesaris interitus: tu tamen de tuis ipse auspicijs iudicare potuisti, & statuere mentita fuisse, sicuti fuerunt. SED *incidi in id tempus*,] facta mentione Caesaris interitus, metum, fugamq. Antonij, qui abiectis consularibus insignibus, eo die latuit recordatus est: & occasionem inde sumpsit finiendae auspiciorum narrationis in qua fortasse deesse iam oratio poterat, vt ad alia Antonij scelera transiret. SI *sanus esset*] si recte de rep. sentires. POST *diem tertium veni in aedem Telluris*,] vide in principio Phil. 1. QVOD *tibi inuideris*.] quod te ipse mutaueris. mutationem enim cupit inuidia. PVERVM *nobilem*,] filium tuum, nobilem illum quidem ex paterno genere, sed matre natum M. Fadij Bambalionis libertini hominis filia. M. BAMBALIONIS] hic est quem huius orationis initio Q. Fadium vocauit. vtrobique igitur sit idem praenomen, aut hic Q. aut ibi M. Bambalioni cognomen esse additum ab haesitantia linguae & stupore cordis, dicit in Phil. 3. SI *illud funus fuit*,] Phil. 1. vocat insepultam sepulturam. LAVDATIO, *miseratio, cohortatio*.] laudauit Caesarem miserationem in populo commouit: cohortatus est in extremo vt Caesaris interfectores persequerentur. ILLAS *faces*] cum quibus statim plebs a funere ad domos Bruti, & Cassij cucurrit. SEMIVSTVLATVS] non, dicit, combustus, sed semiustulatus: vt eũ rogo caruisse ostendit. quasi id ei, qui tamquam tyrannus carere debuit honore se pulturae iure ac merito contigerit. sic de Clodio, pro Milone: Tu P. Clodij cruentum cadauer eiecisti domo, tu in publicum eiecisti, tu spoliatum imaginibus, exsequijs, pompa, laudatione, infelicissimis lignis semiustulatum, nocturnis canibus dilaniandũ reliquisti. IN *nostras domus*] oratorie amplificat. non enim ad Ciceronis, aliorumue optimatum, sed ad Brut. tantum. Cassijq. domos, unde repulsa est. faces attulit illa multitudo. DE *exsulibus*,] cum vnum a Caesare restitutum, immunitates vero nullas datas, dixisti Phil. 1. TOTO *Capitolio*] plurimae igitur. TABVLAE *figebantur*,] contra S. C. PROVINCIIS *totis*] in ep. ad Att. Antonius, accepta grandi pecunia, fixit legem a dictatore comitijs latam, qua Siculi ciues Romani; cuius rei, viuo illo mentio nulla. Phil. 1. ciuitas data non solum singulis, sed nationibus, & prouincijs vniuersis a mortuo. NEQVE *vectigalia solum*,] sublata immunitatibus infinitis. Phil. 1. & in hac supra. QVOD *est in tabulis*,] a Caesare scriptum. Phil. 1. & 7. QVORVM *erat*,] erat eorũ, qui pro Pompeio contra Caesarem pugnarant. A TRIBVTIS] non quae imponi solita essent, (nam Paulli Aemilij praeda Macedonica populum Romanum tributo liberauerat, vt est apud Plinium, & Plutarcum,) sed quae iam necessitas exigeret. imposita enim sunt anno sequenti, caesis Pansa & Hirtio, vt ep. vlt. lib. XII. QVADRINGENTIES H-S] duodecies cẽtena scutatorum millia. QVOD *idibus Mart. debuisti*,] id quod ex feneratorum tabulis constat: idibus enim usura soluebatur. Horat. Fenerator Alfius omnem relegit idibus pecuniam.

ORATIO

QVID *ego de commentarijs infinitis, quid de innumerabilibus chirographis loquar? sunt ea quidem innumerabilia, quae a tuis emebantur, non insciente te: sed vnum egregium de rege Deiotaro, populi R. amicissimo, decretum in Capitolio fixum: quo proposito, nemo erat, qui in ipso dolore risum posset continere. quis enim cuiquam inimicior, quam Deiotaro Caesar? aeque atque huic ordini, vt equestri, vt Massilienſibus, vt omnibus, quibus remp. populi R. caram esse sentiebat. igitur, a quo viuo nec praesens, nec absens quidquam aequi boni impetrauit, apud mortuum factus est gratiosus. compellarat hospitem praesens, computarat: pecuniam imperarat: in eius tetrarchia vnum ex Graecis comitibus suis collocarat: Armeniam abstulerat, a senatu datam. haec viuus eripuit, reddit mortuus: at quibus verbis? modo aequum sibi videri, modo nõ iniquum: mira verborum cõplexio. at ille numquam (semper enim absenti affui Deiotaro) quidquam sibi, quod nos pro illo postularemus, aequum dixit videri. syngrapha H-S centies per legatos, uiros bonos, sed timidos & imperitos sine Sexti, sine reliquorum hospitum regis sententia, facta in Gynaeceo. quo in loco plurimae res venierunt, & veneunt. qui ex syngrapha quid sis acturus, meditere, censeo: rex enim ipse sua sponte, nullis commentarijs Caesaris, simul atque audiuit eius interitum, suo Marte res suas recuperauit. sciebat homo sapiens, ius semper hoc fuisse, vt, quae tyranni eripuissẽt, ea, tyrannis interfectis, ij, quibus erepta essent, recuperarent. nemo igitur iureconsultus, ne iste quidem, qui tibi vni est iureconsultus, per quẽ haec agis, ex ista syngrapha deberi dicit pro ijs rebus, quae erant ante syngraphas recuperatae. non enim a te emit, sed prius, quam tu suum sibi venderes, ipse possedit. ille vir fuit nos quidem contemnendi, qui auctorem odimus, acta defendimus.*

EXPLANATIO

QVAE *a tuis emebantur*,] pro, de tuis. vendebat enim, non emebat Antonij vxor Fuluia: quã praecipue Cicero significat; vt supra bis, & Phil. 3. EGREGIVM] ironia. DE. DEIOTARO,] cui tetrarchiam, & Armeniam, quas ei Caesar, quia Pompeium in bello secutus erat, ademerat, Antonius tamquam ex commentarijs Caesaris, lege restituit. In ep. ad Att. Quid. Deiotari causſa non simi-

lis?

Landesbibliothek Oldenburg

lis? dignus ille quidem oraui regno, sed non per Fuluiam. COMPELLARAT] de pecunia Caesar Deiotarum, cum eius domi esset, Pharnace deuicto Romam reuertens. COMPVTARAT:] non abest mendi suspicio. H-S CENTIES] trecenta scutatorum millia. IN *gynaeceo.*] ideſt, cum Fuluia. nam gynaeceum locus erat in aedibus, vbi mulieres habitabant. NE *iſte quidem,*] fortasse Sex. Clodius scriba, quem ab exsulio reduxerat. PER *quem haec agis,*] interfuisse videtur Sex. Clodius, cum Fluuia venderet. AVCTOREM *odimus, acta defendimus.*] Phil. 13. Nam quid ego de proximo dicam? cuius acta defendimus, auctorem ipsum iure caesum fatemur. Caesarem dicit: & auctorem, accepit, pro, actorem, vt Sallustius quoque in Catil. Tametsi haud quaquam par gloria sequatur scriptorem, & auctorem rerum.

ORATIO

QVID *ego de commentarijs infinitis, quid de innumerabilius chirographis loquar? quorum etiam imitatores sunt, qui ea, tamquam gladiatorum libellos, palam venditent. itaque tanti acerui nummorum apud istum construuntur, vt iam appendantur, non numerentur pecuniae. At quam caeca auaritia est. nuper fixa tabula est, qua ciuitates locupletissimae Cretensium vectigalibus liberantur: statuiturque, ne post M. Brutum proconsulem sit Creta prouincia. tu mentis compos? tu non constringendus? an Caesaris decreto Creta post M. Bruti decessum potuit liberari. cum Creta nihil ad Brutum Caesare uiuo pertineret? at huius venditione decreti (ne nihil actum putteis) prouinciam Cretam perdidisti. omnino nemo vllius rei fuit emptor, cui defuerit hic venditor. Et de exsulibus legem, quam fixisti, Caesar tulit? nullius infector calamitatem: tantum quaeror, primum eorum reditus inquinatos, quorum causam Caesar dissimilem iudicauit: deinde nescio, cur non reliquis idē tribuas. neque enim plus, quam tres, aut quatuor, reliqui sunt, qui simili in calamitate sunt. cur tua misericordia simili non fruuntur? cur eos habes in loco patrui? de quo ferre, cum de reliquis ferres, nolui sti: quem etiam ad censuram petendam impulisti, eamq. petitionem comparasti: quae & risus hominum, & querellas moueret. cur autem ea comitia non habuisti? an quia tribunus pl. sinistrū fulmen nunciabat? cum tua quid interest, nulla auspicia sunt; cum tuorum, tum sis religiosus. quid? eundem in septemuiratu non destituisti? interuenit enim, cum metuisti, credo, ne saluo capite negare non posses. omnibus eum contumelijs oneraste, quem patris loco si vlla in te pietas esset, colere debebas filiā eius, sororem tuam, eiecisti, alia condicione quaesita, & ante perspecta. non est satis: probri insimulasti pudicissimam feminam. quid est, quod addi possit? contentus eo non fuisti: frequentissimo senatu Kalendis Ian. sedente patruo, hanc tibi esse cum Dolabella causſam odij dicere ausus es, quod ab eo sorori, & uxori tuae stuprum esse oblatum comperisses, quis interpretari potest, impudentior ne, qui in senatu; an improbior, qui in Dolabellam; an impurior, qui patre audiente; an crudelior, qui in illam miserā tam spurce, tam impie dixeris? sed ad chirographa redeamus. Quae tua fuit cognitio? acta enim Caesaris pacis causſa confirmata sunt a senatu, quae quidem Caesar egisset, non ea, quae Caesarem egisse dixisset Antonius. vnde ista erumpunt? quo auctore proferuntur? si sunt falsa, cur probantur? si uera, cur ueneunt? at sic placuerat, vt ex Kalendis Iun. de Caesaris actis cum consilio cognosceretis. quod fuit consilium? quem umquā conuocasti? quas Kalendas Iun. exspectasti? an eas, ad quas te, peragratis veteranorum colonijs, stipatum armis retulisti? o praeclarata illam percursationem tuam mense Aprili, atque Maio. tum, cum etiam capuam coloniā deducere conatus es. quemadmodum illinc abieris, vel potius paene non abieris, scimus. cui tu urbi minitaris. vtinam conere, vt aliquādo illud, Paene, tollatur.*

EXPLANATIO

GLADIATORVM] qui pugnaturi sint, cum aliquis populo munus det. LIBERANTVR; Faernus ex vno antiquo libro addit, Vectigalibus: Ferrarius abesse dicit ab ijs, quibus vtebatur omnibus libris: & inducendum censuit, adductis e Cicerone tribus, aut quatuor testimonijs, in quibus, liberare, sine, vectigalibus, ponitur: vt glossema esse potuerit. quod mihi quidem videtur. POST *M. Brutum proconsulem*] cui post interitum Caesaris decreta fuerat senatu: quod Phil. 1. diximus. POST *M. Bruti decessum*] cum Caesar ante Bruti decessum perijsset, nihil autem, eo viuo, ad Brutum Creta pertineret. Decessum, quia decesserat ab vrbe: vt iret in prouinciam. Sic Coelius ep. 1. lib. 11x. Quod mihi decedens mandasti. DE *exsulibus legem, quam fixisti, Caesar tulit?*] de hac Antonij audacia ita sępe iam dixi, vt lectori toties iteratam narrationem fastidio fore putem. NVLLIVS] tua lege restituti. INQVINATOS,] quia improbis a te restitutis, omnium, qua redierint, similis causſa videbitur; cū Caesar dissimilem iudicasset, qui non omnes restituendos censuerit. IN *loco patrui?*] C. Antonij, qui exsulabat, de maiestate, & de ui damnatus. quod ostendimus interrogatione in Vatinium. RISVS *hominum, & querellas*] cum eum non modo absentem, sed etiam exsulem petere censuram volueris. Risus ob nouitatem: querellas ob talem uirum, patruum tuū, a te delusum. SINISTRVM *fulmen nunciabat?*] vt augur, non ut magistratus: nā ad magistratum spectio tantū, ideſt, seruare de caelo, quod supra docui, pertinebat. IN *septemuiratu*] cum diuidendo militibus agro Campano, & Leontino septemuiros, omisso patruo, praefecisti. Phil. 6. & 8. INTERVENIT *enim.*] addendum post verbum, Nūciabat? ut sit ordo: interuenit sinistrum fulmen, quod tribunus pl. ad impedienda comitia nunciauit.

ciauit De diuin lib. 2. Flumen siniſtrum auſpicium optimum habemus ad omnes res, praeterquã ad comitia METVISTI, *credo,*] non metuiſti & ei ſeptemuiratum negaſti. EIECISTI,] poſtea Fuluiã duxit vxorem, ad quam verba pertinent quae ſequuntur. ALIA *condicione quaeſita, & ante perſpecta.*] ambigua ſignificatio: vnde nobis elicienda veritas eſt. Ex ipſis enim uerbis hoc uidetur effici poſſe: alia tibi coniuge per condicionẽ quaeſita, & ante perfecta, ſed, ut arbitror, aliud eſt, quo Cicero ſpectauerit: quod quale ſit, oſtendam. Inuenio apud veteres vſurpari ſolitum hoc loquendi genus, condiciones quaerere, de iis qui mulieres ad concubitum appetentes prius vel ipſi, vel per amicos inſpiciebant quales eſſent, num candor in corpore, num laeuitas, nũ ſuccipulenae, denique num appetentis libidini reſponderent, vt ne eas ne acciperent aut admitterent, niſi prius hoc tamquã experimentum cepiſſent id vt dixi vocabãt, cõdiciones quaerere. itaq; exprobrauit Antonius Auguſto id, quod Suetonius litteris prodidit, cõdiciones quaeſitas per amicos, qui matres familias, & adultas virgines denudarent, atque perſpicerent, tam quã Thoranio mangone vendente. Et quod apud eundẽ Suetonium ſcriptum eſt Caeſar ad retinendã Pompeij neceſſitudinem, ac voluntatem. Octauiã ſororis ſuae nepotẽ, condicione ei detulit: facta ſcilicet inſpiciendi poteſtate, ut niſi probatã, non acciperet. Arnobius quoque, ſcriptor in primis eruditus & reconditarũ rerum notitia refertus, lib. IV. aduerſus gentes, Dei vxores, inquit, ducunt condicionibus ante quaeſitis. Sic de Fauſtina quaerente ſibi cõdiciones in uiris, ut cum iis, quorũ condiciones probaſſet, concuberet, dixit Capitolinus in Antonino Philos. multi ferunt, Cõmodum omnino ex adulterio natum: Siquidem Fauſtinã, ſatis conſtet, apud Gaietam cõdiciones ſibi & nauticas, & gladiatorias elegiſſe. Et Lampridius in Heliogabalo: Romae denique nihil egit aliud, niſi vt emiſſarios haberet, qui ei bene uaſatos (ſic enim lego, non, uaſatos) perquirerent, eosq. ad aulam perducerent, ut eorum condicionibus frui poſſet. Nec multo poſt: Lauacrum publicum in aedibus aulicis fecit, ſimul & palam populo exhibuit, ut ex eo condiciones bene uaſatorum hominum colligeret. Nec alio ſenſu accipiendum illud pro Coelio: Habes hortos ad de Tiberim: ac diligenter eo loco praeparaſti, quo omnis iuuentus natãdi cauſſa venit. hinc licet cõdiciones quotidie legas. Quibus adductus exẽplis Quæſita, & Perſpecta, ad condicionẽ malo, quã ad mulierem referre: vt ſit: quaeſiuiſti, & ante perſpexiſti aliam condicionem non contentus ea, quam in ſorore tua iam perſpexeras. Iam enim conſtat, condicionem eſſe partem corporis quã vel in muliere uir uel in uiro mulier, explendae libidinis cauſſa quaerit, & qua inuenta fuitur. SEDENTE *patruo,*] hic mihi, quod aiunt, tenebrae ſunt. non enim uideo, quo modo C. Antonio Kalẽdis Ian. uiuo Caeſare in ſenatu eſſe potuerit: cum eũ poſt Caeſaris interitum, ideſt poſt latam ab Antonio de exſulibus legem, exſulare, ex iis verbis intelligatur. Cur eos habes in loco patrui? de quo ferre, cum de reliquis ferres noluiſti. QVAE *tua fuit cognitio?*] cur tu noua Caeſaris acta profers? ad te non pertinet iſta cognitio. cum conſiljo ſenatorum cognoſci oportebat. id enim placuerat, CVM *etiam Capuam coloniam deducere conatus es.*] quo tamen deducere non liceret, cum eo deducta iam eſſet lege Iulia. QVEMADMODVM *illinc abieris,*] a quo Campanis reiectus nouam coloniam recuſantibus. PAENE *non abieris,*] ſcimus enim partũ abfuiſſe, quin occidereris. VT *aliquando illud paene tollatur.*] paene occiſus es: vtinam reuera occidaris, & illud, paene, tollatur.

ORATIO

AT *quam nobilis tua illa peregrinatio? quid prandiorum apparatus? quid furioſam vinolentiam tuam proferam? tua iſta detrimenta ſunt, illa noſtra. agrum Campanum, qui cum de vectigalibus eximebatur, ut militibus daretur, tamen inſtigi magnum reip. uſum putabamus: hunc tu compranſoribus tuis, & colluſoribus diuidebas. mimos dico, & mimas, P. C. in agro Cãpano collocatos. Quid iam querar de agro Leõtino? quoniam quidem hae quondam arationes in populi Romani patrimonio grandiferae, & fructuoſae ferebantur. medico tria millia iugerũ, quaſi te ſanaſſet: rhetori duo quaſi deſertum facere potuiſſet. ſed ad iter, Italiamq. redeamus. Deduxiſti coloniam Caſilinum, quo Caeſar ante deduxerat. conſuluiſti me per litteras, de Capua tu quidem, ſed idem de Caſilino reſpondiſſem, poſſes ne, ubi colonia eſſet, eo coloniam nouam iure deducere. negaui, in eam coloniam, quae eſſet auſpicato deducta, dum eſſet incolumis, coloniam nouam iure deduci: colonos nouos adſcribi poſſe, reſcripſi. tu autem, inſolentia elatus, omni auſpiciorum iure turbato, Caſilinum coloniam deduxiſti, quo erat paucis annis ante deducta: vt vexillum tolleres, & aratrum circumduceres: cuius quidem uomere portã Capuae paene perſtrinxiſti, vt florentis coloniae territorium mimeretur. Ab hac religionum perturbatione ad uolas in M. Varronis, ſanctiſſimi, atque integerrimi viri, fundum Caſinatem: quo iure? quo ore? eodem, inquies, quo in heredum L. Rubij, quo in heredum L. Turſelij praedia, quo in reliquas innumerabiles poſſeſſiones. & ſi ab haſta, valeat haſta, valeant tabulae, modo Caeſaris, non tuae, quibus debuiſti, non quibus tute te liberauiſti. Varronis quidem Caſinatem fundum quis venijſſe dicit? quis haſtam iſtius venditionis vidit? quis uocem praeconis audiuit? miſiſſe te dicis Alexandriam, qui emeret a Caeſare. ipſum enim exſpectare magnum fuit. quis vero audiuit umquam, (nullius autem ſalus curae pluribus fuit) de fortunis Varronis rem ullam eſſe detractã? quid, ſi etiam ſcripſit ad te Caeſar, vt redderes: quid ſatis poteſt dici de tanta impudentia? remoue gladios parumper illos, quos videmus: iam intelliges aliam cauſſam eſſe haſtae Caeſaris, aliam confidentiae, & temeritatis tuae. non enim te dominus modo illis ſedibus, ſed quiuis amicus, uicinus, hoſpes, procurator arcebit. At quam multos dies in ea uilla turpiſſime es perbacchatus? ab hora tertia bibebatur, ludebatur, vomebatur. o tecta ipſa miſera, quam diſpari domino: quam quam quo modo iſte dominus? ſed tamen quam a diſpari tenebantur, ſtudiorum*

diorum enim suorum M. Varro voluit esse illud, non libidinum, diuersorium. quae in illa villa ante dicebantur? quae cogitabantur? quae litteris mandantur? iura populi R. monumenta minorum, omnis sapiētiae ratio, omnisq. doctrinae. at vero, te inquilino, (non enim, domino) personabant omnia vocibus ebriorum; natabant pauimenta vino; madebant parietes; ingenui pueri cum meritorijs, scorta inter matres familias versabantur. Casino salutatū veniebant, Aquino, Interamna: admissus est nemo: iure id quidem: in homine enim turpissimo obsolescebant dignitatis insignia. cum inde Romam proficiscens ad Aquinum accederet, obuiam ei processit, ut est frequens municipium, magna sane multitudo. at iste operta lectica latus est per opidum, vt mortuus. stulte Aquinates: sed tamen in uia habitabant: quid Anagnini? qui cum essent deuij, obuiam ei descenderunt, ut istum, tamquam si esset, consulem salutarent, incredibile dictu: sed tamen inter omnes constabat, neminem esse resalutatum, praesertim cum duos secum Anagninos haberet, Mustellam, & Laconem, quorum alter gladiatorum est princeps, alter poculorum. Quid ego illas istius minas contumeliasq. cōmemorem, quibus inuectus est in Sidicinos? vexauit Puteolanos, quod C. Cassium, & Brutos patronos adoptassent, magno quidem iudicio, studio, benevolentia, caritate; non, vt te, vt Basilum, ui, & armis, & alios vestri similes, quos clientes nemo habere velit, non modo illorū clicus esse. Interea, dum tu abes, qui dies ille collegae tui, cum illud, quod tu venerari solebas, bustum in foro euertit? qua re tibi nunciata, ut constabat inter eos, qui una fuerunt, concidisti. quid euenerit postea, nescio. metum credo valuisse, & arma. collegam quidem de caelo detraxisti, effecistique, non tu quidem etiam nunc, vt sit similis tui, sed certe ut dissimilis esset sui.

EXPLANATIO

EXIMEBATVR,] Iulia lege Suetonius. MILITIBVS] pro rep. pugnantibus. at tu non militibus, sed compransoribus tuis & compotoribus diuidebas. INFLIGI *magnam reip. vulnus*] quia de vectigalibus eximebatur. DE *agro Leontino?*] qui est in Sicilia. IN *populi Romani patrimonio*] Phil. 3. En, cur magister eius ex oratore arator factus sit, & possideat in agro publico populi Romani cāpi Leontini duo millia iugerum immunia. GRANDIFERAE,] admodum feraces maximorum fructuum. vnde lib. v. in Verr. caput ei frumentariae Leontinus campus vocatur. SANASSET,] ad insania vindicasset. RHETORI] Sex. Clodio. supra. Duo millia iugerum campi Leontini Sex. Clodio rhetori assignasti. Et quidem immunia: vt pro tanta mercede nihil sapere disceres. VT *vexillum tolleres*,] quod fieri solebat in colonia deducenda. CIRCVMDVCERES:] in statuendis coloniae finibus. quod ipsum vsitatum & sollemne. FLORENTIS *coloniae*] Capuam lege Iulia deductae. Suetonius, Velleius, alij. M. VARRONIS,] cuius exstant libri de rust. & de lin. Lat. ET *si ab hasta*,] si tu fundum Varronis Casinatem ab hasta emisti: nihil dico: valere hastam debere concedam, ualere tabulas auctionarias, in quas quod cuique venditur, referri solet. sed emisse te ab hasta, quo teste umquam probabis? MODO *Caesaris*,] locatur in tabularum nomine. & ab auctionarijs ad eas transit, in quibus pecunia ad aedē Opis deposita a Caesare patebat: quae si valerent, Antonius eius a se dissipatae pecuniae rationem reddere cogeretur. NON *tuae*;] in quibus distributam a te ex Commentarijs Caesaris vniuersam illam pecuniam, perscripsisti. verae igitur ualeant, falsae reijciantur. QVIBVS *debuisti*,] tabulae scilicet feneratorum, in quibus patet, debuisse te H. S quadringenties idibus Mart. NON *quibus tu te liberauisti.*] non illae, in quibus rationem dispensatae pecuniae confecisti, & falsis nominibus aere alieno te ipsum liberasti. IAM *intelliges*] intelliges, quod a nobis hastae Caesaris conceditur, ex qua nihil mutamus, concordiae caussa, id a nobis confidentiae, temeritatiq tuae non concedi. eijcieris enim statim ex illo fundo, & ex illa uilla, temere, & confidenter nimis occupata. AB *hora tertia*] cum hora nona initium esset cenae. QVAM *dispari domino.*] ad illum versum respexit, O domus antiqua, quam dispari dominaris domino. lib. 1. off. OBSOLEFIEBANT] deformabātur, inquinabātur insignia dignitatis. i. dest: Salutationis officium in homine turpissimo dignitatem non habebat, dignitatis & honoris insigne non erat. CVM *essent deuij*,] Stultius igitur, quam Aquinates. TAMQVAM *si esset*,] consul. negat Cicero consulem esse, qui vt consul nihil aga. MVSTELLAM, & *Laconem*,] glossema forta sse. nomina enim deorum Anagninorū defuisse, ex eo licet suspicari, quod quaerenti Attico qui essent Anagnini, respondet Cicero: Anagnini sunt Mustella παξιώχης & Laco, qui plurimum bibit. BASILVM,] Iuuenalis: Quod Basilus socios. BVSTVM *in foro euertit*,] Phil. 1. idemq. bustum in foro facerēt. METVM *credo valuisse, & arma.*] excusat Dolabellam, qui non metu armorum Antonij, sed ut supra ostendi, pecunia corruptus Antonio se coniunxerat. DE *caelo*] in caelo sum, dicebant, pro felix sum. de caelo igitur detrahere, valet, maxima felicitate priuare.

ORATIO

QVI *vero redditus inde Romam? quae perturbatio totius vrbis? memineramus Cinnam nimis potentem: Sullam postea dominantem: modo Caesarem regnantem videramus. erant fortasse gladij, sed absconditi, nec ita multi: ista vero quae, & quanta barbaria est? agmine quadrato cum gladijs sequuntur: scutorum lecticas portari uidemus. atque his quidem iam inueteratis, P. C. consuetudine obduruimus. Kalend. Iun. cum in senatum, vt erat constitutum, venire vellemus, metu perterriti repente diffugimus. at iste, qui senatū non*

non egeret, neque desiderauit quemquam, & potius discessu nostro laetatus est, statimq. illa mirabilia facinora effecit: qui chirographa Caesaris defendisset lucri sui causa, is leges Caesaris, easq. praeclaras, ut rēp. concutere posset, euertit: numerum annorum prouinciis prorogauit: idemque, cum actorum Caesaris defensor esse deberet & in publicis, & in priuatis rebus acta Caesaris rescidit in publicis actis nihil est lege grauius: in priuatis firmissimum est testamentum. leges alias sine promulgatione sustulit; alias ut tolleret, promulgauit: testamentum irritum fecit: quod etiam infimis ciuibus semper obtentum est. signa tabulas, quas populo Caesar una cum hortis legauit, eas hic partim in hortos Pompeii deportauit, partim in uillam Scipionis. & tu in Caesaris memoria diligens? tu illum, tu illum amas mortuum? quem is maiorem honorem consecutus erat, quam ut haberet puluinar, simulacrum, fastigium, flaminem? est ergo flamen, ut Ioui, ut Marti, ut Quirino, sic Diuo Iulio M. Antonius. quid igitur cessas? cur non inauguraris? iume diem: uide qui te inauguret: collegae sumus: nemo negabit. o detestabilem hominem, siue quod tyranni sacerdos es, siue quod mortui. quaero deinceps, num hodiernus dies qui sit, ignores? nescis, heri quartum in circo diem ludorum Romanorum fuisse? te autem ipsum ad populum tulisse, ut quinctus praeterea dies Caesari tribueretur? cur non sumus praetextati? cur honorem Caesaris, tua lege datum, deseri patimur? an, supplicationes addendo, diem contaminari passus, puluinaria noluisti? aut undique religionem tolle aut usquequaque conserua. Quaeres, placeat ne mihi puluinar esse, fastigium, flaminem? Mihi uero nihil istorū placet. sed tu, qui acta Caesaris defendis, quid potes dicere, cur alia defendas, alia non cures? nisi forte uis fateri, te omnia quaestu, tuo non illius dignitate, metiri.

EXPLANATIO

METV *perterriti*] supra: Quas Kal. Iun. exspectasti? an eas ad quas te peragratis veteranorum coloniis, stipatum armis retulisti? LEGES *Caesaris euertit*:] de prouincijs, de vi de maiestate, de iudicijs Phil. 1. NVMERVM *annorum prouincijs prorogauit*:] praetorijs annum consularibus biennium Caesar dederat ut Phil. 1. Antonius lege tribunicia, vt in Phil 5. ostenditur, praetorijs biennium consularibus sexennium dedit. IN *hortos Pompeii*] suburbanos quos tūc Antonius tenebat ab hasta emptos. IN *uillam Scipionis*.] in Tiburte, ipsam quoque ab hasta emptam, in qua septemdecim dies, quae in Cicerone in senatu diceret, commentatus est, Phil. 5. QVEM *is maiorem honorem consecutus erat*, la sena tu. Suetonius: Ampliora humano fastigio sibi decerni passus est, Ferculum circensi pompa, templa, aras, simulacra iuxta deos: pulvinar, flaminē, Lupercos. EST *ergo flamen, ut Ioui, vt Marti, ut Quirino, sic Diuo Iulio M. Antonius*.] eodem senatus decreto, quo illa Caesari tributa sunt. CVR *non inaugurare*?] augur iam erat Antonius. hic de flamine sermo est. videtur autem mos fuisse, vt flamines quoque ab auguribus inaugurarentur. nam sequitur: Collegae sumus. SIVE *quod mortui*.] nam si mortuus, quo modo deus? HERI] XIV. Kal. Oct. CVR *non sumus praetextati*?] nondum tributus erat ille dies Caesari; tributum postea, veteres dierum fasti demonstrant. SVPPLICATIONES *addendo*,] quasi deus Caesar fuisset. quod queritur Cicero in Phil. DIEM] quo supplicationes illae fiunt. PVLVINARIA *noluisti*?] noluisti, quae deorum immortalium sunt, in eum conferre? tolle igitur & supplicationes.

ORATIO

QVID *ad haec tandem? exspecto enim eloquentiam tuam. disertissimum cognoui auum tuum, at te etiam apertiorem in dicendo. ille numquam nudus est concionatus: tuum hominis simpliciis pectus uidimus. respondebis ne ad haec, aut omnino hiscere audebis? ecquid reperies ex tam longa oratione mea, cui te respondere posse confidas? sed praeterita omittamus. hunc unum diem, unum, inquam hodiernum diem, hoc punctum temporis, quo loquor, defende, si potes. cur armatorum corona senatus saeptus est? cur me tui satellites cum gladijs audiunt? cur ualuae Concordiae non patent? homines omnium gentium, maxime barbaros Ithyraeos, cum sagittis deducis in forum? praesidiis sui causa se facere dicit. non ne igitur millies perire est melius, quam in sua ciuitate sine armorum praesidio non posse viuere? sed nullum est istuc, mihi crede, praesidiū. caritate, & beneuolentia ciuium saeptum oportet esse, non armis. eripiet, extorquebit tibi ista populus R. vtinam saluis nobis: sed quoquo modo nobiscum egeris; dum istis consilis vteris, non potes, mihi crede, esse diuturnus. etenim ista tua minime auara coniux, quam ego sine cōtumelia describo, nimium diu debet populo R. pensionem tertiam. habet populus R. ad quos gubernacula reip. deferat: qui vbicumque terrarum sunt, ibi est omne reip. praesidium, vel potius ipsa resp. quae se adhuc tantummodo uita est, nondum recuperauit. habet quidem certe resp. adolescentes nobilissimos, paratos defensores. quam uolent, illi cedant, otio consulentes: tamen a rep. reuocabuntur. & nomen pacis dulce est, & ipsa res salutaris. sed inter pacem, & seruitutem plurimum interest. pax est tranquilla libertas: seruitus, postremum malorum omnium, non modo bello, sed morte etiam repellendum. quod si in ipsos illi nostri liberatores e conspectu nostro abstulerunt: at exemplum facti reliquerunt. illi, quod nemo fecerat, fecerunt. Tarquinium Brutus bello est persecutus: qui tum rex fuit, cum esse*

Landesbibliothek Oldenburg

Romae regē licebat. Spurii Cassius, Melius, M. Manlius propter suspicionem regni appetendi sunt necati. hi primi cum gladiis non in regnum appetentem, sed in regnantem impetum fecerunt. quod cum ipsum factum per se praeclarum est, atque diuinum, tum expositum ad imitandum; praesertim cum illi eam gloriam consecuti sint, quae uix caelo capi posse uideatur. etsi enim satis in ipsa conscientia pulcherrimi facti fructus erat; tamen mortali immortalitatem non arbitror contemnendam.

EXPLANATIO

HOMINIS *simplicis*] qui de tegendo pectore non labores. Irrisio. PECTVS *uidimus.*] Lupercus enim concionatus est. supra: O praeclaram illam eloquentiam tuam, cum es nudus concionatus. CVR. ME *tui satellites cum gladiis audiunt?*] non audierūt. nam vt in argumento ostendimus, nō dixit haec Cicero, sed scripsit mos tamen Antonij notatur, armatorum corona senatum circundātis. in epistola quoque ad Plancum, non uenire se in senatum ostendit, his verbis: Meum studium honori tuo pro necessitudine nostra non defuisset, si aut tuto in senatum, aut honeste venire potuissē. sed nec sine periculo quisquam, libere de rep. sentiens, versari potest in summa impunitate gladiorum: nec nostrae dignitatis videtur esse, ibi sententiam de rep. dicere, vbi me & melius & propius audiant armati, quam senatores Et in ep. ad Cassium: Intelligit populus Romanus tres esse consulares, qui, quia, quaede rep. bene senserint, libere locuti sunt tuto in senatum venire nō possint. CVR *ualuae Concordiae non patent?*] idem Phil 5. PENSIONEM *tertiam.*] mortem tuam: cum duas iam persoluerit, interfectis eius viris, P. Clodio, & C. Curione. non debebit illa certe diu, cum minime auara sit. supra: Quis autem meum consulatum, praeter P. Clodium, qui vituperaret, inuentus est? cuius quidem te factum, sicuti C. Curionē manet: quoniam id domi tuae est, quod fuit illorum vtrique fatale. VLTA *est,*] tyranni nece. NONDVM *recuperauit.*] paullo apertius in ep. ad Cassium. Adhuc vltra suas iniurias est intentu tyranni: nihil amplius: ornamenta uero sua quae recuperauit? an quod ei mortuo paret, quem uiuum ferre non poterat? cuius aera refigere debebamus, eius etiam chirographa defendimus? ADOLESCENTES. Brutum, & Cassium, qui cedebant, otio consulentes. IMMORTALITATEM] nominis.

ORATIO

RECORDARE *illum, M. Antoni, diem, quo dictaturam sustulisti: pone ante oculos laetitiam senatus, populiq. R. confer cum nummatione tua, tuorumque: tum intelliges, quantum inter laudem, & lucrum interfit. sed nimirum, vt quidam morbo aliquo, & sensus stupore suauitatem cibi nō sentiunt: sic libidinosi, auari, facinorosi verae laudis gustatum non habent. sed si te laus allicere ad recte faciendum non potest, nec meus quidem, a foedissimis factis potest auocare? iudicia non metuis: si propter innocentiam, laudo: si propter uim, non intelligis, ei, qui isto modo iudicia non timeat, quid timendum sit? quod si non metuis viros fortes, egregiosq. ciues, quod a corpore tuo prohibentur armis: tui te, mihi crede, diutius non ferent. quae est autem vita, dies, & noctes timere a suis? nisi vero aut maioribus habes beneficij obligatos. quam ille quosdam habuit ex ijs, a quibus est interfectus; aut tu es vlla re cum eo comparandus. fuit in illo ingenium, ratio, memoria, litterae, cura, cogitatio, diligentia: res bello gesserat, quamuis reip. calamitosas, attamen magnas: multos annos regnare est meditatus; magna labore, magnis periculis, quod cogitabat, effecerat; muneribus, monumentis, cōgiarijs, epulis multitudinem imperitam deleniebat; suos praemijs, aduersarios clemētiae specie deuinxerat. quid multa? attulerat iam liberae ciuitati partim metu, partim patientia consuetudinem seruiendi. cum illo ego te dominandi cupiditate conferre possum; ceteris uero rebus nullo modo es comparandus. sed ex plurimis malis, quae ab illo reip. sunt inusta, hoc tamen boni est, quod didicit iam populus R. quantum cuique crederet, quibus se committeret, a quibus caueret. haec non cogitas? nec intelligis satis esse viris fortibus, didicisse, quam sit pulchrum, beneficio gratum, fama gloriosum, tyrannum occidere? an, cum illum homines non tulerint, te ferent? certatim posthac, mihi crede, ad hoc opus curretur, nec occasionis tarditas exspectabitur. respice quaeso aliquando remp. M. Antoni; quibus ortus sis, non quibuscum viuas, considera; mecum, vt uoles; cum rep. redi in gratiam. sed de tu videris; ego de me ipso profitebor. defendi remp. adolescens, non deseram senex; contempsi Catilinae gladios, non pertimescam tuos. quin etiam corpus libenter obtulerim, si repraesentari morte mea libertas ciuitatis potest: vt aliquando dolor populi R. pariat, quod iam diu parturit. etenim, si ab hinc annos prope uiginti hoc ipso in templo negaui posse mortem immaturam esse consulari; quanto uerius nunc negabo seni? mihi uero, P. C. iam etiam optanda mors est, perfuncto rebus ijs, quas adeptus sum, quasq. gessi. duo modo haec opto, unum, ut moriens populum R. liberum relinquam: hoc mihi maius a diis immortalibus dari nihil potest; alterum, ut ita cuique eueniat, ut de rep. quisque mereatur.*

EXPLA-

Landesbibliothek Oldenburg

EXPLANATIO

CONFER *cum nummatione tua,*] actio est in verbo, Nummatione, quasi dicat: confer cum ista tanta pecunia, quae ad te, vxoremq. tuam quotidie congeritur. SATIS *esse*] vel si fructus praeterea nullus consequatur. BENEFICIO *gratum,*] pro eo, quod patriae debemus. REPRAESENTARI] maturius afferri. QVOD *iamdiu parturit.*] parturit autem interitum tuum. Hoc *ipso in templo*] Concordiae, supra: Cum in hac caella concordiae, in qua me consule salutares sententiae dictae sunt, quibus ad hanc diem viximus, cum gladijs homines collocati stent. Et rursus: Cur me tui satellites cum gladijs audiunt? cur valuae Concordiae non patent? NEGAVI *posse mortem immaturam esse consulari:*] or. 4. in Catil. Si quid obtigerit. aequo animo, paratoq. moriar. neque enim turpis mors forti viro potest accidere, neque immatura consulari, nec misera sapienti. ADEPTVS *sum,*] hoc ad honores pertinet.



IN TERTIAM M. TVLLII. CICERONIS PHILIPPICAM PAVLLI. MANVTII COMMENTARIVS

ARGVMENTVM

POst Caesaris necem decreuit senatus consulares prouincias, Antonio Macedoniam, Dolabellae Syriam. sed Antonius, occasionem quærens reip. perturbandae, Galliam citeriorem sibi mandari cupiebat. quod cum a senatu non impetraret, qui eam prouinciam D. Bruto, iam antea ab ipso Caesare datam, post eius interitum confirmauerat, tulit ad populum, & obtinuit, vt citeriorem Galliam regeret: vnde se cum exercitu ad vrbem, Caesaris exemplo, facile venturum sperabat. nam Macedonia, terra mariq. disiuncta, nouis consilijs parum opportuna videbatur. Hac mente Brundisium iuit ad VII. id. Oct. profectus obuiam legionibus Macedonicis quattuor, quas sibi conciliare pecunia cogitabat, easq. ad vrbem adducere, & in ceruicibus bonorum collocare. Sic enim scripsit Cicero ad Cornificium. Cum eum sequi multi recusarent, praesertim ex legione Martia, iracundia percitus, trucidari Suessae primum, deinde Brundisij quamplurimos iussit. qua de re sic in Phil. 13. vt alia mittam exempla: Prorupit subito Brundisium, vt inde agmine quadrato ad vrbem accederet: lautissimum opicum, nunc municipum, honestissimorum quondam colonorum, Suessam fortissimorum militum sanguine impleuit: Brundisij, in sinu non modo auarissimae, sed etiam crudelissimae vxoris, delectos Martiae legionis centuriones trucidauit: inde se quo furore, quo ardore ad vrbem, id est ad caedem optimi cuiusque, rapiebat? quo tempore dij immortales ipsi praesidium

diu improuisum nec opinantibus nobis obtulerunt. Caesaris enim incredibilis ac diuina virtus latrouis impetus crudeles ac furibundos retardauit. Redeuntem a Brundisio Antonium legio Martia reliquit. ille, tribus legionibus Tiburi collocatis, vrbem est ingressus: vocato in Capitolium senatu, cum de abalienata legione Quarta, & Octauiani copijs adiuncta, nuncius ei esset allatus, propere senatum dimisit, & ad occupandam Galliam citeriorem, quam D. Brutus obtinebat, cum duabus legionibus magna celeritate contendit. Interea cum noui tribuni pl. qui IV. *id. Dec. magistratum inibant,* XIII. *Kal. Ian. senatum conuocassent, deq. praesidio consulum designatorum retulissent, vt senatum tuto Kalendis Ian. habere possent: Cicero, laudata tribunorum mente, totam remp. complexus, haec censuit: res eas, quas Caesar adolescens priuato consilio gesserat, aut gereret, publica confirmandas auctoritate; legiones, quae, relicto Autonio, ad remp. defendendam se contulerant, laudandas, eisq. spem praemiorum decreto senatus ostendendam; D. Brutum, qui se irruenti in Galliam Antonio obiecerat, ipsamq. Galliam, quae resisteret, debita laude ornandam; prouincias ab ijsdem, qui eas obtinerent, obtinendas esse ex lege Iulia, quoad ex S. C. cuique eorum successum esset; ijsq. de rebus ad senatum a nouis consulibus, primo quoque tempore esse referendum. Assensit senatus, & in eius sententiam S. C. factum est.*

IN. M. ANTONIVM
PHILIPPICARVM
LIBER. TERTIVS

ORATIO. XLV.

SERIVS omnino, P. C. quam tempus reip. postulabat, aliquando tamen conuocati sumus. quod flagitabam equidem quotidie, quippe cum bellum nefarium contra aras, & focos, contra vitam, fortunasq. nostras ab homine profligato, ac perdito non comparari, sed geri iam viderem, exspectantur Kal. Ian. quas non exspectat Antonius; qui in prouinciam D. Bruti, summi, & singularis viri, cum exercitu impetum facere conatur; ex qua se instructum, & paratum ad vrbem venturum esse minitatur. quae est igitur exspectatio, aut quae vel minimi dilatio temporis? quamquam enim adsunt Kal. Ian. tamen breue tempus longum est imparatis. dies enim, affert, vel hora potius, nisi prouisum est, magnas saepe clades. certus autè dies non, vt sacrificij, sic consilij exspectari solet. quod si aut Kal. Ian. fuissent eo die, quo primum ex vrbe fugit Antonius; aut hae non essent exspectatae: bellum iam nullum haberemus. auctoritate enim senatus, consensuq. populi R. facile hominis amentis fregissemus audaciã. quod confido equidem consules designatos, simul ac magistratum inierint, esse facturos. sunt enim optimo animo, summo consilio, singulari concordia. Mea autem sententia non uictoriae solum auida est, sed etiam celeritatis. quo enim vsque tantum bellum, tam crudele, tam nefarium priuatis consilijs propulsabitur? cur non quam primum publica accedit auctoritas?

EXPLANATIO

HABITA est haec oratio XIII. kal. Ian. profecto in Galliam Antonio, vt cognoscitur ex Phil 6 & ep. Lupus, lib. 2 fam. & ep. Liberalibus, lib. XII. QVOTIDIE] post profectionem scilicet Antonij. Phil. 5. Vt primum post discessum latronis, vel potius desperatam fugam libere senatus haberi potuit; semper flagitaui, vt conuocaremur. EXSPECTANTVR *Kal. Ian.*] vt eo die noui consules de rep. referant. ADSVNT,] propinquae sunt. LONGVM *est imparatis.*] aequae nobis obesse potest, si simus, vt nunc quidem sumus, imparati ac si longum esset. Ex *vrbe fugit Antonius;*] nam fugae similis fuit illius in Galliam profectio. Infra: Quae vero profectio postea? quod iter paludati; quae vitatio oculorum, lucis, vrbis, fori? quam misera fuga, quam foeda, quam turpis? Et Phil. XIII. Egressus est non vijs, sed tramitibus, paludatus: eoq ipso die innumerabilia S. C. fecit: quae quidem omnia citius dicta, quam scripta sunt. ex eo non iter, sed cursus, & fuga in Galliam. PRIVATIS *consilijs*] Caesaris Octauiani, atque etiam D. Bruti: de quibus infra: Nam si ille consul: fustuarium meruerunt legiones, quae consulem reliquerunt: sceleratus Caesar, Brutus nefarius, qui contra consulem priuato consilio exercitus comparauerunt. Et ep. 7. ad ipsum Brutum, lib. XII. fam.

ORATIO

C. Caesar, adolescens, paene potius puer, incredibili ac diuina quadam mente, atque virtute, tum, cum maxime furor arderet Antonij, cumque eius a Brundisio crudelis & pestifer reditus timeretur, nec postulantibus, nec cogitantibus, nec optantibus quidem nobis, quia fieri posse nõ videbatur, firmissimum exercitum ex inuicto genere veteranorum militum comparauit, patrimoniumq. suum effudit. quamquam non suum vsi eo verbo, quo decuit. non enim effudit, sed in salute reip. collocauit. cui quamquam gratia referri tanta non potest, quanta debetur; habenda tamen est tanta, quantam maximã animi nostri capere possunt. quis enim est tam ignarus rerum, tam nihil de rep. cogitans, qui hoc non intelligat; si M. Antonius a Brundisio cum ijs copijs quas se habiturum putauerat, Romam, vt minabatur, venire potuisset, nullum genus cum crudelitatis praeteriturũ fuisse? quippe qui in hospitis tectis Brundisii fortissimos viros, cues optimos, iugulari iusserit: quorum ante pedes eius morientiũ sanguine os vxoris respersum esse constabat. hac ille crudelitate imbutus, cum multo bonis omnibus veniret iratior, quam illis fuerat, quos trucidarat; cui tandem nostrum, aut cui omnino bono pepercisset? qua pestie priuato consilio remp. (nec enim fieri potuit aliter) Caesar liberauit. qui nisi in hac rep. natus esset; remp. scelere Antonij nullam haberemus. sic enim perspicio, sic iudico; nisi vnus adolescens illius furentis impetus, crudelissimosq. conatus cohibuisset, remp. funditus interituram fuisse. cui quidem hodierno die, P. C. (nunc enim primum ita conuenimus, vt illius beneficio possemus, quae sentiremus, libere dicere) tribuenda est auctoritas, vt remp. non modo a se susceptam, sed etiam a nobis commendatam possit defendere.

EXPLA-

EXPLANATIO

PAENE *potius puer,*] annos natus XIX, vt scripsit Velleius, ad remp. defendendam, Antonijq. conatus reprimendos Octauianus accessit. CVMQ. *eius a Brundisio crudelis, & pestifer reditus timeretur,*] hoc Caesaris beneficium saepe Cicero singulari cum eius laude cõmemorat, vt Phil. 4. 5. 13. & ad Cornificium ita scripsit: Puer egregius praesidium sibi primum deinde summae reip. cõparauit: qui nisi fuisset, Antonij reditus a Brundisio pestis patriae fuisset. PATRIMONIVMQ *suum effundit.*] quid mirum? cum in singulos milites pro menstruo stipendio quingentos denarios, qui scutati sexaginta sunt, erogauerit veteranos autẽ qui eum secuti sunt, tria millia fuisse ex quadam ad Att. ep. cognoscitur. ita sumptus menstruus fuit, scutatorum centum octuaginta millia. in ep. ad Att. Veteranos, quiqui Casilinis, & Calatiae sũt, perduxit ad suã sententiã. nec mirũ: quingenos denarios dat: cogitat reliquas colonias obire. Velleius lib 2. Primũ a Calatia, mox a Casilino veteranos exeiuit paternos: quorum exemplũ secuti alij, breui in formã iusti coiere exercitus. IN *hospitis tectis*] rationem hospitij nullam habuit: Iouem Hospitalem contempsit. FORTISSIMOS *uiros*,] milites qui ducem Antoniũ recusarent. trecentos fuisse dicit paullo post. eandem crudelitatem exprobat Phil. 4 & 5. & 13. ANTE *pedes eius*] Phil. 13. in sinu vxoris trucidatos, oratorie dicit. NEC *enim fieri potui aliter*) nõ enim publico consilio Caesar arma sumpsit. res autem celeritatem postulabat. itaque necesse fuit, vt ipse, priuato consilio exercitu comparato remp. defenderet. HODIERNO *die*] XIII Kal. Ian. vt ep. Lupus noster, ad D. Brutum lib XI. fam. & ep. Liberalibus, ad Cornificium, lib. XII. ILLIVS *beneficio*,] absentem enim Antonium non timemus. vt absit autem, Caesaris virtute factum est. audito enim nuncio de Quarta legione, statim discessit. infra.

ORATIO

NEC *uero de legione Martia (quoniam longo interuallo loqui nobis de rep. licet) silleri potest. quis enim unus fortior, quis amicior umquam reip. fuit, quam legio Martia uniuersa? quae cum hostem populi R. Antonium iudicasset, comes esse eius amentiae noluit; reliquit consulem. quod profecto non fecisset, si eum consulem iudicauisset, quem nihil aliud agere, nihil moliri, nisi caedem ciuium, atque interitum ciuitatis, uideret. atque ea legio consedit Albae. quam potuit urbem eligere aut opportuniorem ad res gerundas, aut fideliorem, aut fortiorum uirorum, aut amiciorum reip. ciuium?*

EXPLANATIO

LONGO *interuallo*] nam adhuc per Antonium non licuit. QVIS *enim unus fortior,*] fortẽ vnum inueniri, facile est: vniuersam legionem, in primis difficile. quo maior laus Martiae legionis. Phil. 2. similiter locutus: Tu vnus adolescẽs vniuersum ordinẽ decernere de salute reip. prohibuisti. Et pro domo: Tu vnus pestifer ciuis eum restitutum negas esse ciuem, quem eiectum vniuersus senatus non modo ciuem, sed ẽt egregium ciuẽ semper iudicauit? Simile illud pro Sextio: Nec vnus in quẽquam vmquam gratior, quã in me vniuersi. AVT *fortiorum uirorum, aut amicorum reip. ciuium?*] quid vitij possit esse in his verbis, aut cur pro Fortiorum, Fortium, pro, Amiciorum. Amicorum, reponi debeat, quod Faerno placuit, non sane dispicio. nec uero, quam ille constructionem probauit, suaeq. correctionis praecipuam, vt uideo, caussam habuit, ea mihi uidetur eiusmodi, ut probari iure possit. neminem enim ex ijs, quibus prime Latini sermonis deferuntur, ita locutum uideo, fideliorem fortium uirorũ pro, maiore erga fortes uiros fide; aut omnino cũ, fidelis, generandi casum cõiunxisse.

ORATIO

HVIVS *legionis uirtutem imitata Quarta legio, duce L. Egnatuleio, quaestore, ciui optimo, & fortissimo, Caesaris auctoritatem, atque exercitum persecuta est. faciendum est igitur nobis, P. C. ut ea, quae sua sponte clarissimus adolescens, atque omnium praestãtissimus gessit, & gerit, haec auctoritate nostra comprobentur; ueteranorum q. fortissimorum uirorum, tum legionis Martiae, Quartaeq. mirabilis cõsensus ad remp. recuperandam laude, & testimonio nostro confirmetur; eorumq. commoda, honores, praemia, cum consules designati magistratum inierint, curae nobis fore, hodierno die spondeamus.*

EXPLANATIO

CIVI *optimo,*] sic Ciceronem scripsisse, auctor est Priscianus lib. VII. sic etiam legitur in vetustissimis libris. PERSECVTA *est.*] sic Phil. 5. de eadem legione locutus est.

ORATIO

Landesbibliothek Oldenburg

ORATIO

ATQVE ea quidem, quae dixi de Caesare, deq. eius exercitu, iamdiu nota sunt nobis: virtute enim admirabili Caesaris, constantiaq. militum veterano rum, legionumq. earum optimo iudicio, quae auctoritatem vostram, libertatem populi R. virtutem Caesaris secutae sunt, a ceruicibus nostris est depulsus Antonius sed, vt dixi, haec superiora. hoc vero recens edictum D. Bruti, quod paullo ante propositum est, certe silentio non potest praeteriri. pollicetur enim se prouinciam Galliam retenturum in senatus populiq. R. potestate. o ciuem natum reip. memorem sui nominis, imitatoremq. maiorum. neque enim, Tarquinio expulso, maioribus nostris tam fuit optata libertas, quam est, repulso iam Antonio, retinenda nobis. illi regibus parere iam a condita vrbe didicerant: nos post reges exactos seruitutis obliuio ceperat, atque ille, quem maiores nostri non tulerunt, non crudelis, non impius, sed superbus est habitus, & dictus. quod nos vitium in priuatis saepe tulimus, id maiores nostri ne in rege quidem ferre potuerunt. L. Brutus regem superbum non tulit: Decimus sceleratum, atque impium regnare patietur? quid Tarquinius tale, qualia innumerabilia & facit, & fecit Antonius? Senatum etiam reges habebant: nec tamen, vt Antonio senatum habente, in consilio regis versabantur barbari armati. Seruabant auspicia reges: quae hic consul, augurq. neglexit, neque solum legibus contra auspicia ferendis, sed etiam collega vna ferente, eo, quem ipse emētitis auspicijs vitiosum fecerat. Quis autem rex vmquam fuit tam insigniter impudens, vt haberet omnia commoda, beneficia, iura regi venalia? quam hic immunitatem, quam ciuitatem, quod praemium non vel singulis hominibus, vel ciuitatibus, vel vniuersis prouincijs vendidi? Nihil humile de Tarquinio, nihil sordidum accepimus: at vero huius domi inter quasilla pendebatur aurum; numerabatur pecunia: vna in domo omnes, quorum intererat, totum imperium populi R. nundinabantur. Supplicia vero in ciues R. nulla Tarquinij accepimus. at hic & Suessae iugulauit eos, quos in custodiam dederat; & Brundisii trecentos fortissimos viros, ciuesq. optimos trucidauit. Postremo Tarquinius pro populo R. bellum gerebat tum, cum expulsus est. Antonius contra populum R. exercitum adducebat tum, cum, a legionibus relictus, nomen Caesaris exercitumq. pertimuit, neglectisq. sacrificijs sollemnibus, ante lucem vota ea, quae numquam solueret, nuncupauit; & hoc tempore in prouinciam populi R. conatur inaudere. Maius igitur a D. Bruto beneficium populus R. & habet, & exspectat, quam maiores nostri acceperunt a L. Bruto, principe huius maxime conseruandi generis, & nominis, cum autem est omnis seruitus misera: tum vero intolerabile est, seruire impuro, impudico, effeminato, numquam, ne in metu quidem, sobrio. Hunc igitur qui Gallia prohibet, priuato praesertim consilio; iudicat, verissimeq. iudicat, non esse consulem. Faciendum est igitur, P. C. nobis, vt D. Bruti priuatum consilium auctoritate publica comprobemus. nec vero M. Antonium consulem post Lupercalia putare debuistis, quo enim ille die, populo R. inspectante, nudus, vnctus, ebrius est concionatus, & id egit, vt collegae diadema imponeret; eo die non modo consulatu, sed etiam libertate se abdicauit. esset enim ipsi certe statim seruiendum, si Caesar ab eo regni insigne accipere voluisset. hunc igitur ego consulem, hunc ciuem R. hunc liberum, hunc denique hominem putem, qui foedo illo, & flagitioso die, & quid pati, Caesaer viuo, posset, & quid, eo mortuo, consequi ipse cuperet, ostendit? Nec vero de virtute, constantia, grauitate prouinciae Galliae tacere potest. est enim ille flos Italiae, illud firmamentū imperij populi R. illud ornamentum dignitatis tantus autem est consensus municipiorum, coloniarumq. prouinciae Galliae, vt omnes, ad auctoritatem huius ordinis, maiestatemq. populi R. defendendam conspirasse videantur.

EXPLANATIO

RECENS *edictum D. Bruti,*] cuius etiam mentio fit ep. 6. lib. XI. fam. QVEM *ipse ementitis auspicijs vitiosum fecerat.*] tota res exponitur Phil. 2. QVASILLA] ciſtulas muliebres. NVNDINABANTVR.] de his nūdinis ſupra diximus. SACRIFICIIS *sollēnibus,*] conſules in prouincia profecturi, & ſacrificiā prius faciebāt, & vota nūcupabant; quae, cū redijſſent, bene geſta rep. ſoluebant. QVAE *numquam solueret,*] non enim ei quae cogitat, proſpere ſuccedent. PRIVATO *praesertim consilio:*] non enim ei ſenatus mandauit, auctor ve fuit, vt conſulem Antonium Gallia prohiberet. QVID, *eo mortuo, consequi ipse cuperet,*] quod in alio regnum probabat, id a ſe ipſo expeti ſignificabat.

ORATIO

QVAMOBREM *tribuni pl. quamquam vos nihil aliud, nisi de praesidio, vt senatum tuto cōsules Kalendis Ian. habere possent. retuliſtis: tamen mihi videmini magno consilio, atque optima mente potestatem nobis de tota rep. feciſſe dicendi. cum enim tuto senatum haberi sine praesidio non posse iudicauiſtis, tū statuiſtis, etiā intra muros Antonij scelus audaciamq. versari. quamobrem omnia mea sententia complectar, vobis, vt intelligo, non inuitis; vt & praestantissimis ducibus a nobis detur auctoritas: & fortissimis militibus spes ostendatur praemiorum: & iudicetur non verbo, sed re, non modo non consul, sed etiam hostis Antonius. nam, si ille consul: fuſtuarium meruerunt legiones, quae consulem reliquerunt: sceleratus Caesar, Brutus nefarius,*

qui

qui contra consulem priuato consilio exercitus comparauerunt. sin autem militibus exquirendi sunt honores noui propter eorum diuinum, atque immortale meritum; ducibus autem ne referri quidem potest gratia: quis est, qui eum non hostem existimet, quem qui armis persequuntur, conseruatores reip. iudicantur? At quam contumelios⁹ in edictis? quam barbarus? quam rudis? primum in Caesarem maledicta congessit, deprompta ex recordatione impudicitiae, & stuprorum suorum. quis enim hoc adolescente castior? quis modestior? quod in iuuentute habemus illustrius exemplum veteris sanctitatis? quis autem illo, qui maledicit, impurior?

EXPLANATIO

TRIBVNI *pl.*] post Antonij profectionem, qui profectus est. IV. Kal. Dec. vt infra dicitur, magistratum iniere tribuni pl. erat autem eis primus magistratus dies, vt Dionysius docet, IV. id. Dec. nec tamen ante XIII. Kal. Ian quo die habita haec oratio est, senatū vocarunt. Propterea, cum quadā querella, sic exorsus est Cicero: Serius omnino, P.C. quam tempus reip postulabat, aliquādo tamen conuocati sumus. quod flagitabā equidē quotidie. Et Phil. 5. DE *praesidio,*] consulū designatorum, & senatus, vt Kalendis Ian. & ipsi consules, & senatus omnis tuto in curiā venire possit. RETVLISTIS:] omnes quidem, sed principe M. Seruilio, retulerunt: vt Phil. 4. in extremo. INTRA *muros Antonij scelus, audaciam q. versari.*] licet absente Antonio, ab eius tamen amicis, ideſt, a perditis ciuibus, qui sunt in vrbe, timendum esse. DVCIBVS] Caesari, & D. Bruto, qui priuato consilio exercitus contra consulem comparauerunt Supra, & infra. DEPROMPTA *ex recordatione impudicitiae, & stuprorum suorum.*] Phil. 13. Quem tum ille demens laedere se putabat edictis, ignorans, quaecumque falso is diceret in sanctissimum adolescentem, ea vere recidere in memoriam pueritiae suae.

ORATIO

IGNOBILITATEM *obiecit C. Caesaris filio: cuius etiam naturalis pater, si vita suppeditasset, consul factus esset. Aricina mater. Tralliqnam, aut Ephesiam putes dicere. videte, quam despiciamur omnes, qui sumus e municipiis, ideſt, omnes plane: quotus enim quisque non est? quod autem municipium non contemnitis, qui Aricinum tantopere despicit, vetustate antiquissimum, iure foederatum, propinquitate paene finitimum, splendore municipum honestissimum? hinc Voconiae, hinc Scatiniae leges: hinc multae sellae curules & patrum memoria, & nostra: hinc equites R. lautissimi plurimi, & honestissimi. sed, si Aricinam vxorem non probas, cur probas Tusculanam? quamquam huius sanctissimae feminae, atque optimae pater M. Atius Balbus, in primis honestus, praetorius fuit: tuae coniugis, bonae feminae, locupletis quidem certe; Bambalio quidam pater, homo nullo numero. nihil illo contemptius, qui propter haesitantiam linguae, stuporemq. cordis, cognomen ex contumelia traxerit. at auus nobilis, Tuditanus nempe ille, qui cum palla, & coturnis nummos populo de Rostris spargere solebat. vellem, hanc contemptionem pecuniae suis reliquisset. Habetis nobilitatem generis gloriosam. Qui autem conuenit, vt tibi Iulia natus ignobilis videatur, cum tu eodem materno genere soleas gloriari? quae porro amentia est, eum aliquid dicere de vxorum ignobilitate, cuius pater Numitoriam Fregellanam, proditoris filiam, habuerit vxorem, ipse ex libertini filia susceperit liberos? sed hoc clarissimi viri viderint, L. Philippus, qui habet Aricinam vxorem; C. Marcellus, qui Aricinae filiam: quos certo scio dignitatis optimarum feminarum non paenitere.*

EXPLANATIO

CONSVL *factus esset.*] praetor enim fuit, & Macedoniā post praeturam administrauit. Suetonius. Decedens Macedonia, prius quā profiteri se candidatū cōsulatus posset, morte obijt repētina. Ep. 1. lib. 1. ad Q fr. Adiungenda etiam est facilitas in audiendo, lenitas in discernendo, in satisfacien do, ac disputando diligentia. his rebus nuper Cn Octauius iucundissimus fuit. Et ep. 2. Mediocri me dolore putas affici, cū audiā, qua sit existimatione Virgilius, qua tuus vicinus Cn Octauius? ARICINA *mater.*] Atia M. Atij Balbi, ex Iulia, sorore Caesaris, filia, quae post obitum Cn Octauij L. Marcio Philippo nupsit, & cum eo tum viuebat. Miror autē Aricinā Atiā esse dictā, cum nec ipsa, nec pater eius Balbus Ariciae natus esset. fuit enim, Suetonio teste, paterna stirpe Aricinus. PAENE *finitimum,*] abest enim ab vrbe viginti millibus passuum. VOCONIAE,] Voconia lex de mulierum hereditatibus fuit: sancitū est enim ea lege, ne quis census, ideſt pecuniosus, heredē relinqueret filiā. SCATINIAE] tribunitia lex Scatinia contra stupratores puerorum, & eos, qui muliebria paterentur. in ep. Coelij. Insolentissimi homines summis Circensibus ludis meis postulandum me lege Scatinia curant. Suetonius in Domitiano: Quosdam ex vtroque ordine lege Scatinia condemnauit. TVSCVLANAM?] quam tu duxisti, M. Fadij, libertini hominis, filiam. Phil. 2. BONAE *feminae,*] cum probro potius, quam cum laude dictum: vt ironiae mos est. ideo sequitur: Locupletis quidem certe: ideſt, si minus bonae, saltem locupletis. quod tu spectasti, cum eam vxorem duxisti. HOMO *nullo numero.*] tum quia libertinus, tū quia lingua impeditus, corde stupidus. QVI *propter haesitantiam linguae, stuporemq.*

cordis] Bambalio dictus ἀπὸ τῦ βαμβάλειν, quod est τοῖς χείλεσι τρέμειν. & βάμβαλον Phryges pudendam corporis partem vocant quae legimus apud Hesychium. Ex *contumelia*]est enim contumeliae, si quis appelletur Bambalio: quia simul vitium illius appellatur. At *auus nobilis*] Cum sequatur Tuditani mentio, necesse est, hoc referri ad alteram vxorem Antonij Fuluiam, cuius maternus auus fuit Sempronius Tuditanus, auctore Asconio. TVDITANVS *nempe ille*,]cum derisione quis enim nobilem dixerit eum qui cum palla & cothurnis nummos populo de Rostris spargere solebat? Valerius Max. lib 7. c. 8. Quam certae, quam etiã notae insaniae Tuditanus, vtpote qui populo nummos sparserit, togamq. velut tragicam vestem in foro trahens, maximo cum hominum risu conspectus fuerit, ac multa his consentanea fecerit CVM *palla, & cothurnis*]tribus caussis Tuditani stultitiam arguit: prima, quod in foro processerit cum palla, quo vestimenti genere senatores nõ vtebantur: altera, quod cũ cothurnis, cũ senatorũ calcei lunati essent: tertia, quod nummos populo de Rostris, tamquam pecuniae contemptor, spargere solebant. nam ideo sequitur: Vellẽ hanc contemptionẽ pecuniae suis reliquisset quod in Fuluiam conijcitur, Tuditani neptem, quae erat auarissima. ad illam enim pertinet quod dicitur Phil. 3. At vero huius domi inter quasilla pendebatur aurum. nam quasillum calatus muliebris est. Et Phil. 13. Brundisij in sinu non modo auarissimae, sed crudelissimae vxoris delectos Martiae legionis centuriones trucidauit. & ad eandẽ spectat illud ep. ad Att. lib. XIV. Quid? Deiotari nostri caussa non similis? dignus ille quidẽ omni regno, sed non per Fuluiã. HABETIS *nobilitatem generi gloriosam*.]ironia. Tu, qui obijcis ignobilitatẽ C. Caesaris filio, quã habes domi tuae nobilitatem generis? cum prima tua vxor Fadia libertini hominis filia fuerit altera vero & auarissima sit, & auum eum habuerit, cuius notissima dementia est. IVLIA *natus*] Octauianus nõ Iulia, sorore Caesaris, sed eius filia natus est Atia. quare non hoc de ipso, sed de matre dictum. nec moueor, quod, Natus, ad marem potius, quam ad feminam, pertinere videatur. commune enim est, Iulia natus pro, qui Iulia natus sit. Qui conuenit, inquit, vt muliere nati nobilissima, ignobiles videãtur? EODEM *materno genere*] diximus iam, Antonij matrem Iuliam fuisse, L. Caesaris, consularis viri, sororem. Ex *libertini filia*]ex Fadia, Bambalionis filia LIBEROS?]eum, quem pacis obsidem in Capitolium misit Phil. 2. ARICINAM *vxorem*;] Atiam. ARICINAM *filiam*:] Octauiam, Octauiani sororem, ex qua genuit Marcellum illum, cuius immaturam mortem deplorat Virgilius lib. VI.

ORATIO

IDem etiam Q. Ciceronem, fratris mei filium compellat edicto: nec sentit amens commendationem esse compellationem suam. quid enim accidere huic adolescenti potuit optatius, quam cognosci ab omnibus, Caesaris consiliorũ esse socium, Antonij furoris inimicum? At etiam gladiator ausus est scribere, hunc de patris & patui parricidio cogitasse. O admirabilem impudentiã, audaciam, temeritatem, in eum adolescentẽ hoc scribere audere, quem ego, & frater meus, propter eius suauissimos atque optimos mores, praestantissimumq. ingeniũ, certatim amamus, omnibusq. horis oculis, auribus, complexu tenemus? Nam me iisdem edictis, nescit, laedat, an laudet. cum idem supplicium minatur optimis ciuibus, quod ego de sceleratissimis sumpserim, laudare videtur, quasi imitari velit. cum autẽ illam pulcherrimi facti memoriam refricat; tum a sui similibus inuidiam aliquam in me commoueri putat.

EXPLANATIO

COMPELLAT *edicto*.] carpit eum, & vituperat. QVASI *imitari velit*.] me, in hominibus improbis poena afficiẽdis, nõ enim illa verba, Optimis ciuibus, erant in edicto Antonij, sed addita sunt a Cicerone, tamquã, interprete mẽtis, ac voluntatis eius: cum is communiter ciuibus illis, qui sibi nõ paruissent, minatus esset idẽ suppliciũ, quod Cicero cõsul de Catilinae socijs sumpserat.

ORATIO

SEd, ipse quid fecit? cum tot edicta proposuisset, edixit, vt adesset senatus frequens ad IIX. Kal. Dec. eo die ipso non affuit. at quo modo edixit? haec sunt, opinor, verba in extremo: Si quis non affuerit, hunc omnes existimare poterunt & interitus mei, & perditissimorum cõsiliorum auctorẽ fuisse. *Quae sunt Perdita consilia? an ea quae pertinent ad libertatẽ populi R. recuperandam? quorum consiliorum Caesari me auctorem, & hortatorem & esse, & fuisse fateor. quamquam ille non eguit consilio cuiusquam: sed tamen currentem. vt dicitur, incitaui. nam interitus quidem tui quis bonus non esset auctor, cum in eo salus, & vita optimi cuiusque, & libertas populi R. dignitasq. consisteret? sed, cum tam atroci edicto nos concitauisset, cur ipse non affuit? num putatis aliqua re tristi, ac seuera? vino, atque epulis retentus: si illae epulae potius, quam popinae, nominandae sunt. diem edicti obire neglexit: ante diem IV. Kal. Dec. distulit: adesse in Capitolio iussit: quod in templum ipse, nescio qua, per Gallorum cuniculum adscendit. conuenerunt corrogati, & quidem ampli quidam homines, sed immemores dignitatis suae. is enim erat dies, ea fama, is, qui senatum vocaret, vt*

turpe

turpe senatori esset, nihil timere. ad eos tamen ipsos, qui conuenerant. ne verbum quidem ausus est facere de Caesare, cum de eo constituisset ad senatum referre. scriptã attulerat consularis quidam sententiam. quid est aliud, de eo referre non audere, qui contra se consulem exercitum duceret, nisi, se ipsum hostem iudicare? necesse enim erat, alterutrum esse hostem: nec poterat aliter de aduersariis ducibus iudicari. si igitur C. Caesar hostis; cur consul nihil refert ad senatum? sin ille a senatu notandus non fuit; quid potest dicere, quin, cum de illo tacuerit, se hostem esse confessus sit? quem in edictis Spartacum appellat, hunc in senatu ne improbum quidem dicere audet.

EXPLANATIO

LAEDAT, *an laudet.*] plane hic intelligitur ledere, pro vituperare, vsurpari solere: cum opponantur, Laedat, laudet: vt pro Fonteio Cum lædat nemo bonus, laudent omnes vestri ciues, atque socij. INVIDIAM *aliquam*] odium aliquod. IN *ante diem IV. kal.*] pro, in diem, IV. Kal. vtroque enim modo eundem diem veteres notabant: vt alibi docuimus. PER *Gallorum cuniculum*] occulte, quasi per Gallorum cuniculum cum in Capitolium noctu per cuniculum ascendentes proditi sunt ab anseribus. IMMEMORES *dignitatis suae.*] non enim eos in senatum venire decuit. IS *enim erat dies.*] quo non debuit senatus vocari; sed in eum distulit Antonius. ex eo die, quo primum ediderat vt adesset senatus, ideſt, ex III. Kal. Dec. quem obire neglexit, vino, atque epulis retentus. EA *fama,*] dicebatur enim, vocari senatum ab Antonio, vt referret de Caesare. Phil. 13. Inde ad vrbem cursus: senatus in Capitolium: parato de circumscribendo adolescente sententia consularis.

ORATIO

AT in rebus tristissimis quantos excitat risus? sententiolas edicti cuiusdam memoriae mandaui: quas videtur ille peracutas putare. ego autem, qui intelligeret, quid dicere vellet, adhuc neminẽ inueni. Nulla contumelia est, quam facit dignus. Primũ quid est Dignus? nam etiam malo digni multi, sicut ipse. an quam facit is, qui cum dignitate est? quae autem potest esse maior? quid est porro, Facere contumeliam? quis sic loquitur? deinde. Nec timor, quem denunciat inimicus. Quid ergo? ab amico timor denunciari solet? horum similia deinceps. non ne satius est mutum esse, quam, quod nemo intelligat, dicere? en, cur magister eius ex oratore arator factus sit, possideat in agro publico populi R. campi Leontini duo millia iugerum immunia vt hominem stolidum magis etiam infatuet mercede publica. Sed haec leuiora fortasse: illud quaero, cur tam subito mansuetus in senatu fuerit, cum in edictis tam fuisset ferus? quid autem attinuerit, L. Cassio, tribuno pl. fortissimo, & constantissimo ciui, mortem denunciare, si in senatum veniret? D. Carfulenum, bene de rep. sentientem, senatu vi, & minis mortis expellere? Ti. Canutium, a quo erat honestissimis contentionibus & saepe, & iure vexatus, non templo soluta, verum etiam aditu prohibere Capitolii? cui S.C. ne intercederet, verebatur? de supplicatione credo, M. Lepidi, clarissimi viri. atque id erat periculũ, de cuius honore extraordinario quotidie aliquid cogitabamus, ne eius vsitatus honos impediretur.

EXPLANATIO

MAGISTER *eius*] Sex. Clodius, de quo Phil. 2. MERCEDE *publica.*] ex agro publico sumpta. Phil. 2. L. CASSIO,] fratri C Cassij, qui Caesarem occiderat ep. 2. lib. XII fam & ep. 2. lib. XIV. ad Att. NE *intercederent,*] vt tribuni pl. DE *cuius honore extraordinario*] vere dicit: nam postea Lepidum ornatum esse summis honoribus a senatu, indicat epistola ad eum, lib. X. fam.

ORATIO

AC, ne sine causa videretur edixisse, vt senatus adesset; cũ de rep. relaturus fuisset, allato nuncio de legione Quarta, mente cõcidit; & fugere festinans, S. C. de supplicatione per discessionem fecit, cum id factum esset antea numquam. Quae vero profectio postea? quod iter paludati? quae vitatio oculorum, lucis, vrbis, fori? quam misera fuga? quam foeda? quam turpis? praeclara tamen S. C. illo ipso die vespertina, prouinciarum religiosa sortitio: diuina vero opportunitas, vt, quae cuique apta esset, ea cuique obueniret.

EXPLANATIO

DE *legione,*] quae se cum Caesaris exercitu coniunxerat. DE *supplicatione*] M. Lepidi: cui postea triumphum quoque absenti decreuerunt. Phil. 13. PER *discessionem*] celeritatis videlicet caussa. nã si sententiae rogarentur, serius cõfecta res esset. CVM *id factum esset antea numquam.*] rogari enim sententias mos fuit in supplicatione decernenda: quod ostendit epistola Coelii, Non

Landesbibliothek Oldenburg

dii,lib.VIII.fam.VESPERTINA,]si vespertina, non praeclara,sed turpia,& irrita.non enim post horam decimam referri vlla de re licuit.auctor Seneca lib. 1. de tranquillitate vitae,c.14.Et S.C.vel ante ortum solis,vel post occasum facta,irrita fuisse,docet.PROVINCIARVM *religiosa sortitio*;] S.C.eo die fecit,vt prouinciarum sortitio fieret:quae facta est:sed prouincias ij, quibus obtigerant, recusarunt,irritum arbitrantes S.C.vespertinū. Religiosa: cū ironia:ideſt, minime religiosa, quae propere facta sit & vespertino S C.DIVINA *vero oportunitas*,] iocatur:ideſt,minime diuina,sed vitio & arte facta,vt quae cuique apta esset,ea cuique obueniret.Diuina sunt,quae sorte contingunt quasi diuinitus tributa:at,cū ea cuique obueniunt,quae cuique videntur apta,quis in eo sortē diuinā agnoscat?

ORATIO

PRaeclare igitur facitis, tribuni pl. qui de praesidio consulum, senatusq. referatis: meritoq. vestro maximas vobis gratias omnes & agere, & habere debemus. qui enim periculo carere possumus in tanta hominum cupiditate, & audacia? ille autem, homo afflictus, & perditus, quae de se exspectat iudicia grauiora, quam amicorum suorum? familiarissimus eius, mihi homo coniunctus, L. Lentulus, & P. Naso, omni carens cupiditate, nullam se habere prouinciam, nullam Antonij sortitionem fuisse iudicauerunt. quod idem fecit L. Philippus, vir patre,auo, maioribusq. suis dignissimus. in eadem sententia fuit, homo summa integritate, atque innocentia, C. Turrannius. idem fecit Sp. Oppius. ipsi etiam, qui amicitiam M. Antonij ueriti, plus ei tribuerunt quam fortasse vellent, M. Piso, meus necessarius, & vir, & ciuis egregius; pariq. innocentia, M. Vehilius senatus auctoritati se obtemperaturos esse dixerunt. quid ego de L. Cinna loquar? cuius spectata multis magnisq. rebus singularis integritas minus admirabilem facit huius honestissimi facti gloriam: qui omnino prouinciam neglexit: quam item magno animo, & constanti C. Cessedius repudiauit. qui sunt igitur reliqui, quos sors diuina delectet? L. Antonius, M. Antonius. o felicem vtrumque: nihil enim maluerunt. C. Antonius Macedoniam, hunc quoque felicem: hanc enim habebat semper in ore prouinciam. C. Caluisius Africam. nihil felicius: modo ex Africa decesserat, & quasi diuinans se rediturum, duos legatos Vticae reliquerat. deinde M. Iccius Siciliam, Q. Cassius Hispaniam. non habeo, quid suspicer. duarum credo prouinciarum sortes minus diuinas fuisse. O C. Caesar, (adolescentem appello) quam tu salutem reip. attulisti? quam improuisam? quam repentinam? qui enim haec fugiens fecerit, quid faceret insequens? etenim in concione dixerat, se custodem fore vrbis, usque ad kal. Maias ad vrbem exercitum habiturum. o praeclarum custodem ouium, vt aiunt, lupum. custos ne urbis an direptor, & vexator esset Antonius? & quidem se introiturum in vrbem dixit, exiturumq. cum vellet.

EXPLANATIO

CONSVLVM,]designatorum; qui hoc die, vel absente Antonio, metu tamen illius amicorum nō aderant. Phil. 5. L. PHILIPPVS] Octauiani vitricus. PATRE,] oratore summo consulari, & censorio. SORS *diuina*] & hic iocatur in sortem vitio factam. M. ANTONIVS.] opinor ei obtigisse, quam optauerat, citeriorem Galliam, ipsam quoque in sortem coniectam. CALVISIVS *Africam*.]quam regebat Cornificius. ad quem scribens Cicero, Nec vero, inquit, postea destiti labefactare eum, qui summa cum tua iniuria contumeliaq; reip. prouinciam absens obtinebat. Quo loco Caluisium hunc significat. HISPANIAM.] vlteriorem, cui praefuerat ad eum diem Asinius Pollio. nam citerior cum vlteriore Gallia tradita erat antea M. Lepido. NON *habeo, quid suspicer*.] miror Iccio, & Cassio ciuibus optimis, nec amicis Antonij, quippe cum Q. Cassius Caij frater fuerit, has prouincias obuenisse. itaque dissimiles in his puto sortes fuisse. illae superiores diuinae fuerant, ideſt vitio factae: (sic enim accipiendum) hae duae minus diuinae, ideſt recte factae. est enim, vt in illis, item in his interpretandum a contrario sensu, vt argutia similem principio finem habeat. O C CAESAR, (*adolescentem appello*)] sic ad populum C. Carbo in Orat. O M. Druse, (patrem appello) tu dicere solebas, &c. Similiter pro domo. O Q. Catule, (patrem appellem, an filium?)

ORATIO

QVid illud? non ne, audiente populo, sedens pro aede Castoris dixit nisi qui vicisset, victurum neminem? Hodierno die primum, P. C. longo interuallo in possessionem libertatis pedem ponimus: cuius quidem ego, quoad potui, non modo defensor, sed etiam conseruator fui. cum autem id facere non possem, quieui; nec abiecte, nec sine aliqua dignitate casum illum tē porum, & dolorem tuli. hanc vero taeterrimam belluam quis ferre posset, aut quo modo? quid est in Antonio, praeter libidinem, crudelitatem, petulantiam, audaciam? ex his totus conglutinatus est. nihil apparet in eo ingenuum, nihil moderatum, nihil pudens, nihil pudicum.

EXPLA-

Landesbibliothek Oldenburg

EXPLANATIO

CONSERVATOR] ante Caesaris dominationem. CVM *autem id facere non posſem,*] armis Caesaris oppressa rep. HANC *vero taeterrimam belluam quis ferre posſet,*] tuli Caesarem, Antonium quis ferat? fuit in illo ingenium ratio, memoria, litterae, cura cogitatio, diligentia: (hanc ei laudem Phil. 2. Cicero tribuit) in Antonio quid est, praeter libidinem, crudelitatem, petulantiam?

ORATIO

QVAPROPTER, *quoniam res in id discrimen adducta est, vtrum ille poenas reip. luat, an nos seruiamus: aliquando, per deos immortales, P. C. patrium animum, virtutemq. capiamus: vt aut libertatem, propriam Romani generis, & nominis recuperemus; aut mortem seruituti anteponamus. multa, quae in libera ciuitate ferenda non essent, tulimus, & perpessi sumus; alij spe recuperandae libertatis, alij viuendi nimia cupiditate. sed, si illa tulimus, quae nos necessitas ferre coegit, quae vis quaedam paene fatalis; quae tamē ipsa non tulimus: etiam ne huius impuri latronis feremus taeterrimum, crudelissimumq. dominatum? quid hic faciat, si potuerit, iratus, qui, cum succensere nemini posset, omnibus bonis fuerit inimicus? quid hic victor non audebit, qui, nullam adeptus victoriam, tanta scelera post Caesaris interitum fecerit; refertam domum eius exhauserit; hortos compilarit; ad se ex his omnia ornamenta transtulerit; caedis, & incendiorum causſam quaesierit ex funere; duobus, aut tribus S. C. bene & e rep. factis, reliquas res ad lucrum, praedamq. reuocauerit; vendiderit immunitates; ciuitates liberauerit; prouincias vniuersas ex imperij populi R. iure sustulerit; exsules reduxerit; falsas leges, C. Caesaris nomine, & falsa decreta in aes incidēda, & in Capitolio figenda curauerit; earumq. rerum omnium domesticum mercatum instituerit; populo R. leges imposuerit, armis, & praesidijs populum, & magistratas foro excluserit; senatum striparit armatis; armatos in cella Concordiae, cum senatum haberet, inclusserit; ad legiones Brundisium cucurrerit; ex his optime sentientes centuriones iugulauerit; cum exercitu Romam sit ad interitum nostrum, & ad disperditionem vrbis venire conatus? atque is ab hoc impetu abstractus consilio & copijs Caesaris, consensu veteranorum, virtute legionum, ne fortuna quidem fractus minuit audaciam; nec ruere demens nec furere desinit; in Galliam mutilatum ducit exercitum; cum vna legione, & ea uacillante, L. fratrem exspectat; quo neminem reperire potest sui similiorem. ille autem ex myrmillone dux, ex gladiatore imperator, quas fecit strages, vbicumque posuit vestigium? caedit greges armentorū, reliqui pecoris quodcumque nactus est: epulantur milites: ipse autem se, vt fratrem imitetur, obruit vino: vastantur agri: diripiuntur villae: matres familias, virgines, pueri ingenui abripiuntur, militibus transduntur. haec eadem, quacumque exercitum duxit, fecit M. Antonius. His vos taetervimis fratribus portas aperietis? hos vmquam in vrbem recipietis? non, tempore oblato, ducibus paratis, animis militum incitatis, populo R. conspirante, Italia tota ad libertatem recuperandam excita ta, deorum immortalium beneficio vtemini? nullum erit tempus, hoc amisso, a tergo, a fronte, a lateribus tenebitur, si in Galliam venerit: nec illis armis solum, sed etiam decretis nostris vrgendus est. magna vis est, magnum nomen, vnum & idem sentientis senatus. videtis refertum forum? populum R. ad spem recuperandae libertatis erectum? qui longo interuallo cum frequentes hic videt nos, tum sperat etiam liberos conuenisse. hunc ego diem exspectans M. Antonii scelerata arma vitaui tum, cum ille in me absentem inuehens, non intelligebat ad quod tempus me, & meas vires reseruarem. si enim tum illi, caedis a me initium quaerenti, respondere voluissem; nunc reip. consulere non possem. hanc vero nactus facultatem, nullum tempus, P. C. dimittam neque diurnum, neque nocturnum, quin de libertate populi R. de dignitate vestra quod cogitandum sit, cogitem; quod agendum, atque faciendum, id non modo non recusem, sed appetam etiam, atque deposcam. hoc feci semper, dum licuit; intermisi, quoad non licuit: iam non solum licet, sed etiam necesse est; nisi seruire malimus, quā, ne seruiamus, animis, armisq. decernere. Dij immortales nobis haec praesidia dederunt, vrbi Caesarem, Brutum Galliae. si enim ille urbem opprimere potuisset statim, si Galliam tenere paulto post; optimo cuique pereundum, reliquis esset seruiendum.*

EXPLANATIO

QVAE *tamen ipsa non tulimus.*] iugum enim seruitutis occiso tyranno deiecimus. NEMINI *posset*] nemini iure posset. Ex *funere*] cum Caesarem funebri laudans oratione, populum cum facibus impulit ad domos Cassij, & Bruti. DVOBVS, *aut tribus S. C. bene, & e rep. factis*] vno, ne qua post idus Mart. immunitatis tabula, ne ve cuius beneficij figeretur: altero vt dicta turae nomen in perpetuum de rep. tolleretur. tertium S. C. fortasse fuit illud quod in aede Telluris, quo priduarum memoria oblitione sempiterna deleretur. Phil. 1. & 2. VIRTVTE *legionum*] Martiae, & Quartae. MVTILATVM *ducit exercitum;*] ex duabus enim legionibus, quae cum illo remanserant, (has Galba secundā, & trigesimā quinctā nominat in ep. ad Cic. lib. x fam.) milites multi ad Caesarē se contulerunt. VACILLANTE,] infirma, tironum videlicet. LVCIVM *fratrem*] natu minimum ex tribus fuerat autem tribunus pl. eodē anno, quo & consul Marcus, & praetor Caius. Ex *Myrmillone*] ex gla-

ex gladiatore. Gladiatorum nomina fuere, Retiarij, Myrmillones, Thraces, Secutores. Pugnauerat Lucius in Asia Myrmillo cũ Trace. haec .n. duo genera cõponi solere, ostendit ille versus Ausonij: Quis Myrmilloni componitur aequimanus? Thrax. Phil. 5. 6. 7. VIDETIS *refertum forum,*] patebant igitur valuae templi, in quo senatus habebatur: quae non patuerant praesente Antonio. vnde Phil. 2. Cur valuae Concordiae non patent? LONGO *interuallo frequentes*] nam frequentes non affuerant habente senatum Antonio, armorum illius metu. IN *me absentem inuehens.*] XIII. Kal. Oct. quo die non affuisse Ciceronem, sed ita Philippicam secundam scripsisse, tamquam si adesset, praesensq praesenti responderet, iam ostendimus. CAEDIS *a me initium quaerenti,*] Phil. 5. Quo die, si per amicos mihi cupienti in senatum venire licuisset, caedis initium fecisset a me: sic enim statuerat. cum autem semel gladium scelere imbuisset; nulla res ei finem caedendi, nisi defatigatio, & satietas, attulisset. Et in ep ad Cassium: Caedem gladiator quaerit, eiusq initium ad XIII. Kal. Oct. a me se facturum putauit. VRBI *Caesarem, Brutum Galliae*] ptoposita firmissimi praesidij spe, senatorum animos ad studium tuendae libertatis excitat.

ORATIO

HAnc igitur occasionem oblatam tenete, per deos immortales, P.C. & amplissimi orbis terrae consilij principes vos esse, aliquando recordamini. signum date populo R. consilium vestrum non deesse reip. quoniam ille virtutem suam non defuturam esse profitetur. nihil est, quod moneam vos: nemo est tam stultus, qui non intelligat, si indormierimus huic tempori, non modo crudelem, superbamq. dominationem nobis, sed ignominiosam etiam, & flagitiosam ferendam. nostis insolentiam Antonij, nostis amicos, nostis totam domum. libidinosis, petulantibus, impuris, impudicis, aleatoribus, ebrijs seruire, ea summa miseria est, summo dedecore coniuncta. quod si iam, quod dii omen auertant, fatum extremum reip. venit: quod gladiatores nobiles faciunt, vt honeste decumbant; faciamus nos principes orbis terrarum, gentiumq. omnium, vt cum dignitate potius cadamus, quam cum ignominia seruiamus. nihil est detestabilius dedecore, nihil foedius seruitute. ad decus, & ad libertatem nati sumus: aut haec teneamus; aut cum dignitate moriamur. nimium diu teximus, quid sentiremus: nunc iam apertum est: omnes patefecerunt, in vtramque partem quid sentiant, quid velint. sunt impij ciues, pro caritate reip. nimium multi; pro multitudine bene sentientium, admodum pauci. quorum opprimendorum dii immortales incredibilem reip. potestatẽ, & fortunam dederunt. ad ea enim praesidia, quae habemus, iam accedunt consules summa prudentia, virtute, concordia, multos menses de populi R. libertate commentati, atque meditati. his auctoribus, & ducibus, diis iuuantibus, nobis vigilantibus, & multum in posterum prouidentibus, populo R. consentiente, erimus profecto liberi breui tempore. iucundiorem autem faciet libertatem seruitutis recordatio.

EXPLANATIO

AMPLISSIMI *orbis terrae consilii principes vos esse, aliquando recordamini.*] argumentatura dignitate. CONSILIVM *vestrum non deesse reip.*] a constantia, & fide. NON *modo crudelem, superbamq. dominationem,*] a miserrima seruitute. SED *ignominiosam etiam, & flagitiosam*] a dedecore. QVOD *Gladiatores nobiles faciunt,*] ab exemplo. NOS *Principes orbis terrarum, gentiumq. omnium.*] quod serui faciunt, (nam gladiatores erant serui) quanto magis, qui principes orbis terrarum sumus, id nos facere debemus? Argumentum a minori. PRO *caritate reip.*] pro ea caritate, quam omnes reip. debent. SERVITVTIS *recordatio.*] contraria contrarijs propinqua magis apparent. ideo iucundius bonum est antecedente malo, quam si perpetuum fuisset. hoc & Virgilius vidit, cum dixit: Forsan & haec olim meminisse iuuabit.

ORATIO

QVas ob res, quod tribuni pl. verba fecerunt, vt senatus kal. Ian. tuto haberi, sententiaeq. de summa rep. libere dici possint; de ea re ita censeo, vt C. Pansa, A. Hirtius, consules designati, dent operam, vti senatus kal. Ian. tuto haberi possit: quodq. edictum D. Bruti imperatoris, consulis designati, optime de rep. meriti, propositum sit, senatum existimare, D. Brutum imperatorem, consulem designatum, optime de rep. meruisse, cum senatus auctoritatem, populiq. R. libertatem, imperiumq. defendat: quodq. prouinciam Galliam citeriorem, optimorum & fortissimorum, amicorumq. reip. ciuium, exercitumq. in senatus potestate retineat, id eum, exercitumq. eius, municipia, colonias prouinciae Galliae recte, atque ordine, exq. rep. fecisse, & facere; senatum ad summam remp. pertinere arbitrari, a D. Bruto, & L. Planco imperatoribus cõsulibus designatis, itemq. a ceteris, qui prouincias obtinent, obtineri ex lege Iulia, quoad ex S.C. cuique eorum successum sit; eosq. dare operam, vt eae prouinciae, exercitusq. in senati populiq. R. potestate, praesidioq. reip. sint: cumq. opera, virtute, consilio C. Caesaris, summoq. consensu militum veteranorum, qui eius auctoritatem secuti, reip. praesidio sunt, & fuerunt, a grauissimis periculis populus R. defensus sit, & hoc tempore defendatur; cumq. legio Martia Albae constiterit, in municipio fidelissimo, & fortissimo, seq. ad senatus auctoritatem, populiq. R. libertatem contulerit;

tulerit; & quod pari consilio, eademq. virtute legio Quarta vsa, L. Egnatuleio duce, ciue egregio, senatus auctoritatem, populiq. R. libertatem defendat, defenderit; senatui magnae curae esse, ac fore, vt pro tantis eorum in remp. meritis honores eis habeantur, gratiaeq. referantur; senatui placere, vti C. Pansa, A. Hirtius, consules designati, cum magistratum inierint, si eis videretur, primo quoque tempore de his rebus ad hunc ordinem referrent, ita vti e rep. fideq. sua videretur.

EXPLANATIO

L. PLANCO,] qui praeerat Galliae vlteriori. Phil. 5. CONSVLIBVS *designatis,*] a Caesare, qui consules in biennium designauit, Hirtium, & Pansam in annum sequentem post eos D. Brutum, & L. Plancum A. CETERIS, *qui prouincias obtinent,*] ita Cornificio, amico suo, Africae administrationem confirmauit. qua de re sic ad ipsum scripsit: Ego mi Cornifici, quo die primum in spem libertatis ingressus sum, &, cunctantibus ceteris, ad XIII. Kal. Ian. fundamenta reip. ieci; eo ipso die prouidi multum, atque habui rationem dignitatis tuae. mihi enim est assensus senatus de obtinendis prouincijs. Ex *lege Iulia,*] de prouincijs Phil. 1. & 5. QVOAD *ex S. C. cuique eorum successum sit;*] hoc S. C. sortitio illa prouinciarum, ab Antonio facta, tollebatur, & eorum, qui prouincias obtinebant, studia erga remp conseruabantur. CONSILIO] non minima ad laudem accessio. nam in adolescente & opera, & virtus facile, consilium non facile reperitur. POPVLIQ. *Romani libertatem*] subaudiri necesse est, defendendam: quod apparet e sequentibus uerbis, Senatus auctoritatem, populiq. Romani libertatem defendat.



IN. QVARTAM

M. TVLLII. CICERONIS

PHILIPPICAM

PAVLLI. MANVTII

COMMENTARIVS

ARGVMENTVM

EXponit in concione, quae acta sint in senatu: Caesarem, & D. Brutum effert laudibus: populum ad libertatem recuperandam cohortatur, beneq. de rep. sperare iubet.

IN. M. ANTONIVM
AD. QVIRITES
PHILIPPICARVM
LIBER. QVARTVS
ORATIO. XLIV.

Frequentia vestrum incredibilis, Quirites concioq. tanta, quantam meminisse non, videor, & alacritatem mihi summam defendendae rep. affert, & spem recuperandae. quamquam animus mihi quidem numquam defuit, tempora defuerunt: quae simul ac primum aliquid lucis ostendere visa sunt, princeps vestrae libertatis defendendae fui. quod si id ante facere conatus essem, nunc facere non possem. hodierno enim die, Quirites, ne mediocrem rem actam arbitremini, fundamenta iacta sunt reliquarum actionum: nam est hostis a senatu nondum verbo appellatus, sed re iam iudicatus Antonius. nunc vero multo sum erectior, quod vos quoque, illum hostem esse, tanto consensu, tantoq. clamore approbauistis. neque enim, Quirites, fieri potest, vt non aut ii sint impii, qui contra consulem exercitus comparauerunt; aut ille hostis, contra quem iure arma sumpta sunt. hanc igitur dubitationem, quamquam nulla erat, tamen, ne qua posset esse, senatus hodierno die sustulit. C. Caesar, qui remp. libertatemq. vestram suo studio, consilio, patrimonio denique tutatus est, & tutatur, maximis senatus laudibus ornatus est. laudo, laudo vos, Quirites, cum gratissimis animis prosequimini nomen clarissimi adolescentis, vel pueri potius; sunt enim facta eius immortalitatis, nomen aetatis. multa memini: multa audiui: multa legi: nihil ex omni saeculorum memoria tale cognoui. qui, cum seruitute premeremur, in dies malum cresceret, praesidii nihil haberemus, capitalem, & pestiferū Brundisio M. Antonii reditum timeremus; hoc insperatum omnibus consilium incognitum certe, ceperit, vt exercitum inuictum ex paternis militibus conduceret, Antoniiq. furorem crudelissimis consiliis incitatum, a pernicie reip. auerteret. quis est enim, qui hoc non intelligat, nisi Caesar exercitum parauisset, non sine exitio nostro futurum Antonii reditum fuisse? ita enim se recipiebat ardens odio vestri, cruentus sanguine ciuium R. quos Sueßae, quos Brundisii occiderat, vt nihil nisi de reip. pernicie cogitaret. quod autem erat praesidium salutis, libertatisq, vestrae, si C. Caesaris, fortissimorum sui patris militum, exercitus non fuisset? cuius de laudibus, & honoribus, qui ei pro diuinis & immortalibus meritis diuini, immortalesq. debentur, mihi senatus assensus paullo ante decreuit, vt primo quoque tempore referretur. quo decreto, quis non perspicit, hostem esse Antonium iudicatum? quem enim appellare possumus eum, contra quem qui exercitus ducunt, iis senatus arbitratur singulares exquirendos honores? Quid legio Martia? quae mihi videtur diuinitus ab eo deo traxisse nomen, a quo populum R. generatum accepimus. non ipsa suis decretis prius, quam senatus, hostem iudicauit Antonium? nam, si ille non hostis; hos, qui consulem reliquerunt, hostes, necesse est, iudicemus. praeclare, & loco reclamatione vestra factum pulcherrimum Martialium comprobauistis, qui se ad senatus auctoritatem, ad libertatem vestram, ad uniuersam remp. contulerunt, hostem illum, & latronem, & parricidam patriae reliquerunt: nec solum id animose, & fortiter, sed cōsiderate etiam, sapienterq. fecerunt: Albae constiterunt, in vrbe opportuna, munita, propinqua, fortissimorum virorum, fidelissimorum ciuium, atque optimorum. huius Martiae legionis legio Quarta imitata virtutem, duce L. Egnatuleio, quem senatus merito paullo ante laudauit, C. Caesaris exercitum persecuta est.

EXPLANATIO

IN hac oratione difficilia, aut ambigua perquam pauca occurrent: itaque breuitatem sequar ex instituto meo: ne, quod tempus ad locat tantum impedita, atque obscura nobis esse conferendum statuimus, eius temere iactura fiat in expeditis, atque apertis. ANIMVS *mihi quidem numquam defuit*] hoc pertinet ad, Alacritatem, nunc primum, facta temporum mutatione, exortam. NVNC *facere non possem.*] me enim occidisset Antonius. Phil. 3 Si enim tum illi, caedis a me initium quaerenti, respondere voluissem; nunc reipub. consulere non possem. SED *re*] probabit hoc paullo post. NVNC *vero multo sum erectior,*] clamorem sustulit populus, vbi Antonium re hostem esse iudicatum cognouit quo clamore animum sibi additum Cicero dicit. LAVDO, *laudo vos, Quirites,*] audito Caesaris nomine, laetitiae suae signum populus consentiens clamore dedit. VEL *pueri potius:*] Tacitus lib. XIII Velleius lib. 2. annum aetatis XIX ei hoc tempore definiunt. IMMORTALITATIS,] eiusmodi vt numquam interitura memoria videatur. NOMEN *aetatis.*] adolescentem, enim, vel puerum potius, eo nominando, ostendimus. HOC *insperatum consilium, incognitum certe, ceperit,*] Phil. 3. dixit: Nec postulantibus, nec cogitantibus nec optantibus quidem nobis. REFERRETVR.] a nouis consulibus. HVIVS *Martiae legionis*] quis, Martiæ, superuacenum esse non videt? PERSECVTA *est.*] pro, ad eum se contulit sic locutus Phil. 3.

Landesbibliothek Oldenburg

ORATIO

Quae exspectas, M. Antoni, iudicia grauiora? Caesar fertur in caelum, qui contra te exercitum comparauit: laudantur exquisitissimis verbis legiones, quae te reliquerunt, quae a te arcessitae sunt; quae essent, si te consulem, quam hostem, maluisses, tuae: quarum legionum fortissimum, verissimumq. iudicium confirmat senatus, comprobat vniuersus populus R. nisi forte vos, Quirites, consulem, non hostem, iudicatis Antonium. Sic arbitrabar, Quirites, vos iudicare, vt ostenditis. quid municipia, colonias, praefecturas, num aliter iudicare censetis? omnes mortales vna mente consentiunt, omnia arma eorum, qui haec salua velint, contra illam pestem esse capienda. Quid? D. Bruti iudicium, Quirites, quod ex hodierno eius edicto perspicere potuistis, num cui tandem contemnendum videtur? recte, & vere negastis, Quirites: est enim quasi deorum immortalium beneficio, & munere datum reip. Brutorum genus, & nomen ad libertatem populi R. vel constituendam, vel recuperandam. quid igitur D. Brutus de M. Antonio iudicauit? excludit prouincia: exercitus obsistit: Galliam totam hortatur ad bellum, ipsam sua sponte, suoq. iudicio excitatam. si consul Antonius; Brutus hostis. si conseruator reip. Brutus; hostis Antonius. num igitur, vtrum horum sit, dubitare possumus? atque, vt vos vna mente, vnaq. voce dubitare vos negatis, sic modo decreuit senatus, D. Brutum optime de rep. mereri, cum senatus auctoritatem, populiq. R. libertatem, imperiumq. defenderet. a quo defenderet? nempe ab hoste: quae est enim alia laudãda defensio? Deinceps laudatur prouincia Gallia, meritoq. ornatur verbis amplissimis ab senatu, quod resistat Antonio, quem si consulem illa prouincia putaret, neque eum reciperet; magno scelere se adstringeret. omnes enim in consulis iure, & imperio debent esse prouinciae. negat hoc D. Brutus imperator, consul designatus, natus reip. ciuis; negat Gallia, negat cuncta Italia. negat senatus. negatis vos. quis illum igitur consulem, ni latrones putant? quamquam ne ij quidem ipsi, quod loquuntur, id sentiunt, nec a iudicio omnium mortalium, quamuis impij, nefarijq. sint sicut sunt, dissentire possunt. sed spes rapiendi, atque praedandi, obcaecat animos eorum: quos non bonorum donatio, non agrorum assignatio, non illa infinita hasta satiauit: qui sibi vrbem, qui bona, & fortunas ciuium ad praedam proposuerunt: qui, dum sit, quod rapiant, quod auferant, nihil sibi defuturum arbitrantur: quibus M. Antonius (o dij immortales auertite, & detestamini, quaeso, hoc omen) vrbem se diuisurum esse promisit. Ita verò ei, vt precamini, eueniat, atque huius amentiae poena in ipsum familiamq. eius recidat. quod ita futurum esse confido. iam enim non solum homines, sed etiam deos immortales ad remp. conseruandam arbitror consensisse siue enim prodigijs, atque portentis dij immortales nobis futura praedicunt; ita sunt aperte denunciata, vt & illi poena, & nobis libertas appropinquet; siue tantus consensus omnium sine impulsu deorum esse non potuit; quid est, quod de voluntate caelestium dubitare possimus?

EXPLANATIO

QVAE *te reliquerunt*] si Tacito credimus a Caesare corruptae. ARCESSITAE] Brundisio. Phil 6 Ad quem legatos ad eum, ne qui ad opprimenda rem Brundisio legiones arcessierit? VT *ostenditis.*] vna omnium voce. NEGAT *hoc*] esse consulem Antonium. QVAMVIS *impij, nefariiq. sint sicut sunt,*] concinnus loquendi modus: vt Phil. 1. Satis erat probatum illum esse populo Romano, vt est. Et Phil 2. Necesse est, quamuis, fis, vt es, violentus & furens, cũ tibi obiecta sit species singularis viri, perterritum de somno excitari. BONORVM *donatio,*] viuo Caesare, cui bellum gerenti operam nauauerant. AGRORVM] in Campania maxime. HASTA auctio de Pompeianorum bonis. VRBEM *se diuisurum esse promisit.*] Phil. 13. Ingressus vrbem est, quo comitatu vel potius agmine? cum dextra, sinistra, gemente populo Romano, minaretur dominis notaret domos, diuisurum se vrbem, palamst uis polliceretur. ITA *sunt aperte denunciata,*] quibus prodigijs, atque portentis, nulla, quod sciam, docet historia.

ORATIO

RElinquum est, Quirites, vt vos in ista sententia, quam prae vobis fertis, perseueretis. faciam igitur, vt imperatores instructa acie solent; quamquam paratissimos milites ad proeliandum videant, vt eos tamen adhortentur. sic ego vos ardentes, & erectos, ad libertatem recuperandam cohortabor. Non est, non est vobis, Quirites, cum eo hoste certamen, quo cum aliqua pacis condicio esse possit. neque enim ille seruitutem vestram, vt antea, sed iam iratus sanguinem concupiscit. nullus ei ludus videtur esse iucundior, quam cruor, quam caedes, quam ante oculos trucidatio ciuium. non est vobis res, Quirites, cum scelerato homine, atque nefario, sed cum immani, taetraq. bellua: quae quoniam in foueam incidit, obruatur. si enim illinc emerserit: nullius supplicij crudelitas erit recusanda. sed tenetur, premitur, vrgetur, nunc ijs copiis, quas habemus, mox iis, quas paucis diebus noui consules comparabunt. Incumbite in caussam, Quirites, vt facitis, numquam maior vester consensus in vlla caussa fuit: numquam tam vehementer cum senatu consociati fuistis. nec mirum: agitur enim, non qua condicione victuri, sed victuri ne simus, an cum supplicio ignominiaq. perituri. quamquam

mortem quidem omnibus natura proposuit: crudelitatem mortis, & dedecus virtus propulsare solet: quae propria est Romani generis, & seminis. hanc retinete, quaeso, Quirites: quam vobis, tam quam hereditatem, maiores vestri reliquerunt. quamquam alia omnia incerta sunt, caduca, mobilia: virtus est una altissimis defixa radicibus: quae numquam vlla vi labefactari potest, numquam demoueri loco. ac maiores vestri primum vniuersam Italiam deuicerunt, deinde Carthaginem exciderunt, Numantiam euerterunt, potentissimos reges, bellicosissimas gentes in ditionem huius imperij redegerunt. Ac maioribus quidem vestris, Quirites, cum eo hoste res erat, qui haberet remp. curiam, aerarium, consensum, & concordiam ciuium, rationem aliquam, si ita res tulisset, pacis, & fœderis: hic vester hostis vestram rempub. oppugnat, ipse habet nullam: senatum, ideo est orbis terrae consilium, delere gessit, ipse consilium publicum nullum habet: aerarium vestrum exhausit, suum non habet. nam concordiam ciuium qui habere potest, nullam qui habeat ciuitatem? pacis uero quae potest cū eo esse ratio, in quo est incredibilis crudelitas, fides nulla? est igitur, Quirites, populo R. victori omnium gentium, omne certamen cum percussore, cum latrone, cum Spartaco. nam, quod se similem Catilinae esse gloriari solet: scelere par est illi, industria inferior. ille cum exercitum nullum habuisset, repente conflauit; hic cum exercitum, quem accepit, amisit. ut igitur Catilinam diligentia mea, senatus auctoritate, uestro studio, & uirtute fregistis: sic Antony nefarium latrocinium uestraeum senatu concordia tanta, quanta numquam fuit, felicitate, & virtute exercituum, ducumq. uestrorum, brani tempore oppressum audietis. equidem, quantum cura, labore, vigiliis, auctoritate, consilio eniti, atque efficere potero, nihil praetermittam, quod ad libertatem uestram pertinere arbitrabor. neque enim id pro uestris āplissimis in me beneficiis sine scelere facere possum. hodierno autem die primum, referente, uiro fortissimo, uobisq. amicissimo, hoc M. Seruilio, collegisq. eius, ornatissimis uiris, optimis ciuibus, longo interuallo, me auctore, & principe, ad spem libertatis exarsimus.

EXPLANATIO

VNIVERSAM *Italiam*] in qua debellanda plus consumptum est temporis, quam in reliquo terrarum orbe. Italia vero ad imperium adiuncta, exteris gentibus formidabilis potentia Romanorum fuit. CARTHAGINEM *exciderunt, Numantiam euerterunt.*] vtramque Scipio Aemilianus. POTENTISSIMOS *reges,*] Perseum Macedoniae, Antiochum Asiae, Mithridatem Ponti regem. BELLICOSISSIMAS *gentes*] Hispanos, & Gallos. CVM *eo hoste res erat,*] quocumque hoste. SI *res ita tulisset,*] vt agendum esset de pace, & foedere. sed ideo res non tulit, quia vicistis. CVM *Spartaco.*] seruorum duce: quo victo, M. Crassus, myrtea corona, ouans in Albano monte triumphauit. nota satis historia. GLORIARI *solet:*] oratorie: fingit enim, quod credi possit: quia talem se contra patriam, & libertatem, qualem olim Catilina, praeberet Antonius. AMISIT.] cum eum duae legiones reliquerint. DILIGENTIA *mea,*] qui coniurationem patefeci, & occurri, quantum in me fuit, nascentibus malis. SENATVS *auctoritate,*] qui, hoste Catilina iudicato, de comprehensis coniuratis vltimum sumendum esse supplicium censuit. VESTRO *studio,*] erga rem pub. a domesticis hostibus defendendam. ET *virtute*] qui contra Catilinam, duce C. Antonio consule, pro patria feliciter pugnastis. SINE *scelere*] si quid praetermitterem erga vos, qui me summis honoribus nouum hominem, & a me ipso ortum, affecistis plane me scelestum, ac nefariū esse confiterer. Phil. 6 Quid enim non debeo vobis, Quirites, quem vos, a se ortum, hominibus nobilissimis omnibus honoribus praetulistis? Similiter locutus est in ep. ad Lentulum: Facis abundantia quadam amoris, vt etiam grata sint ea, quae praetermitti sine nefario scelere non possint. REFERENTE *hoc M. Seruilio,*] relationis principe. nam, vt opinor, omnes tribuni pl. retulerunt. & sequitur, Collegisq. eius. ME *auctore, & principe.*] cunctantibus ceteris, dixit in ep. ad Cornificium, Liberalibus. EXARSIMVS.] Summam libertatis cupiditatem aptiore verbo declarare non potuit.



IN. QVINCTAM M. TVLLII. CICERONIS PHILIPPICAM PAVLLI. MANVTII COMMENTARIVS

ARGVMENTVM

OBsidente Mutinam Antonio, non modo sine senatus auctoritate, sed inuito etiam senatu, qui Galliam citeriorem D. Bruto, iam antea a Caesare datam, post eius necem confirmauerat, noui consules Pansa, & Hirtius, Kalendis Ian. primo consulatus die, conuocato de more senatu, non solum de Mutinae obsidione, sed omnino de tota rep. deq. honoribus, & praemijs bene de rep. meritorum, ac merentium, de quibus XIII. Kal. S.C. factum erat, retulerunt. Quod ad Mutinam attinuit, censuit is, qui sententiam primus rogatus est, mittendos ad Antonium legatos, qui agerent cum eo, vt ab eius vrbis obsidione desisteret. Cicero autem, suo loco rogatus, turpe, & indignum dicit esse senatus ac populi Romani maiestate, ad eum legatos de pace mittere, de quo ante paucos dies, tamquam de hoste, grauissima, & seueriſsima iudicia idem senatus fecerit. decreuerat enim XIII. kal. Ian. quo die habitam esse tertiam orationem diximus, vt de honoribus Caesaris, & Bruti, qui remp. priuato consilio defendendam susceperant, deque praemijs Martiae, & Quartae legionum, quae, Antonio relicto, ad Caesarem se contulerant, primo quoque tempore noui consules referrent. Deinde vehemẽter incubuit Cicero, vt hostis iudicaretur Antonius, & ea decernerentur de honoribus, & praemijs, quae senatus ex nouorum consulum relatione decerni sibi placere ostenderat. Senatus eo die nihil decreuit, sed triduo post, mittendos omnino, censuit, qui Antonio nunciarent, ne consulem designatum oppugnaret, ne Mutinam obsideret, ne prouinciam depopularetur, ne delectus haberet, esset in senatus, populiq. Ro. potestate. quae in concione Cicero exposuit, vt in Phil. 6.

IN M.

IN. M. ANTONIVM
PHILIPPICARVM
LIBER. QVINCTVS
ORATIO. XLVII.

NIhil vmquam longius his Kalend. Ian. mihi visum est, P.C. quod idem intelligebam per hos dies vnicuique vestrum videri, qui enim bellum cum repub. gerunt, hunc diem non exspectant. nos autem tum, cum maxime consilio nostro subuenire communi saluti oporteret, in senatum non vocabamur. sed querellam praeteritorum dierum sustulit oratio consulum: qui ita locuti sunt, vt magis exoptatae Kalendae, quam serae, esse videantur. atque, vt oratio consulum animum meum erexit, spemque attulit non modo salutis conseruandae, verum etiam dignitatis pristinae recuperandae: sic me perturbasset eius sententia, qui primus rogatus est, nisi vestrae virtuti, constantiaeque confiderem. hic enim vobis, P.C. dies illuxit, haec potestas data est, vt, quantum virtutis, quantum constantiae, quantum grauitatis in huius ordinis consilio esset, populo R. declarare posſetis. recordamini, qui dies nudius tertius decimus fuerit, quantus consensus vestrum, quanta virtus, quanta constantia: quantam sitis a populo Rom. laudem, quantam gloriam, quantam gratiam consecuti. atque illo die, P. C. ea constituistis, vt vobis nihil iam sit integrum, nisi aut honesta pax, aut bellum necessarium. pacem vult M. Antonius: arma ponat; roget, deprecetur: neminem aequiorem me reperiet; cui quidem, dum se ciuibus impiis commendat, inimicus, quam amicus, esse maluit. nihil est profecto, quod dari possit bellum gerenti: erit fortasse aliquid, quod concedi possit roganti. legatos vero ad eum mittere, de quo grauissimum & seuerissimum iudicium nudius tertius decimus feceritis, non iam leuitatis est, sed, vt quod sentio dicam, dementiae. primum enim duces eos laudauistis, qui contra illum priuato consilio bellum suscepissent: deinde milites veteranos; qui cum ab Antonio in colonias essent deducti, illius beneficio libertatem populi R. anteposuerunt.

EXPLANATIO

VM *maxime consilio nostro subuenire communi saluti oporteret,*] saepe queritur, profecto ab vrbe Antonio, vt Galliam inuaderet, non statim senatum esse habitum, cum res communis, & publica salus ageretur. profectus enim est ab vrbe Antonius III. Kalend. Dec. vt Phil. 3. docet senatus autem non ante XIII. Kal. Ian. habitus est, vt ex Ph. l. 6. & duabus epistolis ad Brutum, & Cornificium, supra ostendimus. QVI *ita locuti sunt,*] eum in remp. animum, eamque defendendae libertatis cupiditatem ostenderunt, vt si quid tarditate amisimus, id studio, cura, celeritate sarcire velle videantur. QVI. PRIMVS *rogatus est,*] nihil minus ab initio cogitaui, quam vt eorum qui Ciceronis orationes explanandas susceperunt opiniones refellerem: infinitum enim quidam esset: hic tamen, oblitus instituti mei temeritatem eorum cogor ostendere quod, nullo Ciceronis testimonio, nulla sufffragante historia, L. Pisonem hunc esse confirmarunt, qui primus rogatus est. quod si diligenter hos Philippicarum libros euoluissent, non hunc esse L. Pisonem, sed Q. Fusium Calenum facile cognouissent, nam Phil. x. sunt haec: Quae est ista tua ratio, Calene, quae mens, qui numquam post Kalen. Ian. idem senseris, quod is, qui te sententiam primum rogat? Cur autem eum primum rogare maluerit Pansa consul, quam de consularibus quemuis alium affinitas effecit. erat enim Caleni gener Pansa. testis oratio octaua, in qua scriptum sic est. Satis multa cum Fusio, ac sine odio omnia, nihil sine dolore. credo autem, qui generi querellam moderate ferat, aequo animo laturum amici: sic Caesar consul, collocata Pompeio filia primum eum rogare sententiam coepit, cum Crassum soleret, essetq. consuetudo, vt, quem ordinem interrogandi sententias consul Kalendis Ian. instituisset, eum toto anno conseruaret. NVDIVS *tertius decimus,*] XIII. Kal. Ian. cum noui tribuni pl. senatum conuocassent, & de consulum designatorum, ac senatus praesidio retulissent. Phil. 3. IN *colonias*] Casilinum. Phil. 2.

ORATIO

QVid *legio Martia? quid Quarta? cur laudantur? si enim consulem suum reliquerunt, vituperandae sunt: si inimicum reipub. iure laudantur. atqui cum consules nondum haberetis, decreuistis, vt & de praemiis militum, & de honoribus imperatorum prima quoque tempore referretur. placet eodem tempore praemia constituere iis, qui contra Antonium arma ceperint, & legatos ad Antonium mittere? vt iam pudendum sit honestiora decreta esse legionum, quam senatus: siquidem legiones decreuerunt senatum defendere contra Antonium; senatus decernit legatos ad Antonium. vtrum hoc est confirmare militum animos, an debilitare virtutem? hoc dies duodecim profecerit, vt, quem nemo, praeter Cotylam, tum inuentus sit qui defenderet, is ha-*

beat

Landesbibliothek Oldenburg

beat iam patronos etiam consulares? qui vtinam omnes ante me sententiam rogarentur. quamquam suspicor, quid dicturi sint quidam eorum, qui post me rogabuntur. facilius contradicerem, si quid videretur. est enim opinio, decreturum aliquē Antonio illam vltimam Galliam, quam Plancus obtinet. quid est aliud omnia ad bellum ciuile hosti arma largiri? primum neruos belli, pecuniam infinitam, qua nunc eget: deinde equitatum, quantum velit: equitatum dico? dubitabit, credo. gentes barbaras secum adducere. hoc qui non videt, excors qui, cum videt, decernit, impius. Tu ciuē scelerat um, & perditum, Gallorum, & Germanorum exercitu, pecunia, peditatu, equitatu, copiis instrues? nullae istae excusationes sunt: Meus amicus est. sit patria prius. Meus cognatus: an potest cognatio propior vlla esse, quam patriae, in qua parentes etiam continentur? Mihi pecuniā attribuit. cupio videre, qui id audeat dicere. quid autem agatur, cum aperuero; facile erit statuere, quam sententiam dicatis, aut quam sequamini.

EXPLANATIO

DECREVISTIS,] Phil. 3. COTYLAM,] L. Varium Cotylam, aedilicium, qui tum affuit in senatu, postea profectus est Mutinam ad Antonium, eumq. legatum ad senatum Antonius remisit: vt Phil. 8. ETIAM *consulares?*] consulatum gesserat Calenus cum Vatinio. OMNES] omnes, qui sunt in senatu, consulares. ALIQVEM] consularem. PECVNIAM *infinitam.*] quam ei consularis ille decreturus esse, & cum pecunia equitatum quantum vellet, putabatur. SIT *patria prius.*] sit amica tibi prius, vt esse debet, patria.

ORATIO

AGitur, *vtrum M. Antonio facultas detur opprimendae reip. caedis faciendae bonorum, diripiendae vrbis, agrorum suis latronibus condonandi, populum R. seruitute opprimendi, an horum nihil facere ei liceat. dubitate, quid agatis. At non cadunt haec in Antoniam. hoc ne Cotyla quidem dicere auderet. quid enim in eum non cadit, qui, cuius acta se defendere dicit, eius eas leges peruertit, quas maxime laudare poteramus? ille paludes siccare voluit: hic omnem Italiam moderato homini, L. Antonio diuidendam dedit. quid? hanc legem populus R. accepit? quid? per auspicia ferri potuit? sed augur verecundus sine collegis de auspicijs. quā quam illa auspicia non egent interpretatione augurum. Ioue enim tonante, cum populo agi non esse fas, quis ignorat? tribuni pl. tulerunt de prouincijs contra acta Caesaris, ille biennium. hic sexennium. num etiam haec lex populus R. accepit? quid? promulgata fuit? quid? non ante lata, quam scripta? non ante factum vidimus, quam futurum quisquam est suspicatus? vbi lex Caecilia & Didia? vbi promulgatio trinundinum? vbi poenae recenti lege Iunia, et Licinia? possunt ne hae leges ratae esse sine interitu legum reliquarum? eccui potestas in forū insinuandi fuit? quae porro illa tonitrua? quae tempestas vt, si auspicia M. Antonium non monerent, sustinere tamen eum, ac ferre posse tantam vim tempestatis, imbris, ac turbinum, mirum videretur. quam legem igitur se augur dicit tulisse non modo tonante Ioue, sed prope caelesti clamore prohibente, hanc dubitabit contra auspicia latam confiteri? Quid? quod cum eo collegat tulit, quem ipse fecit sua nunciatione vitiosum, nihil ne ad auspicia bonus augur pertinere arbitratus est? Sed auspiciorum nos fortasse erimus interpretes, qui sumus eius collegae: num & iam armorum interpretes quaerimus? primum omnes fori aditus ita saepti, vt, etiam si nemo obstaret armatus, tamen, nisi sueptis reuulsis, introiri in forum nullo modo posset. sic vero erant dispositа praesidia, vt, quo modo hostium aditus vrbe prohibentur, ita castellis, & operibus ab ingressione fori populum, tribunosq. pl. propulsari videres.*

EXPLANATIO

AGRORVM *suis latronibus condonandi.*] pro, condonandorū: vt in Vatinium, Prouinciae decernendi potestatem: pro, decernendae. DVBITATE, *quid agatis.*] indignatio. quis enim, tanto proposito periculo, dubitet? ILLE *paludes*] Suetonius: Siccare Pontinas paludes, emittere Fucinū lacū, viā munire a mari supero per Apennini dorsū ad Tiberī vsque, talia agentē, atque meditantē mors praeuenit. SICCARE] vt augeret patrimonium populi Romani. ITALIAM.] oratorie pro, Italiae partem. L. ANTONIO] principem locum inter septemuiros obtinenti. HANC *legem*] de agris a L. Antonio diuidendis. PER *auspicia ferri potuit?*] infra: Ioue tonante, cū populo agi nefas esse quis ignorat? Et post: Quae porro illa tonitrua? quae tempestas? VERECVNDVS] minime verecundus SINE *collegis*] agit, & interpretatur. CONTRA *acta Caesaris,*] ille enim tulerat, vt praetoriae prouinciae ne plus, quam annum, consulares ne plus, quam biennium, obtinerentur. Antonio autem consule duo tribuni pl. lege lata, praetorijs biennium, consularibus sexennium, ex ipsius Antonij sententia dederunt. VBI *lex Caecilia, & Didia?*] quae sunt de tempore ferendarum legum, eāsq. patere populo promulgatas per trinas nundinas iubent. VBI *poenae*] ijs irrogatae, qui legitimum promulgationis tempus nō seruassent. In libro nostro de legibus. IN *forum insinuandi*] omnes enim aditus Antonius clauserat, ne cui obnunciare, aut intercedere liceret. Reprehēditur, vt pvī lata lex de diuidēdis agris a septemuiris, quam

ris: quam postea sustulit senatus. Phil. 6. & xi. Insinuandi, nullo adiuncto casu: vt in ep ad Nigidiū In ipsius consuetudinē quā adhuc meus pudor mihi clausit, insinuabo. lib. 1. de Orat. idq. cū arg umentis docuerat, quod ita nati essemus, vt & blandiri & suppliciter insinuare iis, &c. Et 5. Verr. videtis vt moneat Apronīū, quibus rebus ac muneribus insinuet in familiaritatē Metelli. QVAE *porro illa tonitrua? quae tempestas?*] haec acciderunt, cum Antonius de tertia iudicum decuria legem ferret. infra: Em caussam, cur lex tam egregia, tamq. praeclara, maximo imbri, tempestate, ventis, procellis, turbinibus, inter fulmina, & tonitrua ferretur. Hanc igitur legem hic Cicero significat NIHILne *ad auspicia bonus augur pertinere arbitratus est?*] ea lex, quam cum vitioso collega tulit, ei ne carere vitio, & saluis auspicijs videtur esse lata? Nos *fortasse erimus interpretes.*] Phil. 2. Nolo plura; ne acta Dolabellae vi dear conuellere: quae, necesse est, aliquando ad nostrum collegium deferantur. NVM *etiam armorum interpretes quaerimus?*] certe quaerendi non sunt. leges enim illas per vim latas esse constat.

ORATIO

QVibus de caussis eas leges, quas M. Antonius tulisse dicitur, omnes censeo per vim, & contra auspicia latas, iisq. legibus populum non teneri. si quam legem de actis Caesaris confirmandis, de ve dictatura in perpetuū tollenda, de ve coloniis in agros deducendis tulisse M. Antonius dicitur, easdem leges de integro, vt populum teneant, saluis auspiciis ferri placet. quamuis enim res bonas vitiose, per vimq. tulerit; tamen hae leges non sunt habendae; omnisq. audacia gladiatoris amentis auctoritate nostra repudianda est. Illa vero dissipatio pecuniae publicae ferenda nullo modo est per quam septies millies falsis perscriptionibus, donationibusq. auertit: vt portenti simile videatur, tantam pecuniam populi R. tam breui tempore perire potuisse.

EXPLANATIO

DE *ve dictatura in perpetuum tollenda,*] sustulit eam S. C. non lege: vt Phil 1. demonstrat nisi si legem ex S. C. tulit. SEPTIES *millies*] diximus Phil. 1. in eo loco Pecunia vtinam ad Opis maneret. FALSIS *perscriptionibus.*] in tabulis quae erant ad Opis quantum cuique pecuniae Caesar dari voluisset perscripsit, cū id nō esset in commentarijs Caesaris, eaq. pecunia collegam suum Dolabellam corrupit: vt ad Att. lib. XIV. ep. saepius. ep. vero 1. lib. XII. fam. Pecuniae maximae describuntur.

ORATIO

QVid illi immanes quaestus? ferendi ne? quos M. Antonii tota exhausit domus. decreta falsa vendebat: regna, ciuitates, immunitatis in aes, accepta pecunia, iubebat incidi. haec se ex commentariis Caesaris, quorum ipse auctor erat, agere dicebit. calebant in interiore aedium parte totius reip. nundinae: mulier sibi felicior, quam viris, auctionem prouinciarum, regnorumq. faciebat: restituebantur exsules quaest lege, sine lege. quae nisi auctoritate senatus rescinduntur; quoniam ingressi in spem reip. recuperandae sumus: imago nulla liberae ciuitatis relinquetur. neque solum commentariis commenticiis, chirographisq. venalibus innumerabilis pecunia congesta in illā domum est, cum, quae vendebat Antonius, ea se ex actis Caesaris agere diceret: sed senatus etiā consulta, pecunia accepta, falsa referebat: syngraphae obsignabantur: S. C. tamquam facta, ad aerarium referebantur. Huius torpitudinis testes erant etiam exterae nationes. foedera interea facta: regna data, populi prouinciaeq. liberatae: earumq. rerum falsae tabulae, gemente populo R. toto Capitolio figebantur. quibus rebus tanta pecunia vna in domo coaceruata est, vt, si hoc genus in vnum redigatur, non sit pecunia populo R. defutura.

EXPLANATIO

MVLIER] vxor eius Fuluia. QVAM *viris,*] diximus iam, occisos esse duos eius viros, Clodium, & Curionem. REFEREBAT:] ad eos, a quibus pecuniam acceperat. OBSIGNABANTVR:] ab ijs, qui emebant, vt a Deiotari legatis. Phil. 2. NVMQVAM *facta,*] de quibus consultus numquam senatus erat. AD *aerarium*] S. C. primum in senatu scribebantur, deinde in aes incidebantur, tum in Capitolio figebantur. postremo ad aerarium deferebantur. & quod de S. C. idem de legibus dico: vt ipso auctore Cicerone cognoscitur. Phil. 3. Falsas leges C. Caesaris nomine, & falsa decreta in aes incidenda, & in Capitolio figenda curauerit. Phil. 12. S C. falsa delata ab eo iudicauimus. Phil. 13. Eoq. ipso die innumerabilia S. C. fecit. quae omnia citius delata, quam scripta. FALSAE *tabulae,*] leges, tamquam a Caesare latae. ep. 12. lib. IV. ad Att.

ORATIO

Landesbibliothek Oldenburg

ORATIO

LEgem etiam iudiciariam tulit homo castus, atque integer, iudiciorum, & iuris auctor. in quo nos fefellit, antesignanos, & manipulares, & alaudas iudices se constituisse dicebat. at ille legit aleatores legit exsules, legit Graecos. o consessum iudicum praeclarum; o dignitatem consilij admirandam. auet animus, apud consilium illud pro reo dicere, Cydam Cretensem, portentum insulae, hominem audacissimum, & perditissimum. sed fac non esse, num Latine scit? num est ex iudicum genere, & forma? num, quod maximum est, leges nostras, mores ve nouit? num denique homines? est enim Creta vobis notior, quam Roma Cydae. delectus autem, & notatio iudicum etiam in nostris ciuibus haberi solet. Cortynium vero iudicem quis nouit? aut quis nosse potuit? nã Lysiadem Athenienſem plerique nouimus: est enim Phaedri, philosophi nobilis, filius: homo praeterea festiuus: vt ei cum M'. Curio, consessore eodem, & collusore, facillime possit conuenire. quaero igitur, si Lysiades citatus iudex non responderit, excusetur q. Areopagites esse, nec debere eodem tempore Romae, & Athenis res iudicare: accipiet ne excusationẽ is, qui quaestioni praeerit, Geaeculi iudicis modo palliati, modo togati? an Atheniẽsium antiquissimas leges negliget? qui porro ille consessus, dij boni? Cretensis iudex, isq. nequissimus. quem ad hunc reus alleget? quo modo accedat? dura natio est. at Athenienses misericordes. puto ne Curium quidẽ esse crudelem, qui quotidie periculum fortunae faciat. sunt item lecti iudices, qui fortasse excusabuntur: habent enim legitimam excusationem, exsulii causa solum vertisse, nec esse postea restitutos. hos ille demens iudices legisset, horum nomina ad aerarium detulisset, his magnam partem reip. credidisset, si vllam speciem reip. cogitauisset? Atque ego de notis iudicibus dixi. quos minus nostis, nolui nominare. saltatores, citharistas, totum denique commessationis Antonianae chorum in tertiam decuriam iudicum scitote esse: coniectum. Em causam, cur lex tam egregia, tamq. praeclara, maximo imbri, tempestate, ventis, procellis, turbinibus, inter fulmina, & tonitrua ferretur, vt eos iudices haberemus, quos hospites habere nemo velit. scelerum magnitudo, conscientia maleficiorum, direptio eius pecuniae, cuius ratio in aede Opis confecta est, hanc tertiam decuriam excogitauit: nec ante turpes iudices quaesiti, quam honestis iudicibus nocentium salus desperata est. sed illud os, illam impuritatem coeni fuisse, vt hos iudices legereauderet, quorum lectione duplex imprimeretur reip. dedecus; vnum, quod tam turpes iudices esset; alterum, quod patefactum esset, quam multos in ciuitate turpes haberemus. Hanc ego, & reliquas eiusmodi leges, etiam si sine vi, saluis auspiciis, essent rogatae, censerem tamen abrogandas: nunc non abrogandas censeam, quas iudico non rogatas?

EXPLANATIO

LEGEM *etiam iudiciariam*] vide Phil. 1. HOMO *castus atque integer*,] qui nihil vitij pati posset in iudicijs. Sed ex ijs, quos iudices legit, qua sit castus, atque integer, quam grauis auctor iuris, & iudiciorum licet intelligere. MANIPVLARES, & *Alaudas*] Phil. 1. dixit. Manipulares ex legione Alaudarum. nunc auget turpitudinem, cum addit, Et Alaudas, ideſt, & manipulares, & Gallicae gentis. ALEATORES,] Curium. GRAECOS.] Cydam, & Lysiadem. FAC *non esse*;] audacissimum, & perditissimum. EX *iudicum genere, & forma*?] ex eo genere, eaq. forma iudicum, qua oportet esse. ideſt, vt leges, moresq. nouerit. DELECTVS *autem, & notatio iudicum*] tantum abest, vt Graeci iudices legantur, vt ex nostris ciuibus delectus habeatur, & notentur, ideſt seligantur, qui praecipue a iudicandi munus apti videntur esse. PHAEDRI] philosophi Epicurei. ep 1 lib XIII. fam. PALLIATI,] Athenis. TOGATI?] Romae. ANTIQVISSIMAS *leges*] quae vetant, qui Areopagita sit, in alia ciuitate iudicem esse. ALLEGET?] vt agat causam suam. ATHENIENSES] Lysiades igitur misericors. PERICVLVM *fortunae faciat*.] in alea. & talis. notissimum aleatorem fuisse dicit Asconius, & in hunc a Caluo scriptum esse versiculum illum: Et talis Curius pereruditus. EXCVSABVNTVR:] si citati non responderint. EM *causam*.] sic libri scripti, non, En, vt infra: En, ad quem legatos, mittamus cui bellum moremur inferre. Et ep. 15. lib XIII. fam. Em, hic ille est de illis maxime, qui irridere, atque obiurgare me soliti sunt, quod me nõ tecum, praesertim cum abs te honorificentissime inuitarer, coniungerẽ. MAXIMO *imbri tempestate*,] supra: Quae porro illa tonitrua? quae tempestas? vt, si auspicia M. Antonium non mouerent, sustinere tame eũ, ac ferre posse tantam vim tempestatis imbris ac turbinum, mirum videretur. Et Phil. 1. RATIO *in aede Opis confecta est*,] ab Antonio, ipsius arbitratu: ne ratio tabularum ab ipsius diuisione discreparet. diuiserat enim quibus ipse voluerat, pecuniam illam, ad aedem Opis a Caesare depositã. Huc pertinet illud, quod est in Phil 8. Ne tangãtur rationes ad Opis, id est, ne septies millies tecuperetur. ILLVD os,] desiderari videtur aliquid, nec tamen deest: omittit enim verbum indignatio NVNC *vero cur abrogandas censeam*,] abrogari solent rogatae: non rogatas autem quorsum attinet abrogari?

ORATIO

ANilla nõ grauissimis ignominiis, monumentisq. huius ordinis ad posteritatis memoriam sunt notanda, quod vnus M. Antonius in hac vrbe post conditam vrbem palam secum habuerit armatos? quod neque reges

reges nostri fecerunt, neque ij qui, regibus exactis, regnum occupare voluerunt. Cinnam memini: vidi Sullam, modo Caesarem. hi enim tres, post ciuitatem a L. Bruto liberatam, plus potuerunt, quam vniuersa resp. non possum affirmare, nullis telis eos stipatos fuisse: hoc dico, nec multis, & occultis. at hanc pestem agmen armatorum sequebatur. Classitius, Mustela, Tiro, gladios ostentantes, sui similes greges ducebant per forum: certum agminis locum tenebant barbari sagittarij. cum autem erat ventum ad aedem Concordiae, gradus complebantur, lecticae collocabantur; non quo ille scuta occulta esse vellet; sed ne familiares, si scuta ipsi ferrent, laborarent. illud vero taeterrimũ non modo auditu, sed etiam ad spectu, in cella Cõcordiae collocari armatos latrones, sicarios; de templo carcerem fieri; opertis ualuis Concordiae, cũ inter subsellia senatus versarentur latrones, patres conscriptos sententias dicere. huc etiam nisi venirem Kal. Sept. fabros se missurum, & domum meam disturbaturum esse dixit. magna res, credo, agebatur. de supplicatione referebatur. veni postridie: ipse non venit. locutus sum de rep. minus equidem libere, quam mea consuetudo, liberius tamen, quam pericula, minaeq. postulabant. at ille, homo vehemens, & violentus, qui hanc consuetudinem libere dicendi excluderet, (fecerat enim hoc idem maxima cum laude L. Piso xxx diebus ante) inimicitias mihi denunciauit: adesse in senatu iussit ad XIII Kal. Oct. ipse inter ea septemdecim dies de me? Tiburtino Scipionis declamitauit, sitim quaerens: haec enim ei causa esse declamandi solet. cum is dies, quo me adesse iusserat, venisset; tum vero agmine quadrato in aedem Concordiae venit, atque in me absentem orationem ex ore impurissimo euomuit. quo die, si per amicos mihi cupienti in senatum venire licuisset, caedis initium fecisset a me: sic enim statuerat. cum autem semel gladium scelere imbuisset, nulla res ei finem caedendi, nisi defatigatio, & satietas, attulisset. etenim aderat Lucius frater, gladiator Asiaticus, qui Myrmillo Mylasis depugnarat: sanguinem nostrum sitiebat, suum illa gladiatoria pugna multum profuderat. hic pecunias nostras aestimabat: possessiones notabat, & vrbanas, & rusticas: huius mendicitas, auiditate coniuncta, in fortunas nostras imminebat: diuidebat agros quibus, & quos volebat: nullus aditus erat priuato, nulla aequitatis deprecatio tantum quisque habebat possessor, quantum reliquerat diuisor Antonius. Quae quamquam, si leges irritas, feceritis, rata esse non possunt: tamen separatim suo nomine notanda censeo; iudicandumque, nullos septem viros fuisse; nihil placere ratum esse, quod ab ijs actum diceretur. M. vero Antonium, quis est, qui ciuem possit iudicare potius, quam taeterrimum, & crudelissimum hostem, qui pro aede Castoris sedens, audiente populo R. duxerit, nisi victorem victurum neminem? num putatis, P. C. dixisse eum minacius, quam facturum fuisse?

EXPLANATIO

BARBARI *sagittarij.*] Thyrei. de quibus Phil. 2. LECTICAE] scutis refertae. CARCEREM *fieri;*] latrones enim, & sicarij sunt in carcere collocandi. OPERTIS *valuis concordiae,*] Phil. 2. Cur valuae Concordiae non patent? FABROS *se missurum*] hac de re Phil. 1. DE *supplicatione.*] ad mortui Caesaris honorem. Phil. 1. LOCVTVS *sum de rep.*] prima Philippica significatur habita IV. non. Sept. de qua in ep. ad Cornificium In summa reliquorum seruitute liber vnus fui: sic sum in Antonium inuectus, vt ille non ferret, omnemq. suum vinolentum furorem in me vnum effunderet. HANC *consuetudinem libere dicendi*] inductam a L. Pisone Kalendis Sext. vt infra & Phil. 1. & ep. 2. lib. XII. fam. XXX *diebus ante*] a Kalendis Sext. ad IV. non. Sept. quo die primam Philippicam habitam esse diximus, dies interiecti numerantur XXXI. Cicero, XXX, dixit. vnius diei ratione neglecta nam in supputatione temporis non subtiliter eum examinare solitum esse, Pedianus quoque obseruauit. SEPTEMDECIM *dies*] si spatium interpositum spectatur, a IV. non Sep. ad XIII. Kal. Oct. dies sunt sexdecim dũtaxat. IN *Tiburtino Scipionis*] in villa Scipionis Metelli, qui socer fuit Pompeij Magni. DECLAMITAVIT,] in ep. ad Cassium dixit, Commentatus est: sed hic maluit, Declamitauit, vt adderet Sitim quaerens: declamando enim, non commentando, sitis quaeritur. ita notare voluit Antonij vinolentiam. AGMINE *quadrato*] hoc pertinet ad excusationem, suam, quia vocatus in senatum non venerit. GLADIVTOR *Asiaticus,*] quia cum familiari suo, tamquam Myrmillo gladiator cum Thrace gladiatore, in Asia depugnauerat. MYRMILLO] genus gladiatorum, Phil. 3. Ex Myrmillone dux Phil 6. Mylasis Myrmillo Thracem iugulauit. Phil. 7. Myrmillo in Asia depugnauit. cum ornasset Trecidici comitẽ, & familiarẽ suum, illũ miserũ fugientẽ iugulauit: luculentam tamen ipse plagã accepit vt declarat cicatrix. MYLASIS *depugnauit.*] pro, fortiter pugnauit. Laudare videtur Luciũ, sed vituperat: occidit enim sine caussã comitẽ, & familiarẽ suum. Mylasa, neutri generis, vt Artaxata, Tigranocerta, Ecbatana, Comana, Alabanda, Hierosolyma. vrbs Asiae fuit in Caria, in qua natum esse Mausolum regem cui mortuo Mausoleũ illud fama celebratum vxor Artemisia condidit, ibiq. patrem eius habitasse Hecatominũ. ipsum autẽ Mausolũ Halicarnassum sibi sedẽ delegisse, & quia natura vrbs munita, & quia portu instructa, Strabo auctor est. Egregiae instructam fuisse candido marmore, ob vicinas lapicidinas idem tradidit. Direptam a Labieno, idem, & Dio. Vnam ex quattuor vrbibus, quas Phocioni Athenienſi Magnus Alexander dono detulit, nominat Plutarchus: Mysis antiquissimũ fuisse Carij Iouis templũ. commune Mysis quoque & Lydis, tamquam Carum fratribus, docent Herodotus, Strabo, Stephanus. Illud addit Herodotus, Parthos aliquando a Mylasio duce concisos esse. Liberam vrbem, ideſt, quae suis legibus viueret, nec stipendiũ Romanis penderet. Plinius appellat In Graecis libris, Μύλασσα, gemina S, in Cicerone Mylasis, vnica scriptum est, & Mylasij. in ep. ad Thermũ. SVVM *illa gladiatoria pugna multum profuderat.*] plagam enim ab eo, quem occidit luculentam accepit. Apte respondent: suum profu-

derat,nostrum sitiebat. PRIVATO,] ei, cuius agri diuiderentur. POSSESSOR.] vetus possessor. LEGES] a M.Antonio latas. IRRITAS *feceritis*,] tamquam per vim, & contra auspicia latas. PRO *aede Castoris*] in aede Castoris.In ep.8.lib.III.fan. Idq. pro tribunali, cum a liquid ageretur, & nonnullis in conuiuijs intelligi potuisse. Caesar lib. VI. Hac re pro suggestu nunciata. Sallustius in Iug. Numidae pro muris diu noctuq.agitare,maledicere Romanis.Liuius lib.XXXVIII.Laudati pro concione omnes sunt.

ORATIO

QVid vero, quod, in concione dicere ausus est? se, cum magistratu abisset, ad vrbem futurum cum exercitu, introiturum quotiescumque vellet. quid erat aliud, nisi denunciare populo R. seruitutem? Quod autem eius iter Brundisium, quae festinatio, quae spes, nisi vt adurbem,vel in vrbem potius exercitum maximũ adduceret? qui autem delectus centurionum? quae effrenatio impotentis animi? cum eius promissis legiones fortissimae reclamassent, domum ad se venire iussit centuriones, quos bene de rep. sentire cognouerat; eosq.ante pedes suos vxorisq. suae, quam secum, grauis imperator, ad exercitum duxerat, iugulari coegit. quo animo hunc futurum fuisse censetis in nos, quos oderat, cum in eos, quos numquam viderat, tam crudelis fuisset? & quam auidum in pecunijs locupletum, qui pauperum sanguinem concupisset? quorum ipsorum bona, quantacumque erant, statim suis comitibus, compotoribusq. descripsit. Atque ille furens infesta iam patriae signa a Brundisio inferebat; cum. C. Caesar deorum immortalium beneficio, diuini animi, ingenij, consilij magnitudine, quamquam sua sponte eximiaq. virtute,tamen approbatione auctoritatis meae, colonias patris adijt, veteranos milites conuocauit, paucis diebus exercitum fecit, incitatos latronis impetus retardauit. postea vero quam legio Martia ducem praestantissimum vidit,nihil egit aliud,nisi vt aliquando liberi essemus.quam est imitata Quarta legio. quo ille nuncio audito, cum senatum vocasset, adhibuissetq. consularem, qui sua sententia C. Caesarem hostem iudicaret; repente concidit. post autem,neque sacrificijs sollemnibus factis, neque votis nuncupatis, non profectus est, sed profugit paludatus: at quo? in prouinciam firmissimorum, & fortissimorum bellũ infeferre,ferre potuissent,impotẽtem, iracundum, ciuium: qui illum, ne si ita quidem venisset, vt nullum contumeliosum, superbum, semper poscentem, semper rapientem, semper ebrium. at ille, cuius. ne pacatam quidem nequitiam quisquam ferre posset, bellum intulit prouinciae Galliae; circumsedit Mutinam,firmissimam & splendidissimam populi R. coloniam; oppugnat D. Brutum imperatorem, consulem designatum, ciuem non sibi,sed nobis & reip. natum. Ergo Hannibal hostis, ciuis Antonius? quid ille fecit hostiliter, quod hic non aut fecerit, aut faciat, autmoliatur, & cogitet? totum iter Antonij quid habuit, nisi depopulationes, vastationes, caedes,rapinas? quas non faciebat Hannibal,quia multa ad vsum reseruabat. at hi, qui in horam viuerent, non modo de fortunis, & de bonis ciuium,sed ne de vtilitate quidem sua cogitauerunt.

EXPLANATIO

QVID *erat aliud,nisi denunciare populo Romano seruitutem?*] vsitatius Ciceroni: Quid erat aliud,denunciare populo Romano seruitutẽ? sic locutus Phil.I Quid est aliud,hortari adolescentes,vt turbulenti,vt seditiosi,vt pernicios ciues velint esse? Et Phil.2.Quid est aliud, tollere e vita vitae societatem? Locũ quidẽ interdũ habet, Nisi,sed in fine sententiae,vt in Pisonẽ: Quid est,aliud furere,nisi nõ cognoscere homines, non cognoscere leges, non senatũ,nõ ciuitatẽ? Et in Catone: Quid est aliud, cum dijs gigantum more pugnare.nisi,naturae repugnare? EXERCITVM *maximum*] quattuor legiones,Martiam,quae ad Caesarem adolescentem postea transierunt,Secundã, Trigesimamquinctam. Profectus est ab vrbe Antonius,vt ad eas legiones iret,VII.id.Oct de quo sic ad Carnificium.Ad VI. id.Oct.Brundisium venerat.Profectus obuiam legionibus Macedonicis quattuor;quas sibi concilia re pecunia cogitabat,easq.ad vrbem adducere,& in ceruicibus nostris collocare.Macedonicae vocabantur quia Caesar eas iturus in Parthos,in Macedonia locauerat. inde Brundisiũ eas Antonius cõsul post Caesaris necem arcessierat. QVI *autem delectus centurionum?*]delegit eos ad necẽ,quos bene de rep sentire cognouerat,quod & hic statim subiungitur,& Phil.13.sic exponitur.Brundisij in sinu nõ modo auarissimae,sed etiam crudelissimae vxoris delectos Martiae legionis centuriones trucidauit. Alios tamen,praeter Centuriones,occidit:Si verũ est,quod ait Cicero Phil.3.Brundisij trecentos fortissimos viros,ciuesq.optimos trucidauit.trecenti enim centuriones non modo in Martia,sed nec in omnibus illis quattuor,ac ne in alijs quidẽ multis legionibus esse potuerunt. CONCVPISSET.]vt eorum bona suis comitibus,compotoribusq.diuideret.DESCRIPSIT.]diuisit.sic in ep ad Cassium: Pecuniae maximae describuntur. APPROBATIONE *auctoritatis meae*]auctor Caesari Cicero fuit,vt conuocatis veteranis militibus,remp. contra perditos Antonij conatus defenderet. de quo sic in ep. ad M.Brutum.Nullo praesidio quatefeci Antonium;contraq.eius arma nefanda praesidia,quae oblata sunt,Caesaris consilio,& auctoritate firmaui.Et ad eundem Tantum dico,Caesarẽ hunc adolescentem,per quem adhuc sumus, si verum fateri uolumus, fluxisse ex fonte consiliorum meorum. Et ad Cornificium: Quem ego ructantem, & nauseantem conieci in Caesaris Octauiani plagas. INCITATOS *latronis impetus retardauit*] Phil.3.dixi:Nisi vnus adolescens illius furentis impetus crudelissimosq.

mosq. conatus cohibuisset. Et Phil. 13. Caesaris incredibilis, ac diuina virtus latronis impetus crudeles, ac furibūdos retardauit. Quo *di, nuncio audito*] de Quarta legione. de quo sic Phil. 3. Cum de rep. relaturus fuisset allato nuncio de legione Quarta, mente concidit. Et Phil. 13. Affertur ei de Quarta nuncius: quo perculsus abiecit consilium referendi ad senatum de Caesare. SOLLEMNIBVS quae fieri solent a consule in prouinciam proficiscente. NEQVE *votis nuncupatis*,] miror hoc dici: cum Phil. 3. vota Antonium nuncupasse satis constet. ipsa verba recitabo Neglectis sacrificijs sollemnibus, ante lucem vota ea, quae numquam solueret, nuncupauit. Nec tamen pugnantia loqui Ciceronem crediderim: sed vota nūcupata ideo fortasse negat, quia contra morem sint ante lucem nuncupata. NON *profectus est, sed profugit paludatus*:] Phil. 3. Quae vero profectio postea? quod iter paludati? quae vitatio oculorum, lucis orbis fori? quam misera fuga, quam foeda, quam turpis? Et Phil. 13. Egressus est non vijs, sed tramitibus paludatus. IN *prouinciam*] citeriorem Galliam. FIRMISSIMORVM fide. CONSVLEM *designatum*,] viuo Caesare, collega L. Planco. CIVEM *non sibi, sed nobis, & reip. natum*.] Phil. 3. O ciuem natum reip. memorem sui nominis imitatoremq. maiorum. Est enim quasi deorum immortalium beneficio, & munere datum reip. Brutorum genus, & nomen, ad libertatem populi Romani vel constituendam, vel recuperandam.

ORATIO

AD hunc, dij boni, legatos mitti placet? norunt isti homines formam reip. iura belli, exempla maiorum? cogitant, quid populi R. maiestas, quid senatus seueritas postulet? Legatos decernis: si, vt deprecetur; contemnet: si, vt imperes; non audiet. Denique, quamuis seuera legatis mandata dederimus, nomen ipsum legatorum hunc, quem videmus, populi R. restinguet ardorem, municipiorum atque Italiae franget animos. Vt omittam haec, quae magna sunt: certe ista legatio moram & tarditatem afferret bello. quamuis dicant, quod quosdam audio dicturos: legati proficiscantur, bellum nihilo minus paretur: tamen legatorum nomen ipsum & animos molliet, & belli celeritatem morabitur. minimis momentis, P. C. maximae inclinationes temporum fiunt cum in omni casu reip. tum in bello, & maxime ciuili, quod opinione plerumque & fama gubernatur nemo quaeret, quibus cum mandatis legatos miserimus: nomen ipsum legationis vltro missae timoris esse signum videbitur. Recedat a mutina: desinat oppugnare Brutum: decedat ex Gallia. non est verbis rogādus, cogendus est armis. non enim ad Hannibalem mittimus, vt a Sagunto recedat, ad quem miserat olim senatus P. Valerium Flaccum, & Q. Baebium Tampilum: qui, si Hannibal non pareret, Carthaginem ire iussi sunt: nostros legatos quo iubebimus ire, nisi paruerit Antonius? ad nostrum ciuem mittimus, ne imperatorem, coloniamq. populi R. oppugnet. ita ne vero hoc per legatos rogandus est? quid interest per deos immortales, vtrum hanc vrbem oppugnet, an huius vrbis propugnaculum, coloniamq. populi R. praesidij causa collocatam? Belli Punici secundi quod cōtra maiores nostros Hannibal gessit, causa fuit Sagunti oppugnatio. recte ad eum legati missi. mittebantur ad Poenum, mittebantur pro Hannibalis hostibus, nostris sociis. quid simile tandem? nos ad ciuem mittimus, ne imperatorem populi R. ne exercitum, ne coloniam circumsideat, ne oppugnet, ne agros depopuletur, ne fit hostis? Age, si paruerit. hoc ciue vti aut volumus, aut possumus? ante diem XIII. kal. Ian. decretis vestris eū concidistis: constituistis, vt haec ad vos kal. Ian. referrētur, quae referri videtis, de honoribus, et praemijs bene de rep. meritorum, & merentium: quorum principem iudicauistis eum, qui fuit, C. Caesarem: qui M. Antonij impetus nefarios ab vrbe in Galliam auertit: deinde milites veteranos, qui primi Caesarem secuti sunt: tum illas caelestes, diuinasq. legiones, Martiam, & Quartam, quibus, cum consulem suum non modo reliquissent, sed bello etiā persequerentur, honores & praemia spopondistis: eodemq. de D. Bruti, praestantissimi ciuis, edicto allato, atque proposito, factum eius collaudastis: quodq. ille bellum priuato consilio susceperat, id vos auctoritate publica comprobastis. quid igitur illo die aliud egistis, nisi vt re hostem iudicaretis Antoniū? his vestris decretis, aut ille vos aequo animo adspicere poterit, aut vos illum sine dolore summo videbitis? exclusit illum a rep. distraxit, segregauit non solum scelus illius, sed etiam, vt mihi videtur, fortuna quaedam reip. Qui si legatis paruerit, Romamq. redierit: num quando perditis ciuibus vexillum, quo concurrant, defuturum putatis? sed hoc minus vereor: sunt alia, quae magis timeam, & cogitem. numquam parebit ille legatis. noui hominis insaniam, arrogantiam: noui perdita consilia amicorum, quibus ille est deditus. Lucius quidem frater eius, vt pote qui peregre depugnarit, familiam ducit. sit per se ipse sanus, quod numquam erit; per hos esse ei tamen non licebit. teretur interea tempus: belli apparatus refrigescent. vnde est adhuc bellum, nisi ex retardatione, & mora? vt primum post discessum latronis, vel potius desperatam fugam libere senatus haberi potuit, semper flagitaui, vt conuocaremur. quo die primum conuocati sumus, cum designati consules non adessent: ieci sententia mea maximo vestro consensu, fundamenta reip. serius omnino, quam decuit: (nec enim ante potui) sed tamen, si ex eo tempore dies nullus intermissus esset, bellū profecto nullum haberemus. omne malum nascens facile opprimitur, inueteratum fit plerumque robustius. sed tum exspectabantur Kalendae Ian. fortasse non recte. verum praeterita omittamus, etiam ne hanc moram afferemus, dum proficiscantur legati? dum reuertantur? quorum exspectatio dubitationem belli affert, bello autem dubio, quod potest studium esse delectus? quamobrem, P. C. legatorum mentionem nullam censeo faciendam, rem administrandam arbitror sine vlla mora, & confestim gerendam, tumultum censeo decerni, iustitium edici, saga sumi dico oportere, delectum haberi, sublatis vacationibus in vrbe, & in Italia praeter Galliam totam. quae si erunt facta, opinio ipsa, & fama vestrae seueritatis obruet scelerati gladiatoris amentiam, sentiet sibi bellum cum rep. esse susceptum: experietur con-

entientes senatus neruos, atque vires. nam nunc quidem partium contentionem esse dicat: quarum partium? alteri victi sunt: alteri sunt e medijs C. Caesaris partibus. nisi forte Caesaris partes a Pansa, & Hirtio cos. & a filio C. Caesari oppugnari putamus, hoc vero bellum non ex dissensione partiũ, sed ex nefaria spe perditissimorum ciuium excitatum: quibus bona, fortunaeq. nostrae notatae sunt, & iam ad cuiusque opinionem distributae. Legi epistolam Antonij, quam ad quendam septemuirum, capitalem hominẽ, collegam suum, miserat. Quid concupiscas, tu videris: quod concupieris, certe habebis. Hem, ad quem legatos mittamus; cui bellũ moremur inferre; qui ne sorti quidem fortunas nostras destituit sed libidini cuiusque nos ita addixit, vt ne sibi quidem quidquam integrum, quod non alicui promissum iam sit, reliquerit.

EXPLANATIO

DII. BONI,]modo laetantis est modo indignanti: hic non obscura indignatio est. RECEDAT A *Mutina*:]exponit per obiectionem mandata legatorum & respondet; Non est verbis rogandus, cogendus est armis. P. VALERIVM *Flaccum, & Q. Baebium Tampilum*:]nota historia ex Liuio, & alijs. DECRETIS *eum vestris concidistis*:]quae decreta sint, cognosce ex Phil. 3. & 4. SED *hoc minus vereor*,] quia legatis non parebit. QVAE *magis timeam*.]magis timeo, ne a Mutina non discedat. PEREGRE *depugnarit*,]in Asia Myrmillo cum Thrace. supra. FAMILIAM *ducit*.]princeps eorum est. per quos ei ad sanitatem redire non licet. Familiam ducere, est, principem locum obtinere. ep. 5. lib. VII. fam. & lib. IV. de fin. QVO *die primum conuocati sumus*.]XIII. Kal Ian quo die tertiam Philippicam habuit. CVM *designati consules non adessent*,]metu, licet absente Antonio, verebantur enim, ne intra muros etiam Antonij scelus, & audacia, vel ipso absente, versaretur: vt est in Phil. 3. Querellam, inquit, praeteritorum sustulit oratio consulum. PRETER *Galliam totam*.]non excipit Galliam, sed addit. ALTERI *victi sunt*: Pompeiani. A PANSA, *& Hirtio* quos fuisse Caesari amicitia vetustate, consuetudine coniunctissimos, nemo nescit. AD *cuiusque opinionem distributae*.]magni est apud me & esse debet apud omnes, veterum librorum auctoritas: verumtamen sic ab hijs omnibus, hoc quidem in loco, dissentire cogor, vt coniectura mea vehementer delecter, quippe quae nec ab antiquis litterarum vestigijs discedat longius, & mentem Ciceronis nisi fallor attingat. quis enim non videt, sentẽtiam effici meliorem, si legatur, optionem, quam si, opinionem? cum praesertim sequentium verborum, quae ex Antonij recitantur epistola, testimonio comprobetur. Quid concupiscas, tu videris: quod concupieris certe habebis. Haec quidem optio est non opinio, vt etiam paullo post Libidini cuiusque nos ita addixit. itaque, suffragante sententia. Optionem, retineo libenter, vt sincerum: Opinionem, opinione mea depraua tum reijciendum puto. EM *ad quem legatos mittamus*;]cum indignatione, & dolore; vt supra: Em caussam, cur lex tã egregia, tamq. praeclara, maximo imbri, tempestate, venti procellis, turbinibus, inter fulmina, & tonitrua ferretur. QVI *ne sorti quidem fortunas nostras destituit*;] Ferrarius legit, Destinauit: Faernus Destituit, ego Faernũ sequor in correctione potius, quam in sententia. nã quibus ex Liuio vsus est exẽplis, vno lib. 1. de Mucio Scaeuola, Ante tribunal regis destitutus: altero lib. XXVI. de Marcello in fugaces milites animaduertente, Districtis gladijs discinctos destituit; ea cur adduxerit non video. est enim diuersa significatio. in Liuio, Destitutus valet, constitutus. Destituit, constituit; quomodo dixit C. Gracchus apud Gellium. Palus in foro destitutus est? apud Nonium Naeuius, In alto nauẽ iubet destitui ancoris apud eundem Caecilius, Destituit omnes seruos ad mensam ante se. Plautus in Rud. Ita duo destituit signa hic cum clauis senex. Quibus omnibus in loci eandem huiusce verbi vim ac notionem esse facile perspicitur. at in Cicerone, sorti fortunas destituere, quis aliud esse neget? aliud, inquam, & sensu, & ipso quoque genere loquendi. hoc enim, nostras ne sorti quidem reliquit, vt id cuiusque esset, quod sorte contigisset: sed eas ad cuiusque optionẽ iam distribuit, vt quod quisque concupiscat, id habeat quo magis patet, hoc bellum non ex dissensione partium, sed ex nefaria spe perditissimorum ciuiũ excitatum. Vt igitur sorti libidinem Cicero opposuit: sic ad sortem, Destituit, adiunxit, ad libidinem, Addixit; quasi suum beneficium esse vellet Antonius, non sortis; nam qui addicit, ipse tradit; qui destituit, quodam modo negligit.

ORATIO

CVM *hoc P. C. bello, bello, inquam, decertandum est, idq. confestim; legatorum tarditas repudianda est. Quapropter, ne multa nobis quotidie decernenda sint consulibus totam remp. committendam censeo, hisq. permittendum, ut remp. defendant, prouideantque, ne quid resp. detrimenti accipiat, censeoque, vt ijs, qui in exercitu Antonii sunt, ne sit ea res fraudi, si ante kal. Febr. abeo discesserint. haec si censueritis, P. C. breui tempore libertatem populi R. auctoritatemq. vestram recuperabitis. sin autem lenius agetis, tamen eadem, sed fortasse serius decernetis. De rep. quoad retuliſtis, satis decreuisse videor.*

EXPLA-

EXPLANATIO

NE *quid resp. detrimenti accipiat:*] numqnā hoc senatus, nisi difficillimis, reip. temporibus, decernere solitus est, & cū decernebat, summum imperium consulibus dabat; neque decretum hoc vm quā video, quin statim ad arma, vt in praesenti reip. discrimine, ventū sit. Decretū Opimio consule: quāprimum C. Gracchus tribunus pl. est interfectus: Decretum Cicerone cōsule: cōprensi ilico, & in carcere necati qui contra patriā cum Catilina coniurauerant. qua re exponenda vim eius S. C. Sallustius ostendit his verbis: Cicero rē ad senatū refert itaque, quod plerumque in atroci negotio solet senatus decreuit, vt darent operā consules, ne quid resp detrimenti caperet. Ea potestas per senatum more Romano magistratui maxima permittitur, exercitum parare, bellū gerere, coercere omnibus modis socios, atque ciues, domi militiaeq imperiū, atque iudiciū summum habere. aliter sine populi iussu nulli earū rerū consulitur est Decretū idē est L. Lentullo C. Marcello cos. anno primo belli ciuilis Pompeiani: quod quaeritur Caesar lib. 1. bel. ci. Deccuritur inquit, ad illud extremum, atque vltimum S. C. quo nisi paene in ipso vrbis incendio, atque desperatione omnium salutis, latronum audacia, numquā antea descensum est: dent operam consules, tribuni pl. quiq. procos. sunt ad vrbem, ne quid resp detrimenti capiat. QVOAD *retulistis,*] quatenus retulistis, ad omnia quae retulistis.

ORATIO

ALTERA *non est de honoribus: de quibus deinceps intelligo esse dicendum, sed, qui ordo in sententijs rogandis seruari solet, eundem tenebo in viris fortibus honorandis. a Bruto igitur, consule designato, more maiorum capiamus exordium. cuius, vt superiora omittam, quae sunt maxima illa quidem, sed adhuc hominum magis iudicijs, quam publice laudata: quibusnam verbis eius laudes huius ipsius temporis consequi possumus? neque enim vllam mercedem tanta virtus, praeter hanc laudis, gloriaeque, desiderat: qua etiam si careat, tamen sit se ipsa contenta, atque in memoria gratorum ciuium, tamquam in luce, posita laetetur. laus igitur iudicij. testimonijq. nostri tribuenda Bruto est. quamobrem his verbis, patres conscripti. S. C. faciendum censeo: Cum D. Brutus imp. consul designatus, prouinciam Galliam in senatus populiq. R. potestate teneat: cumq. exercitum tantum, tam breui tempore, summo studio municipiorū, coloniarumq. prouinciae Galliae, optime de rep. meritae, merentisque, conscripserit, compararit; id eum recte, & ordine, exq. rep. feciſſe, idq. D. Bruti praestantissimum meritum in remp. senatui populoq. R. gratum esse, & fore; itaq. senatum populumq. R. existimare, D. Bruti imper. consulis designati, opera, consilio, uirtute, incredibiliq. studio & consensu prouinciae Galliae, reip. difficillimo tempore esse subuentum. Huic tanto merito Bruti, P. C. tantoq. in remp. beneficio, quis est tantus honos qui non debeatur? nā, si M. Antonio patuisset Gallia; si oppressis municipijs, & colonijs imparatis, in illam ultimam Galliā penetrare potuisset: quantus reip. terror impenderet? dubitaret, credo, homo amentissimus, atque in omnibus consilijs praeceps, & deuius, non solum cum exercitu suo, sed etiam cum omni immanitate barbariae bellum inferre nobis: vt eius furorem ne alpium quidem muro cohibere possemus. haec igitur habenda gratia est D. Bruto qui illum, nondum interposita auctoritate vestra, suo consilio, atque iudicio, non, ut consulem, recepit, sed, ut hostem, arcuit Gallia, seq. obsideri, quam hanc urbem, maluit, habeat ergo huius tanti facti, tamq. praeclari decreto vestro testimonium sempiternum; Galliaque, quae semper praesidet, atque praesedit huic imperio, liberatiq. comtauni, merito iureq. laudetur, quod se suasq. vires non transdidit, sed opposuit Antonio.*

EXPLANATIO

QVI *ordo in sententijs rogandi seruari solet,*] consules enim designati sentētias primi rogabantur, eorumq. prior, qui priore loco designatus erat. CVIVS *vt superiora omittam;*] facinus illud quo patriam tyranno liberauit: quod probatur quidem a bonis omnibus, nondum tamen publice laudatur. HVIVS *ipsius temporis.*] quo Gallia ab Antonij nefario impetu defendit. IN *illam vltimam Galliam*] ferociorem, cui praerat L. Plancus.

ORATIO

ATQVE etiā *M. Lepido pro eius egregijs in remp. meritis decernendos honores quam amplissimos censeo. semper ille populus R. liberum voluit; maximumque signum illo die dedit uoluntatis, & iudicij sui, cum Antonio diadema Caesari imponente, se auertit, gemituque, & maestitia declarauit, quantum haberet odium seruitutis, quam populum R. liberum cuperet, quam illa, quae tulerat, temporum magis necessitate, quam iudicio tulisset. Quanta uero is moderatione vsus sit in illo tempore ciuitatis, quod post mortem Caesaris consecutum est, quis nostrum obliuiſci potest? Magna haec; sed ad maiora properat oratio. quid enim, o dij immortales, admirabilius*

bilius omnibus gentibus, quid optatius populo accidere potuit, quam, cum bellum ciuile maximũ esset, cuius belli exitum omnes timeremus, sapientia etiam id potius exstingui, quam armis, & ferro rem in discrimen adducere? quod si eadem ratio Caesaris fuisset in illo teatro, miseroq. bello: ut omittam patrem, duos Cn. Pompeij, summi singularis uiri filios, incolumes haberemus. quibus certe pietas fraudi esse non debet. utinam omnes M. Lepidus seruare potuisset: facturum fuisse, declarauit in eo, quod potuit, cum Sex. Pompeium restituit ciuitati, maximum ornamentum reip. clarissimum monumentum clementiae suae. grauis illa fortuna populi R. gratiae fatum. Pompeio enim patre, quod imperij populi R. lumen fuit, extincto, interfectus est patris simillimus filius. sed omnia mihi videntur deorum immortalium iudicio expiata, Sext. Pompeio reip. conseruato. quam ob causam, iustam, atque magnam, & quod periculosissimum ciuile bellum maximumque, humanitate, & sapientia sua M. Lepidus ad pacem, concordiamq. conuertit, S. C. his verbis censeo perscribendum.

EXPLANATIO

M. Lepido] citerioris Hispaniae proconsulis, in quam tamen nondum peruenerat, sed in Gallia Narbonensi, cognita reip. perturbatione, morabatur. Cvm *bellum ciuile maximum esset,*] post interitum Caesaris, pugnante Sex. Pompeio Hispania cum Caesaris praetoribus. Sapientia *etiam id potius exstingui, quam armis & ferro rem in discrimẽ adducere?*] duas Lepidi virtutes, quae armis, & ferro, quasi contraria contrarijs, opponantur. nominari necesse est. vna memoratur, sapientia: altera deest, eius locum mendoso verbo, Etiam, occupante. quid igitur cum sapientia coniungemus? quid, nisi humanitatem? & eo magis, quod infra in aedem re vtramque Cicero coniungit. Quod periculosissimum, inquit, ciuile bellum maximumq. humanitate, & sapientia sua M. Lepidus ad pacem concordiamq. conuertit. Postulat igitur sententia; quamquam hic nihil affirmare ausim, ope destitutus veterum librorum, liberiore praesertim coniectura; sed certe postulare sententia videtur, vt legatur, Sapientia, & humanitate id potius exstingui. Incolvmes *haberemus.*] perierat enim Cnaeus in Lusitania, pugna victus a Caesare ad Mundam. Pietas] quod, vt patrem interfectum vlciscerentur, bellum in Hispania renouarunt. Cvm *Sex. Pompeium restituit ciuitati,*] auctor fuit vt, pace facta, Sex. Pompeius in patriam restitueretur, eiq. pro paternis bonis, a Caesare ademptis, & ad hastã venditis, darẽtur, vt ait lib. III. Appianus, Atticarum drachmarum quinque millia myriades. quae summa cum praesertim Põpeij Magni diuitias nemo vt immensas extulerit, modum excedere videtur. suspicor mendosum esse locum: idemq. putauit interpres, qui diuersam a Graecis verbis sententiam induxit: &, quod Graeco redundat, ita ipse restrinxit ac minuit, vt in contrarium, mea quidem sententia, vitium incurrat.

ORATIO

Cvm *a M. Lepido imp. pöt. max. saepe numero resp. & bene, & feliciter gesta sit, populusq. R. intellexerit ei dominatum regium maxime displicere; cumq. eius opera, virtute, consilio, singulariq. clementia, & mã suetudine bellum acerbissimum ciuile sit restrictũ: Sextusq. Pompeius Cn. F. Magnus huius ordinis auctoritate ab armis discesserit, & a M. Lepido imp. pont. max. sũma senatus populiq. R. voluntate ciuitati restitutus sit; senatum populumq. R. pro maximis plurimisq. in remp. M. Lepidi meritis magnam spem in eius virtute, auctoritate, felicitate reponere otij, pacis, concordiae, libertatis; eiusq. in remp. meritorum senatum populumq. R. memorem fore; eiq. statuam equestrem inauratam in Rostris, aut quo alio loco in foro vellet, ex huius ordinis sententia statui placere. Qui honos, P. C. mihi maximus videtur: primum, quia iustus est: non enim solum datur propter spem temporum reliquorum, sed pro amplissimis meritis redditur. nec vero cuiquam posßumus commemorare hunc honorem a senatu tributum iudicio senatus soluto, & libero.*

EXPLANATIO

Statvam *equestrem*] quae decreta est ei a senatu cum inscriptione praeclara. Phil. 3. Nec *vero cuiquam possumus commemorare, hunc honorem a senatu tributum iudicio senatus soluto, & libero.*] tributus erat L. Sullae, & C. Caesari, sed dominantibus: vni Cn. Pompeio a libero senatu: quod miror a Cicerone praetermissum. nam Velleius lib. 2. de Caesare Octauiano ita scripsit. Eum senatus honoratum equestri statua, quae hodieq. in Rostris posita aetatem eius scriptura indicat, qui honor non alij per trecẽtos annos, quam L. Sullae, & Cn. Pompeio, & C. Caesari contigerat, pro praetore cum cõsulibus designatis Hirtio, & Pansa bellum cum Antonio gerere iussit. sed de Cn. Pompeij statua non adducor vt Velleio potius quam Ciceroni, credam: cum praesertim errare eum videam & in statuae tẽpore, & in propraetoris imperio, & in bello demandato. haec enim decreta sunt, Pansa & Hirtio non, vt ipse ait, designatis consulibus, sed magistratum gerentibus. quod ex Phil. 3. & 4. colligitur: ex quibus patet decretum a senatu, vt de Caesaris honore a nouis consulibus Pansa, & Hirtio, vbi primum magistratum iniissent, ad senatum referrent.

ORATIO

VENIO *ad C. Caesarem, P. C. qui nisi fuisset, quis nostrũ esse poiuisset? aduolabat ad vrbem a Brundisio homo impotentissimus, ardens odio, animo hostili in omnes bonos, cum exercitu, Antonius. quid huius audaciae, & sceleri poterat opponi? nondum vllos duces habebamus, non copias: nullum erat consilium publicum, nulla libertas: dãdae ceruices erant crudelitati nefariae: fugam quaerebamus omnes: quae ipsa exitum non habebat. quis tum nobis, quis populo R. obtulit hunc diuinum adolescentem deus? qui, cum omnia ad perniciem nostrã pestifero illi ciui paterent, subito praeter spem omnium exortus, prius confecit exercitum, quem furori M. Antonij opponeret, quam quisquam hoc eum cogitare suspicaretur. magni honores habiti Cn. Pompeio, cum esset adolescens: & quidem iure: subuenit enim reip. sed aetate multo robustior, & militum ducem quaerentium studio paratior, & in alio genere belli. non enim omnibus Sullae caussa grata: declarat multitudo proscriptorum, tot municipiorũ maximae calamitates Caesar autem annis multis minor veteranos, cupientes iam requiescere, armauit: eam complexus est caussam, quae esset senatui, quae populo, quae cunctae Italiae, quae dijs omnibus gratissima. & Pompeius ad L. Sullae maximum imperium, victoremq. exercitum accessit: Caesar se ad neminem adiunxit; ipse princeps exercitus faciendi, & praesidij comparandi fuit. ille in aduersariorum partibus agrum Picenum habuit inimicum: hic ex Antonij amicis, sed amcioribus libertati, contra Antonium confecit exercitum. illius opibus Sulla regnauit: huius praesidio Antonij dominatus oppressus est. demus igitur imperium Caesari, sine quo res militaris administrari, teneri exercitus, bellum geri non potest: sit propraetor eo iure, quo qui optimo. qui honos, quamquam est magnus illi aetati, tamen ad necessitatem rerum gerendarum, non solum ad dignitatem, valet. itaque illa quaeramus, quae vix hodierno die consequemur. sed saepe spero fore huius adolescentis ornandi, honorandi & nobis, & populo R. potestatem. hoc autem tempore ita censeo decernendum: Quod C. Caesar C. F. pont. propr. summo reip. tempore milites veteranos ad libertatem populi R. cohortatus sit, eosq. conscripserit; quodq. legio Martia, Quarta. summo studio, optimoq. in remp. consensu, C. Caesare duce & auctore remp. libertatem populi R. defendant, defenderint; & quod C. Caesar propraetor Galliae prouinciae cum exercitu subsidio profectus sit, equites, sagittarios, elephantes in suam populiq. R. potestatem redegerit; difficillimoque reip. tempore saluti, dignitatiq. populi R. subuenerit: ob eas caussas senatui placere, C. Caesarem C. F. pont. propr. senatorem esse, sententiaq. loco praetorio dicere; eiusque rationem, quemcumque magistratum petet, ita haberi, ut haberi per leges liceret, si anno superiore quaestor fuisset;*

EXPLANATIO

SVBVENIT *enim reip.*] contra Marianas partes. nam Pompeius a Sulla stetit. AETATE *multo robustior*] annos natus viginti tres. sic enim & Vellius lib. 2. & Plutarchus in eius vita memoriae prodidit. MILITVM *ducem quaerentium studio paratior,*] voluntariorum militum ex Piceno, quod in clientela fuerat parentis eius, firmum exercitum priuatis opibus contraxit. Velleius, epitome. Plutarchus, Appianus. IN *alio genere belli.*] cum non omnibus ea, quae gerebat, probarentur: TOT *municipiorũ*] quae Marium adiuuerant. quibus victor Sulla ius ciuitatis, & agros ademit. DIIS *hominibusq.*] coniunguntur cum hominibus dij in re uehementer approbata, vt ad Q. fr. lib 2. Vatinium arbitratu nostro concidimus, dijs hominibusq. plaudentibus. ANTONII *amicis,*] veteranis militibus, & legionibus Martia, Quarta. SINE *quo res militaris administrari, teneri exercitus, bellum geri non potest.*] eadem excusatione vsus est, cum scriberet ad M Brutum, Caesaris honori, quia filius eius esset, quem ipse occiderat, non fauentem. Decreui, inquit, imperium: quod quamquam videbatur illi aetati honorificum, tamen erat exercitum habenti necessarium. quid enim est sine imperio exercitus? ILLA *quaeramus,*] ad Caesaris honorem. QVAE *vix hodierno die consequemur.*] quae vix hodie inueniemus. hodierno die vix licebit ea nobis inuenire & consequi, quae ad hũc ornandum, adolescentem pro summo eius erga nos merito quaerere debemus. PONT.] pontifex max. erat Lepidus: sed pontifex dicitur, id est augur, sicuti fuerat pater eius.

ORATIO

QVID *est enim, P. C. cur eum non quamprimum amplissimos honores capere cupiamus? legibus enim annalibus cum grandiorem aetatem ad consulatum constituebant, adolescentiae temeritatem verebantur. C. Caesar ineunte aetate docuit, ab excellenti eximiaq. virtute progressum aetatis exspectari non oportere. itaque maiores nostri, veteres illi admodum antiqui, leges annales non habebãt: quas multis post annis attulit ambitio, vt gradus essent petitionis inter aequales. ita saepe magna indoles virtutis prius, quam reip. prodesse potuisset, extincta est. at vero apud antiquos Rulli, Decij, Coruini, multique alij, recentiore autem memoria superior Africanus, T. Flamininus, admodum adolescentes consules facti, tantas res gesserunt, vt populi R. imperium auxerint, nomen ornarint. Quid Macedo Alexander? cum ab ineunte aetate res maximas gerere coepisset,*

non

non ne tertio, & trigesimo anno mortem obijt? quae est aetas nostris legibus decem annis minor, quam consularis. ex quo iudicari potest, virtutis esse, quam aetatis, cursum celeriorem.

EXPLANATIO

RVLLI] Q. Fabius Rullus, qui consul quinquies fuit, de Samnitibus, Etruscisq. triumphauit, auus eius, qui Hannibalem patientia, & cunctatione fregit. DECII,] P. Decius Mus, qui consul quater fuit, & in vltimo consulatu bello Gallico se deuouit. CORVINI,] M. Valerius, qui Sexies consul fuit, primumq. consulatum annos natos uiginti tres, adeptus est. saepe triumphauit. FLAMININVS,] Quinctius, qui de Philippo Macedoniae rege triumphauit. CONSVLES *facti*,] omnes ante latam legem de tempore magistratuum, quā tulit Villius Annalis, inde cognomē assecutus. Liuius lib. XL. AB *ineunte aetate*] ab anno aetatis decimosexto, profecto contra Byzantios patre Philippo. vide Plutarchum in eius vita. sic paullo ante: C. Caesar ineunte aetate docuit. TERTIO, & *trigesimo anno*] mensem vnum Iustinus addit. DECEM *annis minor, quam consularis.*] gerere consulatū ante quadragesimum tertium aetatis annum, per leges non licebit.

ORATIO

NAM, *quod ij, qui Caesari inuident, simulant se timere: ne verendum quidem est, vt tenere se possit, vt moderari, ne honoribus nostris elatus intemperantius suis opibus vtatur. ea natura rerum est, P. C. vt, qui sensum verae glorie acceperit, quique se ab senatu, ab equitibus R. populoq. R. vniuerso senserit ciuem earum habere, salutaremq. reip. nihil cum hac gloria comparandum putet. vtinam C. Caesari, patri dico, cōtigisset adolescenti, vt esset senatui, atque optimo cuique carissimus. quod cum consequi neglexisset, omnem vim ingenij quae summa fuit in illo, in populari leuitate consumpsit; itaque cum respectum ad senatum, & ad bonos non haberet, eam sibi viam ipse patefecit ad opes suas amplificandas, quam virtus liberi populi ferre non posset. Eius autem filij longissime diuersa ratio: qui cum omnibus est, tum optimo cuique carissimus. in hoc spes libertatis posita est: ab hoc accepta iam salus: huic summi honores & exquiruntur, & parati sunt. Cuius igitur singularem prudentiam admiramur, cuius stultitiam timemus? quid enim stultius, quam inutilem potentiam, inuidiosas opes, cupiditatem dominandi praecipitem, & lubricam anteferre verae, graui, solidae gloriae? an hoc vidit puer: si aetate processerit, non videbit? At est quibusdam inimicus clarissimis atque optimis ciuibus. Nullus iste timor esse debet. omnes Caesar inimicitias reip. condonauit: hāc sibi iudicem constituit, hanc moderatricem omnium, atque factorum: ita enim ad remp. accessit, vt eam confirmaret, non ut euerteret. omnes habeo cognitos sensus adolescentis: nihil est illi rep. carius, nihil vestra auctoritate grauius, nihil bonorum virorum iudicio optatius, nihil vera gloria dulcius. quamobrem ab eo non modo nihil timere, sed maiora, & meliora exspectare debetis, neque in eo, qui ad D. Brutum obsidione liberandum profectus sit, timere, ne memoria maneat domestici doloris, quae plus apud eum possit, quam salus ciuitatis. Audebo etiam obligare fidem meam, P. C. vobis, populoq. R. reiq. pub. quod profecto, cum me nulla uis cogeret, facere non auderem, pertimescere mq. in re maxima periculosum opinionem temeritatis: promitto, recipio, spondeo, patres conscripti, C. Caesarem talem semper fore ciuem, qualis hodie sit, qualemq. cum maxime esse velle, & optare debemus. Quae cum ita sint; de Caesare satis hoc tempore dictum habebo.*

EXPLANATIO

NE *verendum quidem est*,] non modo credere non debemus, eum, nostris elatum honoribus, in senatus populiq. Romani potestate non futurum: sed ne veteri quidem licet, ne continere se non possit, aut moderari in imperio a nobis dato. CVM *respectum ad senatum, & bonos non haberet*,] cum ad senatum, bonosq. non respiceret. Phil. 10. Qui ab illo abducit exercitum; & respectum pulcherrimum, & praesidium firmissimum adimit reip. In ep. ad M. Brutum: Meus animus in acie est, neq; respectum vllum quaerit; nisi me forte vtilitas reip. conuerterit. Idest, neque aliam praeterea in partem respicit Caesar lib. 1. bel. ci. Sin Caesarem respiciant, atque gratiam sequantur, se sibi consilium capturum. QVIBVSDAM] interfectoribus patris eius. OMNIVM, *atque factorum.*] sententia requirit, consiliorum omnium. PROMITTO, *recipio spondeo*,] expressit haec ab eo vel odium in Antonium, vel studium erga remp. promittere autem de altero, praesertim de adolescente, perpetuam in recta laudabilique ratione voluntatem, cuius prudentiae fuerit, haud ita multo post Cicero ipse sensit. scripsit enim ad M. Brutum: Maximo, cum haec scribebam, afficiebar dolore, quod, cum me pro adolescente, ac paene puero resp. accepisset vadem, vix videbar, quod promiseram, praestare posse.

ORATIO

NEc vero de L. Egnatuleio fortissimo, & constantissimo ciue, amicissimoq. reip. silendum arbitror, sed tribuendum testimonium virtutis egregiae, quod is legionem Quartam ad Caesarem adduxerit, quae praesidio consulibus, senatui, populoq. R. reiq. pub. esset: ob eam caussam placere, vti L. Egnatuleio triennium ante legitimum tempus magistratus petere, capere, gerere liceat. in quo, P. C. non tantum commodum tribuitur L. Egnatuleio, quantus honos: in tali enim re satis est nominari.

EXPLANATIO

SATIS *est nominari.*] in hoc honor est. magistratus ei nunc quidem non tribuitur.

ORATIO

DE exercitu autem C. Caesaris ita censeo decernendum: senatui placere, militibus veteranis, qui Caesaris pontificis, auctoritatemq. huius ordinis defenderint, atque defendant, iis, liberisq. eorum militiae vacationem esse; vtiq. C. Pansa, A. Hirtius consules, alter, ambo ve cognoscerent, qui ager iis coloniis esset, quo milites veterani deducti essent, qui contra legem Iuliã possideretur, vt is militibus veteranis diuideretur: de agro Campano seperatim cognoscerent, iniretq. rationem de commodis militum veteranorum augendis: legioniq. Martiae, & legioni Quartae, & iis militibus, qui de legione secunda, trigesima quincta ad C. Pansam, A. Hirtium consules venissent, suaq. nomina dedissent, quod his senatus, populiq. R. libertas carissima sit, & fuerit, vacationem militiae ipsis, liberisq. eorum esse placere, extra tumultum Gallicum, Italicumque: easq. legiones, bello confecto, missas fieri, placere; quantamque pecuniam militibus earum legionum in singulas C. Caesar pont. propr. pollicitus sit, tantam dari placere, vtiq. C. Pansa, A. Hirtius consules, alter, ambo ve rationem agri habeant, qui sine iniuria priuatorum diuidi possit, iisq. militibus legionis Martiae, & legionis Quartae ita daretur, assignaretur, vt quibus militibus amplissime dati, assignati essent. Dixi ad ea omnia consules, de quibus retulistis, quae si erunt sine mora, matureq. decreta; facilius apparabitis ea, quae tempus, & necessitas flagitat. celeritate autem opus est: quasi essemus vsi, bellum, vt saepe dixi, nullum haberemus.

EXPLANATIO

CAESARIS *pontificis*] videtur deesse, Voluntatem secuti sint. VACATIONEM *esse;*] extra tumultum Gallicum, Italicumq. hoc enim deesse, aut subaudiri certe arbitror oportere. sic & infra loquitur. POSSIDERETVR,] ab iis, quib. Antonius postea dedisset. DIVIDERETVR:] pulsis, qui contra legem Iuliam possiderent. DE *Agro Campano* quem Antonius compransoribus, & collusoribus suis diuiserat. Phil. 2. DE *legione Secunda, Trigesima quincta*] quae cum Antonio de quattuor Macedonicis remanserant ex ijs tamen ipsis milites multi ad Pansam Hirtiumq. consules venerant. propterea dixit Phil. 3. In Galliam mutilatum ducit exercitum. EASQ *legiones,*] Martiam, & Quartam. QVAE *tempus, & necessitas flagitat.*] flagitat autem, vt delectus habeatur, copiaeq. ad Mutinam obsidione liberandam, Antoniumq. opprimendũ primo quoque tempore deducantur.



IN. SEXTAM M. TVLLII. CICERONIS PHILIPPICAM PAVLLI. MANVTII COMMENTARIVS

ARGVMENTVM

PRoxima superior oratio Kalendis Ian. habita est. quo die nihil senatus decreuit: satis tamen eius voluntas de Antonio hoste iudicando, quod Cicero censuerat, perspicua fuit. posttridie, ne discessio fieret; quae si facta esset, Ciceronis in sentẽtiã senatores multis partibus plures ituri videbantur; intercessit Saluius tribunus pl. de honoribus tamen Caesaris, deq. statua in Rostris ei ponenda, quod censuisse L. Philippum scripsit Cicero ad M. Brutũ; & vt sententiam consulari loco diceret, cũ de praetorio loco Cicero suasisset; consulatumq. decem annis ante, quam per leges liceret, petere posset; quod P. Seruilio placuisse, ad eundem Brutum Cicero scripsit; vtiq. cum Pansa, & Hirtio cos. bellum Antonio inferret, nisi ex Gallia discederet; & simul de laude D. Bruto tribuenda, quia priuato cõsilio, exercitu comparato, Antonium Gallia prohibuisset, S.C. esse factũ, Appianus, & Dio prodiderunt. Iidem, post diem tertium, qui fuit III. non. Ian. decretos esse ad Antoniũ legatos, confirmant. mihi tamen, pridie non. potius, decretos esse, coniectura oritur ex eo, quia suam sententiam per triduũ valuisse Cicero dicit. quod si ita est: quarto mensis die S.C. illud esse factum, cogimur credere. Venit igitur pridie non senatu dimisso, in concionem Cicero, productus ab Appuleio tribuno pl. & senatus voluntatẽ de mittendis legatis exposuit. de qua legatione quid ipse sentiat, & quid auguretur, hac oratione multis verbi ostendit. Clausula postremo vtitur ea, qua solet, vt & suum omne studium, consiliũ, laborẽ in tuenda rep. polliceatur; & populũ Romanum ad seruitutem repellendam, libertatemq. retinendam cohortetur.

IN.

IN. M. ANTONIVM
AD. QVIRITES
PHILIPPICARVM
LIBER. SEXTVS
ORATIO. XLIIX

AVdita vobis esse arbitror, Quirites, quae sint acta in senatu, quae fuerit cuiusque sententia. res enim ex kalẽdis Ian. agitata, paullo ante confecta est, minus quidem illa seuere, quam decuit, non tamen omnino dißolute. mora est allata bello, nõ caussa sublata. quamobrẽ, quod quaesiuit a me P. Appuleius, homo & multis officijs mihi, & summa familiaritate coniunctus, & vobis amicissimus, ita respondebo, vt ea, quibus non interfuistis, nosse possitis. Caussa fortissimis optimisq. consulibus kal. Ian. de rep. primum referendi fuit, ex eo, quod XIII. kal. Ian. senatus, me auctore, decreuit. eo die primum, Quirites, fundamenta iacta sunt reip. fuit enim longo interuallo ita liber senatus, vt vos aliquando liberi essetis. quo quidem tempore, etiam si ille dies vitae finem mihi allaturus esset, satis magnum ceperam fructum, cum vos vniuersi vna mente, atque voce iterum a me conseruatam esse remp. conclamastis. hoc vestro iudicio tanto, tamq. praeclaro excitato, ita kalendis Ian. veni in senatum, vt meminißem, quam personam impositam a vobis sustinerem. itaque bellum nefarium illatum reip. cum viderem, nullam moram interponendã insequendi M. Antonium putaui; hominemq. audacissimum, qui multis nefarijs rebus ante commissis, hoc tempore imperatorem populi R. oppugnaret, coloniam vestram fidissimam, fortissimamq. obsideret, bello censui persequendum. tumultum esse, decerni, iustitium edici, saga sumi, dixi placere, quo omnes acrius, grauiusq. incumberent ad vlciscendas reip. iniurias, si omnia grauissimi belli insignia suscepta a senatu viderent. itaque haec sententia sic per triduũ valuit, vt, quamquam discessio facta non esset, tamen praeter paucos, omnes mihi assensuri viderentur. hodierno autem die, nescio qua obiecta re, remissior senatus fuit. nam plures eam sententiam secuti sunt, vt quantum senatus auctoritas, vesterq. consensus apud Antonium valituus esset, per legatos experiremur. intelligo, Quirites, a vobis hanc sententiam repudiari: neque iniuria: ad quem enim legatos? ad eum ne, qui, pecunia publica dissipata, atque effusa, per vim, & contra auspicia impositis reip. legibus, fugata concione, obsesso senatu, ad opprimendam remp. Brũdisio legiones acceserit? ab his relictus, cum latronum manu in Galliam irruperit? Brutum oppugnet? Mutinam circumsideat? quae vobis potest cum hoc gladiatore condicionis, aequitatis, legationis esse communitas? quamquam, Quirites, non est illa legatio, sed denunciatio belli, nisi parnerit. ita enim est decretum, vt si legati ad Hannibalem mitterentur, mittuntur enim qui nuncient, ne oppugnet consulem designatum, ne Mutinam obsideat, ne prouinciã depopuletur, ne delectus habeat, sit in senatus populiq. R. potestate. Facile vero huic denunciationi parebit, vt in patrum conscriptorum, atque in vestra potestate sit qui in sua numquam fuerit. quid enim ille vmquam arbitrio suo fecit, semper eo tractus, quo libido rapuit, quo lenitas quo furor, quo vinolentia? semper cum duo dissimilia genera tenuerunt, lenonum, & latronum. ita domesticis stupris, forensibus parricidijs delectatur, vt mulieri citius auarissimae parucrit, quam senatui, populoq. R. itaque, quod paullo ante feci in senatu, faciam apud vos. testificor, denuncio, ante praedico, nihil M. Antonium eorum, quae sunt legatis mandata, facturum, vastaturum agros, Mutinam obsessurum, delectus, qua possit, habiturum. is est enim ille, qui semper senatus iudicium, & auctoritatem, semper voluntatem vestram, potestatemq. contempserit. an ille id faciat, quod paullo ante decretum est, vt exercitum citra flumen Rubiconem, qui finis est Galliae, educeret, dum ne propius vrbem Romã C C mil. admoueret? huic denunciationi ille se fluuio Rubicone C C mil. circumscriptum esse patiatur? non is est Antonius: nam, si esset, non commisisset, vt ei senatus, tamquã Hannibali initio belli Punici, denunciaret ne oppugnaret Saguntum. Quod vero ita auocatur a Mutina, ut ab vrbe, tamquã pestifera flamma, arceatur, quam habet ignominiam? quod iudicium senatus? Quid, quod a senatu dantur mandata legatis, vt D. Brutum, milites q. eius adeant hisq. demonstrent, summa in remp. merita, beneficiaq. eorum grata esse senatui populoq. R. hisq. eam rem magnae laudi, magnoq. honori fore? passurum ne censetis Antonium, introire Mutinam legatos? exire inde tuto? numquam patietur, mihi credite. noui violentiam, noui impudentiam: noui audaciam. nec vero de illo, sicut de homine aliquo, debemus, sed vt de importunissima bellua cogitare.

EXPLANATIO

AVDITA *vobis esse arbitror, Quirites,*] ostẽdit hic locus, apertis valuis eius tẽpli, in quo senatus haberetur, potuisse populũ audire, quae in senatu dicerentur, quaeq. cuiusque sententia esset. sed quia non vniuersus populus audire poterat, ideo in forũ profectus Cicero, de Rostris in concione maxima, quid a senatu decretõ esset, exposuit. AGITATA,] per triduum, cum alij aliter sentirent. MORA *est allata bello,*] mora viginti dierum, vt est in extrema oratione. id enim legatis erat spatium eundi Mutinam ad Antonium, & redeundi. NON *caussa sublata,*] non est effe-

etum,]vt bellum esse non possit: quamquam ideo legati mittantur, vt belli causſa tollatur. sed quia video fore, vt Antonius non pareat; ideo dico, mittendis legatis moram allatam esse bello, causſam autem belli sublatam non esse. QVOD *XIII. kal. Ian. senatus, me auctore, decreuit.*] quid Cicero XII I. Kal. Ian censuerit, quidq senatus decreuerit, quia patet ex Phil. 3. & 4. narrandi laborem sine causſa non suscipiam. ITERVM] conseruatam antea, cum Catilinae coniurationem patefecit, atque oppressit. CONCLAMASTIS.] habita quarta Philippica. COMMISSIS,] quae narrantur Phil. 1. & 2. NESCIO *qua obiectare,*] res ea quae fuerit, quia senatus dignitatis rationem habet, significandum non putat. fuit enim, vt ex Appiano cognoscitur, matris Antonij, vxoris, filij, amicorum nocturna deprecatio. PER *legatos*] ij fuere L. Piso, L. Philippus, Ser. Sulpicius, consulares omnes. PECVNIA *publica*] quae erat ad Opis. LEGIONES] quattuor Macedonicas. ACCERSERIT?] Phil. 4. Laudantur exquisitissimis verbis legiones, quae te reliquerunt, quę a te arcessitae sunt. Idem igitur valent, accersere, & arcessere. PARVERIT,] cum ea domi rerum omnium quasi mercatum instituerit, inuito senatu populoq. Romano CC *mil.*] idem Phil. 7. in extremo.

ORATIO

QVae cum ita sint; non omnino dissolutum est, quod decreuit senatus. habet atrocitatis aliquid legatio, vtinam nihil haberet moraе, nam, cum plerisque in rebus gerendis tarditas, & procrastinatio odio sa est: tum hoc bellum indiget celeritatis. succurrendum est D. Bruto: omnes undique copiae colligendae: horam eximere nullam in tali ciue liberando sine scelere possumus, an ille non potuit si Antonium consulem, si Galliam Antonij prouinciam iudicaßet, legiones Antonio, & prouinciam transdere? domum redire? triumphare? primus in hoc ordine, quoad magistratum iniret, sententiam dicere? quid negotij fuit? sed, cum se Brutum eße meminißet, vestraeq. libertati natum, non otio suo, quid egit aliud, nisi vt paene corpore suo Gallia prohibe ret Antonium? ad hunc vtrum legatos, an legiones ire oportebat? sed praeterita omittamus. properent legati; quod video esse facturos; vos saga parate: est enim ita de cretum, vt, si ille auctoritati senatus non paruißet, ad saga iretur. ibitur: non parebit: nos, amissos tot dies rei gerendae, queremur, non metuo, Quirites, ne, cum audierit Antonius, me hoc in senatu, & in concione confirmasse, numquam illum futurum in senatus potestate; refellendi mei causſa, vt ego nihil vidisse videar, vertat se, & senatui pareat. numquam faciet: non inuidebit huic meae gloriae: malet me sapientem a vobis quā se modestum existimari. Quid? ipse si velit, num etiam Lucium fratrem passurum arbitramur? nuper quidem dicitur ad Tibur, vt opinor, cum ei labare M. Antonius videretur, mortem fratri esse minitatus. etiam ne ab hoc Myrmillone Asiatico senatus mandata, legatorum verba audientur? nec enim secerni a fratre poterit, tanta praesertim auctoritate. nam hic inter illos Africanus est: pluris habetur, quam L. Trebellius; pluris, quam T. Plancus, adolescens nobilis; qui omnibus sententijs, maximo vestro plausu, condemnatus, nescio quo modo se coniecit in turbam, atque ita maestus redijt, vt retractus, non reuersus, videretur. sic contemnit, tamquam si illi aqua & igni interdictum sit, aliquando negat ei locum eße oportere in curia, qui incenderit curiam. nam Trebellium valde iam diligit: oderat tum, cum ille tabulis nouis aduersabatur: iam fert in oculis, postquam ipsum Trebellium vidit sine tabulis nouis saluum eße non posse. audiße enim vos arbitror, Quirites, quod etiam videre potuistis, quotidie sponsores, & creditores L. Trebellij conuenire. o fides; hoc enim puto Trebellium sumpsisse cognomen, quae potest esse maior fides, quam fraudare creditores? domo profugere? propter aes alienum ire ad arma? vbi plausus ille in triumpho est, saepe ludis? vbi aedilitas, delata summo studio bonorum? quis est, qui hūc nō casu existimet recte fecisse? nequitia est: scelus est.

EXPLANATIO

TRIVMPHARE?] de inalpinis, ep. 4. lib. XI. PRIMVS] quia consul designatus collega L. Planco. primi autem, quod iam dixi, consules designati sententias rogabantur. MAGISTRATVM] consulatum. L. TREBELLIVS;] qui tribunus pl. ferenti legem de tabulis nouis tribuno pl. Dolabellae aduersatus erat. Plutarchus in Antonio. T. PLANCVS,] Bursa, frater L. Planci consulis designati. eum de vi, ob incensam in funere P. Clodij curiam, lege Pompeia damnatum Caesar dictator restituerat, inimicissimus Ciceroni fuit. ep. 2. lib. VII. fam & Pedianus in argumento orationis pro Milone. CONIECIT *in turbam,*] Romam redeuntium victore Caesare. SIC *contemnit.*] M. Antonius Plancum. TAMQVAM *si illi aqua & igni interdictum sit.*] tamquam si exul sit, eiusq restitutio rata esse non debeat. ODERAT *tum*] quo tempore propter magnitudinem aeris alieni tabulas nouas ipse quoque Antonius expetebat. O FIDES:] an fidem Trebellius seruat, cum tamen a fide cognomen deduxerit? fidei patronus, & creditorum fuerat Trebellius, cū aduersaretur Dolabellae, de tabulis nouis legē ferenti. Bhil. 13. Fidei patronus, fraudator creditorū Trebellius. cognomen hoc nusquā nominatur. PLAVSVS *ille*] ei a populo datus, tamquam creditorum, ideſt, fidei patrono. IN *triumpho,*] num quam Trebellius triumphauit. sed cum triumphantē honoris causſa prosequeretur, ei populus tam quam ciui optimo, plausum dederat. LVDIS.] ingredientes in theatrum bonos ciues plausu, improbos excipere sibilo solitus est. AEDILITAS.] gradum honoris Trebellius supra aedilitatem non ascenderat. nominatur enim quod in eo summum fuit. NON *casu*] qui enim consilio, non casu, recte

facit,

facit, is non immutatur, sed sui semper similis est ep. 2. lib. v fam. Huius ego temeritati si virtute, atque animo non restitissem quis esset, qui me in consulatu non casu potius existimaret, quam consilio, fortem fuisse? NEQVITIA est: scelus est.] respicit ad illud: Quae potest esse maior fides, quam fraudare creditores? haec vero non fides est, sed nequitia, & scelus.

ORATIO

REdeo ad amores, deliciasq. vestras, L. Antoni: qui vos omnes in fidem suam recepit. negatis? num quispiam est vestrum, qui tribum non habeat? certe nemo. atqui illum quinque & triginta tribus patronum adoptarunt. rursus reclamatis. adspicite a sinistra illam equestrem statuam inauratam: in qua quid inscriptum est? QVINQVE. ET. TRIGINTA TRIBVS. PATRONO. Populi R. igitur est patronus L. Antonius. malam quidem illi pestem. clamori enim vestro assentior. non modo hic latro, quem clientem habere nemo velit, sed quis vmquam tantis opibus, tantis rebus gestis fuit, qui se populi R. victoris, dominiq. omnium gentium, tutorem dicere auderet? in foro L. Antonij statuam videmus, sicut illam Q. Tremellij, qui Hernicos deuicit, ante Castoris. o impudentiam incredibilem: tantum ne sibi sumpsit, quia Mylasis Myrmillo Thracem iugulauit, familiarem suum? quonam modo istum ferre possemus, si in hoc foro, spectantibus vobis, depugnasset? Sed haec vna statua altera ab equitibus R. equo publico: qui item adscribunt, PATRONO. quem vmquam iste ordo patronum adoptauit? si quemquam, debuit me. sed me omitto: quem censorem? quem imperatorem? agrum his diuisit. o sordidos, qui acceperunt; improbum, qui dederit. Statuerunt etiam tribuni militares. qui in exercitu Caesaris duobus fuerunt. quis est iste ordo? multi fuerunt multis in legionibus per tot annos: his quoque diuisit Semurium campus Martius restabat, nisi prius cum fratre fugisset, sed haec agrorum assignatio paullo ante; Quirites, L. Caesavis, clarissimi viri, & praestantissimi senatoris, sententia dissoluta est. huic enim assensi, septemuirum acta sustulimus. iacent beneficia Nuculae: friget patronus Antonius. nam possessores animo acquiore discedent: nullam impensam fecerant: nondum instruxerant, partim quia non confidebant, partim quia non habebant. Sed illa statua palmaris: de qua, si meliora tempora essent, nō possem sine risu dicere: L. antonio. iani. medii. patrono. ita ne? Ianus medius in L. Antonij clientela sit? quis vmquam in illo Iano inuentus est, qui L. Antonio mille nummum ferret expensum? Sed nimis multa de nugis: ad caussam, bellumq. redeamus; quamquam non alienum fuit, personas quasdam a vobis recognosci, vt, quibuscum bellum gereretur, possetis taciti cogitare. Ego autem vos hortor, Quirites, vt, etiam si melius aliud fuit, tamen legatorum reditum exspectetis animo aequo. celeritas detracta de caussa est: boni tamen aliquid accessit ad caussam. cum enim legati renunciarint, quod certe renunciabunt, non in vestra potestate, non in senatus esse Antonium; quis erit tam improbus ciuis, qui illum ciuem habendum putet? nunc enim sunt pauci illi quidem, sed tamen plures, quam rep. dignum est, qui ita loquantur: ne legatos quidem exspectabimus? istam certe vocem, simulationemq. clementiae extorquebit his res ipsa publica. quo etiam, vt confitear vobis, Quirites, minus hodierno die contendi, minus laboraui, vt mihi senatus assentiens tumultum decerneret, saga sumi iuberet. malui viginti diebus post sententiam meam laudari ab omnibus, quam a paucis hodie vituperari. Quapropter, Quirites, exspectate legatorum reditum, & paucorum dierum molestiam deuorate. qui cum redierint, si pacem afferent, cupidum me, si bellum, prouidum iudicatote. An ego non prouideam meis ciuibus? nō dies noctesq. de vestra libertate de reip. salute cogitem? quid enim non debeo vobis, Quirites, quem vos a se ortum, hominibus nobilissimis omnibus honoribur praetulistis? an ingratus sum? quis minus? qui, partis honoribus, eosdem in foro gessi labores, quos petendis. rudis in rep.? quis exercitatior, qui viginti iam annos bellum geram cum improbis ciuibus? Quamobrem, Quirites, consilio, quantum potero, labore plus paene, quam potero, excubabo, vigilaboq. pro vobis. etenim, quis est ciuis, praesertim hoc gradu, quo me vos esse voluistis, tam oblitus beneficij vestri, tam immemor patriae, tam inimicus dignitatis suae, quem non excitet, non inflammet tantus vester iste consensus? multas, magnasq. habui consul conciones, multis interfui: nullam vmquam uidi tantam, quanta nunc uestra est. unum sentitis omnes, unum studetis, M. Antonii conatum auertere a rep. furorem exstinguere, opprimere audaciam. idem uolunt omnes ordines: eodem incumbunt municipia, coloniae, cuncta Italia. itaque senatum, bene sua sponte firmum, firmiorem uestra auctoritate fecistis. uenit tempus, Quirites, serius omnino, quam dignum populo R. fuit, sed tamen ita maturum, ut differri iam hora non possit. fuit aliquis fatalis casus, ut ita dicam: quem tulimus, quoquo modo ferendus fuit. nunc, si quis erit, erit uoluntarius. populum R. seruire fas non est, quem dii immortales omnibus gentibus imperare uoluerunt. res in extremum est adducta discrimen: de libertate decernitur. aut uincatis oportet, Quirites; quod profecto & pietate uestra, & tanta concordia consequimini: aut quiduis potius quā seruiatis. aliae nationes seruitutem pati possunt: populi R. est propria libertas.

EXPLANATIO

PATRONO.] L. Antonio, non dubito quin fuerit in ea inscriptione: aut supra statuam fuit L. Antonius. vt satis deinde fuerit, omisso nomine, subscribere, Quinque & triginta tribus patrono. Q. TREMVLLI,] sic lego non Tremellij. est enim hic Q. Marcius Tremullus, litteris non dubijs ita scriptus in fastis Capitolinis. MYLASIS *Myrmillo*] idem Phil. 3. 5 7. AB *equitibus Romanis equo publico:*] equestris

equestris ordo constabat ex ijs,qui equo publico,idest,publice dato,mererent dabat autē censor,vt ex Liuio lib.xxxix.perspicuum fit.Hi equites Romani soli vocabantur.&his census praefinitus erat. cccc millia:quae nisi possiderent,ordinem & ornamenta equitū Romanorū propria amittebant. qui vero mererent equo suo,non publico,ij non erant equestris ordinis nec in centurijs equitum ad comitia centuriata coibant,nec equites Romani,sed equites tantum dicebantur.STATVERVNT]sta tuā posuerunt:de qua Phil.7.QVI *in exercitu Caesaris duobus fuerunt.*]Hieronymus Ferrarius,ingenio, iudicio,diligentia excellens,ait esse in aliquot antiquis libris,,Exercitibus in omnibus autē est,Duo bus.vt obscura iam sententia esse non possit.Duo autem Caesaris exercitus ij sint quorū altero Caesar Gallico bello,altero autem ciuili vsus est.Tribuni mil singulis in legionibus quattuor fuere.Polybius.SEMVRIVM]placet,quod iudicabat Ferrarius,Remuriam,legendum.Remurinum enim agrū nominat Festus,Remuriam Victor de regionibus vrbis,Remoriū Plutarchus in Romulo: vnde tam Remorium,quam Remurium,legi possit.SEPTEMVIRVM *acta sustulimus.*]legem illam Antonij de diuisione agrorum per vim latam iudicantes.IACENT *beneficia Nuculae:*] irrita sunt diuisoris agrorum Muculae beneficia.Phil.11.Duos collegas Antoniorum,& Dolabellae,Nuculam,& Lentonem.Italiae diuisores lege ea,quam senatus per vim latam iudicauit.NON *habebant,*] vnde impensam facerent,vt homines egestate perditi,qui latronum more in diem viuerent.PALMARIS:] quae excellit inter alias quae ferre palmam videtur.De nat.de.Palmaris quidem illa sententia.Terentius Eun.Id vero est,quod mihi puto palmarium.IANI *medii patrono.*]videtur haec statua a feneratoribus posita. ad medium enim Ianum considebant.vicus erat Iani nomine,a propinquo,vt arbitror,Iani templo: cuius in foro Boario positi extremae partes,summus Ianus,imus Ianus,media medius Ianus vocabatur.Horatius.O ciues,ciues quaerenda pecuuia primum,Virtus post nummos.haec Ianus summus ab imo Perdocet:haec recinunt pueri dictata,senesq.Idem:Postquam omnis res mea Ianum Ad medium fracta est.Cicero lib 2.off.Aquibusdam optimis viris ad medium Ianum sedentibus Malo autem legere cum antiquo libro templi Vaticani,quem Faernus hoc in loco neglexit:A Iano medio: vt subaudiatur haec statua posita est.&,A medio Iano,ab ijs,qui ad medium Ianum sedent.ETIAM *si melius aliquid fuit.*]melius fuit,Antonium hostem iudicare,& ei statim bellum inferre.VIGINTI *diebus*] quos in itinere,& reditu legati ponent.MOLESTIAM *deuorate.*] transfertur hoc verbum ad ea etiam,quae non placent,vt in Bruto.Deuorandae sunt hominum stultitia.A.SE *ortum,*] non a maioribus,vt homines nobilissimi quibus me tamen in mandandis honoribus praetulistis.vide initium Agrariae secundae.IN *foro*] in agendis caussis.CVM *improbis ciuibus?*] Catilina,Clodio,Antonio,iam inde a consulatu,quem ante annos viginti gesserat.PLVS *paene,quam potero,*]eniti non modo pro viribus,verum etiam supra vires,amoris argumentum est maximi.hac significatione interdum vsus est Cicero,vt in ep ad Lentulum:Cetera,quae ad te pertinebunt,cum etiam plus contenderimus,quam possumus minus tamen faciemus,quam debemus.Simile illud ad Marcellum.Reliquum est,vt tibi me in omni re cum praebeam,praestemq.vt ad omnia,quae tui velint,ita sim praesto,vt me non solum omnia debere tua caussa,quae possum,sed ea quoque, quae non possum,putent.FATALIS *casus,*] Caesaris dominatio.PIETATE] erga patriam.

IN

IN. SEPTIMAM

M. TVLLII. CICERONIS PHILIPPICAM

PAVLLI. MANVTII COMMENTARIVS

ARGVMENTVM

AMicos Antonij, pacem bello in sermonibus anteponentes, eo consilio, vt in reditu legatorum Antonij responsa mitius acciperentur, & senatorum animi, sententia Ciceronis irritati, ad clementiam, ac mansuetudinem traducerentur, accusat, vt Antonij amantiores, quam reip. de pace autem non esse cogitandum censet, vel quia turpis, vel quia cum periculo, vel quia liberis ciuibus cum hoste libertatis Antonio nulla prorsus esse possit. Senatum extremo loco, Pansamq. consulem hortatur, vt ad studium tuendae reip. nihil ab Antonio sincerum exspectantes, quemadmodum coeperit, incumbat.

IN M.

Landesbibliothek Oldenburg

IN M. ANTONIVM PHILIPPICARVM LIBER SEPTIMVS

ORATIO XLIX.

PAruis de rebus, sed fortasse necessariis, consulimur, P. C. de Appia via, & de Moneta consul, de Lupercis tribunus pl. refert. quarum rerum etsi facilis explicatio videtur, tamen animus aberrat a sententia, suspensus curis maioribus. adducta est enim, P. C. res in maximum periculum, & in extremum paene discrimen. non sine causa legatorum istam missionem semper timui, numquam probaui: quorum reditus quid sit allaturus, ignoro: exspectatio quidem quantum afferat languoris animis, quis non videt? non enim se tenent ii, qui senatum dolent ad auctoritatis pristinae spem reuiuiscere, coniunctum huic ordini populum R. conspirantem Italiam, paratos exercitus, expeditos, duces. iam nunc fingunt responsa Antonii, eaq. defendunt. alii, postulare illum, vt omnes exercitus dimittantur. scilicet legatos ad eum misimus, non vt pareret, & dicto audiens esset huic ordini, sed vt conditiones ferret, leges imponeret, referare nos exteris gentibus Italiam iuberet, se praesertim incolumi. a quo maius periculum, quam ab vllis nationibus, extimescendum est. alii remittere eum nobis Galliam citeriorem, illam vltimam postulare. praeclare: ex qua non legiones solum, sed etiam nationes ad vrbem conetur adducere. alii, nihil eum iam nisi modesti postulare: Macedoniam suam vocat omnino? quoniam C. frater est inde reuocatus. sed quae prouincia est, ex qua illa fax excitare non posset incendium? itaque iidem, quasi prouidi ciues, & senatores diligentes, bellicum me cecinisse dicunt, suscipiunt partis patrocinium: qui sic disputant. irritatum Antonium non oportuit. nequam est homo ille, atque confidens; multi praeterea improbi. quos quidem a se primum numerare possunt, qui haec loquuntur. eos cauendos esse denunciant. vtrum igitur in nefariis ciuibus vlciscendis, cum possis, an pertimescendis diligentior est cautio? atque haec illi loquuntur, qui quondam propter leuitatem populares habebantur. ex quo intelligi potest, animo illos abhorruisse semper ab optimo ciuitatis statu, non voluntate fuisse populares. qui enim euenit, vt, qui in rebus improbis populares fuerint, iidem in re vna maxime populari quod eadem salutaris reip. sit, improbos se, quam populares, esse malint? me quidem, semper, vti scitis, aduersatum multitudinis temeritati, haec fecit praeclarissima caussa popularem. & quidem dicuntur, vel potius se ipsi dicunt consulares, quo nomine dignus est nemo, nisi qui tanti honoris nomen potest sustinere. faueas tu hosti? ille litteras ad te mittat de sua spe rerum secundarum? eas tu laetus proferas? recites? describendas etiam des improbis ciuibus? eorum augeas animos; bonorum spem, virtutemq. debilites? & te consularem, aut senatorem, denique ciuem putes?

EXPLANATIO



DE *Appia via,*] instauranda. De *moneta*] vel de templo Iunonis Monetae reficiendo, vel etiam de puriore cudenda moneta, eiusq. pretio constituendo. Consvl,] Pansa: nam Hirtius Mutinam versus cum exercitu profectus erat: vt infra. De *Lupercis*] quorum dies festus aduentabat. Sodales enim Luperci, ad honorem dei Panis antiquitus instituti, Februario mense vrbem nudi percurrebant. aliqua, opinor, de re, quae ad eius diei celebritatem pertineret, Lupercorum nomine tribunus pl. referebat. Animvs *aberrat a sententia,*] praesertim cum P. Seruilius, ante Ciceronem rogatus, quibus de rebus consul retulerat, ea iam dixisset, quae Ciceroni probabantur: itaque assensus est ei in extrema oratione. Illam *vltimam postulare.*] quod falsum non fuit. nam in responsis Antonij, quae legati retulerunt, hoc fuisse, ex Phil. 8. Intelligitur. Sed *etiam nationes*] aptissima enim ad renouandum, instruendumq. bellum prouincia erat. Phil. 13. Nisi *modesti*] modeste, videtur rectius. Quoniam *Caius frater eius est inde reuocatis.*] ratio contra Antonium, quasi pro Antonio tamen εἰρωνικῶς adducta. cur eam prouinciam, vnde fratrem ius reuocauimus, omnino suam vocat? Reuocauit senatus ex Macedonia C. Antonium, decreta post necem Caesaris M. Antonio, vt ea prouincia M. Bruto pateret. Iidem] qui superiora illa, studentes Antonio, dicunt. Bellicvm *me cecinisse*] ciues ad pugnam vocantem. Nequam *est homo ille, atque confidens:*] amicorum Antonij verba. Illi *loquuntur,*] in Q. Fusium Calenum. Quondam] cum tribunus pl. esset, Milonemq. reum propter Clodij necem oppugnaret. Ab *optimo ciuitatis statu.*] ab optimatum caussa, non quod reuera populo studuerint, nam si id esset; nunc in ea caussa, quae est populo gratissima, cum populo consentirent.

ORATIO

ORATIO

ACCIPIET *in optimam partem C. Pansa, fortissimus consul, atque optimus. etenim dicam animo amicissimo. Hunc ipsum, mihi hominem familiarissimum, nisi talis consul esset, vt omnes uigilias, curas, cogitationes in reip. salute defigeret, consulem non putarem. quamquam nos ab ineunte illius aetate vsus, consuetudo, studiorum etiam honestissimorum societas, similitudoq. coniunxit et eiusdemq. curam incredibilem in asperrimis belli ciuilis periculis perspexi non modo salutis, sed etiam dignitatis meae: tamen eundem, vt dixi, nisi talis consul esset, negare esse consulem auderem. idem non modo consulem esse dico, sed etiam memoria mea praestantissimum, atque optimum consulem: non quin pari virtute, & voluntate alij fuerint: sed tantam causſam non habuerunt, in qua & voluntatem suam, & virtutem declararent. huius magnitudini animi, grauitati, sapientiae tempestas est oblatas formidolosissimi temporis. tum autem illustratur consulatus, cum gubernat remp. si non optabili, at necessario tempore. magis autem necessarium, P. C. nullum tempus vmquam fuit. itaque ego ille, qui semper pacis auctor fui, cuiq. pax, praesertim ciuilis, quamquam omnibus bonis, tamen in primis fuit optabilis: omne enim curriculum industriae nostrae in foro, in curia, in amicorum periculis propulsandis elaboratum est: hinc honores amplissimos, hinc mediocres opes, hinc dignitatem, si quam habemus, consecuti sumus: ego itaque pacis, vt ita dicam, alumnus, qui quantuscumque sum, (nihil enim mihi arrogo) sine pace ciuili certe non fuissem: (periculose dico: quemadmodum accepturi, P. C. sitis, horreo: sed pro mea perpetua cupiditate nostrae dignitatis retinendae, & augendae quaeso, oroq. uos, P. C. vt primo, etsi erit vel acerbum auditu, vel incredibile a M. Cicerone esse dictum, accipiatis sine offensione, quod dixero, ne ue id prius quam, quale sit explicauero, repudietis) ego ille, dicam saepius, pacis semper laudator, semper auctor, pacem cum M. Antonio esse nolo. Magna spe ingredior in reliquam orationem, P. C. quoniam periculosissimum locum silentio sum praeteruectus. cur igitur pacem nolo? quia turpis est, quia periculosa, quia esse non potest. quae tria dum explico, peto a vobis, P. C. vt eadem benignitate, qua soletis, verba mea audiatis. Quid est inconstantia, leuitate, mobilitate cum singulis hominibus, tum vero vniuerso senatui turpius? quid porro inconstantius, quam, quem modo hostem non verbo, sed re multis decretis iudicauistis, cum hoc subito pace velle coniungi? nisi vero, cum C. Caesari meritos illi quidem honores, & debitos, sed tamen singulares, & immortales decreuistis, vnam ob causſam, quod contra M. Antonium exercitum comparuisset, non hostem Antonium iudicauistis: nec tum hostis est a vobis iudicatus Antonius, cum laudati auctoritate vestra veterani milites, qui Caesarem secuti essent: nec tum hostem Antonium iudicastis, cum fortissimis legionibus, quod illum, qui consul appellabatur, cum esset hostis, reliquissent, vocationes, pecunias, agros spopondistis. Quid? cum Brutum, omine quodam istius generis, & nominis natum ad remp. liberandum exercitumq. eius pro libertate populi R. bellum gerentem cum Antonio, prouinciamq. fidelissimam atque optimam, Galliam laudibus amplissimis affecistis, tum non hostem iudicastis Antonium? Quid? cum decreuistis, ut consul alter, ambo ve ad bellum proficiscerentur, quod erat bellum, si hostis Antonius non erat? quid igitur profectus est vir fortissimus, meus collega, & familiaris, A. Hirtius consul? at qua imbecillitate? qua macie? sed animi vires corporis infirmitas non retardauit. aequum, credo, putauit, vitam, quam populi R. votis retinuisset, pro libertate populi R. in discrimen adducere. Quid? cum delectus haberi tota Italia iussistis, cum vacationes omnes sustulistis, tum ille hostis non est iudicatus? armorum officinas in urbe uidetis, milites cum gladijs sequuntur consulem; praesidio sunt specie consuli, re & veritate nobis: omnes sine vlla recusatione, summo etiam cum studio nomina dant, parent auctoritati vestrae: non est iudicatus hostis Antonius? At legator missimus. Heu me miserum, cur senatum cogor, quem laudaui semper, reprehendere? quid? vos censetis, P. C. legatorum missionem populo R. vos probauisse? non intelligitis, non auditis, meam sententiam flagitari? cui cum pridie frequentes essetis assensi, post tridie ad spem estis inanem pacis deuoluti. quam turpe porro est, legiones ad senatum legatos mittere, senatum ad Antonium? quamquam illa legatio non est; denunciatio est, paratum illi exitium, nisi paruerit huic ordini. quid refert? tamen opinio est grauior. missos enim legatos omnes vident, decreti nostri non omnes verba nouerunt. retinenda est igitur nobis constantia, grauitas, perseuerantia: repetenda vetus illa seueritas: siquidem auctoritas senatus decus, honestatem, laudem, dignitatem desiderat: quibus hic ordo caruit nimium diu: sed erat tunc excusatio oppressis: misera illa quidem, sed tamen iusta; nunc nulla est. liberati regio dominatu videbamur: multo postea grauius vrgebamur armis domesticis: ea ipsa depulimus nos quidem: extorquenda sunt. quod si non possumus facere, (dicam quod dignum est senatore, & R. homine) moriamur. Quanta enim erit illa reip. turpitudo, quantum dedecus, quanta labes, dicere in hoc ordine sententiam M. Antonium consulari loco? cuius ut omittam innumerabilia scelera vrbani consulatus; in quo pecuniam publicam maximã dissipauit, exsules sine lege restituit, vectigalia vendidit, prouincias de populi R. imperio sustulit, regna addixit pecunia, leges ciuitati per vim imposuit, armis aut obsedit, aut exclusit senatum: vt haec, inquam, omittam, ne hoc quidem cogitatis, eum, qui Mutinam, coloniam populi R. firmissimam oppugnarit, imperatorem populi R. consulem designatum obsederit, depopulatus agros sit, hunc in eum ordinem recipi, a quo toties ob has ipsas causſas, hostis iudicatus sit, quam foedum, flagitiosumq. sit? Satis multa de turpitudine: dicam deinceps, vt proposui, de periculo: quod etsi minus est fugiendum, quam turpitudo, tamen offendit animos maioris partis hominum *magis. Poteritis igitur exploratam habere pacem, cum in ciuitate Antonium uidebitis, vel potius Antonios? nisi forte contemnitis Lucium. ego ne Caium quidem. sed, vt video, dominabitur Lucius: est enim patronus quinque & triginta tribuum, quarũ sua lege, qua cum C. Caesare magistratus partitus est, suffragium sustulit; patronus centuria-*

rum equitum R. quas item sine suffragio esse voluit: patronus eorum, qui tribuni militares fuerunt: patronus Iani medij. quis huius potentiam poterit sustinere? praesertim cum eosdem in agros etiam deduxerit, quis vmquam omnes tribus? quis equites R.? quis tribunos militares? Gracchorum potentiam maiorem fuisse arbitramini, quam huius gladiatoris futura sit? quem gladiatorem non ita appellaui, vt interdum etiam M. Antonius gladiator appellari solet; sed vt appellant ij, qui plane, & Latine loquuntur Myrmillo in Asia depugnauit: cū ornasset Threcidicis comitem & familiarem suū, illum miserum fugientem iugulauit: luculentam tamen ipse plagam accepit, vt declarat cicatrix. qui familiarem iugularit, quid hic, occasione data, faciet inimico? & qui illud animi caussa fecerit, hunc praedae caussa quid facturum putatis? non rursus improbos decuriabit? non sollicitabit rursus agrarios? non queretur expulsos? M. vero Antonius non is erit, ad quem omni motu concursus fiat ciuium perditorum? vt nemo sit alius, nisi ij, qui vna sunt, & ij, qui hic ei nunc aperte fauent; parum ne erunt multi? praesertim cum boni iam praesidijs cesserint, illi parati sint ad nutum futuri. ego vero metuo, si hoc tempore consilio lapsi erimus, ne illi breui tempore nimis multi nobis esse videātur. nec ego pacem nolo, sed pacis nomine bellum inuolutum reformido. quare, si pace frui volumus, bellum gerendum est: si bellum omittemus, pace numquam fruemur.

EXPLANATIO

MODO] XIII. Kal. Ian. quo die tertiam orationem Cicero habuit. NON *verbo, sed re*] Phil. 4. Hodierno die, Quirites, fundamenta iacta sunt reliquarum actionum: nam est hostis a senatu nondum verbo appellatus, sed re iam iudicatus Antonius. MVLTVS *decretis*] quae facta sunt XIII. Kal. Ian. & postridie, aut certe post diem tertium, de honoribus, praemijsq. eorum, qui contra Antonium remp. defenderent. Phil. 3. & 5. MEVS *collega*,] in auguratu. QVA *imbecillitate*?] diu, & grauiter aegrotauerat. QVAM *populi Romani votis retinuisset*,] aegrotante Hirtio, populus Romanus pro illius salute vota fecit. Phil. 1. Num etiam hoc contemnitis, quod sensistis tā caram populo Romano vitam A. Hirtij fuisse? Et Phil. 10. CONSVLI,] Pansae: nam Hirtius aberat. MEAM *sententiam*] qua suadebam, vt hostis iudicaretur Antonius. LEGIONES] Antonij. LEGATOS] quos mittent, nō quos miserint. nam Cotyla venit in vrbem cum Pisone, Philippoq. legatis ab Antonio redeuntibus. Phil. 8. NIMIVM *diu*:] Caesare dominante. PECVNIAM *publicam*] quae erat ad Opis. MAXIMAM] septies millies. DISSIPAVIT,] Phil. 2. Qui maximo re aere alieno ad aedem Opis liberasti; qui per easdem tabulas innumerabilem pecunia dissipauisti. Phil. 5. Illa vero dissipatio pecuniae publicae ferenda nullo modo est, per quam septies millies falsis praescriptionibus, donationibusq. auertit. EXSVLES *sine lege restituit*,] hoc, & quae sequuntur, ne toties eadem iterentur a nobis, cognosce ex Phil. 2. MAIORIS *partis hominum magis*.] deesse aliquid nonnulli putarunt. mihi nihil requirere sententia videtur. EGO *ne Caium quidem*.] quamquam fratribus nequitia & crudelitate inferiorē. EST *enim patronus*] deridet Lucium, quattuor statuis, ei in foro positis, insolentem & superbum. SVA *lege*,] quam tulit in tribunatu pl. anno superiore, Caesare viuo. QVA *cum C. Caesare magistratus partitus est*,] legem tulit, vt, qui magistratus populi suffragijs quotannis creari solerent, eos in biennium Caesar, ad Parthicum bellum iturus, designare posset. itaque consules designauit in annum sequentem Pansam, & Hirtium, in alterum D. Brutum, L. Plancum. Impetrasse videtur a Caesare lator legis Lucius, vt partem magistratuum amicis suis daret. quod Cicero contumeliosis verbis Lucio, tamquam de tribubus & centurijs, a quibus vtrisque statua honoratus fuerat, male merito, exprobrat. SVFFRAGIVM *sustulit*:] in biennium, designatis a Caesare Lucij lege magistratibus. Erant autem & tributa comitia, minoribus creandis magistratibus, & centuriata maioribus. EOSDEM] qui ei statuam posuerunt. IN *agros*] quos septemuir M. Antonij fratris lege diuisit. QVIS *vmquam omnes tribus*?] aeque habuit in sua potestate: hoc enim subaudiri necesse est. FVTVRA *sit*? si pace facta, in vrbem redierit. VT *interdum etiam M. Antonius*] de quo dixit in ep. ad Cassium: Caedē enim gladiator quaerit. MYRMILLO] Phil. 3. 5. 6. ORNASSET] instruxisset. THRECIDICIS] gladiatorijs armis eorū, qui Thraces vocabantur. Festus. RVRSVS] nunc enim eos ad arma exciuit. Phil. 3. cum una legione, & ea uacillante, Lucium fratrem exspectat. SOLLICITABIT] ut contra remp. arma capiant. AGRARIOS?] quibus ipse agros diuisit.

ORATIO

EST *autem vestri consilij, P. C. in posterum quam longissime prouidere. iccirco in hac custodia & tamquam specula collocati sumus, vt vacuum metu populum R. nostra uigilia, & prouidentia redderemus. turpe est, summo consilio orbis terrae, praesertim in re tam perspicua, consilium intelligi defuisse. eos consules habemus, eam populi R. alacritatem, eum consensum Italiae, eos duces, eos exercitus, vt nullam calamitatem resp. accipere possit sine culpa senatus. equidem non desero, moneo, praedicam, denunciabo, & testabor semper deos, hominesque, quid sentiam: nec solum fidem meam, quod fortasse videtur satis esse, sed in principe cui non est satis, curam, consilium, vigilantiamq. praestabo. Dixi de periculo: docebo ne coagmentari quidem posse pacem: de tribus enim, quae proposui, hoc extremum est. Quae potest pax esse M. Antonio primum*

cum

cum senatu? quo ore vos ille poterit, quibus vicissim vos illum oculis intueri? quis vestrum illum, quem ille vestrum non oderit? age, non ille solum, & vos illum? quid ij, qui Mutinam circumsident? qui in Gallia delectus habent? qui in vestras fortunas imminent? amici vmquam vobis erunt, aut vos illis? An equites Ro. amplectetur? occulta enim fuit eorum voluntas, iudiciumq. de M. Antonio: qui frequentissimi in gradibus Concordiae steterunt; qui vos ad libertatem recuperandam incitauerunt, arma, saga, bellum flagitauerunt, me vna cum populo Ro. in concionem vocauerunt. hi Antonium diligent? cum his pacem seruabit Antonius? Nã, quid ego de vniuerso populo R. dicam? qui, pleno, ac referto foro, bis me vna mente, atque voce in concionem vocauit, declarauitq. maximam libertatis recuperandæ cupiditatem. ita, quod erat optabile antea, vt populum R. comitem haberemus; nunc habemus ducem. Quae est igitur spes; qui Mutinam circũsident, imperatorem populi R. exercitumq. oppugnant, iis pacem cum populo R. esse posse? An cum municipiis pax erit? quorum tanta studia cognoscuntur in decretis faciendis militibus dandis, pecuniis pollicendis, vt in singulis opidis curiam populi R. non desideretis. laudandi sunt ex huius ordinis sententia Firmani, qui principes pecuniae pollicendae fuerunt. respondendũ honorifice est Marrucinis, qui ignominia notandos censuerunt eos, si qui militiam subterfugissent. haec iam tota Italia fient. magna pax Antonio cum his, his item cum illo? quae potest maior esse discordia? in discordia autem pax ciuilis esse nullo pacto potest. Vt omittam multitudinem; L. Visidio, equiti R. homini in primis ornato, atque honesto, ciuiq. semper egregio, cuius ego excubias, & custodias mei capitis cognoui in consulatu meo, qui vicinos suos non cohortatus est solum, vt milites fierent, sed etiam facultatibus suis subleuauit; huic, inquam, tali viro, quem nos S.C. collaudare debemus, poterit ne esse pacatus Antonius? Quid Caesari, qui illum vrbe, quid D. Bruto, qui Gallia prohibuit? Iam vero ipse se placabit, & leniet prouinciae Galliae, a qua exclusus & repudiatus est? Omnia videbitis, P.C. nisi prospicitis, plena odiorum, plena discordiarum, ex quibus oriuntur bella ciuilia. nolite igitur id velle, quod fieri non potest: & cauere per deos immortales, P.C. ne spe praesentis pacis perpetuam pacem amittatis. Quorsum haec omnis spectat oratio? quid enim legati egerint, nondum scimus. At vero excitati, erecti, parati, armati animis iam esse debemus; ne blandae, ant supplici oratione, aut aequitatis simulatione fallamur. omnia fecerit oportet, quae interdicta, & denunciata sunt, prius, quam aliquid postulet; Brutum exercitumq. eius oppugnare, vrbes & agros prouinciae Galliae populari destiterit; ad Brutum adeundi legatis potestatem fecerit. exercitum citra flumen Rubiconem eduxerit; nec propius vrbem millia passuum duc̃ta admouerit; fuerit & in senatus, & in populi R. potestate. haec si fecerit; erit integra potestas nobis deliberandi: si senatui non paruerit; non illi senatus, sed ille populo R. bella m indixerit. Sed uos moneo, P. C. libertas agitur populi R. quae est commendata vobis; vita, & fortuna optimi cuiusque, quo cupiditatem infinitam cum immani crudelitatem iam pridem intendit Antonius; auctoritas vestra, quam nullam habebitis, nisi nunc retinueritis. taetram, & pestiferam belluam ne incluſam, & constrictam dimittatis, cauete. Te ipsum Pansa, moneo, (quamquam non eges consilio, quo vales plurimum: tamen etiam summi gubernatores in magnis tempestatibus a vectoribus admoneri solent) hunc tuum tantum apparatum, tamque praeclarum ne ad nihilum recidere patiare. tempus habes tale, quale nemo habuit vmquam: hac grauitate senatus, hoc studio equestris ordinis, hoc ardore populi Ro. potes in perpetuum rempub. metu, & periculo liberare. Quibus de rebus refert, P. Seruilio assentior.

EXPLANATIO

QVI *in Gallia delectus habent?*] iussu M. Antonij vt ex Phil. 8. constat. nam in Italia delectus habebatur, iussu Pansae consulis itaque in ep. ad Cassium, Magnas Romae Pansa copias ex delectu Italiae comparat. BIS] cum quartam, & quintam orationem habuit ad Quirites. MAGNA *pax*] ironia. A. QVA *exclusus.*] retineo, Exclusus: quamquam, Expulsus habeat vetus liber. nam Ciceronem de eadem Gallia ita video locutum Phil. 8 Quam igitur municipijs & colonijs ad excludendum Antonium auctoritatem damus? MILLIA *passuum ducenta*] Phil. 6. APPARATVM] copiarum in ep. ad Cassium: Erat Claternae noster Hirtius, ad forum Cornelium Caesar, vterque cum firmo exercitu: magnasq. Romae Pansa copias ex delectu Italiae comparat. QVIBVS *de rebus refers,*] retulerat de Appia via, & de moneta.

Landesbibliothek Oldenburg



IN. OCTAVAM

M. TVLLII. CICERONIS PHILIPPICAM PAVLLI. MANVTII COMMENTARIVS

ARGVMENTVM

MOrtuo in legatione Ser. Sulpicio, L. Piſo, & L. Philippus intolerabilia ab Antonio ad ſenatum poſtulata retulerunt. tum ſenatus bellum indixit Antonio, ſed in S.C. nonnullorum ſuaſu tumultum appellare maluit, quam bellum. id Cicero reprehendit, quaſi leniore ſenatu, quam in eum oporteret eſſe, qui ei non pareret, Mutinamq. nihilo ſegnius poſt auditam legationem, quam antea, oppugnaret. Deinde cum Caleno, adhuc de pace agente, pacisq. commoda commemorante, & Maſſilienſium commoda oppugnante, acerbe queritur: & ſimul eos accuſat, qui mittendos iterum ad Antonium legatos cenſuerant. Piſonem, & Philippum increpat, qui mandata Antonij, tamquam eius legati, non tamquam a ſenatu miſsi, retuliſſent. Reprehendit ſenatores Antonio fauentes. Decernendum cenſet, vt ijs, qui cum Antonio ſint, poteſtas detur ad ſanitatem redeundi ante idus Mart. primas: bene merentibus gratiae referantur: proficiſcendi ad Antonium, excepto eius legato Q. Vario Cotyla, nemini facultas concedatur.

IN M. ANTONIVM PHILIPPICARVM LIBER OCTAVVS

ORATIO L

CONfusius hesterno die est acta res, C. Pansa, quam postulabat institutum consulatus tui. parum mihi visus es eos, quibus cedere non soles, sustinere. nam cum senatus ea virtus fuisset, quae solet; & cum re viderent omnes esse bellum, quidamq. id verbum remouendum arbitrarentur, tua voluntas in discessione fuit ad lenitatem propensior. victa igitur est propter verbi asperitatem, te auctore, nostra sententia; vicit L. Caesaris, amplissimi viri, qui, verbi atrocitate dempta, oratione fuit, quam sententia, lenior. quamquam is quidem, ante quam sententiam diceret, propinquitatem excusauit. idem fecerat, me consule, in fororis viro, quod hoc tempore in fororis filio; ut & luctu fororis moueretur, & salut reip. prouideret. atque ipse tamen Caesar praecepit vobis quodam modo, P. C. ne sibi assentiremini: cum ita dixit, aliam sententiam se dicturum fuisse, eamq. se ac rep. dignam, nisi propinquitate impediretur. ergo ille auunculus: num etiam uos auunculi illi assensi estis? at in quo fuit controuersia? belli nomen ponendum quidam in sententia non putabant: tumultum appellare malebant, ignari non modo rerum, sed etiam verborum. potest enim esse bellum sine tumultu, tumultus esse sine bello non potest. quid enim est aliud tumultus, nisi perturbatio tanta, vt maior timor oriatur? unde etiam nomen ductum est Tumulus. itaque maiores nostri tumultum Italicum, quod erat domesticus, tumultum Gallicum, quod erat Italiae finitimus, praeterea nullum nominabant. grauius autem tumultum esse, quam bellum, hinc intelligi licet, quod bello Italico uacationes ualent, tumultu non ualent. ita fit, quemadmodum dixi, vt bellum sine tumultu possit, tumultus sine bello esse non possit. etenim, cum inter bellum & pacem medium nihil sit, necesse est, tumultum, si belli nō sit, pacis esse. quo quid absurdius dici aut existimari potest? Sed nimis multa de uerbo. rem potius uideamus, P. C. quam quidem intelligo uerbo fieri interdum deteriorem solere.

EXPLANATIO

ONFVSIVS] minus considerate, quam decuit a consule. praesertim eo, quem te ad eam diem praebueras. EA. VIRTVS *fuisset,*] in bello decernendo. IN *discessione*] discessit in eam partem Pansa, cui tumultum potius, quam bellum, vocari placebat: eumq. senatus pars maior secuta est. QVAM *sententia,*] sensit enim idem, quod Cicero, Antonium bello persequendum: sed acerbitatem rei, lenitate verbi mitigandam putauit. PROPINQVITATEM] nam Antonij mater ei soror erat. IN *fororis viro*] Lentulo qui, Cicerone consule, cum alijs coniuratis in carcere, senatus iussu, strangulatus est. BELLO *Italico*] delendum videtur, Italico, vt sententiae repugnās. iam enim dixit, tumultum Italicum quia domesticus, vocari non bellum. in tumultu autem, siue sit Gallicus, siue Italicus, vacationes non valent, in bello valent.

ORATIO

NOlumus hoc bellum videri: quam igitur municipijs, & coloniis ad excludendum Antonium auctoritatem damus? quam, vt milites fiant sine vi, sine tumultu, studio, & voluntate? quam, vt pecunias in remp. polliceantur? si enim belli nomen tollitur, municipiorum studia tolluntur: consensus populi R. qui iam descendit in causā, si nos languescimus, debilitetur necesse est sed quid plura? D. Brutus oppugnatur: non est bellum. Mutina obsidetur: ne hoc quidem bellum est. Gallia vastatur: quae pax potest esse certior? illud vero quis potest bellum esse dicere? consulem fortissimum virum cum exercitu misimus, qui cum esset infirmus ex graui, diuturnoq. morbo, nullam sibi putauit excusationem esse oportere, cum ad reip. praesidium vocaretur C. quidem Caesar nō exspectauit uestra decreta; & praesertim cum esset illius aetatis: bellum contra Antoniū sua sponte suscepit. decernendi enim tempus nondum erat: belli autem gerendi tempus si praetermisisset, videbat, rep. oppressa, nihil posse decerni, ergo illi nunc, & eorum exercitus in pace versantur: non est hostis is, cuius praesidium Claterna deiecit Hirtius; non est hostis, qui consuli armatus obsistit, designatum consulem oppugnat: nec illa hostilia verba, nec bellica, quae paullo ante ex collegae litteris Pansa recitauit: Deiecti praesidiū: Claterna potitus sū: fugati equites: proeliū commissū: occisi aliquot. quae pax potest esse maior? del

Eius

Eius tota Italia decreti sublatis vacationibus: saga cras sumentur: consul se cum praesidio descensurum esse dixit: vtrum hoc bellum non est, an etiam tantum bellum, quantum numquam fuit? ceteris enim bellis maximeq. ciuilibus contentionem reip. causſa faciebat. Sulla cum Sulpicio de iure legum, quas per vim Sulla latas esse dicebat: Cinna cum Octauio de nouorum ciuium suffragijs: rursus cum Mario, & Carbone Sulla, ne dominarentur indigni, & vt clariſſimorum hominum crudeliſſima puniretur necem. horum omnium bellorum causſae ex reip. contentione natas sunt. de proximo bello ciuili non libet dicere: ignoro causſam, detestor exitum. hoc bellum quinctam ciuile geritur. (atque omnia in nostram aetatem inciderunt) primum non modo non in diſſensione, & discordia ciuium, sed in maxima consensione, incredibiliq. concordia. omnes idem volunt, idem defendunt, idem sentiunt. cum omnes dico, eos excipio, quos nemo ciuitate dignos putat. quae est igitur in medio belli causſa posita? nos deorum immortaliũ templa, nos muros, nos domicilia, sedesq. populi R. aras, focos sepulcra maiorum, nos leges, iudicia, libertatem, coniuges, liberos, patriã defendimus. contra M. Antonius id molitur, id pugnat, vt haec omnia perturbet, euertat, praedam reip. causſam belli putet, fortunas nostras partim diſſipet, partim diſpertiat parricidis. in hac tam diſpari ratione belli miſerrimum illud est, quod ille latroni bus suis pollicetur primum domos: vrbem enim se diuiſurum confirmat: deinde omnibus portis, quo velint, deducturum omnes Cafones, omnes Saxae, ceteraeq. peſtes, quae sequuntur Antonium, aedes sibi optimas, hortos, Tuſculana, Albana definiunt: atque etiam homines agreſtes, si homines illi, ac non pecudes potius, inani spe ad aquas vſque Puteolos peruehuntur. ergo habet Antonius, quod suis polliceatur. quid nos? numquid tale habemus? dij meliora: id enim ipſum agimus, ne quis post hac quidquam eiuſmodi poſſit polliceri. inuitus dico, sed dicendum est. haſta Caesaris, P. C. multis improbis & spem affert, & audaciam. viderunt enim ex taendicis fieri repente diuites: itaque haſtã semper videre cupiunt ij, qui noſtris bonis imminent, quibus omnia pollicetur Antonius. quid nos noſtris exercitibus, quid pollicemur? multo meliora, atque maiora. scelerum enim promiſſio, & ijs, qui exſpectant, perniciosa est, & iis, qui promittunt. nos libertatem noſtris militibus, leges, iura, iudicia, imperium orbis terrae, dignitatem, pacẽ, otium pollicemur. Antonii igitur promiſſa cruenta, taetra, scelerata, diis hominibusq. inuiſa, nec diuturna, nec salutaria: noſtra contra, honeſta, integra, gloriosa, plena laetitiae, plena pietatis.

EXPLANATIO

NOLIMVS] placeat nobis, bellum quod est, bellum non videri: quid sequetur? municipijs, & colonijs ad excludendũ Antoniũ auctoritas nulla dabitur; quae dabitur maxima, si bellũ, sicut est, ita videbitur. SINE *vi, sine multa,*] quod interdum solet, cogebantur enim ire ad militiam vel per vim, vel quia, si minus irent, multabantur. id accidet, inquit Cicero, si bellum non videbitur: sin videbitur, ibunt in militiã, studio, & voluntate, non vi & multa coacti. QVAE *pax potest esse certior?*] a cõtrario sensu: vt infra. CONSVLEM,] Hirtiũ. Phil. 7. CLATERNA] opidũ fuit prope viã Aemiliam, inter Bononiam, & forum Cornelij, vbi nunc eiusdem nominis flumen excurrit. CONSVLI] Hirtio. DESIGNATVM D. Brutum. DESCENSVRVM] in forum, sic locutus Phil. 14. scitis enim, per hos dies creberrimum fuisse sermonem me pr. id. Quinct. qui dies hodie est, cum fascibus descensurum. Habitabãt eo tempore nobiles Romani omnes in montibus. CVM *Sulpicio*] oratore, quem Cicero loquentem induxit in libris de oratore. DE *iure legum,*] cum alias leges contra Sullã Sulpicius tribunus pl. fautor Marianarum partium, tulit, tum eam, vt Mithridatici belli cura, adempta Sullae, cui tradita fuerat, Mario mandaretur: qua lege Sulla, in vrbem reuersus, Sulpicium occidit, Marium expulit. CINNA] Marianus, qui consul quater fuit. DE *nouorum ciuium suffragijs:*] vt in omnibus tribubus libertini suffragium ferrent, cum antea in quattuor tantum vrbanis ferre soliti essent. his Cinna, inimicus otij, perturbare remp. cupiens, fauebat, collega eius Octauius aduersabatur. CVM *Mario*] C. Marij, sexties consulis, filio, vt ait Velleius lib 2. CARBONE] tertium consule, cum Mario iuniore. NE *dominarentur indigni,*] optimatibus enim inimica erat factio Mariana. CLARISSIMORVM *hominum*] C. Marius iunior consul, mortuo iam patre, Cinna interempto, L. Licinio Damasippo praetori, vt apud Velleium, & in epitome, & Ciceronis epistola, non Bruto vt ait Appianus, mandauit, vt senatu, velut ex alia causſa, cõuocato, interficeret eos, qui optimatum causſae id est, L. Sullae, fauere putarentur. interfecti sunt consulares duo, L. Domitius Ahenobarbus, Q. Mucius Scaeuola pontifex max. praetorius. C. Carbo, consulis frater aedilicius P. Antistius, & cetera fere nobilitas omnis. Antea quoque viri clariſſimi Cn. Octauius consul. L. Cornelius Merula, flamen Dialis, qui, abrogato Cinnae cõſulatu, in eius locum suffectus erat & Q. Catulus, qui Cum C. Mario seniore, bello Cimbrico, consul fuerat, & M. Antonius orator, consularis, triũphalis, censorius. P. Craſſus cõsularis, L. Caesar, consularis, cẽsorius, eiusq. frater aedilicius C. Caesar Strabo, a L. Cinna, & C. Mario seniore necati fuerant. Potuit igitur Cicero vtramque caedẽ significare, cũ in vttaque principes optimatũ fuerint. PVNIRETVR] sic locutus pro Milone. Cuius tu inimiciſſimum multo crudelius punitus es, quam erat humanitatis meae postulare. DE *proximo bello ciuili*] Pompeiano. IGNORO *causſam,*] Ciliciam enim tunc administrabat, cum ortum est ciuile bellum. in ep. ad Sulpicium: Rudis esse videbar in causſa. SAXAE,] Q. Decidium Saxam significat. Phil 13. & Caesar lib. 1. bel. ci. HOMINES *agreſtes,*] quos minime decet Baianas aquas, vrbanorum ac nobilium hominũ proprias, cogitare. vnde illud lib. 1. ad Att. Quid tibi, homini Arpinati cum aquis calidis? HASTAM *semper videre cupiunt ii, qui noſtris bo-*

nis

nis imminet,] eadem sententia lib. 2. off. Nec uero umquam bellorum ciuiliũ semen, & causſa deerit, dum homines perditi haſtam illam cruentam & meminerint, & perabunt. SCELERVM] quae suis promittit Antonius.

ORATIO

Hic mihi etiam Q. Fusius, vir fortis, ac strenuus amicus meus, pacis commoda commemorat. quasi uero, si laudãda pax esset, ego id aeque commode facere non possem. semel enim pacem defendi, non semper otio studui: quod cum omnibus bonis vtile est, tum praecipue mihi. quem enim cursum industria mea tenere potuißet sine forẽsibus causſis, sine legibus, sine iudicijs? quae esse non poßunt, ciuili pace sublata. Sed quaeso, Calene, quid, tu seruitutem pacem uocas? maiores quidem nostri, non modo ut liberi essent, sed etiam ut imperarent, arma capiebant. tu arma abijcienda censes, vt seruiamus. quae causſa iustior est belli gerendi, quam seruitutis depulsio? in qua etiam si non sit molestus dominus, tamen est miserrimum posse, si velit. immo aliae causſae iustae, haec necessaria est. nisi forte ad te hoc non putas pertinere, quod te socium fore speras dominationis Antonij, in quo bis laberis; primum, quod tuas rationes communibus anteponis; deinde, quod quidquam stabile, aut iucundum in regno putas, non si tibi antea profuit, semper proderit. quin etiam memini, de illo homine queri solebas: quid te facturum de bellua putas? atque ais eum te esse, qui semper pacem optavis, semper omnes ciues volueris saluos. honesta oratio, sed ita, si bonos, & utiles, & e rep. ciues: sin eos, qui natura ciues sunt, voluntate hostes, saluos velis, quid tandem interest inter te, & illos? pater tuus quidem, quo vtebar sene adolescens, homo seuerus, & prudens, primas omnium ciuium P. Nasicae, qui Ti. Gracchum interfecit, dare solebat; eius virtute consilio magnitudine animi liberatam remp. arbitrabatur. Quid? nos a patribus num aliter accepimus? ergo is tibi ciuis, si temporibus illis fuisses, non probaretur, quia non omnes saluos esse voluißet? quod L. Opimius cõsul uerba fecit de rep. de ea te ita censuerunt, uti Opimius consul remp. defenderet. senatus haec verbis, Opimius armis, num igitur eum, si tum esses, temerarium ciuem, aut crudelem putares? aut Q. Metellum, cuius quattuor filij consulares? P. Lentulum, principem senatus? cõplures alios summos viros, qui cum L. Opimio consule armati Gracchum in Auentinum persecuti sunt? quo in proelio Lentulus graue vulnus accepit, interfectus est Gracchus, & M. Fuluius consularis, eiusq. duo adolescentuli filij. illi igitur viri vituperandi? non enim ciues omnes saluos esse voluerunt. ad propiora veniamus. C. Mario, L. Valerio cos. senatus remp. defendendam dedit. L. Saturninus tribunus pl. C. Glaucia praetor est interfectus. omnes illo die Scauri, Metelli, Claudij, Catuli, Scaeolae, Crassi arma sumpserunt: num aut consules illos, aut clarissimos viros vituperandos putas? ego Catilinam perire volui: num tu, qui omnes saluos vis, Catilinam saluũ esse voluisti? hoc interest, Calene, inter meam sententiam & tuam. ego nolo quemquam ciuem committere, vt morte multandus sit: tu etiam si commiserit, conseruandum putas. in corpore si quid eiusmodi est, quod reliquo corpori noceat, id uri, secariq. patimur, vt aliquid membrorum potius, quam totum corpus intereat. sic in reip. corpore, vt totum saluum sit, quidquid est pestiferum amputetur. dura uox: multo illa durior: salui sint improbi, scelerati, impij: deleantur innocentes, honesti, boni, tota resp. Vno in homine, Q. Fusi fateor te vidisse plus, quam me. ego P. Clodium arbitrabar perniciosum ciuem, sceleratum, libidinosum, impium, audacem, facinorosum: tu contra sanctum, temperantem, innocentem, modestum, retinendum ciuem, & optandum. in hoc vno te plurimum vidisse, me multum errasse concedo. Nam quod me tecum iracunde agere dixisti solere: non est ita: uehementer me agere fateor, iracunde nego. omnino irasci amicis non temere soleo, ne si mereantur quidem: itaque sine verborum contumelia a te dissentire possum, sine animi summo dolore nõ poßum. parua est enim mihi tecum, aut parua de re dissensio. ego huic videlicet faueo, tu illi. immo vero ego D. Bruto faueo, tu M. Antonio: ego conseruare coloniam populi R. cupio, tu expugnare studes. an hoc negare potes, qui omnes moras interponis, quibus infirmetur Brutus, melior fiat Antonius? quousq; enim dices pacem velle te? res geritur. conductae vinae sunt: pugnatur acerrime: qui intercurrerunt, missimus tres principes ciuitatis: hos contempsit, reiecit, repudiauit Antonius: tu tamen permanes constantissimus defensor Antonij. & quidem, quo melior senator videatur, negat se illi amicum esse debere: cum suo magno esse beneficio, uenisse eum contra se. uide, quanta caritas sit patriae. cum homini sit iratus, tamen reip. causſa defendit Antonium. ego te, cum in Massilienses tam es acerbus, Q. Fusi, non animo aequo audio. quousque enim Massiliam oppugnabis? ne triumphus quidem finem facit belli? per quem lata est vrbs ea, sine qua numquam ex transalpinis gentibus maiores nostri triumpharunt. quo quidem tempore populus R. ingemuit. quamquam proprios dolores suarum rerum omnes habebant: tamen huius ciuitatis fidelissimae miserias, nemo erat ciuis, qui a se alienas arbitraretur. Caesar ipse, qui illis fuerat iratissimus, tamen propter singularem eius ciuitatis grauitatem, & fidem quotidie aliquid iracundiae remittebat: te nulla sua calamitate ciuitas satiare tam fidelis potest? rursus me irasci fortasse dices. ego autem sine iracundia dico, ut omnia, nec tamen sine dolore. neminem illi ciuitati inimicum esse arbitror, qui amicus sit huic ciuitati. excogitare, quae tua ratio sit, Calene, non possum. antea deterre te, ne popularis esses, non poteramus; exorare nunc, vt sis popularis, non possumus. Satis multa cum Fusio, ac sine odio omnia, nihil sine dolore. credo autem, qui generi querellam moderate ferat, aequo animo laturum amici.

EXPLA-

EXPLANATIO

ANTEA *profuit*,]quia tibi Caesaris dominatio fructum attulerit. DE *illo homine*]de Caesare. QVERI]cum acta eius omnia non probares. HONESTA *oratio*,]sumptũ ex Andria Terentij. Quae sese voluit in ignem conijcere, prohibui, seruaui. Honesta oratio. De off. Vulgo loquuntur, sese in beneficijs collocandis mores hominum, non fortunam sequi. honesta oratio. Male alij, Ratio. nã, Oratio, refertur ad verbum quod loquentem ostendit in omnibus exemplis, vbi subiungitur, Honesta oratio. QVOD *L. Opimius*]hoc senatus contra C. Gracchum, Tiberij fratrem pernicioſas reip. leges in tribunatu ferentem, decreuit. OPIMIVS *armi*.]occidit enim. C. Gracchum, & alios cum eo sentientes. Q. METELLVM,]qui propraetor ex Macedonia de Andrisco triumphauit. QVATTVOR *filii consulares*?]omnes triumphales Balearicus. Caprarius, Dalmaticus & is, qui de Sardis triumphauit. TE *uidisse plus, quam me*.]perspicua ironia. Defensum a Caleno Clodium, cum de incestu accusatus est, narrat Pedianus pro Milone. TRES]diximus legatos ad Antonium a senatu missos esse L. Philippum, L. Philippum, Ser. Sulpicium. CVM *suo magno esse beneficio*,]cum a se magnum Antonius beneficium accepisset Notandum loquendi genus, quod perquam rarum est. vsus eo Cicero est in ep. ad Curium, alibi nusquam, quod quidem obseruauerim. Atilius, inquit, qui in Graeciam cum legionibus missus est, maximo meo beneficio est: bis enim est a me iudicio capitis, rebus saluis, defensus. VENISSE *eum contra se*.]in iudicium, contra rem suam. sic enim locutus est Phil. 2. Contra rem suam me nescio quando venisse, quaestus est. Et alibi. Haec autem uerba satis constat cum affirmatione dici, nec ad verbum, Negat, referri posse. vis enim est in eodem verbo negandi simul, & affirmandi, vt etiã in, Nemo. &, Noli. de quo diximus in oratione pro Quinctio. VIDE, *quanta caritas sit patriae*.]si quis locum perpendat, non dubito quin, Videte, legendum esse mecum sentiat. OPPVGNABIS?]oppugnabat eorum cõmoda: nam in senatu actum esse vt ijs redderetur adepta a Caesare, facile est intelligere ex ijs Antonij verbis, quae recitantur Phil. 13. Massiliẽsibus iure belli adepta reddituros vos pollicemini. PER *quem lata est urbs ea*,]captarum vrbium simulacra in triũphi pompa ferebantur. Massiliae casum ijsdem deplorat verbis lib. 2. off. Ad exemplum amssi imperij portari in triumpho Massiliam vidimus, & ea vrbe triumphari, sine qua numquam nostri imperatores ex trãsalpinis bellis triumpharunt. GENERI]Pansae consulis: qui propterea primum eum sententiam rogabat Phil. 5. & 10. QVERELLAM]quia studiosior Antonij, quam reip. videretur esse.

ORATIO

VENIO *ad reliquos consulares: quorum nemo est, (iure meo hoc dico) quin mecum habeat aliquam coniunctionem gratiae, aly maximam, alii mediocrem, nemo nullam. quam hesternus dies nobis, consularibus dico, turpis illuxit. iterum legatos? quid, si ille faceret indutias? ante os, oculosq. legatorum tormentis Mutinam uerberauit: opus ostẽdebat, munitionemq. legatis: ne punctum quidem temporis, cum legati adessent, oppugnatio respirauit. ad hunc legatos? cur? an vt eorum reditu vehementius pertimescatis? equidem cum antea legatos decerni non censuissem, hoc me tamẽ consolabar, quod cum illi ab Antonio contempti, & reiecti reuertissent, dixissentq. senatui, non modo illum e Gallia non discessisse, vti censuissemus. sed ne a Mutina quidem recessisse, potestatem sibi D. Bruti conueniendi non fuisse; putabam fore, vt omnes inflammati odio, excitati dolore, armis, equis, viris D. Bruto subueniremus. nos etiam lãguidiores facti postea sumus, quam M. Antonii non solum audaciam, & scelus, sed etiam insolentiam, superbiamq. perspeximus. vtinam L. Caesar valeret, Ser. Sulpicius viueret: multo melius haec causſa ageretur a tribus, quam nunc agitur ab uno. dolenter hoc dicam potius, quam contumelioſe. deserti, deserti, inquam. sumus, P. C. a principibus. sed, ut iam saepe dixi, omnes in tanto periculo. qui recte & fortiter sentient, erunt consulares. animum nobis afferre legati debuerũt, timorem attulerunt; quamquam mihi quidem nullum: quamuis de illo, ad quem missi sunt, bene existiment, a quo etiam mandata accaperunt. Pro dii immortales. ubi est ille mos, uirtusq. maiorũ? C. Popillius apud maiores nostros, cum ad Antiochũ regem legatus missus esset, & uerbis senatus denunciasset, ut ab Alexãdria discederet, quã obsidebat; cum tempus ille differret, uirgula stantẽ circumscripsit, dixitque. se renunciaturum senatui, nisi prius sibi respondisset; quid facturus esset, quam ex illa circumscriptione excederet. praeclare: senatus enim faciem secum attulerat, auctoritatem reip. cui qui non pareret, non ab eo mandata accipienda sunt, sed ipse est totus repudiandus. an ego ab eo mandata acciperem, qui senatus mandata contemneret? aut ei cum senatu quidquam commune iudicarem, qui imperatorem populi R. senatu prohibente obsideret? at quae mandata? qua arrogantia? quo stupore? quo spiritu? cur autem ea legatis nostris dabat? cum ad nos Cotylam mitteret, ornamentum, atque arcem amicorum suorum, hominem aedilicium? si uero tum fuit aedilis, cum eum iussu Antonii in conuiuio serui publici loris ceciderunt. at quam modesta mandata. ferrei sumus, P. C. qui quidquam huic negemus. Vtramque prouinciam, inquit, Remitto: exercitum depono: priuatus esse nõ recuso. haec sunt enim uerba. redire ad se uidetur. Omnia obliuiscor: in gratiam redeo. sed quid adiungit? Si legionibus meis sex, si equitibus, si cohorti praetoriae praedam, agrumque dederitis. his etiã praemia postulat: quibus ut ignoscatur, si postulet, impudentissimus iudicetur. addit praeterea, ut, quos ipse cum Dola-

bella

bella dederit agros, teneant ij, quibus dati sint. hic est Campanus ager, & Leontius: quae duo maiores nostri annonae perfugia ducebant. Cauet mimis, aleatoribus, lenonibus: Casoni etiam, & Saxae cauet, quos centuriones pugnaces, & lacertosos inter mimorum, & mimarum greges collocauit. Postulat praeterea, vt chirographorum, & commentariorum sua, collegaeq. sui decreta maneant. quid laborat vt habeat quod quisque mercatus est? si, quod accepit, habet qui vendidit? & ne tangantur rationer ad Opis, id est ne septies millies recuperetur: ne fraudi sit septemuiris, quod egissent. Nucula hoc, credo, admonuit. verebatur fortasse, ne amitteret tantas clientelas, caueri etiam vult iis, qui secum sunt, qui quid contra legem commiserint. Mustelae, & Tironi prospicit: de se nihil laborat: quid enim cõmisit vmquam? num aut pecuniam publicam attigit, aut hominem occidit, aut secum habuit armatos? sed quid est, qd de iis laboret? postulat enim, ne sua iudicaria lex abrogetur. quo impetrato, quid est quod metuat? an, ne suorum aliquis a Cyda, Lysiade, Curio condemnetur? neque tamen nos urget mandatis pluribus: remittit aliquantum, & relaxat. Galliam, inquit, togatam remitto: comatam postulo: otiosus videlicet esse maiult. cum sex legionibus, inquit, iisq. suppletis ex D. Bruti exercitu, non modo ex delectu suo, tamdiuq. vt obtineat, dum M. Brutus, C. Cassius consules, pro ue consules prouincias obtinebunt. huius comitiis C. frater eius. est enim iam annus, vt repulsam tulit. Ipse autem vt quinquẽnium, inquit, obtinẽã. at istud vetat lex Caesaris, & tu acta Caesaris defendis? haec tu mandata, L. Piso, & tu, L. Philippe, principes ciuitatis, nõ dico animo ferre, verum auribus accipere potuistis? sed, ut suspicor, terreo erat quidam: nec uos ut legati apud illum fuistis, nec ut consulares: nec uestram, nec reip. dignitatem tenere potuistis: & tamen nescio quo pacto, sapientia quadam credo, quod ego non possum, non nimis irati reuertistis. vobis M. Antonius nihil tribuit, clarissimis uiris, legatis popoli R. nos quid non iegato M. Antonii Cotylae concessimus? cui portas huius urbis patere ius non erat, huic hoc templum patuit, huic aditus in senatum fuit, hic hesterno die sentẽtias nostras in codicillos, & omnia verba referebat, huic se etiam summis honoribus vsi contra suam dignitatem venditabat.

EXPLANATIO

A. Principibvs.] a consularibus. C. Popillivs] historiam Liuius narrat lib. xxxiv. Non *ab eo mandata accipienda sunt*,] vt ab Antonio Piso & Philippus acceperunt. Totvs *repudiandis.*] sic locutus ep. 2. lib. ix. ad Att. Repudiari se totum, magis etiam q̃ olim in vigintiuiratu, putabit. Cotylam] L. Varium Cotylam. infra. Ivssv *Antonij*] consulis. Loris *cecederunt.*] res eadem Phil. 13. Vtramqve *prouinciam*,] vtramque Galliam. Chirographorvm, *& commentariorum*,] Caesaris: in quibus fingebat Antonius esse multa, quae non erant. Decreta] tamquam ex chirographis, & commentariis Caesaris. Si *quod accepit, habet qui vendidit?*] si habet ipse pecuniam, quam ab emptoribus accepit: quid laborat de ijs, qui emerunt? Ne *tangantur rationes ad Opis*,] ne quid immutaretur in iis tabulis, in quibus dissipatae ab Antonio pecuniae confecta ab ipso ratio exstabat. dissipauerat autem septies millies. quam Caesar pecuniã deposuerat. Huc illud spectat, quod est Phil. 5. Scelerum magnitudo conscientia maleficiorum direptio eius pecuniae, cuius ratio in aede Opis confecta est, hanc tertiam decuriam excogitauit. Recvperetvr:] ab Antonio dissipatũ. Phil. 5 Illa vero dissipatio pecuniae publicae ferẽda nullo modo est, per quã septies millies falsis perscriptionibus, donationibusq. auertit. Ne *fraudi sit septemuiris*,] ne noceat, & ne fit irrita agrorũ diuisio. Nvcvla] septemur. Phil. 6 & xi. Tantas *clientelas.*] quãtas sibi agrorũ diuisione pepererat. Contra *legẽ*] de agris diuidẽdis, ab ipso Antonio consule latam. opinor enim ita septemuiros fuisse Mustelam, & Tironem vt Nuculam, & Lentonem, de quibus Phil xi. Collegas enim suos videtur agnoscere cum subiungit: Musteae, & Tironi prospicit: de se nihil laborat. De *se nihil laborat.*] quia se ipsum non nominat sed loquitur de ijs, qui secum sunt ideo laborare de se non videtur, fretus videlicet conscientia: quid enim cõmisit vmquam? quod intulit Cicero per ironiam. Pecvniam *publicam*] significatur illud septies millies, quod dissipauerat Antonius. Secvn *habuit armatos?*] in vrbe, cum esset consul. De *ijs*,] de Mustela & Tirone. nam si manet sua lex iudicaria, absoluentur omnes quamuis nocentissimi. A. Cyda, *Lysiade, Curio*] primo Cretensi, altero Atheniẽsi tertio aleatore notissimo, Phil. 5. Otiosvs *videlicet esse maiult.* cum togatam remittit, eam vero postulat, quae multo bellicosior est. Phil 7. Alii, remittere eum nobis Galliã citerioreẽ, illam vltimam postulare praeclare: ex qua non legiones solum sed etiam nationes ad vrbem conetur adducere. Et Phil. 13. Vocat eam Cicero prouinciam aptissimam ad renouandum, instruendumq. bellũ. Ex *delectu suo*;] de quo Phil. 7. Quid ij qui Mutinã circumsedent? qui in Gallia delectus habent? Hvivs *comitijs, Caius frater (eius est enim annus) iam repulsam tulit.*] sic libri antiquiores, & recte, omnibus tamen ad hanc diem paullo obscurior sententia, mẽdi suspicionem attulit interpretatio nostra, nisi fallor, lucẽ restituet. Annus, quo C. Antonius Marci frater, consulatũ petiturus erat, eũ fuisse cõstat, qui hũc sequebatur. fuerat enim praetor anno proximo superiore. inter praeturã autẽ & consulatũ quod iã nemo nescit, biennũ intererat. sed M Antonius futurũ auguratur, vt repulsã feratur. cur? quia, cũ dixerit, M Brutus C. Cassius cõsules diuinare videtur, quo anno Caius petet, nõ ipsum, sed eos, quos consules nominat, designatũ iri. petent enim eodẽ, quo Caius, anno: cũ praeturã simul oẽs eodem anno gesserint. Huius comitijs: non quae ipse habebit, sed ea quibus designare consules videtur, cũ Brutũ, & Cassiũ cõsules nominauerit. Eius est enim annus: is, qui primũ cõsula

Landesbibliothek Oldenburg

via comitia habebuntur: haberi autem hoc anno non possunt, designatis iã a Caesare cõsulibus in annum sequentem D. Bruto, L. Planco: habebuntur igitur post annum sequentem ideſt Bruto, & Planco cos. cum nulli post eos designati consules a Caesare sint. Iam repulsam tulit: ante quam habeantur comitia, repulsam tulit iudicio, & augurio Marci fratris, Brutum, & Cassium consules appellantis: qui si designantur, C. Antonius excluditur. LEX *Caesaris.*] Quae consulares prouincias vltra biennium vetat obtineri. Phil. 1. HAEC *tu mandata,*] in ep. ad Cassium: Nihil foedius Philippo, & Pisone legatis: qui cum essent missi, vt Antonio ex senatus sententia certas res nunciarent; cum ille earum rerũ nulli paruisset, vltro ab illo ad nos intolerabilia postulata retulerunt. Dio. lib. XLVI. SAPIENTIA *quadam, credo,*] ironia. aliam enim causſam significat, vt studium in Antonium, & sensum in tuenda libertate non optimum. subiungit autem vt se dissimilem illorum ostendat, Quod ego non possem. Ista, inquit, sapientia, quae vos nimium irasci non patitur, care me confiteor. COTYLAE] L. Vario Cotylae, qui legatus Antonij ad senatum venit.

ORATIO

O. DII *immortales, quam magnum est personam in rep. tueri principis: quae non animis solum debet, sed etiam oculis seruire ciuium. domum recipere legatum hostium, in cubiculum admittere, etiam reducere, hominis est nihil de dignitate, nihil de periculo cogitantis. quod autem est periculum? nam, si maximum in discrimen venitur, aut libertas parata victori est, aut mors exposita victo: quorum alterum optabile est, alterum effugere nemo potest: turpis autem fuga mortis omni est morte peior. nam illud quidem non adducor, vt credam, esse quosdam, qui inuideant alicuius constãtiae, qui labori, eius perpetuam in rep. adiuuanda voluntatem & a senatu, & a popolo R. probari moleste ferant. omnes id quidem facere debebamus; eaq. erat non modo apud maiores nostros, sed etiam nuper summa laus cõsularium, vigilare, cogitare, adesse animo, semper aliquid pro rep. aut cogitare, aut facere, aut dicere. Ego P. C. Q. Scaeuolam augurem, memoria teneo, bello Marsico, cum esset summa senectute, & perdita valetudine, quotidie, simul atque luceret, facere omnibus conueniendi potestatem sui: neque cũ quisquam illo bello vidit in tecto; senexque, & debilis primus veniebat in curiam. huius industriam, maxime quidem vellem, vt imitarentur ij, quos oportebat; secundo autem loco, ne alterius labori inuiderent. etenim, P. C. cum in spem libertatis sexennio post simus ingressi, diutiusq. seruitutem perpessi, quam captiui serui frugi & diligentes solent; quas vigilias, quas sollicitudines, quos labores liberandi populi R. causſa recusare debemus? equidem, P. C. quamquam hoc honore vsi togati solent esse, eum est in sagis ciuica; statui tamen, a vobis, ceterisq. ciuibus in tanta atrocitate temporis, tantaq. perturbatione reip. non differre vestitu. non enim ita gerimus nos hoc bello consulares, vt aequo animo populus R. visurus sit nostri honoris insignia; cum partim e bonis ita timidi sint, vt omnem ii populi R. beneficiorum memoriam abiecerint; partim ita a rep. auersi, vt huic se hosti fauere prae se ferant, legatos nostros ab Antonio despectos esse & irrisos facile patiantur, legatum Antonij subleuatum velint: hunc enim reditu ad Antonium prohiberi negabãt oportere; & in eodem excipiendo sententiam meam corrigebãt: quibus morem geram. redeat ad imperatorem suũ Varius, sed ea lege, ne vmquam Romam reuertatur. ceteris autem, si errorem suum deposuerint, & cum rep. in gratiam redierint, veniam, & impunitatem dandam puto. Quas ob res ita censeo, eorum, qui cum M. Antonio sunt, qui ab armis discesserint, & aut ad C. Pansam, aut ad A. Hirtium consules, aut ad D. Brutum imperatorẽ, consulem designatum, aut ad C. Caesarem propraetorẽ ante idus Mart. primas adierint, eis fraudi ne sit, quod cum M. Antonio fuerint: si quis eorum, qui cum M. Antonio sunt, fecerit, quod honore, praemio ve dignum esse videatur, vti C. Pansa, A. Hirtius consules, alter, ambo ue, si eis videbitur, de eius honore, praemio ue, primo quoque die ad senatum referant; si quis post hoc ad Antonium profectus esset, praeter L. Varium, senatum existimaturum eum contra remp. feciſſe.*

EXPLANATIO

ETIAM. SEDVCERE,] sermonis causſa, nec minima de re. in ep. ad Lentulum. Quoniam quidam nobiles homines, & de me optime meriti, nimis amarent inimicum meum, meq. inspectã te saepe eum in senatu modo seuere seducerent, modo familiariter, atque hilare amplexarentur. ALICVIVS *constantiae,*] se ipsum designat. AVGVREM,] fuit enim eodem tempore Q. Scaeuola põtifex max. De hoc augure tantum illud dicam, generum fuisſe C. Laelij sapientis, socerum L. Crassi oratoris. nominatur in principio libri de amicitia. MARSICO] a Marsis ortum. tribus nominibus appellatum, Marsicum, Italicum, Sociale. SEXENNIO *post*] sexto denique anno post ortum ciuile bellum, a consulatu Marcelli, & Lentuli, quo anno Caesar vrbe Roma potitus est, ad Pansae & Hirtij consulatum. IDVS *Mart. primas*] eum diem, qui primus iduum nomine appellabitur. L. VARIVM,] Cotylam, Antonij legatum.

IN

IN NONAM

M. TVLLII. CICERONIS PHILIPPICAM

PAVLLI. MANVTII COMMENTARIVS

ARGVMENTVM

REferente Pansa consule de honore Ser. Sulpicij, qui legatus ad Antonium cum Pisone, & Philippo missus, prope castra quidem peruenerat, sed ante, quam senatus mandata exponeret, obierat; P. Seruilius, sententiam rogatus, decernendum ei publice sepulcrum censuit, statuam non censuit: quod statuae decerni solerent iis, qui in ipsa legatione essent interfecti, non quibus mortem casus attulisset. Post eum Cicero rogatus, honorem sepulcri Sulpicio non ademit, sed eum omnino statua ornandum esse censuit, ea potissimum ratione vsus, quod, cum ad Antonium graui affectus morbo sit profectus, non ei casus, uerum ipsa legatio mortem attulisse uideatur, atque in hanc sententiam grauiter, ornate, copiose disputat. S. C. in eius sententiam factum esse, ex eo perspicitur, quia Pomponius de origine iuris exsta re pro rostris Augusti statuam illam auctor est.

IN. M. ANTONIVM PHILIPPICARVM LIBER. NONVS

ORATIO. LI.

VEllem, dii immortales fecissent, P. C. vt viuo potius Ser. Sulpicio gratias ageremus: quam honores mortuo quaereremus. nec vero dubito, quin, si ille vir legationem renunciare potuisset, reditus eius & vobis gratus fuerit, & reip. salutaris futurus: non quo L. Philippo & L. Pisoni aut studium, aut cura defuerit in tanto officio, tantoq. munere: sed, cum Ser. Sulpicius aetate illos anteiret, sapientia omnes, subito ereptus e causa totam legationem orbam, & debilitatam reliquit. quod si cuiquam iustus honos habitus est in morte legato; in nullo iustior, quam in Ser. Sulpicio, reperietur. ceteri, qui in legatione mortem obierunt, id in certum vitae periculum, sine vllo mortis metu, profecti sunt: Ser. Sulpicius cum aliqua perueniendi ad M. Antonium spe profectus est, nulla reuertendi. qui cum ita affectus esset, vt, si ad grauem valetudinem labor accessisset, sibi ipse diffideret, non recusauit, quo minus vel extremo spiritu, si quam opem reip. ferre posset, experiretur. itaque non illum vis hiemis non niues non longitudo itineris, non asperitas viarum, non morbus ingraescens retardauit: cumq. iam ad congressum, colloquiumq. eius peruenisset, ad quem erat missus, in ipsa cura & meditatione obeundi sui muneris excessit e vita. Vt igitur alia, sic hoc C. Pansa praeclare, quod nos ad ornandum Ser. Sulpicium cohortatus es, & ipse multa copiose de illius laude dixisti. quibus a te dictis, nihil praeter sententiam dicerem, nisi P. Seruilio respondendum putarem: qui hunc honorem statuae neminitri buendum censuit, nisi qui ferro esset in legatione interfectus. ego autem, P. C. sic interpretor sensisse maiores nostros, vt causam mortis censuerint, non genus esse quaerendum. etenim cui legatio ipsa morti fuisset, eius monumentum exstare voluerunt, vt in bellis periculosis obirent homines legationis munus audacius. non igitur exempla maiorum quaerenda, sed consilium est eorum, a quo ipsa exempla nata sunt, explicandum. Lar Tolumnius, rex Veientũ, quattuor legatos populi R. Fidenis interemit: quorum statuae steterunt vsque ad nostram memoriã in Rostris iustus honos: iis ei ĩ maiores nostri, qui ob remp. mortem obierant, pro breui vita diuturnam memoriam reddiderunt. Cn. Octauii clari & magni viri, qui primus in eam familiam, quae postea viris fortissimis floruit, attulit consulatum, statuam videmus in Rostris. nemo tum nouitati inuidebat; nemo virtutem non honorabat. at ea fuit legatio Octauii in qua periculi suspicio nõ subesset. nam, cum esset missus a senatu ad animos regum perspiciendos, liberorumq. populorum, maximeque, vt nepotem Antiochi regis eius, qui cum maioribus nostris bellũ gesserat, classes habere, elephantos alere prohiberet; Laodiceae in gymnasio a quodam Leptine est interfectus. reddita est ei tum a maioribus statua pro vita, quae multos per annos progenicm eius honestaret, nunc ad tantae familiae memoriam sola restaret. atque & huic, & Tullo Cluuio, & L. Roscio, & Sp. Antio, & C. Fulcinio, qui a Veientium rege caesi sunt, non sanguis, qui est profusus in morte, sed ipsa mors ob remp. obita, honori fuit.

EXPLANATIO

LAR *Tolumnius,*] historia apud Liuium lib. IV CN. *Octauii,*] Plinius lib. XXXIV. AD *tantae familiae memoriam*] gens Octauia manebat, sed ea familia, quae ab Octauio illo in legatione interfecto originem ducebat, prorsus omnis interierat: vt eius memoriam sola statua conseruaret. differt autem a familia gens: potest enim familias multas gens vna complecti. vt in Cornelia Scipiones, Lentuli Sullae, Cinnae, Dolabellae, alij praeterea fuere. TVLLO *Cluuio,*] in his nominibus non nihil differunt Liuius, & Plinius.

ORATIO

ITaque, P. C. si Ser. Sulpicio casus mortem attulisset, dolerem equidem tanto reip. vulnere; mortem vero eius non monumentis, sed luctu publico esse ornandam putarem: nunc autem quis dubitat, quin ei vitam abstulerit ipsa legatio? secum enim ille mortem extulit: quam, si nobiscum remansisset, sua cura, optimi filii, fidelissimae coniugis diligentia vitare potuisset. at ille, cũ videret, si vestrae auctoritati non paruisset, dissimilem se futurum sui sin paruisset, munus sibi illud pro rep. susceptum vitae finem allaturum; maluit in maximo populi R. discrimine emori, quam minus quam potuisset, videri reip profuisse. multis illi in vrbibus, qua iter faciebat, reficiendi se, & curandi potestas fuit: aderat hospitum inuitatio liberalis pro dignitate summi viri, & eorum hortatio,

hortatio, qui una erant missi, ad requiescendū, & vitae suae consulendum. at ille properans, festinans, mandata nostra conficere cupiens, in hac constantia, morbo aduersante, perseuerauit. cuius cum aduentu maxime perturbatus esset Antonius, quod ea, quae sibi iussu vestro denunciarentur, auctoritate erant, & sententia Ser. Sulpicii constituta; declarauit, quam odisset senatum, cum, auctorem senatus exstinctum, laete, atque insolenter tulit. Non igitur magis Octauium Leptines, nec Veientium rex eos, quos modo nominaui, quam Ser. Sulpicium occidit Antonius. is enim profecto mortem attulit, qui causa mortis fuit. Quocirca ad posteritatis etiā memoriā pertinere arbitror, exstare quod fuerit de hoc bello iudicium senatus. erit enim statua ipsa testis, bellum tā graue fuisse, vt legati interitus honoris memoriam consecutus sit. quod si excusationem Ser. Sulpicij, P. C. legationis obeundae recordari volueritis: nulla dubitatio relinquetur, quin honore mortuo, quam viuo iniuriam fecimus, sarciamus. vos enim, P.C. (graue dictus est, sed dicendum tamen) vos, inquam, Ser. Sulpicium vita priuastis, quem cum videretis re magis morbum, quam oratione excusantem; non vos quidem crudeles fuistis: quid enim minus in hunc ordinem conuenit? sed cum speraretis nihil esse, quod non illius auctoritate, & sapientia effici posset, vehementius excusationi obstitistis, atque cum, qui semper vestrum consensum grauissimū iudicauisset, de sententia deiecistis. vt vero Pansae consulis accessit cohortatio grauior, quam aures Ser. Sulpicij ferre didicissent; tum vero denique filium, meq. item seduxit, atque ita locutus est, vt auctoritatem vestram vitae suae se diceret anteferre, cuius nos virtutem, admirati, non ausi sumus eius aduersari voluntati. mouebatur singulari pietate filius: non multum eius perturbationi meus dolor concedebat: sed vterque nostrum cedere cogebatur magnitudini animi, orationisq. grauitati; cum quidem ille, maxima laude, & gratulatione omnium vestrum, pollicitus est, se, quod velletis, esse facturum, neque eius sententiae periculum vitaturum, cuius ipse auctor fuisset. quem exsequi mandata vestra properantem mane postridie prosecuti sumus. qui quidem discedens, mecum ita locutus est, vt eius oratio omen fati videretur.

EXPLANATIO

RE *magis*] ipsa macie, & imbecillitate. CVIVS *ipse auctor fuisset.*] vt ad Antonium legati mitterentur.

ORATIO

REddite igitur, P.C. ei vitam, cui ademistis. vita enim mortuorum in memoria est posita vivorum. perficie, vt is, quem vos insciis ad mortem misistis, immortalitatē habeat a vobis. cui si statuam in Rostris decreto vestro statueritis, nulla eius legationem posteritatis obscurabit obliuio. nam reliqua Ser. Sulpicii vita multis erit praeclarisq. monumentis ad omnem memoriam commendata. semper illius grauitatem, constantiam, fidem, praestantem in rep. tuenda curam, atque prudentiam, omnium mortalium fama celebrabit. nec vero silebitur admirabilis quaedam, & incredibilis & paene diuina eius in legibus interpretandis, aequitate explicanda scientia. omnes ex omni aetate, qui hae in ciuitate intelligentiam iuris habuerunt, si vnum in locum cōferantur, cum Ser. Sulpicio non sint comparandi. neque enim ille magis iuris consultus, quam iustitiae fuit: ita ea, quae profitebantur a legibus, & a iure ciuili, semper ad facilitatem, aequitatem q. referebat; neque instituere litium actiones malebat, quam controuersias tollere. Ergo hoc statuae monumento non eget. habet alia maiora. haec enim statua mortis honestae testis erit, illa memoria vitae gloriosae: ut hoc magis monumentum grati senatus, quam clari viri, futurum sit. Multum etiam ualuisse ad patris honorē pietas filii videbitur: qui quamquam afflictus luctu non adest, tamen sic animati esse debetis, vt ille si adesset. est autem ita affectus, vt nemo unquam unici filii mortem magis doluerit, quam ille maeret patris. Equidem etiam ad famam Ser. Sulpicii filii arbitror pertinere, vt videatur honorē debitum patri praestitisse. quamquam nullum monumentum clarius Ser. Sulpicius relinquere potuit, quam effigiem morum suorum, virtutis, constantiae, pietatis, ingenii, filium: cuius luctus aut hoc honore vestro, aut nullo solatio leuari potest. Ibi autem recordanti Ser. Sulpicii multos in nostra familiaritate sermones, grauior illi videtur, si quis est sensus in morte, aenea statua futura, & ea pedestris, quam inaurata equestris; qualis L. Sullae prima statua est. mirifice enim Sernius maiorum continentiam diligebat, huius saeculi insolentiam uituperabat. vt igitur si ipsum consulam, quid velit, sic pedestrem ex aere statuam, tamquam ex eius auctoritate, & voluntate, decerno: quae quidem magnum ciuium dolorem, & desiderium honore monumenti minuet, & lenict.

EXPLANATIO

ILLA, *memoria vitae gloriosae*:] illa, quae gessit in omni vita. INSOLENTIAM] sumptus nimios. eodem sensu in ep. ad Paetum: In Epicuri nos aduersarij nostri castra cōiecimus, nec tamē ad hanc insolentiam, sed ad illam tuam lautitiam. Ad eandem intemperantiam refero illud in Verrē lib. IV. Nihil de luxuria Apronij loquor, nihil de insolentia. Nec dubito quin de sumptu immodesto Verrato dictum sit in ea pro Roscio Amerino: Qui in sua re fuisset egentissimus, erat, vt fit, insolens in aliena.

ORATIO

ATque hanc meam sententiam, P. C. P. Seruilij sententia probari necesse est; qui sepulcrum publice decernendum Ser. Sulpicio censuit, statuam nō censuit. nam, si mors legati sine caede, atque ferro nullum honorē desiderat; cur decernit honorem sepulturae, qui maximus haberi potest mortuo? sin id tribuit Ser. Sulpicio, quod nou est datum Cn. Octauio; cur, quod illi datum est, huic dandum esse non censet? maiores quidem nostri statuas multis decreuerunt, sepulcra paucis. Sed statuae intereunt tempestate, vi, vetustate: sepulcrorum autem sanctitas in ipso solo est, quod nulla vi moueri, neque deleri potest: atque, vt cetera exstinguuntur, sic sepulcra sanctiora fiunt vetustate. Augeatur igitur isto honore etiam is vir, cui nullus honor tribui non debitus potest: grati simus in eius morte decoranda, cui nullam iam aliam gratiam referre possumus: notetur etiam Antonij, nefarium bellū gerentis, scelerata audacia. his enim honoribus habitis Ser. Sulpicio, repudiatae, reiectaeq. legationis ab Antonio manebit testificatio sempiterna.

EXPLANATIO

SEPVLTVRAE,] sepultura differt a sepulcro. est enim honor ille, qui sepeliendo mortuo tribuitur. Phil. 1. Qui illam insepultam sepulturam effecerant. Quo loco sepulturam sepulcro caruisse dicit. SIN *id tribuit Ser. Sulpicio,*] quasi quiddam honorificentius, quam tributum erat Cn. Octauio.

ORATIO

QVas ob res ita censeo: Cum Ser. Sulpicius, Q. F. Lemonia, Rufus, difficillimo reip. tempore, graui, periculosoq. morbo affectus, auctoritatem senatus, salutemq. reip. vitae suae praeposuerit; contraq. vim, grauitatemq. morbi contenderit, vt in castra Antonij, quo senatus eum miserat, perueniret; isque, cum iam prope castra venisset, vi morbi oppressus vitam amiserit maximo reip. tempore, eiusq. mors consentanea vitae fuerit sanctissime honestissimeq. actae; in qua saepe magno vsui reip. Ser. Sulpicius & priuatus, & in magistratibus fuerit; cum talis vir ob remp. in legatione mortem obierit; senatui placere, Ser. Sulpicio statuam pedestrem aeneam in Rostris ex huius ordinis sententia statui, circumq. eam statuam locum ludis, gladiatorib. vsq. liberos, posterosq. eius quoquo versus pedes quinque habere, quod is ob remp. mortem obierit. eamq. causam in basi inscribi: vtiq. C. Pansa, A. Hirtius consules, alter, ambo ve, si eis videbitur, quaestoribus vrbanis imperent, vt eam basim, statuamq. faciendam, & in Rostris statuendam locent; quantiq. locauerint, tantam pecuniam redemptori attribuendam soluendamq. curent: cumq. antea senatus auctoritatem suam in virorum fortium funeribus ornamentisq. ostenderit, placere eum quam amplissime supremo die suo ferri: & cum Ser. Sulpicius Q. F. Lemonia, Rufus, ita de rep. meritus sit, vt his ornamentis decorari debeat, senatum censere, atque e rep. existimare, aediles curules edictum, quod de funeribus habeant, Ser. Sulpicij Q. F. Lemonia, Rufi, funeri remittere, vtiq. locum sepulcro in campo Esquilino C. Pansa consul, seu quo in loco videtur, pedes triginta quoquo versus assignet, quo Ser. Sulpicius inferatur: quod sepulcrum ipsius, liberorum, posterorumq. eius sit, vti quod optimo iure sepulcrum publice datum est.

EXPLANATIO

LEMONIA] pro ex Lemonia tribu. sic enim Pedianus interpretatur illud, C. Verrem Romilia: & addit ciues omnes Romanos in aliqua tribu censeri solitos, & ab ea interdū indicari. Cuius exstant cōsuetudinis exempla permulta. Lemonia igitur Sulpicij tribus fuit: de qua & de ceteris omnibus alibi copiose dixi mus. MAXIMO *reip. tempore*] quod proxime dixit, Difficillimo, Et lib. III. de Leg. Est autē boni auguris meminisse, maximis reip. temporibus praesto esse debere. Nec tamē displicet quod libri nonnulli veteres habent: In maximo reip. munere, ideſt legatione. nam cum paullo antē dictum sit, Difficillimo reip. tempore; cur idem iteretur? PROPE *castra*] supra: Cuius cum aduentu maxime perturbatus esset Antonius. QVOD *is ob remp. obierit,*] mihi non satis constat, sint ne Ciceronis haec verba, an ab aliquo addita, tamquam glossema sequentium. DE *funeribus*] de sumptu funerum. REMITTERE;] vt in Sulpicij funus erogari plus liceat, quam edicto permittatur.



IN. DECIMAM

M. TVLLII. CICERONIS PHILIPPICAM PAVLLI. MANVTII COMMENTARIVS

ARGVMENTVM

AGit gratias Pansae, quia litteris M. Bruti acceptis, senatum statim vocauit. Queritur cum Caleno, quod vtrumque Brutum aeque non probare videatur, qui remp defendant; Antonium autem, qui oppugnet, probet idem vel maxime: commemorat ea, quae M. Brutus in Graecia gesserat: & ab eo nihil turbulentum, nihil non vtile reip. timendum esse cõfirmat. Suadet, vt, quae M. Brutus egerit priuato consilio, publica auctoritate, vt idem ei tribuatur, quod D. Bruto, & C. Caesari, comprobentur. Censet etiam, Q. Hortensio, Macedoniae proconsuli, qui Brutum in comparando exercitu adiuuerat, confirmandam esse prouinciae administrationem, quo ad ei ex S. C. successum esset.

Landesbibliothek Oldenburg

IN. M. ANTONIVM
PHILIPPICARVM
LIBER. DECIMVS

ORATIO. LII.

MAXIMAS tibi, Pansa, gratias omnes & habere, & agere debemus: qui, cum hodierno die senatum te habiturum non arbitraremur; ut M. Bruti, praestantissimi ciuis, litteras accepisti, ne minimam quidem moram interposuisti, quin quamprimum maximo gaudio, & gratulatione frueremur. cum factum tuum gratum omnibus debet esse, tum uero oratio, qua, recitatis litteris, usus es. declarasti enim, uerum esse id, quod ego semper sensi, neminem alterius, qui sua consideret, uirtuti inuidere. itaque mihi, qui plurimis officiis sum cum Bruto, & maxima familiaritate coniunctus, minus multa de illo dicenda sunt, quas enim ipse mihi partes sumpseram, eas praecepit oratio tua. sed mihi, P.C. necessitatem attulit paullo plura dicendi sententia eius, qui rogatus est ante me: a quo ita saepe dissentio, vt iam uerear, ne, id quod fieri minime debet, minuere amicitiam nostrã uideatur perpetua, dissensio.

EXPLANATIO

GAVDIO, & gratulatione] vt gauderemus reip. caussa, gratularemur Bruto, qui res maximas gessisset. FRVEREMVR,] legendis Bruti litteris. VSVS es.] cum laude Bruti. ANTE me:] immo ante omnes. nam ante Ciceronem & P. Seruilius rogabatur: vt patet ex Phil. 7. & 9.

ORATIO

QVae est enim ista tua ratio, Calene, quae mens, qui numquam post kal. Ian. idem senseris, quod is, qui te sententiam primum rogat? cur numquam tam frequens senatus fuit, vt vnus aliquis tuam sententiam secutus sit? cur semper dissimiles tui defendis? cur, cum te & vita, & fortuna tua ad otium, ad dignitatem inuitet, ea probas, ea decernis, ea sentis, quae sint inimica & otio communi, & dignitati tuae? nam, vt superiora omittam, hoc certe, quod mihi maximam admirationem mouet, non tacebo. Quod est tibi cum Brutis bellum? cur eos, quos omnes paene venerari debemus, solus oppugnas? alterum circumsideri non moleste fers, alterum tua sententia spoliari iis copiis, quas ipse suo labore, & periculo ad reip. non ad suum praesidium, per se, nullo adiuuante, confecit. qui est iste tuus sensus, quae cogitatio Brutos vt non probes, Antonios probes? quos omnes carissimos habent, tu oderis? quos acerbissime omnes oderunt, tu constantissime diligas? amplissimae tibi fortunae sunt, summus honoris gradus filius, vt & audio, & spero, natus ad laudẽ: cui cum reip. caussa faueo, tum etiã tua. quaero igitur, cũ ne Bruti similẽ malis, an Antonii? ac permitto, vt de tribus Antoniis eligas, quẽ velis. Dii meliora, inquies: cur igitur non iis faues, eos laudas, quorum similem filium tuum esse uis? simul enim reip. consules, & propones illi exempla ad imitandum. Hoc vero, Q. Fusi, cupio sine offensione nostrae amicitiae, sic tecũ, vt a te dissentiens senator, queri. ita enim dixisti, & quidem de scripto: nam te inopia verbi lapsum putarem, nisi tuam in dicendo facultatem nossem: litteras Bruti recte, & ordine scriptas videri quid est aliud, librarium Bruti laudare, non Brutum? vsum in rep. Calene, magnum iam habere & debes, & potes: quãdo ita decerni vidisti, aut quod s. c. huius generis, (sunt enim innumerabilia) bene scriptas litteras decretum a senatu? quod verbum tibi nõ excidit, vt saepe fit, fortuite: scriptum, meditatum, cogitatum attulisti. hanc tibi consuetudinem plerisque in rebus bonis obtrectandi si qui detraxerit; quid tibi, quod sibi quisque velit, non relinquetur? Quamobrem colligete; placaq. animum istum aliquando, & mitiga: audi viros bonos, quibus veteris multis: loquere cum sapientissimo homine, genero tuo, saepius, quam ipse tecum: tum denique amplissimi honoris nomen obtinebis. An vero hoc pro nihilo putas, in quo quidem, pro amicitia, tuam vicem dolere soleo, esse ri haec foras, & ad populi R. aures peruenire, ei, qui primus sententiam dixerit, neminem assensum? quod etiam hodie futurum arbitror. Legiones abducis a Bruto, quas? nempe eas, quas ille a C. Antonii scelere auertit, & ad remp. sua auctoritate transduxit. rursus igitur vis, nudatum illum, atque solum a rep. relegatum videri. Vos autem, P. C. si M. Brutum deseruerit, prodideritis, quem tandem ciuem vmquam, ornabitis? nisi forte eos, qui diadema imposuerint, conseruandos, eos, qui nomen regis sustulerint, deferendos putatis. Ac de hac quidem diuina, atque immortali laude Bruti silebo: quae gratissima memoria omnium ciuium inclusa, nondum publica auctoritate testata est. Tantam ne patientiam, dii boni, tantam moderationem, tantam in

iniuria

iniuria tranquillitatem, & modestiam? qui cum praetor urbanus esset, urbe curauit, ius non dixit, cum omne ius reip. recuperasset: cumq. concursu quotidiano bonorum omnium, qui admirabilis ad eum fieri solebat, praesidioq. Italiae cunctae saeptus posset esse, absens iudicio bonorum defensus esse maluit, quam praesens manu: qui ne Apollinares quidem ludos, pro sua populiq. R. dignitate apparatos, praesens fecit, ne quam viam patefaceret sceleratorum hominum audaciae. quamquam qui umquam aut ludi, aut dies laetiores fuerunt, quam tum? in singulis versibus populus R. maximo clamore, & plausu Bruti memoriam persequebatur. corpus aberat liberatoris: libertatis memoria aderat: in qua Bruti imago cerni videbatur. At hunc his ipsis ludorum diebus videbam in insula clarissimi adolescentis, Luculli, propinqui sui, nihil nisi de pace & concordia ciuium cogitantem: eundem vidi postea Veliae cedentem Italia, ne qua orietur belli ciuilis caussa propter se. o spectaculum illud non modo hominibus, sed vndis ipsi, & litoribus luctuosum, cedere e patria seruatorem eius, manere in patria perditores Cassii classis paucis post diebus consequebatur, vt me puderet, P. C. in eam vrbem redire, ex qua illi abirent. sed quo consilio redierim, initio audistis, post estis experti. exspectatum igitur tempus a Bruto est. nam, quoad vos omnia pati vidit, vsus est ipse incredibili patientia: postea quã vos ad libertatẽ sensit erectos, praesidia vestrae libertati parauit. at cui pesti, quantaq. restitit? si enim C. Antonius quod animo intenderat, perficere potuisset; (potuisset autem, nisi eius sceleri virtus M. Bruti obstitisset) Macedoniam, Illyricum, Graeciam perdidissemus; esset vel receptaculũ pulso Antonio, vel agger oppugnãdae Italiae Graecia: quae quidem nunc M. Bruti imperio, auctoritate, copijs non instructa solum, sed etiam ornata tendit dexteram Italiae, suumq. ei praesidium pollicetur. quod qui ab illo abducit exercitum, & respectum pulcherrimum, & praesidium firmissimum adimit reip.

EXPLANATIO

IS *qui te sententiam primum rogat?*] Pansa consul, Caleni gener. Phil. 5. & 8. CVR *numquam*] alij, Cur, delent, & pro, Fuit, legunt, Fuerit. mihi sententia non videtur hanc sententiam ferre posse. vnde enim, Fuerit, pendebit? QVOD *vnus*] cum veteribus libris ita lego saepe enim, quod, pro, vt Ciceronẽ dixisse, alibi docuimus. FORTVNA *tua*] nouis enim rebus delectantur ij, qui fortuna parum prospera vtuntur. SVMMVS *honoris gradus*] erat enim consularis. QVID *tibi, quod sibi quisque velit non relinquetur?*] nihil in te erit, quod omnes non probent: omnia relinquentur, hoc vno detracto, quae sibi quisque expetat. GENERO *tuo,*] Pansa consule supra. AMPLISSIMI *honoris nomen obtinebis.*] tunc eris vere consularis. LEGIONES *abducis a Bruto?*] quia sine S. C. eas cõparasset. C. ANTONII *scelere*] occupare enim Macedoniam cogitabat, quam sortitus erat. uide Phil. 3. infra quoque scelus appellat eiusdem C. Antonij. QVI *diadema imposuerit*] Caesari. is autem fuit M. Antonius consul Phil 2 NOMEN *regni sustulerint,*] rege sublato. TANTAM *in iniuria*] loquitur de M. Bruto: qui cum esset praetor urbanus, in vrbe tuto esse non potuit. IVS *non dixit,*] ius dicebant praetores duo, urbanus, & peregrinus: reliqui de criminibus quaerebant. RECVPERASSET:] tyranno sublato. PRAESIDIO *cunctae Italiae*] in ep. ad M Brutum Excessistis urbe ea, quam liberaratis: Italiae sua uobis studia profitenti remisistis. APOLLINARES *ludos*] qui ad curam praetoris urbani pertinebant Phil 2. Cur ludi Apollinares incredibili M. Bruti honore celebrati? LVCVLLI,] eius filij qui Mithridatem Tigranemq deuicit. PROPINQVI *sui,*] natus enim erat Catonis Vticensis filia: & eiusdem Catonis filiam Brutus in matrimonio habebat. EVNDEM *vidi postea Veliae,*] Phil. 1. VT *me puderet in eam vrbem redire, ex qua illi abirent.*] Phil. 1. Tum pe mihi ipsi uidebatur, in eam urbem me audere reuerti, ex qua Brutus excederet: & ibi uelle tuto esse, ubi ille non posset. Et in ep. ad M. Brutum: Dolebam in eam urbem me irę, quam tu fugeres, qui eam liberasses. INITIO *audistis,*] cum primam orationem habui. ESTIS *experti.*] redijsse enim eo me consilio cognouistis, ut remp. defenderem QVOD *qui ab illo abducit exercitum;*] quod, pro, sed, ut in ep. ad Terentiam: Quod utinam minus uitae cupidus fuissem. Et Terentius in Andr. Quod ego per hanc te dextram oro. RESPECTVM] non relinquit reip. quo respiciat. Phil. 5. Cum respectum ad bonos, & ad senatum non haberet. Phil. 11. Non ut ex ea acie respectum haberemus, sed ut ipsa acies subsidium haberet etiam transmarinum. Nunc locum alij aliter & distinguunt, & legunt: a quibus dissentio.

ORATIO

EQVIDEM *cupio haec quamprimum Antonium audire, vt intelligat, non D. Brutum, quem vallo circumsidet, sed se ipsum obsideri. tria tenet oppida toto in orbe terrarum: habet inimicissimam Galliam, eos etiam, quibus confidebat, alienissimos transpadanos: Italia omnis infesta est: exterae nationes a prima ora Graeciae vsque ad Aegyptum optimorum & fortissimorum ciuium imperijs, & praesidijs tenentur. erat ei specula in C. Antonio: qui duorum fratrum actatibus medius interiectus, vitijs cum vtroque certabat: qui, tamquam extruderetur a senatu in Macedoniam, & non contra prohiberetur proficisci, ita cucurrit. Quae tempestas, dij immortales, quae flamma, quae vastitas, quae pestis Graeciae, nisi incredibilis ac diuina virtus Caesaris furentis hominis conatum, atque audaciam compressisset? quae celeritas illa Bruti? quae cura? quae virtus? etsi ne C. quidem Antonij celeritas contemnenda est. quam nisi in via caducae hereditates retardassent, volasse eum, non*

iter feciſſe, diceres. alios ad negotium publicum ire cum cupimus, vix ſolemus extrudere: hunc retinentes excluſimus. At quid ei cum Apollonia? quid cum Dyrrhachio? quid cum Illyrico? quid cum P. Vatinij imperatoris exercitu? ſucedebat, vt ipſe dicebat, Hortenſio certi fines Macedoniae, certa condicio, certus, ſi modo erat vllus, exercitus: cum Illyrico vero, & cum Vatinij legionibus quid erat Antonio? At ne Bruto quidem, id enim fortaſſe quiſpiam improbus dixerit, Omnes legiones, omnes copiae, quae ubique ſunt, reip. ſunt. neque enim legiones, quae Antonium reliquerunt, Antonij potius, quam reip. fuiſſe dicentur. omne enim & exercitus & imperij ius amittit is, qui eo imperio & exercitu remp. oppugnat. quod ſi ipſa reſp. iudicaret, aut ſi omne ius decretis eius ſtatueretur, Antonione, an Bruto legiones populi R. adiudicaret? alter aduolarat ſubito ad direptionem peſtemq. ſociorum; ut, quacumque iret, omnia uaſtaret, diriperet, auferret, exercitu populi R. contra ipſum populum R. uteretur: alter eam ſibi legem ſtatuerat, vt quocumque ueniſſet, lux ueniſſe quaedam & ſpes ſalutis uideretur. denique alter ad euertendam remp. praeſidia quaerebat alter ad conſeruandam. Nec uero nos hoc magis uidebamus, quam ipſi milites, a quibus tanta in iudicando prudentia non erat poſtulanda, cum ſeptem cohortibus eſſe Apolloniae ſcribit Antonium, qui iam aut captus eſt, quod dii dent: aut certe, homo uerecundus, in Macedoniam non accedit, ne contra S.C. feciſſe uideatur. delectus habitus in Macedonia eſt ſummo Q. Hortenſii ſtudio, & induſtria: cuius animum egregium, dignumq. & ipſo, & maioribus eius ex Bruti litteris perſpicere potuiſtis. legio, quam L. Piſo ducebat, legatus Antonii, Ciceroni ſe filio meo tranſdidit. equitatus, qui in Syriam ducebatur bipertito, alter eum, a quo ducebatur, reliquit in Theſſalia, ſeſeq. ad Brutum contulit; alterum in Macedonia Cn. Domitius, adoleſcens ſumma uirtute, grauitate, conſtantia, a legato Syriaco abduxit. P. autem Vatinius, qui & antea iure laudatus a nobis, & hoc tempore merito laudandus eſt, aperuit Dyrrhachii portas Bruto, & exercitum tranſdidit. Tenet igitur populus R. Macedoniam, tenet Illyricum: tuetur Graeciam: noſtrae ſunt legiones, noſtra leuis armatura, noſter equitatus, maximeq. noſter eſt Brutus, ſemperq. noſter, cum ſua excellentiſſima virtute reip. natus, tum fato quodam paterni materniq. generis, & nominis. Ab hoc igitur quiſquam bellum timet, qui ante quam nos id coacti ſuſcepimus, in pace iacere, quam in bello uigere, maluit? quamquam ille quidem numquam iacuit, nec hoc cadere uerbum in tantam uirtutis praeſtantiam poteſt. erat enim in deſiderio ciuitatis, in ore, in ſermone omnium: tantum autem aberat a bello, ut cum cupiditate libertatis Italia arderet, defuerit ciuium ſtudiis potius, quam eos in armorum diſcrimen adduceret. itaque illi ipſi, ſi qui ſunt, qui tarditatem Bruti reprehendant, tamen eidem moderationem, patientiamq. mirantur.

EXPLANATIO

TRIA *tenet opida toto in orbe terrarum; habet inimiciſſimam Galliam*, &c.] tenebat Bononiam, Regiũ Lepidi, Parmam. id cognoſcitur ex ep. ad Caſſium in qua ſic eſt. Praeter Bononiam, Regiũ Lepidi Parmam, totam Galliam tenebamus ſtudioſiſſimam reip. tuos etiam cliẽtes tranſpadanos mirifice coniunctos cum cauſſa habebamus. A PRIMA *ora Graeciae vſque ad Aegyptum*] idem ſcripſit ad Caſſium ep. 5 lib. XII. fam. PROHIBERETUR] S. C. vt infra. CAESARIS] locum hoc nomen hic non habet. non enim C. Antonij in Graecia, ſed Marci in Italia, redeuntis a Brundiſio, conatum Caeſar compreſſit. nec tamen illa verba, Incredibilis ac diuina virtus, conuenire in Brutũ videntur: de quo ſtatim ſequitur, Quae virtus? niſi ſi ferociorẽ in Graecia C. Antoniũ futurũ fuiſſe exiſtimemus, niſi Marci fratris impetũ Caeſar in Italia repreſſiſſe. CADUCAE] quas occupauit, tamquã ad eum pertinerent caducae autem hereditates dicebantur, cum heres non exſtabat quod cum accideret, ad fiſcum deuoluebantur. APOLLONIA?] & Apollonia, & Dyrrhachium erant in Macedonia, quam regebat Q. Hortenſius. Illyrico autem Vatinius praeerat. FILIO *meo*] quem Brutus Athenis ſecum abduxit eoq. legato vſus eſt. Plutarchus in Bruto. PATERNI, *materniq. generis*] paterni, a L. Bruto, qui reges eiecit: materni, a Seruilio Ahala qui regnum appetentem Sp. Melium ſua manu interfecit. Liuius, Cicero, alij. IN *pace iacere*,] cum Antij, Lanuuij, Veliae moraretur.

ORATIO

SED *iam video, quid loquantur; neque enim id occulte faciunt. timere ſe dicunt, quo modo ferant veterani, exercitum Brutum habere. Quaſi vero quidquam interſit inter A. Hirtii, C. Panſae, D. Bruti, C. Caeſaris, & hunc exercitum M. Bruti. nam, ſi quattuor exercitus ii, de quibus dixi, propter ea laudantur, quod pro populi R. libertate arma ceperunt; quid eſt, cur hic M. Bruti exercitus non in eadem cauſſa ponatur? At enim veteranis ſuſpectum eſt nomẽ M. Bruti: magis ne, quam Decimi? equidem non arbitror, etſi eſt enim Brutorum commune factum, & laudis ſocietas aequa: Decimo tamen iratiores ii, qui id factum dolebant, quo minus ab eo rem illam dicebant fieri debuiſſe. Quid ergo nunc agunt tot exercitus, niſi vt obſidione D. Brutus liberetur? qui autem hos exercitus ducunt? ii, credo, qui C. Caeſaris res actas euerti, qui cauſſam veteranorum prodi volunt. ſi ipſe viueret C. Caeſar, atrius, credo, acta ſua defenderet, quam vir fortiſſimus defendit Hirtius. aut amicior cauſſae quiſquam inueniri poteſt, quam filius? at horum alter, nondum ex longinquitate grauiſſimi morbi recreatus, quidquid habuit virium, id in eorum libertatem defendendam contulit, quorum votis iudicauit ſe a morte reuocatum: alter, virtutis robore firmior, quam aetatis, cum iſtis ipſis veteranis ad D. Brutum liberandum eſt profectus. igitur illi certiſſimi, iidemq. acerrimi Caeſaris actorum patroni, pro D. Bruti ſalute bellum gerũt;*

quos

quos veterani sequuntur: de libertate enim populi R. non de suis commodis, armis decernendum vident. Quid est igitur, cur ijs, qui D. Brutum omnibus opibus conseruatum velint, M. Bruti sit suspectus exercitus? An vero, si quid esset, quod a M. Bruto timendum videretur, Pansa id non videret? aut, si videret, non laboraret? quis aut sapientior ad coniecturam rerum futurarum, aut ad propulsandum metum diligentior? atqui huius animum erga M. Brutum, studiumq. vidistis, praecepit oratione sua, quid decernere nos de Bruto, quid sentire oporteret: tantumq. abfuit, vt periculosum reip. Bruti putaret exercitum, vt in eo firmissimum reip. praesidiū & grauissimum poneret. Scilicet haec Pansa aut non videt, (hebeti enim ingenio est) aut negligit: quae enim Caesar egit, ea rata esse non curat: de quibus confirmandis & sanciēdis legem comitijs centuriatis ex auctoritate nostra latum est. Desinant igitur aut ij, qui non timent, simulare se timere, se prospicere reip. aut ii, qui omnia verentur, nimium esse timidi; ne illorum simulatio, horum obsit ignauia. Quae, malum, est ista ratio, semper optimis caussis veteranorum nomen opponere? quorum etiam si amplecterer virtutem, vt facio; tamen, si essent arrogantes, non possem ferre fastidium. annos, conantes seruitutis vincla rumpere, impediet, si quis veteranos id nolle dixerit? non sunt enim, credo, innumerabiles, qui pro communi libertate arma capiant: nemo est, praeter veteranos milites, vir, qui ad seruitutem propulsandā ingenuo dolore excitetur. potest igitur stare resp. freta veteranis, sine magno subsidio iuuentutis? quos quidem vos libertatis adiutores complecti debetis, seruitutis autores sequi non debetis. Postremo, (erumpat enim aliquando vera, & me digna vox) si veteranorum nutu mentes huius ordinis gubernantur, omniaq. ad eorum voluntatē nostra dicta, facta referuntur: optanda mors est, quae ciuibus R. semper fuit seruitute potior. omnis est misera seruitus: sed fuerit quaedā necessaria: ecquod. nam principium putatis libertatis capessendae? an, cum illum necessarium, & fatalem paene casum non tulerimus, hunc feremus voluntarium? tota Italia desiderio libertatis exarsit: seruire diutius non potest ciuitas: serius populo R. hunc vestitum, atque arma dedimus, quā ab eo flagitati sumus: magna nos quidem spe, & prope explorata, libertatis caussam suscepimus: sed, vt concedam, incertos exitus esse belli, Martemq. communem; tamen pro libertate, vitae periculo decernendum est. nō enim in spiritu vita est: sed ea nulla est omnino seruientium. omnes nationes seruitutem ferre possunt, nostra ciuitas non potest; nec vllam aliam ob caussam, nisi quod illae laborem, doloremq. fugiunt: quibus vt careant, omnia perpeti possunt: nos ita a maioribus instituti, atque imbuti sumus, vt omnia consilia, atque facta ad dignitatem, & ad virtutem referremus. ita praeclara est recuperatio libertatis, vt ne mors quidem sit in repetenda libertate fugienda. quod si immortalitas consequeretur praesentis periculi fugam: tamen eo magis ea fugiēda videretur, quo diuturnior seruitus esset. cum vero dies & noctes omnia nos vndique fata circumstent; non est viri, minimeq. Romani, dubitare, eum spiritum, quem naturae debeat, patriae reddere. concurritur vndique ad commune incendium restinguendum: veterani quidem primi, Caesaris auctoritatem secuti, conatum Antonii repulerunt: post eiusdem furorem Martia legio fregit, Quarta afflixit. sic a suis legionibus condemnatus irruit in Galliam, quam sibi armis animisq. infestā inimicamq. cognouit. hunc A. Hirtii, C. Caesaris exercitus insecuti sunt: post Pansae delectus vrbē, totamq. Italiā erexit. vnus omnium est hostis. quamquam habet secum Lucium fratrem, carissimum populo R. ciuem, cuius desiderium ciuitas ferre diutius non potest. quid illa taetrius bellua? quid immanius? qui ob eam caussam natus videtur, ne omnium mortalium turpissimus esset M. Antonius. Est vna Trebellius, qui iam cum tabulis nouis redit in gratiam: T. Plancus, ceteri pares; qui id pugnant, id agunt, vt contra remp. restituti esse videantur. sollicitant homines imperitos Saxae, Casones, ipsi rustici, atque agrestes, qui hanc remp. nec viderunt vmquā, nec videre constitutam volunt; qui non Caesaris, sed Antonii acta defendunt; quos auertit agri Campani infinita possessio: cuius eos non pudere demiror, cum videant se mimos, & mimas habere vicinos. ad has pestes opprimendas, cur moleste feramus, quod M. Bruti accessit exercitus? immoderati, credo, hominis, & turbulenti: vide, ne nimium paene patientis. etsi in illius viri consiliis, atque factis nihil nec nimium, nec parum vmquam fuit. omnis voluntas M. Bruti, P. C. omnis cogitatio, tota mens auctoritatem senatus, libertatem populi R. intuetur, haec habet proposita, haec tueri vult: tentauit, quid patientia proficere posset: nihil cum proficeret, vi contra vim experiendum putauit. cui quidem, P. C. vos idem hoc tempore tribuere debetis, quod ad XIII. kal. Ian. D. Bruto, C. Caesari, me auctore, tribuistis. quorum priuatum de rep. consilium, & factum auctoritate vestra est comprobatū, atque laudatum: quod idem in M. Bruto facere debetis, a quo insperatum, & repentinum reip. praesidium legionum, equitatus, auxiliorum magnae, & firmae copiae comparatae sunt: adiungendus est Q. Hortensius: qui cum Macedoniam obtineret, adiutorem se Bruto ad comparandum exercitum fidissimum, & constantissimum praebuit. nam de M. Appuleio seorsum censeo referendum: cui testis est per litteros M. Brutus, eum principem fuisse ad conatum exercitus comparandi.

EXPLANATIO

QVO *minus ab eorum illam dicebant fieri debuisse.*] inire Decimum consilia de Caesaris nece eo minus dicebant debuisse, quia Caesar in eum summa beneficia contulisset, quē etiā scripsit in secundis heredibus. Suetonius. IJ CREDO.] minime ij quidem, qui acta Caesaris euerti velint: quae M. Antonius, quantum in ipse fuit, suis legibus euertit. CAVSSAM *veteranorum prodi*] spem fallere veteranorum, qui confirmationem agrorum, quos eis Caesar pater assignauerat, a senatu exspectabant. QVORVM *notis*] pro salute Hirtij aegrotantis vota fecerat populus Romanus. Phil. 1. & 7. CVM *istis ipsis veteranis*] quibus M Bruti nomen suspectum esse dicunt. ILLI,] Pansa, & Hirtius, Caesaris, donec vixit, amicissimi: & eius filius Octauianus. SCILICET *hoc*] suspectum ve-

teranis esse posse M. Bruti exercitum. NEGLIGIT:] negligere hoc videretur, si, quae Caesar egit, ea rata esse non curaret. LATVRA *est.*] tulit. nam Phil. 10. sunt haec. Hos sustulimus, an contra, lege comitijs centuriatis lata, sanximus? NON *sunt enim, credo, innumerabiles.*] id est, sunt innumerabiles. NEMO *est.*] & hic a contrario sensu accipiendum, pro, nemo est, qui non excitetur. EC QVODNAM *principium putatis*] quod libertatis capessendae initium cogitatis? Hic ego nihil desidero: alij de mendo suspicantur. SED *ea nulla est omnino seruienti.*] pro, sed in libertate est. in seruitute autem nulla. correctionem, vt arbitror, locus non requirit. EO *magis ea fugienda videretur,*] hoc dicit: immortalitatem fugerem cum seruitute coniunctam. NE *omnium mortalium turpissimus esset Antonius.*] Similis figura in Vatinium. Die dicta ab eo, quem tu vnum improbiorem esse, quam te, nonnumquam soles confiteri. Et illa de prouincijs: Piso gloriatur, se breui tempore perfeciſſe, ne Gabinius vnus omnium nequissimus existimaretur. CVM *tabulis nouis*] quas tribunus pl. oderat: legem enim de ijs Dolabellae tribuno pl. ferente acerrime est aduersatus: nunc idem eas cupit, qui se intelligat aere alieno liberari alia ratione non posse. Phil. 6. T. PLANCVS,] Bursa: de quo diximus Phil. 6. RESTITVIT] a Caesare, cum lege Pompeia de vi damnati exsularent. AVERTIT] traduxit a Caesaris actis ad acta Antonij defendenda. INFINITA *possessio:*] ab Antonio data. ME *auctore,*] cum habuit Philippicam tertiam. QVID *patientia proficere possit:*] satis diu tempus in locis vrbis propinquis contriuit, id spectans, vt res vrbanae constituerentur, suumq. ius, & suam dignitatem resp. recuperaret: vbi vidit M. Antonium legiones ad vrbem, Brundisio arcessitas adduxisse & omnia per vim agere, tunc in Graeciam traiecit, vi & armis contra vim, & arma vtendum putauit. EQVITATVS, quem abduxit Dolabellae. Phil. 11 quamquam eum abductum Dolabellae a Lentulo Cassioq traditum scripsit ipse Lentulus ad Cic. lib. XII. fam. DE *M. Appuleio*] is est de quo sic ad Ciceronem scripsit Brutus. Appuleium tua auctoritate sustinere debes. sed Appuleius in sua epistola celebrabitur. Et Phil. 13. Appuleiana pecunia Brutum subornatis.

ORATIO

QVae cum ita sint: Quod C. Pansa consul verba fecit de litteris, quae a Q. Caepione Bruto procon sule allatae, & in hoc ordine recitatae sunt; de ea re ita censeo: Cum Q. Caepionis Bruti proconsulis opera, consilio, industria, virtute, difficillimo reip. tempore, prouincia Macedonia, Illyricum, cuncta Graecia, legiones, exercitus, equitatus in consulum, senatus, populiq. R. potestate sint; id Q. Caepionem Brutum proconsulem bene, & e rep. pro sua, maiorumq. suorum dignitate, cõsuetudineq. reip. bene gerendae feciſſe, eamq. rem senatui, populoq. R. gratam esse, & fore; vtiq. Q. Caepio Brutus proconsul prouinciam Macedoniã, Illyricum, cunctamq. Graeciam tueatur, defendat, custodiat, incolumemq. conseruet; eiq. exercitui, quem ipse consti tuit, comparauit, praesit; pecuniaq. ad rem militarem, si qua opus sit, quae publica sit, & exigi possit, vtatur, exigat; pecuniasque, a quibus videatur, ad rem militarem mutuas sumat, frumentum imperet; operamq. det, vt cum suis copijs quamproxime Italiam sit: rumq. ex litteris Q. Caepionis Bruti proconsulis intellectum sit, Q. Hortensii proconsulis opera, & virtute vehementer remp. adiutam, omniaq. eius consilia cum consiliis Q. Caepionis Bruti proconsulis coniuncta fuisse, eamq. rem magno vsui reip. fuisse; Q. Hortensium proconsulem recte, & ordine, exq. rep. feciſſe; senatuiq. placere, Q. Hortensium proconsulem cum quaestoribus, pro ve quae storibus, & legatis suis prouinciam Macedoniã obtinere, quo ad ei ex S. C. successum sit.

EXPLANATIO

Q. CAEPIONE] adoptatus a Seruilię matris fratre M. Brutus, praenomen, nomen cognomen ab eo sumpsit Cicero nomen omittit. PROCONSVLE] Cretam illi senatus, Cassio Africam, statim post Caesaris necem, decreuerat. etsi neuter in suam prouinciam, quod vtraque comparandis exercitibus, quibus ad liberandam remp. opus erat, parum apta videretur, profectus est: Brutus in Macedoniam. Cassius in Syriam iuit: breuiq. legionum firmissima praesidia equitatus, & auxiliorum copias maximas, vel ducibus ereptas, vel ijs sua sponte tradentibus, cõpararunt. Phil. 11. Non igitur Brutus exspectauit decreta nostra, cũ studia nosset. neque enim est in prouinciã suã Cretã profectus: in Macedoniam alienã aduolauit: legiones conscripsit nouas, excepit veteres: equitatum abduxit Dolabellae.

IN



IN . VNDECIMAM

M . TVLLII . CICERONIS

PHILIPPICAM

PAVLLI . MANVTII

COMMENTARIVS



ARGVMENTVM

OBtinente Asiam prouinciam C. Trebonio, decretam a senatu post Cæsaris interitum, Dolabella, in Syriam, Antonij sibi lege traditam, proficiscens, cum Trebonio familiarissime collocutus, eumq. summa beneuolentia & simulatione complexus, incautum Smyrnæ oppressit, atque interfecit, & Asiam uniuersam occupauit. hoc nuncio Romam perlato, senatus hostem Dolabellam iudicauit, belloq. persequendum censuit: sed cum, eius belli cura, non satis constaret, cui mandanda uideretur, cum alij aliter sentirent: Cicero, deplorata prius Trebonij morte, imperatorem omnino C. Cassium, qui Dolabellam terra, mariq. persequeretur, esse deligẽdum censuit. inquam sententiam ut S.C. esse factum existimem, his Velleii uerbis adducor: Bruto, Cassioq. prouinciæ quas iam ipsi sine S.C. occupauerant, decretae.

Landesbibliothek Oldenburg

IN. M. ANTONIVM
PHILIPPICARVM
LIBER. VNDECIMVS
ORATIO. LII.

MAgno in dolore, P. C. vel maerore potius, quem ex crudeli, & miserabili morte C. Trebonii, optimi ciuis, moderatissimiq. hominis, accepimus, inest tamen aliquid, quod reip. profuturum putem. perspexi mus enim, quanta in bis, qui contra patriam scelerata arma ceperunt, inesset immanitas nam duo haec capita nata sunt post homines natos taeterrima, & spurcissima, Dolabella, & Antonius: quorum alter effecit, quod optabat; de altero patefactum est, quid cogitaret. L. Cinna crudelis: C. Marius in iracundia perseuerans: L. Sulla vehemens: neque vllius horum in vlciscendo acerbitas progressa vltra mortem est: quae tamen poena in ciues nimis crudelis putabatur. ecce tibi geminum in scelere par, inusitatum, inauditum, ferum, barbarum. itaque, quorum summum quondam inter ipsos odium, bellumq. meministis, eosdem postea singulari inter se cõsensu, & amore deuinxit impurissimae naturae, & turpissimae vitae similitudo. ergo id, quod fecit Dolabella in quo potuit, multis idem minatur Antonius. sed ille, cum procul esset a consulibus, exercitibusq. nostris, neque dum senatum cum populo R. conspirasse sensisset, fretus Antonii copiis, ea scelera suscepit, quae Romae iam suscepta arbitrabatur a socio furoris sui. quid ergo hunc aliud moliri, quid optare censetis? aut quam omnino caussam esse belli? omnes, qui libere de rep. sensimus, qui dignas nobis sententias diximus, qui populum R. liberum esse voluimus, statuit ille quidem non inimicos, sed hostes, maiora tamen in vos, quam in hostem, supplicia meditatur: mortem naturae poenam putat esse, iracundiae tormenta, atque cruciatum. qualis igitur hostis habendus est is, a quo victore si cruciatus absit, mors in beneficii parte numeretur? Quamobrem, P. C. quamquam hortatore non egetis, (ipsi enim vestra sponte exarsistis ad libertatis recuperandae cupiditatem) tamen eo maiore animo studioq. libertatem defendite, quo maiora proposita victis supplicia seruitutis videtis.

EXPLANATIO

ET *maerore potius,*] plus est maeror quam dolor. potest enim esse dolor sine maerore, maeror sine dolore non potest. comes igitur maximi doloris maeror est. INEST *tamen aliquid,*] contraria contrarijs miscet interdum Cicero cum lepore & elegantia. Magno, inquit, in dolore inest tamen aliquid, quod reip. profuturum putem. Similiter ad Att. lib. 1. In ista incommodatione alienati illius animi, & offensi, illud inest tamen commodi Et ad Q. fr. Se effecturum, vt ego in medio dolore, ac desiderio tui, te, cum a me abesses, potissimum secum esse laetarer. Et ad Lentulum: Te autem etsi mallem in meis rebus expertum, quam etiam in tuis: tamen in molestia gaudeo eandem fidem cognoscere hominum non ita magna mercede, quam ego maximo dolore cognoram. ALTER] Dolabella. QVOD *optabat;*] optabat necem Trebonij, possessionem Asiae. DE *altero*] de Antonio qui Galliam citeriorem, vt inde impetum contra remp faceret occupare cogitabat. INTER *ipsos odium,*] vide Phil. 2. BELLVMQ.] contentionem. bellum enim inter ipsos non fuit. ROMAE *iam susceptam*] caede ciuium. HVNC] Antonium. nam de Dolabella dixit, Ille. NATVRAE *poenam*] poenam, abundare Faernus recte putat.

ORATIO

IN Gallia inuasit Antonius, in Asiam Dolabella, in alienã vterque prouinciam. alteri se Brutus obiecit, impetum q. furentis, atque omnia diuexare, ac diripere cupientis, vitae suae periculo colligauit. progressu arcuit, a reditu refrenauit: obsideri se passus, ex vtraque parte constrinxit Antonium. alter in Asiam irrupit, cursi, vt in Syriam patebat via, & certa, neque longa, quid opus fuit cum legione, praemisso Marso nescio quo Octauio, scelerato latrone, atque egente, qui popularetur agros, vexaret vrbes, non ad spem constituendae rei familiaris, quam tenere eum posse negant, qui norunt, (mihi enim hic senator ignotus est) sed ad praesentem pastum mendicitatis suae? consecutus est Dolabella, nulla suspicione belli: quis enim id putaret? secutae collocutiones familiarissimae cum trebonio, complexusq. summae beneuolentiae falsi indices exstiterunt in amore simulato: dexterae, quae fidei testes esse solebant, perfidia sunt, & scelere violatae. nocturnus introitus Smyrnam, quasi in hostium vrbem, quae est fidissimorũ, antiquissimorumq. sociorum: oppressus Trebonius; si vt ab eo,

qui

qui aperte hostis esset incautus; si vt ab eo, qui ciuis etiã tum speciem haberet, miser. ex quo nimirum documentum nos capere fortuna voluit, quid esset victis extimescendum. consularem hominem, consulari imperio prouinciam Asiam obtinẽtem, Samario consuli transiderit interficere captum statim noluit. ne nimis, credo, in victoria liberalis videretur; cum verborum contumelijs optimum virum incesto ore lacerasset, tum verberibus, ac tormẽtis quaestionem habuit pecuniae publicae, idq. per biduum: post, cervicibus fractis, caput abscidit, idq. affixum gestari iussit in pilo: reliquum corpus tractum, atque laceratum abiecit in mare. cum hoc hoste bellandum est, a cuius taeterrima crudelitate omnis barbaria superata est. Quid loquar de caede ciuium R.? de direptione fanorum? quis est, qui pro rerum atrocitate deplorare tãtas calamitates queat? & nunc tota Asia vagatur, volitat vt rex, nos alio bello distineri putat. quasi vero non vnum idemq. bellum sit contra hoc iugum impiorum nefarium. Imaginem Antonij crudelitatis in Dolabella cernitis. ex hoc illa effecta est: ab hoc Dolabellae scelerum praecepta sunt transdita. Num leniorem, quam in Asia Dolabella fuit, in Italia, si liceat, fore putatis Antonium? mihi quidem & ille peruenisse videtur quoad progredi potuerit feri hominis amentia: neque Antonius vllius supplicij adhibendi, si potestatem habeat, vllam partem est relicturus.

EXPLANATIO

Si *vt in Syriam:*] si ob eam caussam in Asiam irrupit, vt inde in Syriam proficisceretur: ire in Asiã non oportuit: patebat enim in Syriam via certa, nec longa. quod si Asiam adire voluit, quid opus fuit, legionem praemittere? Hunc locum non recte alij distinxerũt. Et *certa, neque longa.*] neque, modo antecedit, vt ep. 1. lib. 10. fam. Haec miror, & gaudeo: modo sequitur, vt hic & paullo post: Mihi quidem & ille peruenisse videtur quoad progredi potuerit feri hominis amentia: neque Antonius vllius supplicij adhibendi, si potestatem habeat, vllam est partem relicturus Cvm *legione*, ei ab Antonio tradita. Appianus lib. III. Octavio, M. Octauio, Dolabellae legato. Dio. lib. XLVII Falsi *iudices*] cum sequatur, In amore simulato, delendum. Falsi, vt verbum superuacaneum, non sine caussã Faernus existimabat. Qvi *ciuis etiam tum speciem haberet*,] nondum enim hostile quidquam aperte gesserat Alio *bello*] quod geritur ad Mutinam. Contra *hoc iugum*] Antonij, & Dolabellae. iugum appellat, quia pares in scelere. supra. Ecce tibi geminum in scelere par.

ORATIO

Ponite *igitur ante oculos, P.C. miseram quidem illam, & flebilem speciem, sed ad incitandos animos nostros necessariam, nocturnũ impetum in vrbem Asiae clarissimam, irruptionẽ armatorum in Trebonij domũ: cum ille miser prius latronum gladios uideret, quã, quaeres esset, audisset; furentis introitũ Dolabellae, vocẽ impuram, atque os illud infame; uincla, verbera, equuleum, tortorem, carnificemq. Samiarium quae tulisse illum fortiter, & patienter ferunt. magna laus, meoq. iudicio omnium maxima. est enim sapientis, quidquid homini accidere possit, id praemeditari ferendum modice esse si euenerit. maioris est omnino consilij, prouidere, ne quid tale accidat: sed animi non minoris fortiter ferre, si euenerit. Ac Dolabella quidem tam fuit immemor humanitatis, quamquam eius numquã particeps fuerit, vt suam insatiabilem crudelitatẽ exercuerit nõ solum in viuo, sed etia in mortuo; ac in eius corpore lacerando, atque vexando, cum animum satiare non posset, oculos pauerit suos. O multo miserior Dolabella, quam ille; quem tu miserrimũ esse voluisti. dolores Trebonius pertulit magnos: multi ex morbi grauitate maiores: quos tamen non miseros, sed laboriosos dicere solemus. longus fuit dolor bidui: at compluribus annorũ saepe multorum, nec vero grauiora sunt carnificum tormenta, quam interdum cruciamenta morborum. alia sunt, alia, inquam, o perditissimi homines, & amentissimi, multo miseriora. nam, quo maior vis est animi, quam corporis, hoc sunt grauiora ea, quae concipiuntur animo, quam illa, quae corpore. miserior igitur, quae suscipit in se scelus, quam is, qui alterius facinus subire cogitur. Cruciatus est a Dolabella Trebonius: & quidem a Carthaginiensibus Regulus. quare, cum crudelissimi Poeni iudicati sint in hoste, quid in ciue Dolabella iudicandus est? an vero hoc conferendum est? aut dubitandũ, vter miserior, is ne, cuius mortẽ senatus populusq. R. vlcisci cupit; an is, qui cunctis senatus sententijs hostis est iudicatus? Nam ceteris quidem vitae partibus, quis est, qui possit sine Trebonij maxima contumelia conferre vitam Trebonij cum Dolabellae? alterius consilium, ingenium, humanitatem, innocentiã, magnitudinem animi in patria liberanda quis ignorat? alteri a puero prodelicijs crudelitas fuit. deinde ea libidinum turpitudo, vt in hoc sit semper ipse laetatus, quod ea faceret, quae sibi obijci ne ab inimico quidem possent verecũdo. & hic, dij immortales, aliquando fuit meus. occulta enim erant vitia non inquirenti. neq. nunc fortasse alienus ab eo essem, nisi ille vobis, nisi moenibus patriae, nisi huic vrbi, nisi dijs penatibus, nisi aris, & focis omniũ nostrum, nisi denique naturae, & humanitati inuentus esset inimicus. a quo admoniti, diligentius, & vigilantius caueamus Antoniũ. etenim Dolabella non ita multos secũ habuit notos, ac insignes latrones: at videtis; quos, & quam multos habeat Antonius primũ L. fratrem, quam facem dij immortales? quod facinus? quod scelus? quem gurgitem? quã voraginem? quid eum non sorbere animo, quid non hauire cogitatione, cuius sanguinem non bibere censetis? in cuius possessiones, atque fortunas non impudentissimos oculos spes & mẽte defigere? Quid Censorinum? qui se verbo praetorem esse urbanum cupere dicebat, re certe noluit. Quid Bestiam? qui se consulatũ in Bruti locũ petere profitetur. atq; hoc quidem detestabile omen auertat Iuppiter. quam absurdum autem, qui praetor fieri non potuerit, eum petere consulatum? nisi forte damnationem pro*

praetura

praetura putat. Alter Caesar Vopiscus, ille homo summo ingenio, summa potentia, qui ex aedilitate consulatum petit. soluatur legibus. quamquam leges eum non tenent. propter eximiam, credo dignitatem. at hic, , me defendente, quinquies absolutus est. sexta palma vrbana etiã in gladiatore difficilis. sed haec iudicum culpa, non mea est. ego defendi fide optima: illi debuerunt clarissimum, & praestantissimum senatorem in ciuitate retinere, qui tamen nunc nihil aliud agere videtur, nisi vt intelligamus illos iudices, quorum res iudicatas irritas fecimus, bene, & e rep. iudicauisse. neque hoc in hoc vno est. sunt alij in eiusdem castris, honeste condemnati, turpiter restituti. quod horum consilium, qui omnibus bonis hostes sunt, nisi crudelissimum, putatis fore? Accedit Saxa nescio quis, quem nobis Caesar ex vltima Celtiberia tribunum pl. dedit, castrorum antea metator, nunc, vt sperat, vrbis: a qua cum sit alienus, suo capiti, saluis nobis ominetur. Cum hoc veteranus Caso: quo neminem veterani peius oderunt. his, quasi praeter dotem, quam in ciuilibus malis acceperant, agrum Campanum est largitus Antonius, vt haberent reliquorum nutriculas praediorum. quibus vtinam contenti essent: ferremus: etsi tolerabile non erat: sed quidnis patiendum fuit, vt hoc taeterrimũ bellum non haberemus. Quid illa castrorum M. Antonij lumina, non ne ante oculos proponitis? primum duos collegas Antoniorum, & Dolabellae, Nuculam, & Lentonem, Italiae diuisores lege ea, quam senatus per vim latam iudicauit: quorum alter commentatus est mimos, alter egit tragoediam. Quid dicam de Apulo Domitio? cuius bona modo proscripta vidi: tanta procuratorum, est negligẽtia. at hic nuper sororis filio infudit uenenum, non dedit. sed non possunt non prodige viuere. qui nostra bona sperant, cum effundunt sua. Vidi etiam P. Decij auctionem, clarissimi viri: qui, maiorum exempla persequens, pro alieno se aere deuouit. emptor tamen in ea auctione inuentus est nemo. hominem ridiculum, qui se exire aere alieno putet posse, cum vendat aliena. Nam, quid ego de Trebellio dicam? quem vltae videntur Furiae debitorum: iudicem enim tabularum nouarum nouam tabulam vidimus. Quid de Planco? quem praestantissimus ciuis Aquila Polentia expulit, & quidem crure fracto, quod vtinam ante illi accidisset, ne huc redire potuisset. Lumen & decus illius exercitus paene praeterij, T. Annium Cimbrũ, Lysidici filiũ. Lysidicũ ipsum graeco, verbo quoniam omnia iura dissoluit: nisi forte iure germanum Cimber occidit. Cum hãc, & huius generis copiam tantam habeat Antonius, quod scelus omittet, cum Dolabella tantis se obstrinxerit parricidijs, nequaquam pari latronum manu, & copia?

EXPLANATIO

EQVVLEVM,] genus tormenti, Christianorum martyrum exemplo satis notum. FVIT *meus.*] uel quia gener, uel quia summo, etiam post Tulliae diuortium amore coniunctus. in ep. ad Att. lib. XIV. O mirificum Dolabellam meum. iam enim dico meum: antea, crede mihi, sub dubitabam. RE *certe noluit.*] qui enim praetor vrbanus esse potest, cum ab vrbe discesserit? DAMNATIONEM] de ambitu, expetitione praeturae, defendente Cicerone, ep. 3. lib. 2 ad Q. fr. PETIIT] hoc anno non petebat: (non enim, vt supra ostendi, habebantur comitia) sed anno sequẽti petiturum se profitebatur, SOLVATVR *legibus.*] vt, omissa praetura, petere consulatum possit. LEGES *eum non tenent.*] Antonij enim exemplo leges omnes contemnit. PROPTER *eximiam, credo dignitatem.*] magna vero dignitas eius hominis, qui quinquies vocatus in iudicium sit. SEXTA *palma vrbana*] si sextum accusabitur, non facile absoluetur. Vrbana: quia nunc abest: sed in vrbem si redierit, accusabitur. ETIAM *in gladiatore*] vt gladiatores non semper vincunt, sic Vopiscus nõ semper absoluetur. ILLI *debuerunt*] a contrario sensu: pro, minime debuerunt. QVI *tamen nunc nihil agere videtur,*] ita se gerit, vt qui eum iudices olim lege Pompeia damnarunt, eos recte iudicauisse, nobis ostendat. QVORVM *res iudicatas irritas fecimus,*] Caesarem notat, qui damnatos lege Pompeia omnes. excepto Milone restituit. id cõfirmatur sequentibus verbis: sunt alij in ijsdem castris, honeste condemnati, turpiter restituti. CASTRORVM *antea metator, nunc, vt sperat, vrbis.*] Phil. 14. Quam iam, peritus metator, & callidus, decempeda sua Saxa diuiserat. VT *haberent reliquorum nutriculas praediorum.*] vt agri Campani fertilitate alerent reliqua praedia. quae ciuilibus in malis acceperant. COLLEGAS] in septemuiratu Fuere enim septemuiri, M. Antonius, L. Antonius, Dolabella, Nucula, Lento, Mustela, Tiro. quod ex his orationibus perspicuum sit. QVAM *senatus per vim latam iudicauit;*] Phil. 6. Septemuirum acta sustulimus. iacent beneficia Nuculae: friget patronus Antonius. P. DECII] Phil. 13. MAIORVM] qui se pro rep. deuouerant nota historia. ALIENA, quae de Pompeianorum bonis vendente Caesare, ab hasta emerat. VLTAE] quia tribunus pl. debitorum caussam oppugnauerat cum ferenti legem de tabulis nouis Dolabellae resisteret. Phil 6 VINDICEM] proscripta Trebelli bona vidimus. ea tabula vlciscì videtur tabulas nouas, quibus aduersatus erat. tabulam enim posuit, qui tabulas nouas oppugnauerat. DE *Planco?*] T. Planco Bursa. Phil. 6. AQVILA Pontius Aquila, vnus ex percussoribus Caesaris, qui perijt in Mutinẽsi proelio: vt in Asinij epistola, lib. 10 CRVRE *fracto*] Phil. 13. NE *huc redire potuisset.*] cum est a Caesare restitutus. GRECO *verbo,*] abundare hoc arbitror.

ORATIO

QVAPROPTER, *vt inuitus saepe dissensi a Q. Fufio, ita sum eius sententiae libenter assensus. ex quo iudicare debetis, me non cum homine salere, sed cum caussa dissidere, itaque non assentior solum.*

um, sed etiam gratias ago Q. Fufio. dixit enim seueram, grauem, rep. dignam sententiam; iudicauit hostem Dolabellam: bona censuit publice possidenda. quo cum addi nihil posset (quid enim atrocius potuit, quid seuerius decernere?) dixit tamen, si quis eorum, qui post se rogati essent, grauiorem sententiam dixisset, in eam se iturum. quam seueritatem quis potest non laudare? Nunc, quoniam hostis est iudicatus Dolabella, bello est persequendus. neque enim quiescit: habet legionem: habet fugitiuos: habet sceleratam impiorum manum; est ipse confidens, impotens, gladiatorio generi mortis addictus. Quamobrem, quoniam cum Dolabella, besterno die hoste decreto, bellum gerendum est; imperator est deligendus. duae dictae sunt sententiae: quarum neutram probo; alteram, quia semper, nisi cum est necesse, periculosam arbitror; alteram, quia alienam his temporibus existimo. nam extraordinarium imperium populare, atque ventosum est, minime vestrae grauitatis, minime huius ordinis. bello Antiochino magno, & graui, cum L. Scipioni prouincia Asia obuenisset; parumq. in eo putaretur esse animi, parum roboris; senatusq. ad collegam eius C. Lelium, huius sapientis patrem, negotium deferret: surrexit P. Africanus, frater maior L. Scipionis; & illam ignominiam familiae deprecatus est; dixitque, & in fratre suo summam virtutem esse, summumq. consilium, neque se ei legatum, id aetatis, ijsque rebus gestis, defuturum. quod cum ab eo esset dictum, nihil est de Scipionis prouincia commutatum, nec plus extraordinarium imperium ad id bellum quaesitum, quam duobus antea maximis Punicis bellis, quae a consulibus, aut a dictatoribus gesta, & confecta sunt; aut quam Pyrrhi, quam Philippi, quam post Achaico bello, quam Punico tertio: ad quod populus R. ita sibi ipse delegit idoneum ducem P. Scipionem, vt eum tamen bellū gerere consulem vellet. Cum Aristonico bellum gerendum fuit L. Valerio P. Licinio cos. rogatus populus, quem id bellum gerere placeret: Crassus, consul, pontifex maximus, Flacco collegae flamini Martiali, multam dixit, si a sacris discessisset. quam multam populus remisit, pontifici tamen flaminem parere iussit. sed ne tum quidem populus R. ad priuatum detulit bellum. quamquam erat Africanus, qui anno ante de Numantinis triumpharat: qui cum longe omnes belli gloria, & virtute superaret, duas tamen tribus solas tulit. ita populus Rom. consuli potius Crasso, quam priuato Africano, bellum gerendum dedit. De Cn. Pompeij imperijs, summi viri, atque omnium principis, tribuni pleb. turbulenti tulerunt. nam Sertorianum bellum a senatu priuato datum est quia consules recusabāt; cum L. Philippus pro consulibus se eum mittere dixit, non pro consule. Quae igitur haec comitia? aut quam ambitionem constantissimus & grauissimus ciuis L. Caesar in senatum introduxit? clarissimo viro, atque innocentissimo decreuit imperium, priuato tamen, in quo maximum nobis onus imposuit. assensus ero: ambitionē induxero in curiam. negaro: videbo suffragio meo, tamquā comitijs, honorem homini amicissimo denegauisse. quod si comitia placet in senatu haberi, petamus, ambiamus, tabella modo detur nobis, sicut populo data est. cur comitijs Caesar? vt aut praestantissimus vir, si tibi non sit assensum, repulsam tulisse videatur; aut vnusquisque nostrū praeteritus, si, cum pari dignitate simus, eodem honore digni non putemur. At enim (nam id exaudio) C. Caesari adolescentulo imperium extraordinarium mea sententia dedi. ille enim mihi praesidium extraordinarium dederat. cum dico, mihi, senatui dico, populoque Rom. a quo resp. praesidium ne cogitatum quidem tantum haberet, vt sine eo salua esse non posset; huic extraordinarium imperium non darem? aut exercitus adimendus, aut imperium dandum fuit. quae est enim ratio? aut qui potest fieri, vt sine imperio teneatur exercitus? non igitur, quod ereptum non est, id existimandum est datum. eripuissetis C. Caesari, P. C. imperium, nisi dedissetis. milites veterani, qui illius auctoritatem, imperium, nomen secuti pro rep. arma ceperant, volebant sibi ab illo imperari: legio Martia, & Quarta ita se contulerat ad auctoritatem senatus, populiq. R. dignitatem, vt deposcerent imperatorem, & ducem C. Caesarem. imperium C. Caesari belli necessitas, fasces senatus dedit. otioso vero, nihil agenti priuato, obsecro te, L. Caesar (cum peritissimo homine mihi res est) quando imperium senatus dedit?

EXPLANATIO

GLADIATORIO *generi mortis addictus.*] caede delectatur, ad eam, sicuti gladiatores, videtur esse natus. ALTERAM,] L. Caesaris, qui bellum contra Dolabellam extra ordinem P. Seruilio, lege ad populum lata, mandandū esse cēsuit. infra. ALIENAM *his temporibus*] vt consules, Dolabellae persequendi caussa, Asiam, & Syriam sortiantur. HVIVS *sapientis*] duo C. Laelij fuere, pater, & filius; pater Africani maioris amicitia clarus; filius, minoris, cui, sapiēti cognomen fuit: vt in libro de Amicitia. PHILIPPI,] Macedonię regis, quē T. Flamininus deuicit. FLACCO] L. Valerio Flacco. PRO *consulibus*] eadem res in suasione legis Maniliae narratur. vt alia mittam exēpla. HAEC *comitia*] quibus ferri ad populum de bello contra Dolabellam extra ordinem mandando, L. Caesari placet. CLARISSIMO *viro*,] P. Seruilio, consulari, Isaurici filio. ASSENSVS *ero*,] eleganter, pro, si assensus ero: & quod sequitur, Negaro pro, si negaro. multo enim venustius omittitur. quā additur particula, Si eadem figura Phil. 13. Recesseris: vndique omnes insequentur manseris: haerebis. Et in Verrem lib. v. Cognosceret hominem: aliquid de summo supplicio remitteres. ignoraret: tū si tibi ita videretur, hoc iuris in omnes cōstitueres, vt, qui neque tibi notus esset, neque cognitorem locupletem daret, quāuis ei vis Romanus esset, in crucem tolleret. Et apud Terent. in Heaut. Vel me monere, vel percunctari puta:, Rectum est, ego vt faciam: nō est, te vt deterreā. AMBITIONEM *induxero in curiam.*] alij enim viri consulares idem petent. Hoc explanatur ijs verbis, Ne vnusquisque nostrum praeteritus esse videatur. QVOD *si comitia placet in senatu haberi*;] si placet, contra Dolabellam a senatu bellum decerni. CVR *comitijs Caesar*?] cur comitijs hoc agendum putas? alterutrum enim sequetur, vt aut Seruilius repulsam tulisse, aut nos, ei dignitate pares, praeteriti esse videamur.

Landesbibliothek Oldenburg

ORATIO

SED de hoc quidem hactenus; ne refragari homini amicissimo, ac de me optime merito videar: etsi quis potest refragari non modo non petenti, verum etiam recusanti? Illa vero, P. C. aliena consulum dignitate, aliena temporum grauitate sententia est, vt consules, Dolabellae persequendi caussa, Asiam, & Syriam sortiãtur. dicam, cur inutile reip. sed prius, quam turpe consulibus sit, videte. Cum consul designatus obsideatur: cum in eo liberando salus sit posita reip. cum a populo R. pestiferri ciues, parricidaeq. desciuerint; cumq. id bellũ geramus, quo bello de dignitate, de libertate, de vita decernamus; & si in potestatem quis Antonij venerit, proposita sint tormenta, atque cruciatus, cumq. harum rerum omnium decertatio consulibus optimis, & fortissimis cõmissa, & commendata sit: Asiae, & Syriae mentio fiet? vt aut suspicioni crimen, aut inuidiae materiam dedisse videamur. At vero ita decernũt, vt liberato Bruto id enim restabat, vt, relicto, deserto, prodito. ego vero mentionem omnino prouinciarum factam dico alienissimo tempore quamuis enim intentus animus tuus sit, C. Pansa, sicut est, ad virum fortissimum, & omnium clarissimum liberandum: tamen rerum natura cogit te necessario referre animum aliquando ad Dolabellam persequendum, & partem aliquam in Asiam, & Syriã deriuare curae, & cogitationis tuae. si autem fieri posset, vel plures te animos habere vellem, quos omnes ad Mutinã intenderes. quod quoniam fieri non potest, isto animo, quem habes praestantissimum, atque optimum, nihil volumus nisi de Bruto cogitare. facis tu id quidem, & eo maxime inter nos: duas tamen res magnas praesertim, nõ modo agere vno tempore, sed ne cogitando quidem explicare quisquam potest. incitare, & inflammare tuum istuc praestantissimum studium, nõ ad aliam vlla ex parte curam transferre debemus. Adde istuc sermones hominũ, adde suspiciones, adde inuidiam: imitare me, quem tu semper laudasti, qui instructam, ornatamq. a senatu prouinciã deposui, vt incendium patriae. omissa omni cogitatione, restinguerem. Nemo erit, praeter vnum me, quicum profecto, si quid interesse putasses, tua, pro summa familiaritate nostra communicauisses, qui credat te inuito prouinciam tibi esse decretam. hanc, quaeso, pro tua singulari sapientia reprime famam; atque effice, ne id, quod non curas, cupere videare, quod quidem eo vehementius tibi laborandum est, quia in eandem cadere suspicionem collega, vir clarissimus, non potest: nihil horũ scit: nihil suspicatur: bellum gerit: in acie stat: de sanguine, & de spiritu decertat: ante prouinciam sibi decretam audiet, quam potuerit tempus ei rei datum suspicari. vereor, ne exercitus quoque nostri, qui non delectus necessitate, sed voluntarijs studijs se ad remp. contulerunt, tardentur animis, si quidquam aliud nobis, nisi de instanti bello, cogitatum putabunt. Quod si prouinciae cõsulibus expetendae videntur, sicut saepe multis clarissimis viris expetitae sunt: reddite prius nobis Brutum, lumen, & decus ciuitatis; qui ita conseruandus est, vt id signum, quod de caelo delapsum Vestae custodys contineretur; quo saluo, salui sumus futuri. tunc in caelum vos, si fieri poterit, humeris nostris tollemus: prouincias certe dignissimas vobis deligemus. nũc, quod agitur agamus: agitur autem liberi ne viuamus, an morrem obeamus; quae certe seruituti anteponenda est. Quid si etiam affert tarditatem ista sententia ad Dolabellã persequendum? quando enim veniet consul? an id exspectamus; quo ne vestigium quidem Asiae ciuitatum, atque vrbium relinquatur? At mittent aliquem de suo numero. Valde mihi probari potest, qui paullo ante clarissimo viro priuato imperium extra ordinem non dedi. At hominem dignum mittent. num P. Seruilio dignior? at eum quidem ciuitas non habet. quod ergo ipse nemini putat dandum ne a senatu quidem, id ego vnius iudicio delatum comprobem? expedito nobis homine, & parato, P. C. opus est & eo, qui imperium legitimum habeat, qui praeterea auctoritatem, nomen, exercitum, perspectum animum in rep. liberanda. quis igitur is est? aut M. Brutus, aut C. Cassius, aut vterque. decernerem plane, sicut multa, consulem alterum, ambos ue, ni brutum colligassemus in Graecia, & eius auxilium ad Italiam uergere, quam ad Asiam, maluissemus; non ut eo ex acie respectum haberemus, sed ut ipsa acies subsidium haberet etiam transmarinum. Praeterea, P. C. M. Brutum retinet etiam nunc C. Antonius; qui tenet Apolloniam, magnam urbem & grauem, tenet, opinor, Byllidem; tenet Amantiam; instat Epiro; vrget Illyricum; habet aliquot cohortes, habet equitatum. hinc si Brutus erit transductus ad aliud bellum; Graeciam certe amisimus. est autem etiam de Brundisio, atque illa ora Italiae prouidendum. quamquam miror tamdiu morari Antonium. solet enim accipere ipse manicas, nec diutius obsidionis metum sustinere. quod si confecerit Brutus, & intellexerit, plus se reip. profuturum; si Dolabellam persequatur, quam si in Graecia maneat: aget ipse per sese. vt adhuc quoque fecit; neque in tot incendijs, quibus confestim succurrendum est, exspectabit senatum. nam Brutus & Crassius multis iam in rebus ipse sibi senatus fuit necesse est enim, in tanta conuersione, & perturbatione omnium rerum, temporibus potius parere, quam moribus. nec enim nunc primum aut Brutus, aut Cassius salutem, libertatemq. patriae, legem sanctissimam, & morem optimum iudicauit. itaque, si ad nos nihil referretur de Dolabella persequendo. tamen ego pro decreto putarem, cum essent tales virtute, auctoritate, nobilitate summi viri, quorum alterius iam notus nobis est exercitus, alterius auditus. non igitur Brutus exspectauit decreta nostra, cum studia nosset. neque enim est in prouinciam suam Cretam profectus, in Macedoniam alienam aduolauit: omnia sua putauit, quae vos vestra esse velletis: legiones conscripsit nouas, excepit veteres; equitatum ad se abduxit Dolabellae; atque eum, nondum tanto parricidio oblitum, hostem sua sententia iudicauit. nam, ni ita esset, quo iure equitatum a consule abduceret?

EXPLA-

EXPLANATIO

DECERTATIO] assidua deliberatio. nam a decerno fit decerto. SVSPICIONI *crimen,*] si consules, omissa D. Bruti liberandi cura, in Asiam, & Syriam proficiscentur, non iam suspicio, quae nunc est, de eorum animo erga Decimum, sed crimen videbitur: quasi contra Dolabellam iuerint, quia Decimo propter Caesaris necem irati, opem ferre noluerint. INVIDIAE *materiam*] caussam iis inuidendi. infra. Adde Sermones hominum, adde suspiciones, adde inuidiam. VT *liberato Bruto.*] bellum Dolabellae inferant. PROVINCIAM *deposui,*] consul prouinciam Galliam in concione depo suit, vt Catilinae coniurationem opprimeret. in Pisonem, & ep. 2. lib. v. fam. BRVTVM] Decimum, qui obsidebatur Mutinae. MITTENT] consules, ALIQVEM *de suo numero.*] aliquem consularem. NON *habet.*] Seruilio digniorem. IPSE] Seruilius: qui munus illud recusauerat, dixeratq. nemini dandum, ne a senatu quidem. supra: Quis potest refragari non modo non petenti, verum etiam recusanti? VNIVS *iudicio*] consulis refertur enim ad illud: At mittent aliquem de suo numero. SICVT *multa,*] cum Ferrario libenter legerem, sicut multi consulem alterum, ambosue. multi enim sic de consulibus decernebat. nec aliter Cicero ipse in hac Phil. & 5. 8. 14. COLLIGASSEMVS *in Graecia,*] S. C. vt Phil. 10. NON *ut ex ea acie respectum haberemus,*] non vt, propter exercitum Bruti, propinquum Italiae, remoueremus animos a Mutina, & in aliam partem respiceremus, sed vt exercitibus, quos habemus in Italia, paratum etiam esset subsidiū transmarinū. TENET *Apolloniam,*] vrbem Epiri: quam relinquere coactus, quod Apolloniatas Bruto fauere intelligeret Buthrotum se contulit: nec multo post a Ciceronis filio pugna victus est. Plutarchus in Bruto. BYLLIDEM] Byllidem in Illyrico. Amātiam in Macedonia. ALIQVOT *cohortes.*] septem, vt Phil. 10. Hic Cicero numerum non ponit, quia vires auget Antonij vt ostendat necesse esse Brutum in Graecia morari, non in Syriam mitti. quod si septem cohortes nominasset, exiguitas illa copiarum non esse timendum ab Antonio significasset: ideoq. Brutum in Syriam mitti posse. ATQVE *illa ora Italiae*] propterea Phil. 10. censuit, vt M. Brutus cum suis copiis quam proxime Italiam esset. TAMDIV *morari*] in Graecia, nec traijcere in Italiam. itaque de Brundisio, deq. illa Italiae ora, ne ab illo opprimatur, prouidendum. MANICAS] quibus brachia muniuntur. OBSIDIONIS *metum*] vere: nam obsidionem Appolloniae non sustinuit, & Buthrotum se contulit. CONFECERIT] Antonium deuicerit, vt ab eo minime timēdum sit. IAM *notus*] Bruti, quia prope Italiam. AVDITVS.] quia longe distat, iam enim erat Cassius in Syria. ALIENAM] Q. Hortensij, vt copias cogeret. non enim, Alienam interpretor, C. Antonij ex illa sortitione, quae facta est, M. Antonio consule: (Phil. 3.) nam ei postea S. C. est adempta. quod Phil. 10 ostenditur iis verbis: Qui iā aut captus est, quod dij dent: aut certe, homo verecūdus, in Macedoniā non accedit, ne cōtra S. C. fecisse videatur. Sortitio igitur illa irrita fuit, cū S. C. a M. Antonio facta senatus falsa iudicauerit, legesq. statuerit per vim, & cōtra auspicia latas, nec ijs populū teneri. Phil 12 EQVITATVM *ad se abduxit Dolabellae;*] Lentulus ad Ciceronem scripsit se abduxisse equitatum Dolabellae, eumq. Cassio, non Bruto, tradidisse, lib. XII. fam. PARICIDIO] Trebonij nece.

ORATIO

QVid C. Cassius, pari magnitudine animi & consilij praeditus, non ne eo ex Italia consilio profectus est, vt prohiberet Syria Dolabellam? qua lege? quo iure? eo, quod Iuppiter ipse sanxit, vt omnia, quae reip. salutaria essent, legitima, & iusta haberentur. est enim Lex nihil aliud, nisi recta, & a numine deorū tracta ratio, imperans honesta, prohibens contraria. huic igitur legi paruit Cassius, cum est in Syriam profectus, alienam prouinciam, si homines legibus scriptis vterentur; his vero oppressis, suam, lege naturae. sed, vt ea vestra quoque auctoritate firmetur, censeo: Cum P. Dolabella, quiq. eius crudelissimi, & taeterrimi facinoris ministri, socij, adiutores fuerunt, hostes populi R. a senatu iudicati sint; cumq. senatus P. Dolabellam bello persequendum censuerit; vt is, qui omnia deorum, hominumq. iura nouo, inaudito, inexpiabili scelere polluerit, nefarioq. patriae se parricidio obstrinxerit, poenas diis hominibusq. meritas, debitasq. persoluat, senatui placere, C. Cassium proconsulē ptouinciam Syriam obtinere, vti qui eam optimo iure prouinciā obtinuerit, eumq. a Q. Martio Crispo procōsule, L. Statio Murco procōsule, A. Allieno legato exercitus accipere, eosq. ei transdere, cumq. his copiis, & si quas praeterea parauerit, bello P. Dolabellam terra mariq. persequi: eius belli gerendi causſa, quibus ei uideatur, naues, nautas, pecuniā ceteraque quae ad id bellum gerendum pertineant: vt imperandi in Syria, Asia, Bithynia, Ponto ius potestatemq. habeat: vtque, quamcunque in prouinciam, eius belli gerendi causſa, aduenerit, ibi maius imperiū C. Cassi proconsulis sit, quam eius erit, qui eam prouinciam tum obtinebit, cū C. Cassius proconsul in eam prouinciam uenerit: regem Deiotarum patrem, & regem Deiotarum filium, si, ut multis bellis saepenumero imperium populi R. iuuerint: item C. Cassium proconsulem copiis suis, opibusq. iuuissent. senatui, populoq. R. gratum esse facturos: itemq. si ceteri reges, tetrarchae, dynastaeq. fecissent. senatum, populumq. R. eorum officii non immemorem futurum: utiq. C. Pansa, A. Hirtius consules, alter, amboue, si eis uideretur, rep. recuperata, de prouinciis consularibus, praetoriis ad hunc ordinem primo quoque tempore ferant. interea prouinciae ab his quibus obtinentur, obtineantur, quoad cuique ex S. C. successum sit.

EXPLANATIO

ALIENAM *prouinciam, si homines scriptis legibus uterentur,*] significat, a M. Antonio consule, aut ab aliquo tribuno pl. latam esse legem de Syria Dolabellae tradenda, quo tempore simul esse latum existimo, vt citeriorem Galliam Antonius administraret. IVDICATI *sint,*] audita morte Trebonij. CRISPO] Appianus lib. IV. LEGATO] Dolabellae: vt infra. Quattuor autem legatos habuit Dolabella, hunc Allienum, M. Octauium, de quo supra, Sex. Marium, C. Titium, de quibus in ep. Lentuli, lib. XII. EXERCITVS *accipere,*] accepit, & ab Allieno quidem quattuor legiones, ex Aegypto eductas. vide epistolam Cassij lib. XII.

ORATIO

HOc. S. C. *ardentem inflammabitis, & armatum armabitis Cassium. nec enim animũ eius potestis ignorare, nec copias. animus is est, quem videtis; copiae, quas audistis; fortis, & constantis viri, qui ne vno quidem Trebonio Dolabellae latrocinium in Syriã penetrare siuisset. Allienus, familiaris & necessarius meus, post interitum Trebonij profectus, ne dici quidem se legatũ Dolabellae volet. Est Q. Caecilij Bassi, priuati illius quidem, sed fortis, & praeclari viri, robustus, & victor exercitus: Deiotari regis, & patris, & filii, & magnus, & nostro more instructus exercitus: summa in filio spes, summa ingenii in doles, summa virtus. quid de patre dicam? cuius beneuolentia in populum R. est ipsius aequalis aetati: qui non solum socius imperatorum nostrorum fuit in bellis, verum etiam dux copiarum suarum. quae de illo viro Sulla, quae Murena, quae Seruilius, quae Lucullus, quam ornate, quam honorifice, quam grauiter saepe in senatu praedicauerunt? quid de Cn. Pompeio loquar? qui vnum Deiotarum in toto orbe terrarum ex animo amicum, vereq. beneuolum, vnum fidelem populo R. iudicauit. fuimus imperatores ego, & M. Bibulus in propinquis finitimisq. prouinciis: ab eodem rege adiuti sumus, & equitatu, & pedestribus copiis. secutum est hoc acerbissimum, & calamitosissimum ciuile bellum: in quo quid faciendum Deiotaro? quid omnino rectius fuerit, dicere non est necesse, praesertim cum contra, ac Deiotarus sensit, victoria belli iudicarit. quo in bello si fuit error, comunis ei fuit cum senatu; sin recta sententia, ne victa quidẽ causa vituperãda est. Ad has copias accedent alii reges, etiã delectus accedent. neque vero classes deerũt: tanti Tyrii Cassium faciunt; tantũ eius in Syria nomen, atque Phoenice est. paratum habet imperatorẽ C. Cassium, P. C. resp. contra Dolabellã, nec paratum solum, sed peritum, atque fortem. magnas ille res gessit ante Bibuli, summi viri, aduentum, cum Parthorum nobilissimos duces, maximasq. copias fudit, Syriamq. immani Parthorum impetu liberauit. maximam eius & singularem laudem praetermitto. cuius enim praedicatio nõdum omnibus grata est, hanc memoriae potius, quam vocis, testimonio conseruemus.*

EXPLANATIO

QVEM *uidetis;*] qui, nullis instructus copijs, eo tamen ex Italia profectus consilio fit vt prohiberet Syria Dolabellam. supra: Quid C. Cassius pari magnitudine animi, & consilij praeditus, non ne eo ex Italia consilio profectus est, vt prohiberet Syria Dolabellam? Ferrarius malebat, Vidistis: vt referretur ad idus Mart. mihi, videtis, non displicet: vt de re praesenti dicatur. in quo moueor etiam consensu omnium veterum librorum. PRIVATI *illius quidem,*] de Basso copiose Appianus lib. IV. VICTOR *exercitus:*] quia repulerat legiones Murci. Appianus. Cassius autem ad Ciceronem ita scripsit. Murci, & Crispi imperatorum dignitatem, quantum est in te, tuere nam Bassus misere mihi noluit legionem tradere. quod nisi milites, inuito eo, legatos ad me misissent; clausam Apameam tenuisset, quoad vi esset expugnata. NOSTRO *more*] armatura Romana. ep. I lib. VI. ad Att. Deiotarus habet cohortes quadrigenarias, nostra armatura, triginta. SVLLA, *Murena, Seruilius, Lucullus,*] de Mithridate Sulla, Murena Lucullus, de Isauris, vnde cognomen accepit. Seruilius triumphauit. omnes Deiotari copijs vsi sunt. MAGNAS *illes res gessit*] M. Crassi quaestor in Syria: quo interfecto, Parthos in Syriam irruentes fudit. in ep. ad Coelium. Cassius noster feliciter ab Antiochia hostem reiecerat. SINGVLAREM *laudem*] in Caesare occidendo.

ORATIO

ANIMADVERTI, *P. C. dici iam a quibusdam, exornari etiam nimium a me Brutum, nimium Cassium ornari; Cassio vero sententia mea dominatum, & principatum dari. Quos ego orno? nempe eos, qui ipsi sunt ornamenta reip. quid D. Brutum? non ne omnibus sententiis semper ornauí? num igitur reprehenditis? Au Antonios potius ornarem, non modo suarum familiarum, sed Romani nominis probra, atque dedecora? an Censorinum ornem, in bello hostem, in pace sectorem? an cetera ex eodẽ latrocinio naufragia colligam? ego vero istos, otii, concordiae, legum, iudiciorum, libertatis inimicos tantum abest, vt ornem, vt effici non possit, quin*

cos tam oderim, quam remp. diligo. vide, inquit, ne veteranos offendas. hoc enim vel maxime exaudio. Ego vero veteranos tueri debeo; sed hos, quibus sanitas est, certe timere non debeo; eos vero veteranos, qui pro rep. arma ceperunt, secutique sunt C. Caesarem auctoritate beneficiorum paternorum, hodieque rempub. defendunt cum magno periculo, non tueri solum, sed etiam augere commodis debeo. qui autem quiescunt, vt VI. & IIX. legio, in magna gloria, & laude ponendos puto. comites vero Antonii, qui postquam beneficia Caesaris comederunt, consulem designatum obsident, huic vrbi ferro, ignique minitantur, Saxae se, & Cafoni transdiderunt, ad facinus praedamque natis, num quis est, qui tuendos putet? ergo aut boni sunt, quos etiam ornare, aut quieti, quos conseruare debemus? aut impii, quorum contra furorem & bellum, & iusta arma cepimus. quorum igitur veteranorum animos ne offendamus, veremur? eorum ne, qui D. Brutum obsidione cupiunt liberare? quibus cum Bruti salus cara sit, qui possunt Cassii nomen odisse? an eorum, qui vtrisque armis vacant? non vereor, ne acerbus ciuis quisquam istorum sit, qui otio delectantur. tertio vero genere non militum veteranorum, sed importunissimorum hostium cupio quam acerbissimum dolorem inurere. Quamquam, P. C. quousque dicemus sententias, veteranorum arbitratu? quod eorum tantum fastidium est, quae tanta arrogantia, vt ad arbitrium illorum, imperatores etiam deligamus? ego autem (dicendum est enim, P. C. quod sentio) non tam veteranos intuendos nobis arbitror, quam quid tyrones milites, flos Italiae, quid nouae legiones, ad liberandam patriam paratissimae, quid cuncta Italia de vestra grauitate sentiat. nihil enim semper floret: aetas succedit aetati. diu legiones Caesaris viguerunt, nunc vigent Pansae, vigent Hirtii, vigent Caesaris filii, vigent Planci: vincunt numero, vincunt aetatibus: nimirum etiam auctoritate vincunt: id enim bellum gerunt, quod ab omnibus gentibus comprobatur. itaque his promissa sunt praemia, illis persoluta. fruantur his illi: persoluantur his, quae spopondimus. id enim deos immortales spero aequissimum iudicare. Quae cum ita sint: eam, quam dixi, sententiam vobis, P. C. censeo comprobandam.

EXPLANATIO

POSTQVAM *beneficia Caesaris comederunt,*] ad egestatem nequitia, luxuq. redacti, nouas res quaerunt, vt iterum famen explere possint. Qui vero Caesaris beneficia conseruarunt, ij cum repub. consentiunt. Phil. 13. Huc accedunt Alaudae, ceterique veterani, qui, suis rebus exhaustis, beneficijs Caesaris deuoratis, nostras fortunas concupiuerunt. Et Phil. 14. Quae constituta ex veteranis, docuit illo praelio, militibus ijs, qui Caesaris beneficia seruassent, senatus, populiq. Romani earum nomen esse. In epist ad D. Brutum, lib. XI. Segulium negligamus, qui res nouas quaerit: non quo veterem comederit: nullam enim habuit: sed hanc ipsam recentem nouam deuorauit. SAXAE *se, & Cafoni tradiderunt,*] Phil. 10. Sollicitant homines imperitos Saxae, Cafones. ILLIS] qui cum Caesare patre militarunt.



IN . DVODECIMAM

M . TVLLII . CICERONIS

PHILIPPICAM

PAVLLI . MANVTII

COMMENTARIVS

ARGVMENTVM

REtulerat Pansa consul de legatis iterum ad Antonium de pace mittendis: legati decreti erant P. Seruilius, & ipse Cicero. Legationem non modo superuacaneam esse, cum ab Antonio pacem sperare non liceat, sed inutilem etiam, ac turpem, multis argumentis Cicero docet: quod si rursus agendum de pace cum Antonio sit, minime tamen omnium se legatum deligi oportere; nec tamen in ea re vitae suae maiorem, quam reipub. quam semper defenderit, rationem habere velle.

IN M. ANTONIVM
PHILIPPICARVM
LIBER DVODECIMVS
ORATIO LIV



Tsi minime decere videtur, P.C. falli, decipi, errare eum, cui vos maximis saepe de rebus assentiamini: consolor me tamen, quoniam vobiscum pariter, & vna cum sapientissimo consule errauí. nam, cum duo consulares spem honestae pacis nobis attulissent; quod erant familiares M. Antonij, quod domestici, nosse aliquod eius vulnus, quod nobis ignotum esset, videbantur. apud alterum vxor, liberi: alter quotidie litteras mittere, accipere, aperte fauere Antonio. hi subito hortari ad pacem, quod iamdiu nõ fecissent, non sine caussa videbantur. accessit consul hortator: qui consul? si prudentiam quaerimus, qui minime falli posset; si virtutem, qui nullam pacem probaret, nisi Antonio cedente, atque victo; si magnitudinem animi, qui praeferret mortem seruituti. vos autem, P.C. non tam immemores vestrorum grauissimorum decretorum videbamini, quam spe allata deditionis, quam amici pacem appellarent, de imponendis, non de accipiendis legibus cogitare. auxerat autem meam quidem spem, credo item vestram, quod domum Antonii afflictam maestitia audiebam, lamẽtari vxorem. hic etiam fautores Antonii, quorum in vultu habitant oculi mei, tristiores videbam. quod si non ita est; cur a Pisone, & a Caleno potissimum, cur hoc tempore, cur tam improuiso, cur tam repente pacis est facta mentio? negat Piso scire se, negat audisse quidquam: negat Calenus, rem vllam nouam allatam esse; atque id nunc negant, postea quam nos pacificatoria legatione implicatos putant. quid ergo opus est nouo consilio, si in re nihil omnino noui est? decepti, decepti, inquam, sumus. P.C. Antonii est acta caussa ab amicis eius, nõ publica. quod videbam equidem, sed qua si per caliginem praestinxerat aciem animi D. Bruti salus. quod si in bello dari vicarii solerent; libenter me, vt D. Brutus emitteretur, pro illo includi paterer. atque hac voce Q. Fufii capti sumus: Ne si a Mutina quidem recesserit, audiemus Antonium? ne si in senatus quidem potestate futurum se dixerit? durum videbatur: itaque facti sumus, cessimus. recedit igitur a Mutina? nescio. paret senatui? credo, inquit Calenus; sed ita, ut teneat dignitatem. Valde uobis hercule laborandum est, P.C. ut uestram dignitatem amittatis, quae maxima est; Antonii, quae neque est ulla, neque esse potest, retineatis; ut eam per nos recuperet, quam per se perdidit. si iacens id nobiscum ageret, audirem fortasse: (quamquam: sed hoc malo dicere, audirem) stanti resistendum est, aut concedenda una cum dignitate libertas. at non est integrum: constituta legatio est. quid autem integrum non est sapienti, quod restitui potest? cuiusuis hominis est errare: nullius, nisi insipientis, in errore perseuerare. posteriores enim cogitationes (ut aiunt) sapientiores solent esse. discussa est illa caligo, quam paullo ante dixit diluxit, patet, uidemus omnia, neque per nos solum, sed admonemur a nostris. attendistis paullo ante, praestantissimi uiri quae esset oratio. maestam, inquit, domum offendi, coniugem, liberos. admirabantur boni uiri, accusabant amici, quo spe pacis legationem suscepissem. nec mirum, P. Seruili: tuis enim verissimis, grauissimisq. sententiis, omni est, non dico dignitatem, sed etiã spe salutis spoliatus Antonius. ad eum te ire legatum, quis non miraretur? de me experior: cuius idem consilium, quod tuum, sentio quam reprehendatur. nos reprehendimur soli? quid? vir fortissimus Pansa sine caussa tam accurate paullo ante locutus est tam diu? quid egit, nisi vti falsam a se suspicionem depelleret? vnde autem est ista suspicio? ex pacis patrocinio repentino, quod subito suscepit eodem captus errore, quo nos. Quod si est erratum, P. C. spe falsa, atque fallaci, redeamus in uiam. optimus est portus paenitenti mutatio consilii. quid enim, per deos immortales, potest reip. prodesse nostra legatio? prodesse, dico? quid, si etiam obfutura est? obfutura? quid, si iam obfuit? an uos acerrimam illam, & fortissimam populi R. libertatis recuperandae cupiditatem, non imminutam, ac debilitatam putatis, legatione pacis audita? quid municipia censentis? quid colonias? quid cunctam Italiam? futuram eodem studio, quo contra commune incendium exarserat? an non putamus fore, ut eos paeniteat professos esse, & praestetisse odium in Antonium, qui pecunias polliciti sunt, qui arma qui se totos & animis, & corporibus in salutem reip. contulerunt? quemadmodum uestrum hoc consilium Capua probabit? quae temporibus his Roma altera est. illa impios ciues iudicauit, eiecit, exclusit. illi, illi, inquam, urbi fortissimae conanti e manibus est ereptus Antonius. Quid? legionum nostrarum uerubus non nebis consiliis incidimus? quis est enim, qui ad bellum inflammato animo sit futurus, spe pacis oblata? ipsa illa Martia caelestis & diuina legio nuncio languescet, & mollietur, atque illud pulcherrimum Martium nomen amittet; excident gladii; fluent arma de manibus; senatum enim secuta, non arbitrabitur se grauiore odio debere esse in Antonium, quam senatum. pudet huius legionis, pudet Quartae, quae pari uirtute nostram auctoritatem probans, non ut consulem, & imperatorem suum, sed ut hostem, & oppugnatorem patriae reliquit Antonium. pudet optimi exercitus, qui coniunctus est ex duobus; qui iam lustratus, qui profectus ad Mutinam est, qui si pacis, deest timoris nostri, nomen audinerit, ut non referat pedem, insistet certe. quis enim, reuocante, & receptui canente senatu, properet dimicare? quid autem hoc iniustius, quam nos, inscientibus iis, qui bellum

gerunt,

gerunt, de pace decernere? nec solum insicientibus, sed etiam inuitis? an vos A. Hirtium, praeclarissimum consulem, C. Caesarem, deorum beneficio natum ad haec tempora, quorum epistolas spem victoriae declarantes in manu teneo, pacem velle censetis? vincere illi expetunt, pacisq. dulcissimum & pulcherrimum nomen non pactione, sed victoria concupierunt. Quid? Galliam quo tandem animo hanc rem audituram putatis? illa enim huius belli propulsandi, administrandi, sustinendi principatum tenet. Gallia D. Bruti nutum ipsum, ne dicam imperium, secuta, armis, viris, pecunia belli principia firmauit, eadem crudelitati M. Antonii suum totum corpus obiecit exhauritur, vastatur, vritur: omnes aequo animo belli patitur iniurias, dummodo repellat periculum seruitutis. Et, vt omitta reliquas partes Galliae; nam sunt omnes pares: Patauini alios excluserunt, alios eiecerunt, missos ab Antonio: pecunia, militibus, &, quod maxime deerat, armis nostros duces adiuuerunt. fecerunt idem reliqui, qui quondam in eadem causa erant, &, propter multorum annorum iniurias, alienati a senatu putabantur, quos minime mirum est, communicata cum his rep. fideles esse, qui etiam expertes eius fidem suam semper praestiterunt. His igitur omnibus, victoriam sperantibus, pacis nomen afferemus, idest desperationem victoriae? Quid, si ne potest quidem vlla esse pax? quae enim est condicio pacis, in qua ei, cum quo pacem facias, nihil concedi potest? multis rebus a nobis ad pacem est inuitatus Antonius; bellum tamen maluit. missi legati repugnante me, sed tamen missi; delata mandata; non pauit. denunciatum est, ne Brutum obsideret, a Mutina discederet, oppugnauit etiam uehementius. & ad eum legatos de pace mittemus, qui pacis nuncios repudiauit? uerecundiorem ne coram putamus in postulando fore, quam fuerit tum, cum misit mandata ad senatum? atqui tum ea postulabat, quae uidebantur improbo omnino, sed tamen aliquo modo posse concedi. nondum erat uestris tam grauissimis, tamq. multis iudiciis ignominiisq. concisus. nunc ea petit, quae dare nullo modo possumus, nisi prius uolumus nos bello uictos confiteri. S. C. falsa delata ab eo iudicauimus, nũ ea uera possumus iudicare? leges statuimus per uim, & contra auspicia latas, iisq. nec populum, nec plebem teneri: num eas restitui posse censetis? H-S septies millies auertisse Antonium pecuniae publicae iudicauistis: num fraude poterit carere peculatus? immunitates ab eo ciuitatibus, sacerdotia, regna uenierunt: num figentur rursus eae tabulae, quas uos decretis uestris refixistis? quod si ea, quae decreuimus, obruere, num etiam memoriam rerum delere possumus? quando enim obliuiscetur ulla posteritas, cuius scelere in hac uestitus faeditate fuerimus? ut centurionũ legionis Martiae Brundisii profusus sanguis eluatur num elui praedicatio crudelitatis potest? ut media praeter eam, quae uetustas tollet operum circa Mutinam tractra monumenta, sceleris indicia, latrociniiq. uestigia? huic igitur importuno, atque impuro parricidae, quid habemus, per deos immortales, quod remittamus? An Galliam ultimam, & exercitum? quid est aliud, non pacem facere, sed differre bellum? nec solum propagare bellum, sed concedere etiam uictoriam? an ille non uicerit, quacumque condicione in hanc urbem cum suis uenerit? armis nunc omnia tenemus: auctoritate ualemus plurimum: absunt, tot perditi cines, nefarium secuti ducẽ: tamen eorum ora, sermonesque, qui ex eo numero in urbe relicti sunt, ferre non possumus: quid censetis, cum tot uno tempore irruperint; nos arma posuerimus, illi non posuerint? non ne nos nostris consilijs uictos in perpetuum fore? ponite ante oculos M. Antonium consulare: sperantem consulatum Lucium adiungite, supplete cetetos, neque nostri ordinis solum, honores & imperia meditantes, nolite ne Tirones quidem Numisios, & Mustelas, Seios ue contemnere. cum his facta pax, non erit pax, sed pactio seruitutis.

EXPLANATIO



ERRAVI.] cum Pisoni, & Caleno, legatis, spem pacis afferentibns, credit. NOSSE *aliquod eius vulnus,*] quo vulnere ad honestam pacem descendere cogeretur. ALTERVM] Calenum, Antonij procuratorem: vt infra. ALTER] Piso. GRAVISSIMORVM] contra Antonium: quae commemorantur Phil. 7. AMICI] Antonij, AFFLICTAM *maestitia*] ob aliquod, nobis ignotum, Antonij vulnus. QVORVM *in uultu habitant oculi mei.*] a quibus oculos numquam remoueo. SCIRE *se,*] nouum aliquod incommodum Antonij, quo ipsi adducti sint, vt pacis mentionem facerent. IMPLICATOS] soluti enim nõ sumus cum de pace iterum agi coeptum sit, & constituta legatio. D. BRVTI *salus.*] cuius caussa, loquentibus de pace aures dabam. NESCIO.] verbum Caleni. QVAMQVAM:] hoc voluit dicere: quamquam ne tu quidem audiendus esset. AVT *concedenda vna cum dignitate libertas.*] aut amittenda nobis, & dignitas, & libertas est. AT *non est integrum:*] impedita gerendi belli cogitatio est, legatione constituta. POSTERIORES *cogitationes*] αἱ δεύτεραί πως φροντίδες σοφώτεραι, versus est Euripidis in Hippolyto Coronato. A. NOSTRIS.] a domesticis. illa enim: Maestam domum offendi, coningem, liberos: ad Seruilium pertinent, qui cum Cicerone legatus erat constitutus. PRAESTANTISSIMI *viri*] Seruilij, qui sententiam rogabatur ante Ciceronem; vt supra. SVSCEPISSEM.] hactenus verba Seruilij sunt. QVAM *reprehendatur.*] quod spe pacis, duorum consularium oratione adducti, legationem probauerimus. E. MANIBVS *est ereptus Antonius.*] Phil. 2. Quemadmodum illinc abieris, vel potius paene nõ abieris, scimus. MARTIVM] glossema arbitror fuisse. EX *duobus*] exercitum Hirtij significat, cum Caesaris exercitu coniunctum. LVSTRATVS,] lustrari, idest, expiari exercitus mos fuit, prius quam in expeditionem educerentur. QVONDAM] ciues Romani cum non erant. COMMVNICATA *cum iis rep.*] data eis ciuitate cum suffragio. DELATA] ad aerarium. EAE *tabulae,*] legum, fixae ab Antonio in Capitolio. QVID *est aliud,*]

saepe

saepe hoc loquendi genus vsurpat Cicero Phil. 1. 2. 10 NOSTRI *ordinis*] senatorij. NE *Tirones quidem Numisios*.] Tironem Numisium, Mustelam Tamisium appellat Phil 2. SEIOS *ve*] suspicor de mēdo. nam Seius hic nusquam alibi nominatur. quid, si pro Seios, Saxas, reponamus? Saxae enim, & Catonis crebra mentio.

ORATIO

L. Pisonis, amplissimi viri, praeclara vox a te non solum in hoc ordine, Pansa, sed etiam in concione iure laudata est. excessurum se ex Italia dixit, deos penates & sedes patrias relicturum, si, quod dij omen iuerterint, remp. oppressisset Antonius. quaero igitur a te, L. Piso, non ne oppressam remp. putes, si tot, tam impii, tam audaces, tam facinorosi recepti sint? quos nondum tantis parricidiis contaminatos vix ferebamus, hos nunc omni scelere coopertos tolerabiles censes ciuitati fore? aut isto tuo, mihi crede, consilio erit vtendum, vt cedamus, abeamus, vitam inopem, vagamq. persequamur: aut ceruices latronibus dandae, atque in patria cadendum est. Vbi sunt. C. Pansa, illae cohortationes pulcherrimae tuae, quibus a te excitatus senatus, inflammatus populus R. non solum audiuit, sed etiam didicit, nihil esse homini R. foedius seruitute? iccirco ne saga sumpsimus, arma cepimus, iuuentutem omnem ex tota Italia exciuimus, vt, exercitu florentissimo, & maximo, legati ad pacem mitterentur? si accipiendam; cur non rogamur? si postulandam, quid timemus? in hac ego legatione sim? aut ad id consilium admiscear, in quo, ne si dissensero quidem a ceteris, sciturus populus R. sit? ita fiet, vt, si quid remissum aut concessum sit, meo semper periculo peccet Antonius cum ei peccandi potestas a me concessa videatur. quod si habenda cum Antonij latrocinio pacis ratio fuit; mea tamen persona ad istam pacem conciliandam minime fuit deligenda. ego numquā legatos mittendos censui: ego ante legatorum reditum ausus sum dicere; pacem ipsam si afferrent. quoniam sub nomine pacis bellum lateret, repudiandam: ego princeps sagorum: ego semper illum appellaui hostem, cum alij aduersarium; semper hoc bellum, cum alij tumultum: nec haec in senatu solum, eadem ad populum semper egi, neque solum in ipsum, sed in eius socios, facinorum ministros, & praesentes, & eos qui vna sunt, in totam denique M. Antonij domum sum semper inuectus. itaque; vt alacres, & elati, spe pacis oblata, inter se impij cives, quasi vicissent, gratulabantur: sic me iniquum eierabant, de me querebantur: diffidebant etiā Seruilio: meminerant eius sententijs confixum Antonium: L. Caesarem, fortem quidem illum, & constantem senatorem, auunculum tamen; Calenum procuratorem, Pisonem familiarem, te ipsum, Pansa, vehementissimum & fortissimum consulem, factum iam putant leniorem: non quo ita sit, aut esse possit: sed mentio a te facta pacis, suspicionem multis attulit immutatae voluntatis. inter has personas me interiectum, amici Antonij moleste ferunt, quibus gerundus mos est, quoniam semel liberales esse coepimus. proficiscantur legati optimis ominibus, sed ii, in quibus non offendatur Antonius. quod si de Antonio non laboratis; mihi certe, P. C. consulere debetis. parcite oculis saltem meis, & aliquam veniam iusto dolori date. quo enim adspectu videre potero, mitto hostem patriae, ex quo mihi odium in illum commune vobiscum est; sed quo modo adspiciam mihi vni crudelissimum hostem, vt declarant eius de me acerbissimae contiones? adeo ne me ferreum putatis, vt cum eo congredi aut illum adspicere possim? qui nuper cum in concione donaret eos, qui ei de parricidis audacissimi videbātur; mea bona donare se dixit Petisio Vrbinati, qui ex naufragio luculenti patrimonii ad haec Antoniana saxa proiectus est. an L. Antonium adspicere potero? cuius ego crudelitatem effugere non potuissem, nisi me moenibus, & portis, & studio municipii mei defendissem. atque idem hic Myrmillo Asiaticus, latro Italiae collega Lentonis, & Nuculae, cum Aquilae primipili nummos aureos daret, de meis bonis se dare dixit: si enim de suis dixisset, ne aquilam quidem ipsam crediturum putauit. nō ferent inquam oculi Saxam, Catonē, non duos praetores, non tribunum pl. non duos designatos tribunos, non Bestiam, non Trebellium, non T. Plancum. non possum animo aequo videre tot, tam importunos, tam sceleratos hostes; nec id fastidio meo, sed caritate reip. sed vincam animum, mihiq. imperabo: dolorem iustissimum, si non potuero frangere occultabo. Quid? vitae censetis ne, P. C. habendam mihi aliquam esse rationem? duae mihi quidem minime cara est, praesertim cum Dolabella fecerit, vt optanda mors esset, modo sine cruciatu, atque tormentis: vobis tamen, & populo R. vilis esse spiritus meus non debet: is enim sum, nisi forte me fallo, qui vigiliis, curis, sententiis, periculis etium, quae plurima adii propter acerbissimum omnium in me odium impiorum, perfecerim, vt non obstarent reip. ne quid arrogantius videar dicere. quod cum ita sit; nihil ne mihi de periculo meo cogitandum putatis? hic, cum in vrbe essem, ac domi, tamen multa saepe tentata sunt, vbi me non solum amicorum fidelitas, sed etiam vniuersae ciuitatis oculi custodiunt: quid censetis, cum iter ingressus ero, longum praesertim, nullas ne insidias extimescendas? tres viae sunt ad Mutinam, quo festinat animus, vt quam primum illud pignus libertatis populi R. D. Brutum adspicere possim: cuius in complexu libenter extremum vitae spiritum ediderim, cum omnes actiones horum mensium, omnes sententiae meae peruenerint ad eum, qui mihi fuit propositus, exitum. tres ergo, vt dixi, viae; a supero mari, Flaminia, ab infero, Aurelia; media Cassia, nunc, quaeso, attendite, num aberret a cōiectura suspicio periculi mei. Etruriā discriminat Cassia. scimus ne igitur, Pansa, quibus in locis nunc sit Lentonis Cesenii septemuiralis auctoritas? nobiscum nec animo certe est, nec corpore. si autem aut domi est, aut non longe a domo: certe in Etruria est. ideest in via. quis igitur mihi praestat, Lentonē vno capite esse contentum? Dic mihi praeterea, Pansa, Ventidius vbi sit. cui fui semper amicus, ante quam ille reip. bonisq. omnibus tam aperte est factus inimicus. Possum Cassiam vitare, tenere Flaminiam. quid, si Anconam, vt dicitur, Ventidius venerit, potero ne Ariminum tuto accedere? Restat Aurelia. hic quidem etiam praesidia habeo: possessiones enim sunt P. Clodii: tota familia occuret: hospitio inuitabit pro-

pter familiaritatem notissimam. hisce ego me vijs committam, qui Terminalibus nuper in suburbium, vt eodem die reuerterer, ire non sum ausus? domesticis me parietibus vix tueor sine amicorum custodijs. itaque in vrbe maneo; si sic licebit, manebo. haec mea sedes est, haec vigilia, haec custodia. hoc praesidium statiuum. teneant alij castra, regna, res bellicas, oderint hostem: nos, vt dicimus, semperq. fecimus, vrbem, & res vrbanas vobiscum pariter tuebimur, neque vero recuso munus hoc: quamquam populum R. video pro me recusare. nemo me minus timidus, nemo cautior res declarat. vigesimus annus est, cum omnes scelerati me vnum petunt. itaque ipsi, ne dicam mihi, reip. poenas dederunt: me saluum ad huc resp. conseruauit sibi.

EXPLANATIO

AD. ID *consilium*] corum, qui aderunt in consilio nobis cum Antonio de pace agentibus infra: Quae cum agam in consilio, nonnullis vt arbitror, repugnantibus; non ne metuendum est, vt imperita militum multitudo per me pacem distineri putet? CONCESSVM] Antonio. PRINCEPS *sagorum*] sumendorum; cum tamen vti toga possem tamquam consularis. Phil. 8. In extremo QVASI *vicissent*,] quod bellum differretur, aut etiam quibus vellet Antonius condicionibus, futura pax esset. ME *iniquum eierabant*,] Ciceronem legatum amici Antonij, vt iniquum eierabant, ideſt, excusabāt, sic lib. III in Verr. Negotiatores putant esse turpe, id forum sibi iniquum eiurare, vbi negotientur praetor prouinciam suam totam sibi iniquam eiurat. Et lib. 2. de orat. Cum M. Flaccus P. Mucium iudicem tulisset, Eiero, inquit, iniquus est. Cum esset admurmuratum, Ah, inquit, P.C. non ego mihi illum iniquum eiero, verum omnibus. Et in ep. ad Paetum. Tu autem quod mihi bonam copiā eiures, nihil est. Et Varro lib. VI. delin Lat. QVIBVS *gerundus mos est*; his ego libenter satisfaciam, legatione deposita. LIBERALES *esse coepimus*.] mittendis iterum legatis. AD *haec Antoniana saxa*] egregia trā slatio. nam vt ex naufragio multi ad saxa projecti seruantur: sic Petisius, cōsumpto patrimonio, ad Antonium, tamquam ex naufragio ad saxa, se contulit. MVNICIPII *mei*] Arpinatum. MYRMILLO] gladiator. Phil. 3. 5. 7. COLLEGA] in septemuiratum Phil. 11. AQVILAE:] centurionis nomen, qui primum pilum duceret centuriones autem primipili, ordines ducebant inter triarios, qui collocabantur in tertia acie, tamquam omnium fortissimi. PRIMI *pili*] vel subaudiendū, centurioni: dixit enim Cicero in ep. ad Att. cohortem primam totam perdidit, centurionemq. primipili Asinium Dentonem. Et Caesar lib. III. bel. Gal. P. Sextius Baculus, primi pili centurio. Vel legendum, Primipilo, vnico verbo; vt Caesar lib. 2. bel. Gal. Primipilo P. Sextio Baculo. NE *Aquilam quidem ipsam*] iocatur in ambiguo Aquilae vocabulo, & a centurione ad alitem transit. Dvo *praetores*,] Censorinum, de quo Phil. 11. & Ventidium Antonio cōiunctissimum vtrūque etiam simul nominat Phil. 13. DESIGNATOS] a Caesare. magistratus enim omnes in biennium designauit. MODO *sine cruciatu, atque tormētis*:] quibus ipse Trebonium affecit. NE *quid arrogantius videar dicere*.] ne dicam: ne quid nocere possent reip. quod arrogāter fortasse dictum videretur. PERVENERINT *ad eum, qui mihi propositus est, exitium*.] erat ei proposita Bruti salus. ETVRIAM *discriminat Cassia*.] diuidit Etruriam nam Aurelia propius mare superum est, neque discriminat Etruriam, sed terminat a maritima parte. Cassia vero, auctore Antonino ab vrbe ducit in Vulsinios, inde, Senis a sinistra relictis, Arretium, inde Florentiam, Pistorium, Lucam quod erat cisalpinae Galliae primum opidum. VNO *capite*] nece sine tormētis. PRAESIDIA *habeo*.] ironia. SI *sic licebit*.] cum hac libertate & dignitate. ODERINT] Faernus ex ingenio, Fuderint probo. VIGESIMVS *annus est*.] a consulatu. Eadem querella vsus est intio Phil. 2. ITAQVE *ipsi*,] rectius opinor, Atque ipsi.

ORATIO

TIMIDE *hoc dicam: scio enim quiduis homini accidere posse. verumtamē semel circumsessus lectis valentissimorum hominum viribus cecidi sciens, vt honestissime exsurgere possem. possum ne igitur satis videri cautus, satis prouidus, si me huic itineri tam infesto, tamq. periculoso commisero? gloriam in morte debent ij, qui in rep. versantur, non culpae reprehensionem, & sultitiae vituperationem, relinquere. quis bonus non luget mortem Trebonii? quis non dolet interitum talis & ciuis, & viri? at sunt, qui dicant (dure illi quidem, sed tamen dicunt) minus dolendum, quod ab homine impuro, nefario q. non cauerit. etenim, qui multorum custodem se profiteatur, eum sapientes sui primum capitis aiunt custodem esse oportere. cum saeptus sis legibus, & iudiciorum metu, non sunt omnia timenda, neque ad omnes insidias praesidia quaerenda. quis enim audeat luci, quis in militari via. quis bene comitatum, quis illustrem aggredi? haec neque hoc tempore, neque in me valent. non modo enim poenam non extimescet, qui mihi vim attulerit, sed etiam gloriam sperabit a latronum gregibus, & praemia. haec ergo in vrbe praeuideo: facilis est circumspectus, vnde exeam, quo progrediar, quid ad dextram, quid ad sinistram sit: num idē in Apennini tramitibus facere potero? in quibus, etiam si non erunt insidiae quae facillime esse poterunt, animus tamē erit sollicitus, vt nihil possit de officiis legationis attendere. sed effugi insidias: perrupi Apenninum: nempe in Antonij congressum, colloquium veniendum est. quinam locus capietur? si extra castra: ceteri viderint; ergo mortem actutum futuram puto. noui hominis furorem, noui effrenatam violentiam. cuius acerbitas morum, immanitas q. naturae, ne vino quidem permixta temperari solet; hic, ira,

tra, dementiaq. inflammatus, adhibito fratre Lucio, te terrima bella, numquam profecto a me sacrilegas manus, atque impias abstinebit. memini colloquia & cum acerrimis hostibus, & cum grauissime dissentientibus ciuibus. Cn. Pompeius, Sexti filius, consul. me praesente, cum essem tyro in eius exercitu, cum P. Vettio Catone, duce Marsorum, inter bina castra collocutus est. quo quidem nemini Sex. Pompeium fratrem consulis. ad colloquium ipsum Roma venire doctum virum, atque sapientem. quem Cato cum salutasset; quem te appellë, inquit? at ille, voluntate hospitem, necessitate hostem, erat, in illo colloquio aequitas: nullus timor, nulla suberat suspitio: mediocre etiam odium: non enim, vt eriperent nobis socij ciuitatem, sed vt in eam reciperentur, petebant. Sulla cum Scipioue inter Cales, & Teanum, cum alter nobilitatis florem, alter belli socios adhibuisset, de auctoritate senatus, de suffragiis populi, & de iure ciuitatis legis inter se conditiones contulerunt. non tenuit omnino colloquium illud fidem, a ui tamen, periculoq. abfuit: possumus ne igitur in Antonij latrocinio aeque esse tuti? non possumus: aut, si ceteri possunt, me posse diffido.

EXPLANATIO

CIRCVMSESSVS] Clodianis temporibus: cum decertare nolui, sed vrbe cessi, ne mea caussa cum improbis boni pugnarent. Malim, quod Faerno placuit, Circumsæptus. nam, Circumsessus, non valet, munitus, sed, ab inimicis circumuentus. NON *culpae reprehensionem,*] quam ego relinquerem, si meam vitam temere proijcerem. LVCI,] antique, pro luce. CN. *Pompeius,*] Magni pater. CATONE,] Velleius & Appianus SCIPIONE] consule. CVM *alter*] Sulla, qui nobilitatem ciuium armis defendebat. DE *suffragiis*] populi quibus non admisceri libertinos, sed in quattuor tantum vrbanis tribubus vt antea, suffragium ferre, Sulla volebat: Mariani contra, suffragij lationem eis esse in omnibus xxxv. tribubus. DE *iure ciuitatis*] de ciuitate socijs danda. LEGIS] quam ijs de rebus, vt discordiarum caussa tolleretur ferri oporteret. NON *tenuit omnino colloquium illud fidem.*] quia Scipionis exercitus a Sulla corruptus ducem suum reliquit: quem tamen Sulla, cum posset interficere, dimisit incolumem. Epitome lib. LXXXV. Plutarchus in Sulla.

ORATIO

QVod si non extra castra congrediemur, quae ad colloquium castra sumentur? in nostra ille numquam veniet, multo minus nos in illius. Reliquum est, vt & accipiantur, & remittantur postulata per litteras. ergo erimus in castris. mea ad omnia postulata vna sententia: quam cum hic vobis audientibus dixero, isse & rediisse me putatote. Legationem confero. omnia ad senatum mea sententia referam, quaecumque postulabit Antonius. neque enim licet aliter: neque permissum est nobis ab hoc ordine, vt, bellis confectis, decem legatis permitti solet more maiorum: neque vlla omnino a senatu mandata accepimus. quae cum agam in consilio, nonnullis, vt arbitror, repugnantibus; non ne metuendum est, ne imperita militum multitudo per me pacem destineri putet? Facite hoc meum consilium legationes nouas non improbare: nam Martiam, & Quartam nihil, praeter dignitatem, & decus probaturas esse, certo scio: quid? veteranos non veremur? nam timeri se ne ipsi quidem volunt. sed, quonam modo accipient seueritatem meam? multa enim falsa de me audierunt: multa ad eos improbi detulerunt. quorum commoda, vt vos optimi testes estis, semper ego sententia, auctoritate, oratione firmaui. sed credunt improbis, credunt turbulentis, credunt suis. sunt autem fortes illi quidem, sed propter memoriam rerum, quas gesserunt, pro populi R. libertate, & salute reip. nimis feroces, & ad suam vim omnia nostra consilia reuocates horum ego cogitationem non vereor, impetum pertimesco. Haec quoque pericula tanta si effugero, satis ne tutum reditum putatis fore? cum enim & vestra auctoritate, & meo me more defendero; & meam fidem reip. constantiamq. praestitero; tuerunt mihi non hi solum, qui me oderunt, sed illi etiam, qui inuident, extimescendi. Custodiatur igitur mea vita reip. eaque, quoad vel dignitas, vel natura patietur, patriae reseruetur: mors autem necessitatem habeat fati, aut, si ante oppetenda est, oppetatur cum gloria. Haec cum ita sint; etsi hanc legationem resp. vt leuissime dicam non desiderat; tamen, si tuto licebit ire, proficiscar. omnino, P. C. totum huiusce rei consilium non periculo meo, sed vtilitate reip. metiar. de qua mihi, quoniam liberum est spatium, multum etiam atque etiam considerandum puto; idq. potissimum faciendum, quod maxime interesse reip. iudicauero.

EXPLANATIO

ERGO *erimus in castris.*] nam extra, tutum non est. LEGATIONEM *confero.*] quae in legatione agam, vobis expono. DECEM *legatis*] qui mittebantur, vt victis gentibus leges darent, eaq. regio, quæ redacta armis esset in populi Romani potestatem prouinciæ formam acciperet. Nobis, inquit, non idem, quod illis, permissum est: sed nostra sententia nihil constituere, ad senatum reijcere omnia debemus. MORS *autem necessitatem habeat fati,*] tunc moriamur, cum vitae finem attulerit fatum, quod vitare licet nemini. VT *leuissime dicam,*] possem dicere: reijcit, odit, vtpote quæ damnum potius, quam fructum afferet: sed hoc tantum dico: non desiderat, quasi minime necessariam.

IN. TERTIAMDECIMAM

M. TVLLII. CICERONIS PHILIPPICAM

PAVLLI. MANVTII COMMENTARIVS

ARGVMENTVM

SEntentia de mittendis iterum legatis iam abiecta, pacem laudat, sed eam cum Antonio negat vllam esse posse. Recitat, & interpretatur Antonij litteras ad Hirtium, Caesaremque missas. Seruilij sententiam probat de mandatis, litterisque M. Lepidi, ad pacem cohortantis. Sext. Pompeium, quod suam, eorumq. quos secum haberet, operam senatui, populoque Romano pollicitus esset, vel eo S. C. quod in Seruilij sententiam de Lepidi litteris fieret, vel proprio laudandum esse censet. Et haec absente Pansa consule, qui ad collegam Hirtium, & Caesarem cum ijs copijs, quas ipse ex delectu compararat, profectus erat.

IN. M. ANTONIVM
PHILIPPICARVM
LIBER. TERTIVSDECIMVS
ORATIO. LV.

Principio huius belli, P. C. quod cum impijs ciuibus, conscleratisq. suscepimus, timui, ne condicio insidiosa pacis libertatis recuperandae studia restingueret. dulce enim nomen est pacis, res vero ipsa cum iucunda, tum salutaris. nam nec priuatos focos, nec publicas leges videtur, nec libertatis iura cara habere, quē discordiae. quem caedes ciuiū, quem bellum ciuile delectat; eumq. ex numero hominum eijciendum, ex finibus humanae naturae exterminandum puto. itaque siue Sulla, siue Marius, siue vterque siue Octauius, siue Cinna, siue iterum Sulla, siue alter Marius, & Carbo, siue quis alius ciuile bellum optauit, eum detestabilem ciuē reip. natum iudico. nam quid ego de proximo dicam? cuius acta defendimus, auctorem ipsum iure caesum fatemur. nihil igitur hoc ciue, nihil hoc homine taetrius: si aut ciuis, aut homo habendus est, qui ciuile bellum concupiscit. sed hoc primum videndum est, P. C. cum omnibus ne pax esse possit, an sit aliquod bellum inexpiabile, in quo pactio pacis, lex sit seruitutis. Pacem cum Scipione Sulla siue faciebat, siue simulabat: non erat desperandum, si conuenisset, fore aliquem tolerabilem statum ciuitatis. Cinna si concordiam cum Octauio confirmare voluisset: hominum in rep. sanitas remanere potuisset. proximo bello si aliquid de summa grauitate Pompeius, multum de cupiditate Caesar dimisisset; & pacem stabilem, & aliquam remp. nobis habere licuisset. hoc vero quid est? cum Antonijs pax potest esse? cum Censorino, Ventidio, Trebellio, Bestia, Nucula, Munatio, Lentone, Saxa? exempli causa paucos nominaui: genus infinitum, immanitatemq. ipsi cernitis reliquorum. addite illa naufragia Caesaris amicorum, Barbas, Cassios, Barbatios, Polliones: addite Antonii collusores, & sodales, Eutrapelum, Melam, Coelium, Pontium, Crasicium, Tironē, Mustelam, Petissium: comitatum relinquo, duces nomino. huc acceduut alaudae, ceteriq. veterani, seminarium iudicum decuriae tertiae, qui, suis rebus exhaustis, beneficiis Caesaris deuoratis, fortunas nostras cōcupiuerunt. o fidam dexteram Antonii, qua ille plurimos ciues trucidauit: oratum religiosumq. foedus, quod cum Antonio fecerimus. hoc si Marcus violare conabitur, Lucii eum sanctitas a scelere reuocabit. illis locus si in hac vrbe fuerit, vrbi ipsi locus non erit. ora vobis eorum ponite ante oculos, & maxime Antoniorum, incessum, adspectum, vultum, spiritum, latera tegentes alios, sequentes alios, alios praegredientes amicos. quem vini anhelitum, quas contumelias fore censetis, minasq. verborum? nisi forte eos pax ipsa leniet, maximeq. cum in hunc ordinem venerint: salutabunt benigne; comiter appellabunt vnumquemque nostrum. non recordamini per deos immortales, quas in eos sententias dixeritis? acta M. Antonii rescidistis, leges refixistis, per vim, & contra auspicia latas decreuistis: totius Italiae delectus excitauistis: collegam, & socium scelerum omnium, hostem iudicauistis, cum hoc quae pax esse potest? hostis si esset externus tamen id ipsum vix talibus factis posset aliquo modo. maria, montes, regionum magnitudines interessent; odissetis eum, quem non videretis. hi in oculis haerebunt, &, cum licebit, in faucibus. quibus enim saeptis tam immanes belluas continebimus? At incertus exitus belli est. Est omnino fortium virorum, quales vos esse debetis, virtute praestare tantum, vt possint fortunae culpam non extimescere: sed, quoniam ab hoc ordine non fortitudo solum, verum etiam sapientia postulatur; quamquam vix videntur haec posse seiungi, seiungamus tamen. fortitudo dimicare iubet: iustum odium incendit, ad confligendum impellit, vocat ad periculum; quid sapientia? cautioribus vtitur consiliis, in posterum prouidet, est omni ratione protectior. quid igitur censet? parendum est enim; atque id optimum iudicandum, quod sit sapientissime constitutum. si hoc praecipit, ne quid vita existimem antiquius, ne decernam capitis periculo, fugiam omne discrimen: quaeram ex ea, etiam ne si erit, cum id fecero, seruiendum, si annuerit; nae ego sapientiam istam quamuis sit erudita, non audiam. sin responderit, tu vero ita vitam, corpusq. seruato, ita fortunas, ita rem familiarem, vt haec libertate posteriora ducas; itaque his vti velis. si liberare remp. possis, nec pro his libertatem, sed pro libertate haec proiicias, tamquam pignora iniuriae: tum sapientiae vocem audire videar, cui vt deo paream. itaque si, receptis illis, possumus esse liberi; vincamus odium, pacemq. patiamur. sin otium in columbis his esse nullum potest: laetemur de certandi oblatam esse fortunam. aut enim, interfectis illis, fruemur victrice rep. aut oppressi, quod omen auertat Iuppiter, si non spiritu, at virtutis laude uincemus.

EXPLA-

Landesbibliothek Oldenburg

EXPLANATIO

ALTER *Marius,*] C. Marij filius. DE *proximo*] qui ciuile bellum optauit. Caesarem significat. AVCTOREM *ipsum iure caesum fatemur.*] Phil. 2. Ille vir fuit, nos quidem contemnendi, qui auctorem odimus, acta defendimus. MVNATIO,] T. Munatio Planco Bursa, de quo Phil. 6. 10. 11. & in hac. BAREAS *Cassios,*] hic Barba Cassius nominatur ep. vlt lib. XIII. ad Att. EVTRAPELVM,] Volumnium, ad quem sunt epistolae duae lib. VII. fam. SEMINARIVM *iudicum decuriae tertia,*] vide Phil. 1. O. FIDAM *dexteram,*] cur pacem ab ea dextera fidam speremus, qua plurimos ille ciues trucidauit? COLLEGAM,] Dolabellam. CVM *licebit,*] nisi quid eos prohibeat. VT *possint fortunae culpam non extimescere:*] vt possint certam sibi victoriam polliceri. VIX *videntur haec posse seiungi,*] qui enim fortis, idem sapiens: qui sapiens, idem fortis. PARENDVM *est enim;*] sapientiae praeceptis. TAMQVAM *pignora iniuriae:*] tamquam ea, quae si malis retinere, quam libertatem, iniuste facias. proijce igitur, ne sint causſae, & tamquam pignora iniuriae.

ORATIO

AT enim nos M. Lepidus imperator iterum pontifex maximus, optime proximo ciuili bello de rep. meritus, ad pacem adhortatur. Nullius apud me, P. C. auctoritas maior est, quam M. Lepidi, vel propter ipsius virtutem, vel propter familiae dignitatem. accedunt eodem multa priuata, magna eius in me merita, mea quaedam officia in illum. maximum vero eius beneficium numero, quod hoc animo in remp. est: quae mihi vita mea semper fuit carior. nam cum Magnum Pompeium, clarissimum adolescentem, praestantissimi viri filium, auctoritate adduxit ad pacem, remq. publicam sine armis maximo ciuilis belli periculo liberauit; tum me eius beneficio plus, quam pro virili parte, obligatum puto. itaque & honores ei decreui quos potui amplissimos, in quibus vos mihi estis assensi: nec vmquam de illo & sperare optime, & loqui destiti. magnis & multis pignoribus M. Lepidū resp. illigatum tenet. summa nobilitas est, omnes honores, amplissimum sacerdotium, plurima vrbis ornamenta, ipsius, fratris, maiorumq. monumenta; probatissima vxor, optatissimi liberi, res familiaris cum ampla, tum casta a cruore ciuili. nemo ab eo ciuis violatus: multi beneficio, & misericordia liberati. talis igitur vir, & ciuis opinione labi potest, voluntate a rep. dissidere nullo pacto potest. Pacem vult Lepidus. praeclare, si talem potest efficere, qualem nuper effecit. qua pace Cn. Pompeij filium resp. adspiciet, suoq. sinu complexuq. recipiet; neque solum illum, sed cum illo seipsam sibi restitutam putabit. haec causſa fuit, cur decernerentis statuam in Rostris, cum inscriptione praeclara, cur absenti triumphum, quamquam enim magnas res bellicas gesserat; & triumpho dignas, non erat tamen ei tribuendum quod nec L. Aemilio, nec Aemiliano Scipioni, nec superiori Africano, nec Mario, nec Pompeio, qui maiora bella gesserunt. sed quod silentio ciuile bellum confecerat, cum primum licuit, honores in eum maximos attulistis. Existimas ne igitur M. Lepide, qualē Pompeium resp. habitura sit ciuem, tales futuros in rep. Antonios? in, altero pudor, grauitas, moderatio, integritas: in illis) & cum hos compello, praetereo omnino ex grege latrocinij neminem) libidines, scelera, ad omne facinus immanis audacia.

EXPLANATIO

IMPERATOR *iterum,*] sic ipse duas epistolas inscripsit lib. x. fam. quamquam Phil. 5. imperator simpliciter vocatur. AD *pacem adhortatur.*] ad Lepidum ita scripsit Cicero. Sapientius, meo quidem iudicio facies, si te in istam pacificationem non interpones, quae neque senatui, neque populo, neque cuiquam bono probatur. MAGNVM *Pompeium,*] Sextum, Magni filium. Phil. v. HONORES *ei decreui,*] statuam equestrem inauratam, in Rostris collocandam. Phil. 5. FRATRIS,] L. Aemilij Paulli, qui nouam basilicam in foro exstruxerat veterem maiorum suorum instaurarat. ep. 17. lib. IV. ad Att. Plutarchus. VXOR,] M. Bruti soror. SILENTIO] sine bello.

ORATIO

DEinde obsecro vos, P. C. quis hoc vestrum non videt, quod Fortuna ipsa, quae dicitur caeca, vidit? saluis enim actis Caesaris, quae concordiae causſa defendimus, Pompeio sua domus patebit, eamq. non minoris, quam emit Antonius, redimet; redimet, inquā Cn. Pompeii domum filius. orem acerbam. sed haec satis diu multumq. defleta sunt. decreuistis tantam pecuniam Pompeio quantam ex bonis patriis in praedae dissipationem inimicus victor redegisset. sed hanc mihi dispensationem pro paterna necessitudine & coniunctione deposco. redimet hortos, aedes, vrbana quaedam, quae possidet Antonius. nam argentum, vestem, supellectilem, vinum amittet aequo animo quae ille heluo dissipauit. Albanum, Firmanū a Dolabella recuperabit, etiam ab Antonio Tusculanum: biq. qui nunc Mutinā oppugnāt, D. Brutū obsident, de Falerno Anseres depellentur.

lentur. sunt alij plures fortasse: sed mea memoria dilabuntur. ego etiam eos dico, qui hostium numero non sunt, Pompeianas possessiones, quanti emerint, filio reddituros. satis inconsiderati fuit, ne dicam audacis, rem vllam ex illis attingere: retinere vero quis poterit, clarissimo domino restituto? an is non reddet. qui domini patrimonium circumplexus, quasi thesaurum draco, Pompeii seruus, libertus Caesaris, agri Lucani possessiones occupauit? atque illud speties millies, quod adolescenti, P. C. spopondistis, ita describite. vt videatur a vobis Cn. Pompeij filius in patrimonio suo collocatus. haec senatus. reliqua populus R. in ea familia, quam vidit amplissimam, persequetur. in primis paternum auguratus locum: in quem ego eum, vt, quod a patre accepi filio reddam, mea nominatione cooptabo. vtrum igitur augurem Iouis optimi maximi, cuius interpretes internunciiq. constituti sumus, vtrum populus R. libentius sanciet, Pompeium, an Antonium? mihi quidem numine deorum immortalium videtur hoc Fortuna voluisse, vt, actis Caesaris firmis ac ratis, Cn. Pompeii filius posset & dignitatem, & fortunas patrias recuperare.

EXPLANATIO

INIMICVS *victor*] Caesar. SED *hanc*] sed, locum non habet, & ortum est fortasse per errorem ex antecedente syllaba. DE *Falerno*] fundo Cn. Pompeij quem Antonius poetae cuidam, qui Anser vocabatur, eratq. cum ipso Antonio in castris, dono dedit. Seruius PLVRES] qui Pompeij bona tenēt. ILLVD *septies millies*, quod a Caesare ad Opis depositum Antonius abstulit. ADOLESCENTI] Sex. Pompeio, SPOPONDISTIS] non, spopondistis illud septies millies adolescenti: sed, quod vos esse facturos adolescenti spopondistis. refertur enim ad illud, Ita describite. POPVLVS *Romanus*] creabit augurem Sextum in locum patris. Hoc tempore sacerdotia populi suffragijs mandabantur. VT, *quod a patre accepi, filio reddam*,] me enim augurem pater eius nominauit. Phil. 2.

ORATIO

AC *ne illud quidem silentio, P. C. praetereundum puto, quod clarissimi viri, legati, L. Paullus, Q. Thermus, C. Fannius, quorum habetis cognitam voluntatem in remp. eamq. perpetuam, atque cōstantem, nunciant, se Pompeii conueniendi caussa diuertisse Massiliam, eumq. cognouisse paratissimo animo, vt cum suis copiis iret ad Mutinam, ni vereretur veteranorum animos offendere. est vero eius patris filius, qui sapienter faciebat non minus multa, quam fortiter. itaque intelligitis & animum ei praesto fuisse, nec cōsilium defuisse. Atque etiam hoc. M. Lepido prouidendum est, ne quid arrogantius, quam eius mores ferunt, facere videatur. si enim nos exercitu terret, non meminit, illum exercitum senatus, populiq. R. atque vniuersae reip. esse, non suum. at vti potest pro suo. quid tum? omnia ne uiris bonis, quae facere possunt, facienda sunt? etiam, ne, si turpia, si perniciosa erunt? si facere omnino non licebit? quid autem turpius, aut foedius, aut quod minus deceat, quam contra senatum, contra ciues, contra patriam exercitum ducere? quid uero magis uituperandum, quam id facere, quod non liceat? licet autem nemini contra patriam ducere exercitū: siquidem licere id dicimus, quod legibus, quod more maiorum, institutisq. conceditur. neque enim, quod quisque potest, id ei licet: neque si non obstatur, propterea etiam permittitur. Tibi enim exercitum, Lepide, tamquam maioribus tuis, patria pro se dedit. hoc tu arcebis hostem? fine imperii propagabis? senatui, populoq. R. parebis, si quam ad aliam rem te forte transduxerit. haec si cogitas, es M. Lepidus, pontifex maximus, M. Lepidi pontificis maximi, pronepos. sin hominibus tantū licere iudicas, quātum possunt: uide, ne alienis exemplis, hisq. recentibus, uti, quam & antiquis, & domesticis, malle uideare. Quod si auctoritatem interponis sine armis: magis quidem laudo: sed uide, ne hoc ipsum non sit necesse. quamquam enim est tanta in te auctoritas, quanta debet in homine nobilissimo: tamen senatus ipse se non contemnit: nec uero fuit umquam grauior, constantior, fortior, incensi omnes rapimur ad libertatem recuperandam: non potest ullius auctoritate tantus senatus, populiq. R. ardor exstinguis odimus: irati pugnamus: extorqueri de manibus arma non possunt: receptui signum, aut reuocationem a bello audire non possumus: speramus optima; pati uel difficillima malumus, quam seruire. Caesar confecit inuictum exercitū: duo fortissimi consules adsunt cum copiis: L. Planci, consulis designati, uaria, & magna auxilia non desunt: de D. Bruti salute certatur; unus furiosus gladiator cum taeterrimorum latronum manu, contra patriam, contra deos penates, contra aras, & focos, contra quattuor consules gerito bellum. huic cedamus? huius condiciones audiamus? cum hoc pacem fieri posse credamus?*

EXPLANATIO

LEGATI] missi a senatu ad Sextum. VETERANORVM] qui cum Octauiano Mutinam profecti erāt quibus odiosum fuisse Pompeii nomen, verisimile videtur. ALIENIS *exemplis*,] C. Caesaris qui remp. occupauit. Vide, ne malle videaris alienos imitari, quam tuos. QVATTVOR *consules*] Pansam, & Hirtium, gerentes magistratum: Brutum, & Plancum, designatos.

ORATIO

ORATIO

AT periculum est, ne opprimamur. *Non metuo, ne is, qui suis amplissimis fortunis, nisi bonis saluis, frui non potest, prodat salutem suam. bonos cines primum natura efficit, adiuuat deinde fortuna. omnibus enim bonis expedit, saluam esse remp. sed in ijs, qui fortunati sunt, magis id apparet. qui fortunatior Lepido, vt ante dixi? quis eodem senior? vidit eius maestitiam, atque lacrumas populus R. Lupercalibus: vidit, quam abiectus, quam confectus esset, cum Caesari diadema imponens Antonius, seruum se illius, quam collegam, esse malebat. qui si reliquis flagitiis, & sceleribus se abstinere potuisset, tamen vnum ob hoc factum dignum illum omni poena putarem. nam, si ipse seruire poterat, nobis dominum cur imponebat? &, si eius pueritia perulerat libidines eorum, qui erant in eum tyranni; etiam ne in nostros liberos dominum, & tyrannum comparabat? itaque illo interfecto, qualem eum in nos esse voluit, talis ipse in ceteros exstitit. qua enim in barbaria quisquã tam taetar, tam crudelis tyrannus, quam in hac vrbe armis barbarorum stipatus Antonius? Caesare dominante veniebamus in senatum, si non libere, attamen tuto: hoc archipirata, (quid enim dicam, tyranno?) haec subsellia ab Ithyreis occupabantur. prorupit subito Brundisium, vt inde agmine quadrato ad vrbem accederet: lautissimum opidum, nunc municipium, honestissimorum quondam colonorum, Suessam fortissimorum militum sanguine impleuit: Brundisij in sinu non modo auarissimae, sed etiam crudelissimae vxoris delectos Martiae legionis centuriones trucidauit: inde se quo furore, quo ardore ad vrbem, id est ad caedem optimi cuiusque, rapiebat? quo tempore dij immortales ipsi si praedium improuisum nec opinantibus nobis obtulerunt. Caesaris enim incredibilis ac diuina virtus latronis impetus crudeles ac furibundos retardauit: quem tum ille demens laedere se putabat edictis, ignorans, quaecumque falso diceret in sanctissimum adolescentem, ea vere recidere in memoriam pueritiae suae. Ingressus vrbem est, quo comitatu, vel potius agmine? cum dextra, sinistra, gemente populo R. minaretur dominis, notaret domus, diuisurum se vrbem palam suis polliceretur. Redijt ad milites. ibi pestifera illa Tiburi concio. Inde ad vrbem cursus: senatus in Capitolinum; parata de circumscribendo adolescente sententia consularis: cum repente (nam Martiam legionem Albae consedisse sciebat) affertur ei de Quarta nũcius. quo perculsus abiecit consilium referendi ad senatum de Caesare: egressus est non vijs, sed tramitibus paludatus; eoq; ipso die innumerabilia S. C. fecit: quae quidem omnia citius delata, quam scripta sunt. ex eo non iter, sed cursus, & fuga in Galliam. Caesarem sequi arbitrabatur cum legione Martia, cum Quarta, cum veteranis: quorum ille nomen prae metu ferre non poterat: eiq. in Galliã penetranti Decimus se Brutus obiecit: qui se totius belli fluctibus circumuiri, quam illũ aut regredi, aut progredi maluit, Mutinamq. illi exsultanti tamquã frenos furoris iniecit. quam cum operibus, munitionibusq. saepsisset, nec eum florentissimae coloniae dignitas, neque cõsulis designati maiestas a parricidio deterreret: tum, me (testor & vos, & populum R. & omnes deos, qui huic vrbi praesident) inuito, & repugnante, legati missi tres consulares ad latronem M. Antonium, gladiatorũ ducem. quis tam barbarus vmquam? tam immanis? tam ferus? non audiuit, non respondit: neque eos solum praesentes, sed multo magis nos, a quibus illi erant missi, spreuit, & pro nihilo putauit. postea quod scelus, quod facinus parricida non edidit? circumsedit colonos vestros, exercitum populi R. imperatorem, consulem designatum: agros diuexat ciuium optimorum: hostis taeterrimus omnibus bonis cruces, ac tormenta minitatur, cum hoc, M. Lepide, pax esse quae potest? cuius ne supplicio quidem vllo satiari videtur posse populus R. quod si quis adhuc dubitare potuit, quin nulla societas huic ordi populoq. R. cum illa importunissima bellua possit esse: desinat profecto dubitare, his cognitis litteris, quas, mihi missas ab Hirtio cõsule, modo accepi. Eas dũ recito, dumq. de singulis sententiis breuiter disputo, velim P. C. vt adhuc fecistis, me attente audiatis.

EXPLANATIO

LVPERCALIBVS:] idem narrat Phil. 5. NVNC *municipium.*] rectius videtur, Municipium. TRVCIDAVIT:] de hac Antonij crudelitate Phil. 3. RECIDERE *in memoriam pueritiae suae.*] Phil. 3. In Caesarem maledicta congessit deprompta ex recordatione impudicitia, & stuprorum suorum. DE *circumscribendo*] vt Caesar adolescens hostis iudicaretur. Phil. 5. DELATA,] ad erarium. Phil. 3. S. C. numquam facta ad aerarium deferebantur. Phil 12. S. C. falsa delata ab eo iudicauimus. QVAM *scripta.*] scribi solebant in senatu vt supra diximus, deinde aerarium deferri. Antonius, qui abire properaret, ita celeriter ea S. C. ad aerarium detulit, vt delata citius, quam scripta viderentur.

ORATIO

ANTONIVS Hirtio, & Caesari. *Neque se imperatorem, neque Hirtium consulem, nec propraetorem Caesarem. satis hoc quidem scite. deponere alienum nomen ipse maluit, quam illis suum reddere.* Cognita morte C. Treboni, non plus gauisus sũ, quam dolui. *Videte, quid se gauisum, quid doluisse dicat: facilius de pace deliberabitis:* Dedisse poenas sceleratum cineri, atque ossibus clarissimi viri, & apparuisse numen deorũ intra finẽ anni vertentis, aut iã soluto supplicio parricidij, aut impẽdente,

laetandum

aetandum est. *O Spartace, (quem enim te enim te potius appellem?) cuius propter nefaria scelera tolerabilis fuisse videtur Catilina) laetandum esse, ausus es scribere, Treboniũ dedisse poenas: sceleratum Treboniũ? quo scelere, nisi quod te idibus Mart. a debita tibi peste seduxit? Age, hoc laetaris. videamus, quid moleste seras.* Hostem indicatum hoc tempore Dolabellam eo quod sicarium occiderit & videri carorem populo R. filium scurrae, quã C. Caesarem, patriae parentẽ, ingemiscendum est. *Quid ingemiscis, hostẽ Dolabellã iudicatum? quid? te non intelligis, delecta tota Italia habito, consulibus missis, Caesare ornato, sagis denique sumptis, hostẽ iudicatũ? quid est aũt, sceleratе, quod gemas, hostem Dolabellam iudicatum a senatu? quem tu ordinem omnino esse nullum putas: sed eam tibi causam belli gerendi proponis, vt senatũ funditus deleas: reliqui boni, & locupleres omnes summum ordinem subsequantur. At scurrae filium appellat. quasi vero ignotus nobis fuerit splendidus eques R. Trebouij pater. is autem humilitatem despicere audet cuiusquam, qui ex Fadia sustulerit liberos?* Acerbissimum vero est, te, A. Hirti, ornatũ esse beneficij Caesaris & talem ab eo relictum, qualem ipse miraris. *Equidẽ negare non possum, a Caesare Hirtium ornatũ: sed illa ornamenta in virtute, & industria posita lucent. tu vero sibi te ab eodẽ Caesare ornatum negare non potes, quia esses si tibi ille nõ tam multa tribuisset? ecquo te tua virtus prouexisset? ecquo genus? in lustris, popinis, alea, vino tempus aetatis omne cosumpsisses, vt faciebas, cũ in gremijs mimarum mentum, mentemq. deponeres.* & te o puer. *Puerum appellas, quem non modo virum, sed etiam virum fortissimum sensit, & sentiet. est istuc quidem nomen aetatis, sed ab eo minime vsurpandum, qui suam amentiam puero huic praebet ad gloriam.* Qui omnia eius nomini debes. *Debet vero, soluitq. praeclare. si enim ille patriae parens est, vt tu appellas: ego, quid sentiam, videro: cur non hic parens verior, a quo certe vitã habemus, e tuis facinorosissimis manibus ereptam?* Id agere, vt iure damnatus sit Dolabella? *Turpem vero actionem, qua defenditur amplissimi auctoritas ordinis cõtra crudelissimi gladiatoris amentiã.* Et vt venefica haec liberetur obsidione? *veneficã audes appellare eum virum, qui tuis veneficiis remedia inuenit? quem ita obsides noue Hannibal, aut si quis acutior imperator fuit: vt te ipse obsideas, neque te istinc si cupias, possis explicare, recesseris: vndique omnes insequentur. manseris: haerebis. nimirum recte Veneficam appellas, a quo tibi praesentem pestem vides comparatam.* Vtquam potentissimus sit Cassius, atque Brutus. *Putes Censorinum dicere aut Ventidium aut et ipsos Antonios, cur autem nolint potentes esse non modo optimos, & nobilissimos viros, sed secum etiã in reip. defensione coniũctos?* Nimirum eodem modo haec adspicitis, vt priora. *quae tandem?* Castra Pompeij Senatũ appellatis. *An vero tua castia Senatũ appellaremus? in quibus tu es videlicet consularis, cuius totus consulatus est ex omni monumentorum memoria repulsus: duo praetores, sine causa dissisi se aliquid habitu ros. nos enim Caesaris beneficia defendimus, praetorii, Philadelphus Annius, & innocens Gallius: aedilicii, Coricus, laterum, & vocis meae Bestia, & fidei patronus: fraudator creditorum, Trebellius, &, homo diruptus dicuntur Q. Coelius, Columenq. amicorum Antonii, Cotyla Varius: quem Antonius, deliciarum causa, loris in conuiuio caedi iubebat a seruis publicis: septemuirales Lento, Nucula tum deliciae, atque amores populi R. L. Antonius: tribuni primum duo designati, Tullus Hostilius, qui suo iure in porta nomen insc. ipsit; qui cum prodere imperatorem suum non posset, reliquit, alter est designatus, Viseius nescio qui, fortis, vt aiunt, latro, quem tamen temperantem fuisse ferunt Isauri balneatorem, sequuntur alii tribunicii, T. Plancus in primis: qui si senatum dilexisset, numquam curiam intendisset, quo scelere damnatus, in eam vrbem rediit armis, a qua excesserat legibus. sed hoc ei commune cũ plurimis dissimillimis. illud tamen verũ, quod in hoc Planco prouerbii loco vici solet; perire eum non posse, nisi ei crura fracta essent. fracta sunt, & viuit. hoc tamen, vt alio multa, Aquilae fertur acceptum. est etiam ibi Decius, ab illis, vt opinor, Muribus Deciis: itaque, Caesaris munere: Deciorum quidem, multo internallo, per hunc praeclarum virum memoria renouata est. Saxam vero Decidium praeterire qui possum, hominem deductum ex vltimis gentibus? vt eum tribunum pl. videremus, quem ciuem numquam videramus. est quidem alter Sacerna. sed omnes tamen tantam habent similitudinem inter se, vt in eorum praenominibus errem. nec vero Exitius, Philadelphi frater, quaestor, praetermittendus est; ne, si de clarissimo adolescẽte siluero, inuidisse videar Antonio. est etiam Asinius quidam, senator voluntarius, lectus ipse a se. apertam curiam vidit post Caesaris mortem: mutauit calceos: pater conscriptus repente factus est. nou noui Sex. Albedium: sed tamen neminem tam maledicũ offendi, qui illum negaret dignum Antonii senatu, arbitror me aliquos praeteriisse: de iis tamen qui occurrebant, tacere non potui. Hoc igitur fretus senatu, Pompeianum senatum despicit: in quo decẽ fuimus consulares: qui si omnes viuerent, bellum omnino hoc non fuisset, auctoritati cessisset audacia. sed, quãtum praesidii fuerit in ceteris, hinc intelligi potest, quod ego vnus relictus e multis, contudi, & fregi, adiumantibus vobis, exsultantis praedonis audaciã. quod si fortuna nobis modo non eripuisset Ser. Sulpicium, eiusq. collegam ante M. Marcellum, quos ciues? quos viros? si duos consules, amicissimos patriae, simul ex Italia ejectos: si L. Afranium, summum ducem; si P. Lentulum, ciuem cũ in ceteris rebus, tum in salute mea singularẽ; si Bibulũ, cuius est in remp. merito semper laudata constantia; si L. Domicium, praestantissimum ciuẽ; si Ap. Claudium, pari nobilitate, & voluntate praeditum; si P. Scipionem, clarissimum virum, maiorumq. suorum simillimum, resp. tenere potuisset: certe his consularibus non esset Pompeianus despiciendus senatus. Vtrum igitur aequius, vtrum melius reip. fuit Cn. Pompeium, an sectorem Cn. Pompeii viuere Antonium? Qui vero praetorii? quorum princeps M. Cãto, idemque omnium gentium virtute princeps. Quid reliquos clarissimos viros commemorem? nostis omnes. magis vereor, ne longum me in enumerando, quam ne ingratum in praetereundo putetis. Qui aedilicii? qui tribunicii? qui quaestorii? quid multa? talis senatorum & dignitas, & multitudo fuit, vt magna excusatione opus iis sit, qui illa castra non venerunt. Nunc reliqua attendite.* Victum Ciceronem ducẽ habuistis. *Eo libentius ducem audio, qđ certe ille dicit inuitus. nam de victo nihil laboro. fatum enim meum est, siue rep. nec vinci posse, nec vin-*

tere Macedoniam munitis exercitibus, *Et quidē fratri tuo, qui a vobis nihil degenerat extorsimus.* Africam cōmisistis varo bis capto. *Hic cū Caio fratre putat se litigare.* In Syriam Cassium misistis. *Nō igitur sentis, huic causſae orbē terrae parere, te, extra munitiones tuas, vestigiū vbi imprimas non habere?* Cascā tribunatum gerere passi estis. *Quid ergo? vt Marullum, vt Caesetium a rep. remoueremus, eum, per quē, vt neque idē posthac, neque multa huiusmodi accidere possent, consecuti sumus?* Vectigalia Iuliana Lupercis ademistis. *Lupercorum mentionem facere audet? neque illius die memoriam perhorrescit, quo ausus est obrutus vino, vnguentis oblitus, nudus gementem populū R. ad seruitutem cohortari?* Veteranorum colonias deductas lege, & s. c. sustulistis *Nos sustulimus, an cōtra, lege comitys cēturiatis lata sanximus? vide, ne tu veteranos, tamen eos, qui erant perditi, perdideris, in eumq. locū deduxeris, ex quo ipsi iam sentiunt se numquā extituros.* Massilienſibus iure belli adempta reddituros vos pollicemini. *Nihil disputo de iure belli: magis facilis disputatio est, quā necessaria. illud tamen animaduertite, P.C. quam sit huic reip. natus hostis Antonius, qui tantopere eam ciuitatem oderit, quā scit huic reip. semper fuisse amicissimam.* Neminem Pompeianū, qui viuat, tenere lege Hirtia dignitates. *Qui quaeso, iam legis Hirtiae mentionem facit? cuius non minus arbitror latorem ipsum, quam eos, de quibus lata est, paenitere, omnino, mea quidem sentētia, legē illā appellare fas non est: & vt sit lex, non debemus illam Hirtii legē putare.* Appuleiana pecunia Brutum subornatis. *Quid si cōbus suis copiis excellentem virū resp. armasset, quem tandem bonū paeniteret? nec enim sine pecunia exercitū alere, nec sine exercitu fratrē tuū capere potuisset.* Securi percussos Paetum, & Menedemū, cuitate donatos, & hospites Caesaris laudastis. *Non laudamus, quod ne audiuimus quidē. valde enim nobis in tāta perturbatione reip. de duobus nequissimis Graeculis cogitandū fuit.* Theopomptum nudum, expulsum a Trebonio, confugere Alexandriā neglexistis *Magnū crimen senatus: de Theopōpo, summo homine, negleximus: qui vbi terrarū sit, quid agat, viuat denique, an mortuus sit, quis aut scit, aut curat?* Ser. Galbā, eodem pugione succinctū, in castris videtis. *Nihil tibi de Galba respōdebo, fortissimo, & constātissimo ciue: corā aderit: praesens tibi & ipse, & ille, quē insimulas, pugio respondebit.* Milites aut meos, aut veteranos contraxistis, tamquā ad exitium eorum, qui Caesarem occiderant; & eos dē nec opinātes ad quaestoris sui, aut imperatoris, aut cōmilitonum suorū pericula impulistis. *Scilicet verba dedimus, decepimus: ignorabat legio Martia, Quarta ignorabant veterani, quid ageretur, nō illi senatus auctoritatē, aut libertatē populi R. sequebātur? Caesaris mortē vlcisci volebant, quam oēs fatalē fuisse arbitrabantur; te videlicet saluū, beatum, florentē esse cupiebant? o miser cū restū hoc ipso, quod non sentis, quā miser sit. Sed maximū crimen audit.* Denique quid nō aut probauistis aut feceristis? quid faciat, si reuiuiscat. *Quis? credo enim, afferet aliquod scelerati hominis exemplū.* Gn. Pompeius ipse? *o nos turpes, si eidem Cn. Pompeiū imitaturi sumus.* Aut filius eius, si domi possit. *Poterit, mihi crede: nam paucis diebus & in domū & in hortos paternos immigrabit.* Postremo, negatis pacē posse fieri, nisi aut emisero Brutum, aut frumento inuero. *Alii istuc negant: ego vero, ne fi ista quidem feceris, vmquam tecum pacē huic ciuitati futurā puto.* Quid? hoc placet ne veteranis istis? quibus adhuc omnia intregra sunt. *Nihil vidimus integrū, quam vt oppugnarem imperatorem inciperent, quem tanto studio consensuq. offenderint.* Quoniam vos assentationibus, & venenatis muneribus venistis. *Deprauati, aut corrupti sunt, quibus persuasum est, foedissimū hostē iustissimo bello persequi.* At militibus inclusis opem fertis. Nihil moror, eos saluos esse, & ire quolubet, si tātummodo patiū tur perire eum, qui meruit. *Quam benigne; itaque vsi liberalitate Antonii milites imperatorem reliquerunt, & se ad hostē metu perterriti contulerūt: per quos si nō stetisset, non Dolabella prius imperatori suo, quā Antonius etiā collegae parentasset.* Concordiae factam esse mētionem scribitis in senatu & legatos esse consulares quinque difficile est credere, eos, qui me præcipitem egerint, aequissimas cōditiones ferentem, & tamen ex his aliquid remittere cogitantem, putare aliquid moderate aut humane esse facturos. vix etiam verisimile est qui iudicauerint hostem Dolabellam ob rectissimum facinus, eosdem nobis parcere, posse idem sentientibus. *Parum ne videtur omnium facinorum sibi cū Dolabella societatem initam confiteri? non ne cernitis, ex vno fonte omnia scelera manare? ipsa denique fatetur, hoc quidem satis acute, non posse eos, qui hostem Dolabellā iudicauerint ob rectissimum facinus, (ita .n. videtur Antonio) sibi parcere idē sentienti. quid huic facias, qui hæc litteris, memoriaeq. mandarit, ita sibi cōuenisse cū Dolabella, vt ille Treboniū & si posset, et, Brutū, & Cassiū discruciatos necaret, eadēq. adhiberet supplicia nobis? conseruandus ciuis cū tam pio, iustoq. foedere. Is etiā queritur, condiciones suas repudiatas, aequas quidē & verecundas vt haberet Galliam vltimam, aptissimā ad bellum renouandum instruendumq. prouinciam; vt alaudae in tertia decuria iudicarent, idest, vt perfugiū scelerū esset cum turpissimis reip. sordibus; vt acta sua rata esset, cuius nullū remanet consulatus vestigium caue bat et L. Antonio, qui fuerat aequissimus agri priuati, & publici decempedator, Nucula, & Lentone collega.* Quamobrem vos potius animaduertite, vtrū sit elegantius, & partibus vtilius, Trebonij mortē persequi, an Caesaris; & vtrum sit aequius, cōcurrere nos, quo facilius reuiuiscat Pompeianorū causſa toties iugulata, an cōsentire, neludibrio simus inimicis. *Si esset iugulata, numquā exsurgeret: qd tibi, tuisq. contingat. Vtrum, inquit, elegantius. atqui hoc bello de elegātia quaeritur. Et partibus vtilius. partes, furiose, dicuntur in foro, in curia. bellum contra patriam nefarium suscepisti: oppugnas Mutinā: circumsides consulem designatum: bellum contra te duo consules gerunt, cumq. bis propraetor Caesar: cuncta contra te Italia armata est: istas tu partes potius, quam a rep. defectionē, uocas? Potius C. Trebonij mortē, quā Caesaris, persequimur. Trebonii satis persecuti sumus, hoste iudicato Dolabella: Caesaris mors facillime defenditur oblitione, & silentio. Sed videte, quid moliatur. cū mortem Caesaris vlciscendā putat, mortem proponit non iis solū, qui illam rem gesserunt, sed iis etiam, qui non moleste tulerunt.* Quibus, vtri nostrū ceciderūt, lucro futurum

turum est. Quod spectaculũ adhuc ipsa Fortuna vitauit, ne videret vnius corporis duas acies, lanista Cicerone, dimicãtes: qui vsque eo felix est, vt ijsdẽ ornamentis deceperit vos, quibus deceptũ Caesarẽ gloriatus est. *Pergit in mea maledicta. quasi vero ei pulcherrime priora processerint: quem ego iniustum verissimis maledictorum notis tradam hominum memoriae sempiternae. Ego lanista? & quidem non insipiẽs: deteriores enim singulari cupio, meliores uincere. Vtri ceciderint, scribit lucro nobis futurum. O praeclarum lucrum, quo ste victore, quod dij omen auertant, beata mors eorum futura sit, qui e vita excesserint sine tormentis. A me deceptos aiz eisdem ornamentis Hirtium, & Caesarem, quod, quaeso, adhuc a me est tributum Hirtio ornamentum? nã Caesari plura, & maiora debentur. Deceptum autẽ patrem a me Caesarem dicere audes? tu, tu, inquam, illum occidisti Lupercalibus: cuius homo ingratissime flaminium cur reliquisti? Sed iam videte magni, & clari viri admirabilem grauitatem, atque constantiam.* Mihi quidem constat, nec meã contumeliam, nec meorũ ferre, nec deserere partes, quas Pompeius odiuit, nec veteranos sedibus suis moueri pati, nec singulos ad cruciatũ trahi, nec fallere fidem, quam dedi Dolabellae. *Omitto alia: fidẽ Dolabellae, sanctissimi uiri, deserere homo pius non potest. quam fidem? an optimi cuiusque caedis, vrbis, & Italiae partitionis, suis dandarum diripiendarumq. prouinciarum? nam quid erat aliud, quod inter Antonium, & Dolabellam, impurissimos patricidas, foedere, ac fide sanciretur?* Nec Lepidi societatem violare, piissimi hominis. *Tibi cum Lepido societas? aut cum illo, non dicam bono ciue, sicut ille est, sed homine sano? id agis, ut Lepidũ aut impium, aut insanum existimari velis. nihil agis. quamquam affirmare de altero difficile est, de Lepido praesertim, quem ego metuam numquã, bene sperabo, dum licebit. reuocare te a furore Lepidus voluit, non adiutor esse dementiae. tu porro ne pios quidem, sed piissimos quaeris: &, quod verbum omnino nullum in lingua Latina est, id propter tuam diuinam pietatem nouum inducis.* Nec Plancum prodere participem consiliorum. *Plancum participem? cuius memorabilis ac diuina virtus lucem affert reip. nisi forte subsidio tibi venire arbitraris cũ fortissimis legionibus, magno equitatu, peditatuq. Gallorum: quique, nisi ante eius aduentum reip. poenas dederis, ille huius belli feret principatum. quamquam enim prima praesidia utiliora reip. sunt, tamen extrema sunt gratiora. Sed iam se colligit, & ad extremũ incipit philosophari.* Si me rectis sensibus eũtem dij immortales, vt spero, adiuuerint; viuam libenter. sin autem aliud me fatũ manet; praecipio gaudia suppliciorum vestrorũ. nãque, si victi Pompeiani tam insolentes sunt; victores quales futuri sint, vos potius experiemini. *Praecipias licet, gaudia. nõ enim tibi cum Pompeianis, sed cũ vniuersa rep. bellum est. omnes te dij, homines; summi, medii, infimi; ciues, peregrini; viri, mulieres; liberi, serui oderunt. sensimus hoc nuper falso nuncio, uero propediem sentiemus. Quae si tecum ipse recolis, aequiore animo, & maiore consolatione moriere.* Denique summa iudicij mei spectat huc, vt meorum iniurias ferre possim, si aut obliuisci velint ipsi feciſſe, aut vlciſci parati sint vna nobiscũ Caesaris mortem. *Hac Antonii sentẽtia cognita, dubitaturos ne A. Hirtium, C. Pansam consules putatis, quin ad Antonium transeant? Brutum obsideant? Mutinam expugnare cupiant? quid de Pansa, & Hirtio loquar? Caesar, singulari pietate adolescens, poterit se tenere, quin D. Bruti sanguine poenas patrias persequatur? itaque fecerunt, vti, his litteris lectis, ad munitiones propius accederent. quo maior adolescens Caesar, maioreq. deorum immortalium beneficio reip. natus est, qui nulla specie paterni nominis, nec pietate adductus vmquam est. intelligit maximam pietatem conseruatione patriae contineri. quod si partium certamen esset, quarum omnino nomen exstinctum est: Antonius ne potius, & Ventidius partes Caesaris defenderent, quam primum Caesar, adolescens summa pietate, & memoria parentis sui, deinde Pansa, & Hirtius, qui quasi cornua duo tenuerunt Caesaris, tum, cũ illae vere partes vocabantur? hae vero quae sunt partes, cum alteris senatus auctoritas, populi R. libertas, reip. salus proposita sit, alteris caedes bonorum, vrbis, Italiaeq. partitio? Veniamus aliquando ad clausulam.* Legatos venire non credo. *Bene me nouit. bellũ quo ueniat. proposito praesertim exemplo Dolabellae. sanctiores erunt, credo, iure legati, quam duo consules, contra quos arma fert; quam Caesar, cuius patris flamẽ est; quam consul designatus, quem oppugnat; quam Mutina, quam obsidet; quam patria, cui ignem ferrumq. minitatur.* Cum uenerint; quae postulent cognoscam. *Quin tu ab is in malam pestem, malumq. cruciatum. ad te quisquam veniat, nisi Ventidij similis? oriens incendium qui restinguerent, summos viros misimus; repudiasti: nunc in tantam flammam, tamq. inueteratam mittamus, cum locum tibi reliquum nõ modo ad pacem, sed ne ad deditionem quidem feceris? Hanc ego epistolã P. C. non quo illum dignum putarem, recitaui; sed vt confessionibus ipsius omnia patefacta eius parricidia videretis.*

EXPLANATIO

ANNI *vertentis,*] vertentem annum decem mensium fuisse, Varro, Suetonius, Censorinus, alij prodiderunt. SEDVXIT] ep. ad Trebonium, lib. 16. Quod vero a te, viro optimo, seductus est, tuoq. beneficio adhuc viuit haec pestis: interdum, quod mihi vix fas est, tibi subiiscor. Ex *Fadia*] libertini hominis filia. Phil. 2. & 3. MENTVM, *mentemq.*] παράγραμμα Graeci vocant, cum vnius litterae mutatione sententiae lepos acquiritur. infra: Homo dirutus diruptusq. PVERVM *appellat, quem non modo virum, sed etiam fortissimũ virum sensit, & sentiet.*] modus amplificandi, vt pro Domo: Quẽ electũ esse vniuersus senatus nõ modo ciuẽ, sed egregiũ ciuẽ semper iudicauit. Or. 2. in Rullũ: Totus ager cãpanus colitur & possidetur a plebe & a plebe optima & modestissima. SI *quis acutior*] a contrario sensu, minime enim acutus, qui alterum ita obsideat, vt obsideatur ipse, neque se ab obsidione, si cupiat, possit explicare. VT PRIORA] quae pro ijs feciſtis, qui me oderunt. atque insequun-

tur, cupidum vlciscendae Caesaris necis. Duo *praetores*,] Censorinus & Ventidius: quos paullo ante, vt inter amicos Antonij ceteris omnibus dignitate praestantes, nominauit. ALIQVID] ex beneficijs Caesaris. PHILADELPHVS *Annius*,] libenter distinguerem: vt duo sint infra, Exitij frater Philadelphus appellatur qui si frater germanus aut patruelis fuit; non Anniae gentis sed Exitiae fuerit, necesse est. Annius autem, qui cum Antonio fuit, non Philadelphi, sed Cimbri cognomine vsus est. vide Phil. 11. INNOCENS] minime innocens. GALLIVS:] fuit in Antonij partibus M. Gallius, Suetonio in Augusto, & Appiano lib. III auctoribus. LATERVM, *& vocis meae*] quis non videt, haec ad Bestiam, non ad Coricum, esse referenda? accusatus est enim Bestia de ambitu, defensusq. a Cicerone: vt in ep. 3. lib. ad Q. fr. Damnatum existimo ex ijs verbis Phil. 11. Quam absurdum, qui praetor fieri non potuerit, eum petere consulatum? nisi forte damnationem pro praetura putat. Omnino verbū aliquod & fortasse testis, desiderari crediderim: vt sit: Laterum, & vocis meae testis Bestia. FIDEI *patronus*.] de Trebellio dictum: qui cum oppugnanda lege de tabulis nouis, quam Dolabella tribunus pl. ferebat, fidei se patronum professus esset, postea creditores ipse fraudauit. Phil. 6. Ofides: hoc enim puto Trebellium sumpsisse cognomen quae potest esse maior fides, quam fraudare creditores? domo profugere? propter aes alienum ire ad arma? DIRVPTVS, *dirutusq.*] παρέγραμμα, vt supra, Mentū, mentemq Diruptus: morbo haerniae. Dirutus; aere alieno. In Verr. Aere alieno dirutus est. COTYLA *Varius*,] hominem aedilicium Cotylam vocat Phil. 8. DELICIARVM *caussa*] vt ei delicias faceret. Iniuriam Antonij quasi studium in Cotylam nominat. idem Phil. 8. POPVLI *Romani*] qui statuam ei posuit. Phil. 6. IN *porta*] quae Hostilia dicebatur. iure igitur quodam suo in porta nomen suum inscripsit. IMPERATOREM *suum*] Caesarem adolescentem, aut D. Brutum, potius, quam Hirtium. TEMPERANTEM] aquam temperant balneatores. balneator autem fuerat Viscius, quem cum latronem Cicero appellasset; quasi probrum emendare cupiens, subiunxit: Quem tamen temperantem. vt laudem temperantiae. conferre in eum videatur: cum ignobilitatem, vitaeq sordes obijciat. ALII *tribunicii*,] tribunus pl. fuit Plancus, quo anno Clodius a Milone occisus est: auctorq. fuit, vt Clodij corpus in curia plebs cremaret: quo incendio curia quoque ipsa conflagrauit. eo crimine lege Pompeia de vi damnatum Caesar restituit. Phil. 10. 11. AQVILAE *fertur acceptum*.] qui eum, crure fracto, Polentia expulit. Phil. 11. MVRIBVS] Mus, Deciae gentis cognomen fuit. Liuius, Frontinus de aquae ductibus fasti Capitolini. CAESARIS *munere*.] qui eum exsulem restituit fortasse etiam in senatum allegit. SAXAM *vero Decidium*] nominatur & supra saepe, & a Caesare lib. 1. bel. ci. & ab Appiano in Syriaco. Ex *vltimis gentibus*?] ex vltima Celtiberia dixit Phil. 11. Accedit, inquit. Saxa nescio quis, quem nobis Caesar ex vltima Celtiberia tribunum pl. dedit, castrorum antea metator, nunc vt sperat, vrbis. ALTER] alter duobus dici constat: erant autem duo Safernae fratres, quos nominat is, qui bellum Caesaris Africanum composuit. eorum alter Antonium in Galliam secutus est. VT *in eorum praenominibus errem*.] ideo ijs non vtitur. solis enim Coelio, & Planco addit praenomina. MVTAVIT *e. leeos*:] calcei senatorij differebant a cōmunibus. NEMINEM *tam maledicum offendi*,] quē laudare videtur, vituperat, ioci & argutiae caussam quaerens ex Antonij senatu. Maledici homines detrahunt: sed Aledius is vir est, vt neminem tam maledicum inuenerim, qui negaret Antonij senatu dignum esse. qualis autem Antonij senatus esset mentio eorum, qui cum eo erant in ijsdem castris, per picue demonstrauit. DECEM *fuimus consulares*:] vndecim cū ipso infra nominātur. IN *ceteris*] cōsularibus, qui erant in senatu Pompeiano. DVOS *consules*.] C. Marcellū L. Lentulū, Pompeij comites, vrbem primum, deinde Italiam relinquentis. VARO *bis capto*.] Sex. Quinctilio Varo, quem Caesar semel Corfinij ceperat, iterum, opinor, in Africa, deuicto Scipione. nam in Africa fuit cū Accio Varo quo tempore C. Curio cū exercitu caesus est: nec fortasse post illam victoriam ex Africa discesserit, donec renouato in ea prouincia bello duce Pompeij socero Scipione, Caesar, traiectis eo copijs, eadem fortuna vsus, aduersarios deuicit. CVM *Caio fratre*] ita nobiscum queritur, quasi cum sui simillimo Caio fratre litiget: auctoritatis, dignitatisq. nostrae rationem nullam habet. CASCAM] Seruiliū Cascam, vnum e Caesaris percussoribus. VT *Marullum, vt Caesetium*,] tribunos pl. quos Caesar a repremouerat quia, cū statuae suae coronam laureā fascia candida praeligatā nescio quis e turba imposuisset, fasciam detrahi hominemq. duci in vincula iussissent. Suetonius, Plutarchus, Appianus, Dio. VT *neque idem hoc*] ne accidere posset id, quod acciderat Marullo, & Caesetio quos Caesar potestate priuauerat. CONSECVTI *sumus*?] Cæsarem enim occidit. VECTIGALIA *Iuliana Lupercis ademistis*.] Lupercis vectigal Caesar dederat, eo mortuo senatus ademit. vtrum autē vectigal illud omnibus Lupercis vectigal Caesar dederat, eo mortuo senatus ademit, vtrum autem vectigal illud omnibus Lupercis, an ijs tantum, quos ad eius honorē decretos esse Suetonius, & Dio narrant. Caesar constituerit, exploratū nō habeo tantū illud cōstat, Iuliana vectigalia recte dici, quia sint a Iulio Caesare data recitat enim Nonius haec verba Ciceronis ex epistola ad Caesarem iuniorē: Cū constet, Caesarē Lupercis id vectigal dedisse. ILLIVS *diei*] de Antonio consule Luperco diadema Caesari imponente, deq. eius ad populum concione, vide Phil. 2. DEDVCTAS *lege*,] lege Caesaris, ipso viuo. LEGE *comitiis centuriatis lata*,] a Pansa consule, vt omnia Caesaris acta, non coloniae tantum ab eo deductae, rata essent. Phil. 10. Scilicet hoc Pansa aut non videt, (hebeti enim ingenio est) aut negligit: quae enim Caesar egit, ea rata esse non curat: de quibus confirmandis, & sanciendis legē comitijs cēturiatis ex auctoritate nostra laturus est. TAMEN *eos qui erant perditi*.] qui te secuti sunt. IN *eūq. locum deduxeris*,] non quod ad Mutinam deducti essent: sed, in eum locum ideſt in eum errorem: quo modo dixit Coelius in ep. ad Cic. Mi Cicero cogita, ne te sciens, prudensq. eo demittas, vnde exitum vides nullum

lum esse. ADEMPTA] a Caesare, bello victis. FACILIS] iniustum fuisse bellum illud significat cur autem quod iniustum bellum fuit, eo bello adempta victis non reddantur? facilis haec quidē disputatio, sed omittatur, quia non necessaria. NON *debemus illam Hirtij legem putare.*] sed Caesaris, cuius eam iussu tulerit Hirtius praetor. BRVTVM] Marcum Phil. 11. De M. Appuleio separatim censeo referendum: cui testis est per litteras M. Brutus eum principem fuisse ad conatum exercitus comparandi. SECVRI *percussos*] fortasse a M. Bruto qui erat in Graecia: & hi Graeculi vocantur. SER. *Galbam*:] vnum ex ijs qui Caesarem occiderunt, Sulpiciae gentis, proauum, teste Suetonio, Galbae imperatoris. eius exstat lib. x. ad Ciceronem epistola de proelio ad Mutinam commisso. EODEM *pugione*] quo Caesarem, percussit. CONTRAXISTIS,] Hirtium alloquitur, & Caesarem, sed Caesarē praecipue, qui veteranos contraxerat, & ad quem legio Martia, & Quarta contraxerat. QVAESTORIS *fuit*:] quaestor Caesaris Antonius fuerat in Gallia. Phil. 2. IMPERATORIS,] dux eorum ciuili bello fuerat Antonius: cui Pharsalica etiam pugna sinistrum cornu Caesar praebuit. COMMILITONVM *suorum*] eorum veteranorum qui mecum sunt. IGNORABANT *veterani*.] nesciebant videlicet, armari se contra tuos perditos conatus reip. caussa. Haec omnia cum ironia potius, meo quidem iudicio, quam cum interrogatione, sunt pronuncianda. O. MISER *cum re, tum hoc ipso, quod non sentis, quam miser sis.*] similiter Phil. 2. Omiserum, siue illa tibi nota non sunt; nihil enim boni nosti; siue sunt, qui apud tales viros tam impudenter loquare. Et in eadem infra: Omiserum te si intelligis, miseriorem. non intelligis hoc litteris mandari, hoc memoriae prodi. QVIBVS *adhuc omnia integra sunt.*] nondum enim contra me in aciem descenderunt: licet ijs, vtram velint, partem adhuc se qui. Refellit hoc Cicero, & ostendit, ijs qui Antonium tanto studio, consensuq. reliquerint. integra iam omnia non esse: vnum quidem illud vere integrum ijs esse, vt ipsum Antonium oppugnare incipiant, quem iam transeuntes ad Caesarem offenderint. Sic enim lego, non vt alij, defenderint. quod ad D. Brutum referri non potest: quem veterani armis defendere nondum coeperant. nondum enim, Mutinam peruenerant. infra. Quod spectaculum adhuc ipsa fortuna vitauit. ASSENTATIONIBVS,] senatus. VENENATIS *muneribus*] honoribus, qui exitio vobis erunt. IMPERATOREM] D. Brutum. RELIQVERVNT.] ironia. NON *Dolabella prius imperatori suo,*] non prius Dolabella imperatori suo Caesari Trebonij nece parentasset, quam Antonius eidem Caesari, collegae suo, D. Bruto interfecto. CONDICIONES] quae Phil. 8. Exponuntur. PVTARE] hoc abundat, cum dixerit, Credere. CVM *turpissimis reip. sordibus*] cum summo reip. dedecore hoc enim dici arbitror. PRIVATI] quo maior iniquitas. propterea Phil. 5. ita censuit Cicero, Vti C. Pansa, A. Hirtius consules, alter, ambo ve rationem agri habeant qui sine iniuria priuatorum diuidi possit. DECEMPEDATOR, decempeda agros metiebantur, & diuidebant Phil. Quam iam, peritus metator & callidus decempeda sua Saxa diuiserat. PERSEQVIMVR.] nihil muto est enim ex Antonij verbis deducta sententia. SILENTIO.] satis est non laudari eos, qui pulcherrimum illud facinus conscium erunt. LANISTA *Ciceronem*,] quasi ciues ita inter se committeret vt lanista gladiatores, eorum magister. O PRAECLARVM *lucrum*,] lucrum nobis esse non potest victore te. cuius tanta crudelitas est vt eorum beata mors futura sit qui e vita excesserint sine tormentis. LVPERCALIBVS:] quo die tu illum diademate impositio, quantum in te fuit, regem constituisti. Phil. 2. 3. FLAMINIVM *cur reliquisti?*] legimus Phil. 2 flaminem Caesaris, quem senatus ei tamquam deo decreuit M. Antonium fuisse. legimus & Phil. 11. cum L. Valerius Flaccus consul idemq flamen Martialis, ad bellum iturus esset, P. Crassum, eius collegam, qui pontifex max. erat multam dixisse, si a sacris discessisset, flaminemq. pontifici iussu populi paruisse. Cur tum igitur, inquit Cicero, flaminio Caesaris relicto, ad bellum profectus es? SEDIBVS *suis*] agris a Caesare assignatis. hoc ad conciliandos sibi veteranorum omnium animos: cum reuera de ijs tantum laboraret, qui cum ipso erant. METVAM *numquam*,] numquam fore credam socium furoris tui. aut nobiscum erit, aut quiescet. Vel, Metuam numquam. quia non is est qui nocere posse videatur. REVOCARE *te a furore Lepidus voluit*,] cum de pace egit. PROPTER *tuam diuinam pietatem*] quasi tibi nouum verbum ab ea virtute liceat deducere, qua tu praeter ceteros excellis. PLANCVM] L. Plancum, consulem designatum qui Galliam vlteriorem regebat Phil. 5. VOS *potius*] vos Caesariani. nam Hirtium, & Caesarem adolescentem alloquitur. PRAECIPIAS, *licet, gaudia.*] Antonij verba ad aliam sententiam Cicero conuertit. ille scripserat: Praecipio gaudia supplicatorum verstrorum. Hoc Cicero non confirmat: male enim ominaretur Hirtio, & Caesari: sed eum praecipere gaudia vult, quia cum vniuersa rep. non cum Pompeianis, vt ille significauerat bellum gerat: quo victus, aequiore animo, & maiore consolatione moriatur. C. PANSAM] ergo Pansa ab vrbe discesserat, vt se cum Hirtio, & Caesare coniungeret. PATRIAS] patris sui, a Decimo interfecti. BENE *me nouit.*] ipsum enim cum P. Seruilio senatus legatum delegerat. BELLVM *quo veniat.*] putat me non iturum esse, quo bellum erat. in quo bene me nouit. EXEMPLO *Dolabellae.*] qui per summum scelus summamq. perfidiam Trebonium proconsulem occidit.

ORATIO

CVm hoc pacem M. Lepidus, vir ornatissimus omnibus & virtutis, & fortunae bonis, si haec videret, denique aut vellet, aut fieri posse arbitraretur; prius vndis flamma, vt ait poeta nescio quis, prius denique omnia,

nia, quam aut cum Antonijs resp. aut cum rep. Antonij redeant in gratiam. monstra quaedam sunt ista, & portenta, & prodigia reip. moueri sedibus suis huic vrbi melius est, atque in alias si fieri possit, terras demigrare, vnde Antoniorum nec facta, nec nomen audiat, quam illos, Caesaris virtute eiectos, Bruti retentos, intra haec moenia videre. optatissimum est, vincere: secundum est, nullum casum pro dignitate, & libertate patriae non ferendum putare. quod reliquum est, non est tertium. sed postremum omnium, maximam turpitudinem suscipere, vitae cupiditate. Quae cum ita sint; de mandatis, litte risq; M. Lepidi, viri clarissimi, Seruilio assentior; & ho amplius censeo: Magnum Pompeium Cn. F. pro patris maiorumq. suorum animo, studioq. in rem. suaq. pristina virtute, industria, voluntate fecisse, quod suam, eorumque, quos secum haberet, operam senatui, populoq. R. pollicitus esset; eamq. rem senatui, populoq. R. gratam, acceptamq. esse; eiq. honori, dignitatiq. eam rem fore. hoc vel coniungi cum hoc S.C. licet, vel seiungi potest, separatimq. perscribi. vt proprio S.C. Pompeius collaudatus esse videatur.

EXPLANATIO

FLAMMA,] misceatur. NEC *facta, nec nomen audiat.*] sumpsit a vetere poeta vt in ep. ad Curium: Hinc euolare cupio, & aliquo peruenire, vbi nec Pelopidarum nomen, nec facta audiam. EIECTOS,] quia metu Caesaris Octauiani, ad quem duae iam legiones: Martia, & Quarta, transierant, vrbem reliquit Antonius. RETENTOS,] quia Mutinensi obsidione implicatus, discedere sine periculo non potest. supra: Eiq. in Galliam penetranti Decimus se Brutus obiecit: qui se totius belli fluctibus circumiri, quam illum aut regredi, aut progredi maluit, Mutinamq. illi exsultanti tamquam frenos furoris iniecit. QVOS *secum haberet,*] hic malim, Habet: & infra, Pollicitus est. CVM *hoc S.C.*] de litteris Lepidi.

IN



IN. QVARTAMDECIMAM

M. TVLLII. CICERONIS

PHILIPPICAM

PAVLLI. MANVTII

COMMENTARIVS

ARGVMENTVM

ALlatis de proelio ad Mutinam commisso, Antonioq. victo litteris consulum, & Caesaris M. Cornutus, praetor vrbanus, qui consulare munus, absentibus consulibus, more maiorum sustinebat, cum senatuu vocasset, easq. litteras recitasset, sententias rogauit. quid alij censuerint, qui ante Ciceronem rogati sunt, obscurum est: vnus tamen ex ijs, redeundum, sagis depositis, ad togas, idemq. fortasse, decernendam consulibus, & Caesari supplicationem, censuit. Sententia vero Ciceronis haec fuit: non esse mutandum vestitum, nisi D. Bruto, cuius caussa saga sumpta essent, liberato: Antonium, quique vna essent, hostes iudicandos: supplicationem quinquaginta dierum communiter tribus ducibus decernendam: milites eos, qui pro repub. pugnantes interierunt, monumento quam amplissimo cohonestandos, quaeq. ijs praemia senatus promiserat, ea parentibus, liberis, coniugibus, fratribus eorum persoluenda.

IN. M. ANTONIVM PHILIPPICARVM LIBER. QVARTVSDECIMVS.

ORATIO. LVI.

SI, vt ex litteris, quae recitatae sunt, P. C. sceleratissimorum hostium exercitutum, fusum, caesumque cognoui, sic id, quod & omnes maxime optamus, & ex ea victoria, quae parta est, consecutum arbitramur, D. Brutum egressum iam Mutina esse cognouisse: propter cuius periculum ad sagaissemus, propter eiusdem salutem redeundum ad pristinum vestitum sine vlla dubitatione censerem. ante vero quã sit ea res, quam auidissime ciuitas exspectat, allata; laetitiae vsus satis est maximae praeclarissimaeq. pugnae; reditum ad vestitum confectae victoriae reseruate. confectio autem huius belli est D. Bruti salus. quae autem est ista sententia. vt in hodiernum diem vestitus mutetur, deinde cras sagati prodeamus? nos vero cum semel ad eum, quem cupimus optamusque, vestitum redierimus, id agamus, vt eum in perpetuum retineamus. nam hoc quidem cum turpe est, tum ne ayis quidem immortalibus gratum, ab eorum aris, ad quas togati adierimus, ad saga sumenda discedere. atque animaduerto, P. C. quosdam huic fauere sententiae: quorum ea mens, idq. consilium est, vt, cum videant gloriosissimum illum D. Bruto futurum diem, quo die propter eius salutem redierimus ad vestitum, hunc ei fructum eripere cupiãt, ne memoriae posteritatiq. prodatur, propter vnius ciuis periculũ populũ R. ad saga isse, propter eiusdem salutem rediisse ad togas. tollite hanc, nullam tã prauae sententiae causam reperietis. vos vero, P. C. conseruate auctoritatem vestram: manete in sententia: tenete vestra memoria, quod saepe ostẽdistis, huius totius belli in vnius viri fortissimi & maximi vita positum esse discrimen. ad D. Brutũ liberandum legati missi principes ciuitatis, qui illi hosti, ac parricidae denunciarent, vt a Mutina discederet: eiusdem D. Bruti conseruandi gratia consules sortiti; ad bellum profectus A. Hirtius: cuius imbecillitatem valetudinis animi virtus, & spes victoriae confirmauit: Caesar, cum exercitu per se comparato, tum primis pestibus remp. liberasset, ne quid postea sceleris oriretur, profectus est ad eundem Brutum liberãdum, vicitq. dolorem aliquem domesticũ patriae caritate, quid C. Pansa egit aliud delectibus habendis, pecunijs comparandis, S. C. faciendis grauissimis in Antonium, nobis cohortandis populo R. ad causam libertatis vocando, nisi vt D. Brutus liberaretur? a quo populus R. frequens ita salutem D. Bruti vna voce depoposcit, vt eam non solum commodis suis, sed etiam necessitati victus anteferret. quod sperare nos quidem debemus, P. C. aut inibi esse, aut iam confectũ; sed spei fructũ rei cõuenit. & euentui reseruari, ne aut deorũ immortaliũ beneficium festinatione praeripuisse, aut vim fortunae stultitia contempsisse videamur sed, quoniã significatio vestra satis declarat, quid hac de re sentiatis; ad litteras veniam quae sunt a consulibus, & a propraetore missae; si pauca ante, quae ad ipsas litteras pertineãt, dixero. Imbuti sanguine gladii, P. C. legionum, exercituumq. nostrorum, vel madefacti potius, duobus consulum, tertio Caesaris proelio. si hostium fuit ille sanguis, summa militum pietas; nefarium scelus, si ciuium. quo usque igitur is, qui omnes hostes scelere superauit, nomine hostis carebit? nisi mutrones etiam nostrorum militum tremere vultis, dubitantes, vtrum in ciue, an in hoste figantur.

EXPLANATIO

VTVM *primis pestibus remp. liberasset.*] particula, Tum, satis mihi videtur otiosa: & malim reponere, Cum consentientibus aliquot antiquis libris: vt ita legatur, & distinguatur: Caesar cum exercitu per se comparato, cum primis pestibus remp. liberasset ne quid. &c. Primas pestes vocat, Antonij reditum a Brundisio. VEL *madefacti potius*] minus est, Madefacti quam, Imbuti. correctione vsus est, vt legionum gladios nondum satiatos esse ostenderet hostium sanguine.

ORATIO

SVPPICATIONEM *decernitis: hostem non appellatis. gratae vero nostrae diis immortalibus gratulationes erunt: gratae victimae, cum interfecta sit ciuium multitudo. de improbis inquit, & audacibus. nam sic eos appellat clarissimus vir. quae sunt vrbanarum maledicta litium, non inustae belli internecini notae. testamenta, credo, subiiciunt, aut eiiciunt vicinos, aut adolescentulos circumscribunt: his enim vitiis affectos, &*

Landesbibliothek Oldenburg

ctos, & talibus, malos, & audaces appellare consuerudo solet. bellum expiabile infert quattuor consulibus vnus omnium latronum tacetvimus: gerit idem bellum cum senatu, populoq. R. omnibus, quamquam ruit ipse suis cladibus, pestem, vastitatem, cruciatum, tormenta denunciat: Dolabellae ferum & immane facinus quod nulla barbaria posset agnoscere, id suo consilio factum esse testatur: quaeq. esset facturus in hac vrbe, nisi eum hic ipse Iuppiter ab hoc templo, atque moenibus repulisset, declarauit in Parmensium clamitate, quos optimos vivos, honestissimosq. homines, maxime cum auctoritate huius ordinis, populiq. R. dignitate coniunctos, crudelissimis exemplis interemit, proludium illud, & portentum, L. Antonius, insigne odium omnium hominum, vel, si etiam dij oderint, quos oportet, omnium deorum. Refugit animus, P. C. eaq. dicere reformidat, quae L. Antonius in Parmensium liberis, & coniugibus effecerit. quas enim turpitudines Antonij libenter eum dedecere habuerunt, easdem per vim lacerant aliis se intulisse. sed vis calamitosa est, quam illis intulerunt; libido flagitiosa, qua Antoniorum oblita est vita. Est igitur quisquam, qui hostes appellare non audeat, quorum scelere crudelitatē Carthaginiensium victam esse fateatur? qua enim in vrbe tam immanis Hannibal capta, quam in Parma surrepta Antonius? nisi forte huius coloniae, & ceterarum, in quas eodem est animo, non est hostis Antonius putandus. si vero coloniarum, & municipiorum sine vlla dubitatione hostis est, quid tandem huius censetis vrbis? quam ille ad explendas egestates latrocinii sui concupiuit: quam iam peritus metator & callidus decempeda sua Saxa diuiserat.

EXPLANATIO

SANGVINE] militum Antonij, CLARISSIMVS *vir.*] qui supplicationem decreuerat: P. Seruilius, vt infra. INTERNECINI] capitalis, exitiosi, in quo non, vtri vincant, sed vtri sint, agitur: salus ipsa petitur, non imperium, aut gloria. QVATIVOR *consulibus*] Pansae, & Hirtio, consulatum gerentibus Bruto, & Planco consulibus designatis. QVAMQVAM *ruit ipse suis cladibus,*] quamquam, quas nobis denunciat clades, iis ipse ruit. Faernus aliter: non disputo quam recte; tantum dico, non libenter me facere, vt, cum antiquis libris congruente sententia, mutationem quaeram. QVOD *nulla barbaria possit agnoscere,*] quod ipsis etiam barbaris nimium crudele videatur. Vsitatum loquendi genus. HIC *ipse Iuppiter*] cuius in templo senatus habebatur. infra: Hostes nefarios, huic Ioui maximo, ceterisq. deorum immortalium templis, vrbis tectis, libertati populi Romani, nostrae vitae sanguiniq. imminentes prostrauit, fudit, occidit. CRVDELISSIMIS *exemplis interemit,*] is tormentis excruciatos quas exemplo esse possint. Terentius in Eun. vterque in te exempla edent. Caesar bel. Gal. lib. 1. In eos omnia exempla cruciatusq. edere. PROLVDIVM] assentior Ferrario propudium, non proludium, probanti. PERITVS *metator,*] castrorum. Phil 11. Accedit Saxa nescio quis, quem nobis Caesar ex vltima Celtiberia tribunum pl. dedit, castrorū antea metator, nunc, vt sperat, vrbis.

ORATIO

RECORDAMINI *per deos immortales, P. C. quid hoc biduo timuerimus, a domesticis hostibus rumoribus improbissimis dissipatis. quis liberos, quis coniugem adspicere poterat sine fletu? quis domum? quis tecta? quis larem familiarem? iam aut foedissimam mortem omnes, aut miserabilem fugam cogitabant. haec a quibus timebantur, eos hostes appellare dubitamus? grauius si quis attulerit nomen, libenter assentiar: hoc vulgari contentus vix sum, leuiore non vtar. itaque, cum supplicationes iustissimas ex iis litteris, quae recitatae sunt, decernere debeamus, Seruiliusq. decreuerit; augebo omnino numerum dierum, praesertim cum communiter tribus ducibus sint decernendae; sed hoc primum faciam, vt imperatores appellem eos, quorum virtute, consilio, felicitate maximis periculis seruitutis, atque interitus liberati sumus. etenim cui viginti his annis supplicatio decreta est, vt non imperator appellaretur, aut minimis rebus gestis, aut plerumque nullis? quamobrem aut supplicatio ab eo, qui ante dixit, decernenda nō fuit; aut vsitatus honos, peruulgatusq. tribuendus iis, quibus etiam noui, singularesq. debentur. at, si quis Hispanorum, aut Gallorum, aut Thracum mille, aut duo millia occidisset, non eum hac consuetudine, quae increbuit, imperatorem appellaret senatus? tot legionibus caesis, tanta multitudine interfecta, hostium dico, an, inquam, hostium, quamuis hoc isti hostes domestici nolint, clarissimis ducibus supplicationis honorem tribuemus, imperatorum nomen adimemus? quanto enim honore, laetitia, gratulatione in hoc templū ingredi debent illi ipsi huius vrbis liberatores, cum hesterno die propter eorum res gestas me ouantem & prope triumphantem populus R. in Capitolium domo tulerit, domum inde reduxerit? is enim demum est mea quidem sententia iustus triumphus, ac verus, cum bene de rep. meritis testimonium a consensu ciuitatis datur. nam, siue in communi gaudio populi R. vni gratulabantur, magnum iudicium: siue gratias agebant, eo maius: siue vtrumque, nihil magnificentius excogitari potest.*

EXPLANATIO

QVID *hoc biduo timuerimus,*] rumore de Antonij victoria ab eius amicis dissipato. HAEC *a quibus timebantur, eos hostes appellare dubitamus? grauius si quis attulrrit nomen, libenter assen-*

Landesbibliothek Oldenburg

tiar:] ex inopia nominis rei magnitudo demonstratur, vt in Verr. lib v. Verbo satis digno tam nefaria res appellari nullo modo potest. Or. 2. in Rullum: verbum mihi deest, Quirites, cum ego hanc potestatem regiam appello: sed profecto maior est quaedam. HAC *consuetudine, quae increbuit,*] intelligitur, apud maiores diuersam consuetudinem fuisse, nempe imperatorem non appellari solitum, qui mille tantum, duo um millia occidisset. HVIVS *urbis liberatores*] Pansa, Hirtius, Caesar.

ORATIO

TVigitur ipse de te, dixerit quispiam. Et quidē inuitus, sed iniuriae dolor facit me praeter consuetudinem glorioſum. non ne satis est, ab hominibus virtutis ignaris gratiam bene merentibus non referri? etiam in eos, qui omnes suas curas in reip. salute defigunt, crimen inuidiaq. quaeretur? scitis enim per hos dies creberrimū fuisse sermonem, me per Idus Quinct. qui dies hodie est, cum fascibus descensurum aliquem ne in peius. credo hoc in gladiatorem, aut latronem, aut Catilinam esse confectum; non in eum, qui, ne quid tale in rep. fieri posset, effecerit. an ego, qui Catilinam haec molientem sustulerim, euerterim, afflixerim, ipse exsisterem repente Catilina? quibus auspicijs istos fasces augur acciperem? quatenus haberem? cui transderem? quemquam ne fuisse tam sceleratum, qui hoc fingeret? tam furioſum, qui crederet? vn de igitur ista suspicio, vel potius iste sermo? cum, vt scitis, hoc triduo vel quatriduo triſtis a Mutina fama manaret, inflati laetitia, atque insolentia impij ciues vnum se in locum ad illam curiam, viribus potius suis, quam reip. infelicem, congregabant: illi cum consilium inirent de caede nostra partienturq. interse, qui Capitoliū, qui ostia, qui vibis portas occuparent; ad me concursum futurum ciuitatis putabant. quod vt cum inuidia mea fieret, & cum vitae etiam periculo, famam istam fascium dissipauerunt, fasces ipsi ad me delaturi fuerunt. quod cum esset quasi mea voluntate factum, tum in me impetus conductorum hominum, quasi in tyrannū parabatur: ex quo caedes esset omnium vestrum consecuta. quae res patefecit, P. C. sed suo tempore totius huius sceleris fons aperietur. itaque P. Appuleius, tribunus pl. meorum omnium consiliorum, periculorumq. iam inde a consulatu meo testis, conscius, adiutor, dolorem ferre non potuit doloris mei: concionem habuit maximam, populo R. vnum atque idem sentiente. in qua concione cum me pro summa nostra cōiunctione & familiaritate liberare suspicione fascium vellet, vna voce cuncta concio declarauit, nihil esse a me vmquam de rep. nisi optime cogitatum. post hanc habitam concionem duobus tribus ve horis optatissimi nuncij, & litterae venerunt; vt idem dies non modo me iniquissima inuidia liberarit. sed etiā celeberrima populi R. gratulatione auxerit. Haec interposui, P. C. nō tam vt pro me dicerem, (male enim mecum ageretur, si parum vobis essem sine defensione purgatus) quam vt quosdam nimis ieiuno animo, & angusto monerem, id quod semper ipse fecissem, uti excellentium ciuium uirtutem imitatione dignam, non inuidia, putarent. magnus est in rep. campus, ut sapienter dicere Crassus solebat: multis apertus cursus ad laudem. utinam quidē illi principes uiuerent, qui me post meum consulatum, cū ijs ipse crederem, principem nō inuiti uidebant. hoc uero tempore, in tanta inopia constantium & fortium consularium, quo me dolore affici creditis, cū alios male sentire, alios nihil omnino curare uideam, alios parum constanter in suscepta causſa permanere, sententiamq. suam non semper utilitate reip. sed cū spe, tum timore moderari? quod si quis de contentione principatus laborat, quae nulla esse debet; stultissime facit, si uitijs cum uirtute contendit. ut enim cursu cursus, sic in uiris fortibus uirtus uirtute superatur. tu, si ego de rep. optime sentiā, vt me vincas, ipse pessime senties? aut, si ad me bonorum concursum fieri videbis, ad te improbos inuitabis? nollem, primum reip. causſa, deinde etiā dignitatis tuae. sed, si principatus ageretur, quem numquam expetiui; quid tandē mihi esset optatius? ego enim malis sententijs vinci non possum, bonis forsitan possim, & libenter. haec populum R. videre, animaduertere, iudicare, quidam moleste ferunt. poterat ne fieri, vt non perinde homines de quoque, vt quisque mereretur, iudicarent? vt enim de vniuerso senatu populus R. verissime iudicat, nullis reip. temporibus hunc ordinem firmiorē, atque fortiorem fuisse: sic de vnoquoque nostrum, & maxime, qui hoc loco sententias dicimus, sciscitantur omnes, auent audire, quid quisque senserit; ita de vnoquoque, vt quemque meritum arbitrantur, existimant. memoria tenent, me ante diem xiij. Kal. Ian. ad hanc horam inuigilasse reip. meam domum, meas q. aures dies noctes omnium praeceptis, monitisq. patuisse, meis litteris, meis nūcijs, meis cohortationibus omnes, qui vbique essent, ad patriae praesidium excitatos; meis sententijs a Kal. Ian. numquā legatos ad Antonium, semper illum hostem, semper hoc bellum; vt ego, qui omni tempore verae pacis auctor fuissem, huic essem nomini pestiferae pacis inimicus. Idem Ventidium, cum alij tribunum pl. voluissent, non ego semper hostem? Has in sententias meas si cōsules designati discessionem facere voluissent; omnibus istis latronibus auctoritate ipsa senatus iampridem de manibus arma cecidissent. sed, quod tum non licuit, P. C. id hoc tempore non solum licet, verum etiam necesse est, eos, qui re sunt hostes, verbis notari, sententijs nostris hostes iudicari. antea cum hostem, aut bellum nominassem; semel, & saepius sententiam meam de numero sententiarum sustulerunt. quod in hac causſa iam fieri non potest. ex litteris enim C. Pansae, A. Hirtij consulum, C. Caesaris pro praetoris, de honore diis immortalibus habendo sententias diximus. supplicationem modo qui decreuit, idem imprudens hostes iudicauit. numquam enim in ciuili bello supplicatio decreta est decretam dico? ne victoris quidem litteris postulata est. ciuile bellum consul Sulla gessit: legionibus in vrbem ductis, quos voluit, expulit; quos potuit, occidit, supplicationis mentio nulla graue bellum Octauianum insecutum est: supplicatio Cinnae nulla victoris. Cinnae victoriam imperator vltus est Sulla: nulla supplicatio decreta a senatu. ad te ipsum, P. Seruili, num misit vllas collega litteras de illa calamitosa pugna Pharsaliae? nūne de supplicatione voluit referre? profecto noluit. at misit postea de Alexādrina, de Pharnace: Pharsalicae vero

pugnae

pugnae ne triumphum quidem egit. eos enim ciues pugna illa sustulerat, quibus non modo victoribus sed etiam uiuis. & incolumis, & florens ciuitas esse posset. quod idem contigerat superioribus bellis ciuilibus. nam mihi consuli supplicatio, nullis armis sumptis. non ob eandem hostium, se ob conseruationem ciuium, nouo, & inaudito genere decreta est.

EXPLANATIO

INIVRIAE *dolor*] quae significetur iniura, sequentibus verbis ostenditur. PER *idus Quinct.*] hic dies quo, senatus propter consulum, Caesarisq. litteras habitus est, fuit XI. Kal. Mai. vt ex ep. ad M. Brutum liquet: scripsit enim ad eum Cicero nuncium victoriae. XII. Kal. Mai. allatum esse. posttridie autem senatus fuit. qui potest igitur locum habere mentio Quinctilis mensis? hoc Ferrarius cum vidisset, opem a coniectura quesiuit, & pro Per idus Quinct. legendum putauit Pridie Vinalia: nã Vinalia fuere x, Kal. Mai. Acute Ferrarius: nec ego dissentio, quamquam non omnis eiusmodi cõiectura est vt scopum veritatis attingat. DESCENSVRVM,] in forum, nam in collibus habitabant. sic Horatius: Descendat in campum petitor. ALIQVEM *ne in peius.*] hic mihi tenebrae sunt: nec quae Ciceronis mens fuerit nec qua progrediar ad emendandum via, satis liquet. Faerni liberior, quam deceat, coniectura fuit; legebat enim: Credo hoc in aliquem impium, in gladiatorem. &c. AD *illam curiam,*] Hostiliam quae erat, vt ait Varro, ante Rostra. VIRIBVS *potius suis,*] viribus impiorum ciuium infelicem; perdidit enim eos, quorũ olim opera simul cum P. Clodij corpore cremata fuerat. significat eorum calamitatem, qui cum seditionis duces fuissent, plebemq. ad cremandum in Curia a Clodij corpus impulissent, quo igne simul ipsa curia flagrauit, eo crimine in exsulium missi sũt ij fuerunt praecipue T. Plancus, Q. Pompeius, Sex. Clodius. FONS *aperietur.*] fontem huius sceleris virum consularem, virtuti & gloriae Ciceronis inuidentem, ea, quae sequuntur, ostendunt: eaq. non in quem quã magis, quam in Q. Fufium Calenum, Antonij procuratorem, defensoremq. perpetuũ, suspicio cadit. CRASSVS] L. Crassus orator summus. OPTATIVS?] quam vt me uincas. MALIS *sententiis vinci non possum,*] quia non contenderim: male enim de rep. sentire, meum non est bonis autem sententijs si vincar, in quibus contendam ne uincar: me quidem nõ accidet inuito. a quo enim fructu resp. maiorem capiet, ei principatum libenter concedam. ANTE *diem xiii. Kal. Ian.*] quo die tertiam Philippicam habuit, referentibus nouis tribunis pl. de praesidio consulum designatorũ. PRINCIPEM *reuocandae libertatis fuisse;*] non enim de praesidio solum consulum designatorum, sed de tota etiam rep. sententiam dixit. uere igitur libertatis reuocãdae princeps fuit. quod etiam gloriatur in ep. ad Cornificium, his uerbis: Ego, mi Cornifici, quo die primum in spem libertatis ingressus sum, & cunctantibus ceteris, ad XII. Kal. Ian. fundamenta reip. eieci; eo ipso die prouidi multum, atque habui rationem dignitatis tuae. CONSVLES *designati*] cum de sententijs loquatur, quas a Kal. Ian. dixit, miror cur designati consules Pansa & Hirtius uocentur: ac uereor, ne uerbum, Designati, additum ex inscitia sit interpretis imperiti. DE *numero sententiarum sustulerunt.*] discessionem enim in eam facere noluerunt. COLLEGA] consulatum secundum cum Seruilio Caesar gessit, quo anno Pompeium uicit in Pharsalica. NAM *mihi consuli supplicatio*] hanc supplicationem togato Ciceroni, Catilina urbe pulso, socijs eius in urbe comprehensis, decreuit M. Cato: ut ad eum scripsit Cicero ep. 4. lib. xv. fam.

ORATIO

QVAMOBREM *aut supplicatio ob remp. pulcherrime gestam postulantibus uestris imperatoribus deneganda est, quod, praeter Gabinium, contigit nemini: aut, supplicatione decernenda, hostes eos de quibus decernitis, iudicetis necesse est. quod ergo ille re, id ego etiam uerbo, cum imperatores eos appello. hoc ipso nomine, & eos, qui iam deuicti sunt, & eos, qui superstant, hostes iudico, cum victores appello imperatores. quo modo enim potius Pansam appellem? etsi habet honoris amplissimi nomen. quo Hirtium? est ille quidem consul: sed alterum uirtutis atque victoriae. quid Caesarem, deorum beneficio reip. procreatum, dubitem ne appellare imperatorem? qui primus Antonii immanem & foedã crudelitatẽ non solum a iugulis nostris, sed ẽt a mẽbris, & uisceribus auertit. Vnius autem diei quot & quantae uirtutes, dii immortales, fuerunt? princeps enim omniũ Pansa proelii faciendi & cum Antonio confligẽdi fuit dignus imperator legione Martia, digna legio imperatore. cuius si acerrimum impetũ cohibere potuisset, uno proelio confecta res esset. sed cum libertatis auida legio effrenatius in aciem hostium irrupisset, ipseq. in primis Pãsa pugnaret; duobus periculosis uulneribus acceptis, subtatus e proelio, reip. uitam reseruauit. ego uero non solum imperatorem, sed etiam clarissimum imperatorem iudico; qui cum aut morte, aut victoria se satisfacturum reip. spopondisset. alterum fecit, alterius dii immortales omen auertant.*

EXPLANATIO

QVOD, *praeter Gabinium, contigit nemini:*] in oratione de prouincijs: Quae enim homini, in quo aliquis si non famae pudor, at supplicij timor est, grauior poena accidere potuit, quam non credi litteris ijs, quae rem bene gestam in bello nunciarent? hoc statuit senatus, cum frequēs supplicationem Gabinio denegauit. &c. Ad Q. fr. ep. 5. lib. 1. Idibus Maijs senatus frequens diuinus fuit in supplicatione Gabinio deneganda. Adiurat Porcilius, hoc nemini accidisse. QVOD *ergo ille re.*] quod Pāsa, Hirtius, Caesar re iudicauerunt: quia tamquam cum hostibus pugnarunt HONORIS *amplissimi*] consulatus. DEORVM *beneficio reip. procreatum,*] Phil. 3. Qua peste priuato consilio remp. Caesar liberauit, qui nisi in hac rep. natus esset; remp. scelere Antonij nullam haberemus. A. MEMBRIS, *& visceribus auertit.*] morte enim ipsa contentus non fuisset Antonius: prius vnumquemque omni crudelitatis genere cruciasset Mortem Cicero significat, cum dicit, A iugulis. tormenta, cum subiungit, A membris, & visceribus. LEGIONE *Martia;*] quam ei, quo tutius in castra venire posset, obuiam Hirtius miserat. sic enim Galba ad Ciceronem scripsit. CVIVS *si acerrimum impetum cohibere potuisset,*] idem Galba scripsit hoc: cum equites Antonij apparuissēt, cōtineri neque legio Martia, neque cohortes praetoriae potuerunt: quas sequi coepimus coacti, quando eas retinere non poteramus.

ORATIO

QVID *dicam de Hirtio? qui, re audita, e castris duas legiones eduxit incredibili studio, atque virtute, Quartam illam, quae, relicto Antonio, se olim cum Martia legione coniunxit; & septimam, quae constituta ex veteranis docuit illo proelio, militibus ijs, qui Caesaris beneficia seruassent, senatus populiq. R. carū nomen esse. his viginti cohortibus, nullo equitatu, Hirtius ipse aquilam quartae legionis cum inferret, qua nullius pulchriorem speciem imperatoris accepimus, cum tribus Antonij legionibus equitatuq. cōflixit, hostesq. nefarios, huic Ioui maximo, ceterisq. deorum immortalium templis, vrbis tectis, libertati populi R. nostrae vitae sanguiniq. imminentes prostrauit, fudit, occidit, vt cū admodum pacis. nocte tectus, metu perterritus, princeps latronum duxq. fugerit. O solem ipsum beatissimum, qui ante quam se abderet, stratis cadaueribus parricidarum, cū paucis fugientem vidit Antonium. An vero quisquam dubitabit appellare Caesarem imperatorem? aetas eius certe ab hac sententia neminem deterrebit: quandoquidem virtute superauit aetatem, ac mihi semper eo maiora beneficia C. Caesaris visa sunt, quo minus erāt ab aetate illa postulanda. Cui cum imperium, eodem tempore etiam spem nominis eius deferebamus, quod cum est cōsecutus, auctoritatem nostri decreti rebus gestis suis comprobauit. hic ergo adolescēs maximi animi, vt verissime scribit Hirtius, castra multarum legionum paucis cohortibus tutatus est, secundumq. proelium fecit. ita trium imperatorum virtute, consilio, felicitate vno die locis pluribus resp. est conseruata.*

EXPLANATIO

DVAS *legiones*] viginti cohortes. CONSTITVTA *ex veteranis*] quos Caesar adolescens collegerat. QVI *Caesaris beneficia seruassent,*] nam qui ea comederant, rerum nouarum studio tenebantur, Phil. 11. & 13. CVM *tribus Antonij legionibus*] secunda, quarta, trigesima quincta: quarum primas duas in epistola sua Galba nominat, quartam vero Asinius Pollio lib. x. fam. nam quincta Antonij proelio non interfuit: vt idē Pollio. HVIC *Ioui maximo*] cuius in templo senatus habebatur. supra: Quaeq. esset facturus in hac vrbe, nisi eum hic ipse Iuppiter ab hoc templo, atque moenibus repulisset, declarauit, SPEM *nominis eius*] vt aliquando ob victoriam imperator appellaretur. NOSTRI *decreti*] quo imperium ei detulimus. CASTRA *multarum legionum*] quae multarum legionum praesidio indigebant: quibus tutandis opus esse multis legionibus videbatur.

ORATIO

DECERNO *igitur eorum trium nomine* L. *dierum supplicationes: quas, vt honorificentissimis verbis consequi potero, complectar ipsa sententia. est autem fidei pietatisque nostrae, declarare fortissimis militibus, quam memores simus, quamq. grati. quamobrem promissa nostra, atque ea, quae legionibus, bello confecto, tributuros nos spopondimus, hodierno S. C. reuouanda censeo. aequum est enim, militum, talium praesertim, honorem coniungi. atque vtinam, P. C. ciuibus omnibus soluere no bis praemia liceret, quamquam nos ea, quae promisimus, studiose cumulata reddemus. sed id quidem restat, vt spero, victoribus: quibus senatus fides praestatur: quā cum difficillimo reip. tempore secuti sint, eos numquam oportebit consilij sui penitere. sed facile est, bene agere cum his, a quibus etiam tacentibus flagitari videmur. illud admirabilius, & maius, maximeq. propriū senatus sapientis est, grata eorum virtutem memoria prosequi, qui pro patria vitam profuderūt. quorum de honore vti-*

naia

nam mihi plura in mentem venirent: duo certe non praeteribo, quae maxime occurrũt: quorum alterum pertinet ad virorum fortissimorum gloriam sempiternam, alterũ ad leniendum maerorem, & luctum proximorum.

EXPLANATIO

IPSA *sententia.* Omnino necessarium hoc non est, nec tamen, vt Faerno placuit, delendum videtur: cum praesertim paullo post idem dixerit: sed vt aliquando sententia cõplectar, ita censeo. HODIERNO. S. C.] quo supplicationes L dierũ tribus ducibus decernimus. HONOREM *coniungi.*] cum honore supplicationum, qui ducibus defertur. QVIBVS *senatus fides praestatur.*] vt de solutione non dubitent: praestatur autem & superiore S. C. quo promisimus, & hoc hodierno, quo promissa renouantur. In ep. ad Lentulum: Placebat illud, vt, si rex amicis tuis, qui pecunias ei credidissent, fidẽ suam praestitisset, & auxilijs eum tuis, & copijs adiuuares. QVORVM *alterum*] monumentum amplissimum. ALTERVM] vt quae ipsis promissa fuerant, ea parentibus, liberis, coniugibus eorum tribuantur.

ORATIO

PLACET *igitur mihi P. C. legionis Martiae militibus, & eis qui vna pugnantes occiderunt, monumẽtum fieri quam amplissimum. magna, atque incredibilia sunt in rẽp. huius merita legionis, haec se prima latrocinio abrupit Antonij: haec tenuit Albam: haec se ad Caesarem contulit: hanc imitata Quarta legio parem virtutis gloriam consecuta est. Quarta victrix desiderat neminem: ex Martia nonnulli in ipsa victoria conciderunt. O fortunata mors, quae naturae debita, pro patria est potissimum reddita. vos vero patriae natos iudico: quorum etiam nomen a Marte est: vt idem deus vrbem hanc gẽtibus, vos huic vrbi genuisse videatur. in fuga foeda mors est, in victoria gloriosa. etenim Mars ipse ex acie fortissimum quemque pignerari solet. illi igitur impij, quos ciciditis, etiam ad inferos poenas parricidij luent: vos vero, qui extremũ spiritum in victoria effudistis, pioru̇ estis sedem, & locum consecuti. breuis a natura vobis vita data est, at memoria bene redditae vitae sẽpiterna, quae si non esset longior, quam haec vita; quis esset tam amẽs, qui maximis laboribus, & periculis ad summam laudẽ gloriamq. contenderet? Actum igitur praeclare vobiscũ fortissimi, dum vixistis, nunc etiam sanctissimi milites, quod vestra virtus nec obliuione eorum, qui nunc sunt, nec reticentia posterorum insepulta esse poterit. cum vobis immortale monumentum suis paene manibus senatus populusq. R. exstruxerit. multi saepe exercitus Punicis, Gallicis, Italicis bellis clari, & magni fuerũt: nec tamen vllis tale genus honoris tributum est, atque vtinam maiora possemus; quandoquidem a vobis maxima accepimus, vos ab vrbe furentem Antonium auertistis: vos redire moliẽtẽ repulistis. erit igitur exstructa moles opere magnifico, incisaeq. litterae, diuinae virtutis testes sempiternae: numquam de vobis eorum, qui aut videbunt vestrum monumentum, aut audient, gratissimus sermo conticesset. ita, pro mortali condicione vitae, immortalitatem estis consecuti. Sed, quoniam, P. C. gloriae munus optimis & fortissimis ciuibus monumenti honore persoluitur; consolemur eorum proximos, quibus optima est haec quidẽ consolatio, parentibus, quod tãta reip. praesidia genuerunt; liberis, quod habent domestica exempla virtutis; coniugibus, quod ijs viris carebunt, quos laudare, quam lugere, praestabit; fratribus, quod in se, corporum, sic virtutum similitudinem esse confident. atque vtinam his omnibus abstergere fletum sententijs nostris, consultisq. possemus; vel aliqua talis his adhiberi publice posset oratio, qua deponerent maerorem, atque luctum, gauderentq. potius, cum multa & varia impenderent hominibus genera mortis, id genus, quod esset pulcherrimum, suis obtigisse, eosq. nec inhumatos esse. nec desertos; quod tamen ipsum pro patria non miserandum putatur; nec dispersis bustis, humili sepultura crematos, sed contectos publicis operibus, atque muneribus. eaq. exstructione, quae sit, ad memoriam aeternitatis, ara virtutis. quamobrem maximum quidem solatium erit propinquorum, eodem monumento declarari & virtutem suorum, & pietatem, & senatus fidem, & crudelissimi memoriam belli: in quo nisi tanta militum uirtus exstitisset, parricidio M. Antonii nomen populi R. occidisset. Atque etiam censeo, P. C. quae praemia militibus promisimus nos rep. recuperata tributuros, ea uiuis uictoribusq. cumulate, eum tempus uenerit, persoluenda. qui autem ex iis, quibus illa promissa sunt pro patria occiderunt; eorum parentibus, liberis, coniugibus, fratribus eadem tribuenda censeo.*

EXPLANATIO

PIGNERARI] sibi quasi suos assumere. nam in acie fortissimi quique moriuntur.

ORATIO

SED, *ut aliquando sententia complectar, ita censeo: Cum C. Pansa, consul, imp. initium cum hostibus confligendi fecerit, quo proelio legio Maria admirabili incredibiliq. uirtute libertatem populi R. defenderit, quod*

quod idem legiones tyronum fecerint; ipseq. C. Pansa, consul, imp. cum inter media hostium tela uersaretur, uulnera acceperit; cumq. A. Hirtius, consul, imp. proelio audito, & cognito, fortissimo, praestantissimoq. animo exercitum castris eduxerit, impetumq. in M. Antonium, exercitumq. hostium fecerit, eiusq. copias occidione occiderit, suo exercitu ita incolumi, ut ne unum quidem militem desiderauerit; cumq. C. Caesar propr. imp. consilio, diligentiaq. sua castra feliciter defenderit, copiasq. hostium, quae ad castra accesserant, profligarit, occiderit; ob eas res senatum existimare, & iudicare eorum trium imperatorum uirtute, imperio, consilio, grauitate, constantia, magitudine animi, felicitate populum R. foedissima crudelissimaq. seruitute liberatum. cumq. remp. urbem, templa deorum immortalium, bona, fortunasq. omnium, liberosq. conseruarint dimicatione, & periculo uitae suae; uti ob eas res bene, fortiter, feliciterq. gestas C. Pansa, A. Hirtius consules, imperatores, alter, ambo ue, aut si aberint, M. Cornutus praetor urbanus, supplicationes per dies 10 ad omnia puluinaria constituat: cumq. uirtus legionum digna clarissimis imperatoribus exstiterit, senatum, quae sit antea pollicitus legionibus, exercitibusq. nostris, ea summo studio, rep. recuperata, persoluturum: cumq. legio Martia princeps cum hostibus conflixerit, atque ita cum maiore numero hostium contenderit, ut plurimos caederent, caperent nonnullos; cumq. sine ulla retractatione pro patria uitam profuderint: cumq. simili uirtute reliquarum legionum milites prosalute, & libertate populi R. mortem oppetiuerint; senatui placere, ut C. Pansa, A. Hirtius consules, imperatores, alter, amboue, si his uideatur, iis, qui sanguinem pro uita, libertate, fortunisq. populi R. pro urbe, templisq. deorum immortalium profu dissent, monumentum quam ampliss. locandum, faciendum curent. quaest. urb. ad eam rem pecuniã dare, attribuere, soluere iubeant, ut exstent ad memoriam posteritatis sempiternam, ad scelus crudelissimorum hostium, militumq. diuinam uirtutem; utque, quae praemia senatus militibus ante constituit, ea soluantur eorum, qui hoc bello pro patria occiderunt, parentibus, liberis, coniugibus, fratribus; iisq. tribuantur, quae militibus ipsis tribui oporteret, si illi uixissent, qui morte uicerunt.

EXPLANATIO

LEGIONES *tyronum*] quattuor, vt scripsit Galba quas ex delectu Italiae consul Pansa comparauerat. M. CORNVTVS,] de quo ep. 12 lib X. SINE *ulla retractatione*] sine vlla detrectatione: cum nihil se ipsi reuocarent, nulla dubitatione consisterent Tusc. 5. Veterem Academiam hortari videbare, vt sine retractatione libere dicere auderẽt sapientes semper esse beatissimos. FACIVNDVMQ *curent*:] sic Ferrarius, & recte; nam verbum, Curent omnino sententia requirit sic Phil 9 Quantiq. locauerint, tantam pecuniam redemptori attribuendam soluendamq. curent. Nec vero, quin. Quaest. vrb. ideſt. Quaestoribus vrbanis, addendũ sit dubito nisi enim addatur quo referetur, Iubeãt? certe cura eius dãdae, attribuẽdae soluẽdae pecuniae ad quaestores vrbanos pertinebat quod Phil. 9. in Sulpicij monumento cognoscitur. antiqua vero scriptura cũ alij pro, curent scripsissent, querent, alij pro quaestores vrbanos, q. vrb. vtrumque simul implicauit ex litterarum similitudine, effecitque vt alterum quasi superuacaneum omitteretur: cum sit vtrumque necessarium. nam & illud, Locandum, faciendumq. suum verbum desiderat, nec vllum nisi, curent, addi potest cum ex cõsuetudine Latini sermonis, tum etiam ex ipsis antiquis litteris, q vrbem: & quaestorum vrbanorum in eroganda pecunia publica quam sit vsitata mẽtio, sexcentis intelligitur exẽplis. VTQ.] malim, Vtiq. magis enim redolet antiquitatem nam Phil 9 Vtiq. C. Pansa, A Hirtius consule. Et ibidem infra: Vtiq. locum sepulcro in cãpo Esquilino. Et in S. C. quod Coelius ad Ciceronem misit, Vtiq. eius rei causſa per dies comitiales senatum haberent. Eodemq. modo in reliquis S. C. quae apud Frontinũ leguntur. Iam scriptor antiquus L. Piso apud Gellium, Sellam, inquit, curulem iussit sibi afferri. eam in limine apposuit, ne quis illorum exire posset vtiq. ij omnes inuiti viderent seſe insella curuli sedentem.

FINIS.

Landesbibliothek Oldenburg

Contract £90

Landesbibliothek Oldenburg

Landesbibliothek Oldenburg

Landesbibliothek Oldenburg